3
20-4406

E = 14 - 7 = A - 36 = 6

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 6
Tabla
Número 33

# APOSTOLICARVM CONSTITVTIONVM & Catholicæ doctrinæ CLEMENTIS ROMANI LIBRI VIII.

FRANCISCO TVRRIANO Societatis Ieſu interprete è Græco: Cum eiuſdem Scholiis & obſeruationibus ipſius doctrinæ Catholicæ ad confirmanda dogmata orthodoxa contra hæreticos, & cum Explanationibus apologeticis locorum obſcuriorum.

*Ad Ill<sup></sup>*

*Ad Ill.mum & R.mum D. S. R. E. Cardinalem* SIRLETVM.

Acceſſerunt CANONES Concilij NICAENI LXXX. ex Arabico in Latinum conuerſi, &

Reſponſa NICOLAI I. ad conſulta Bulgarorum.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXVIII.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
GRANADA

## PRIVILEGII SVMMA.

CONCESSVM *eſt per patentes Reg. Ma. litteras Chriſtophoro Plantino Architypographo Regio, vt hunc librum cui titulus eſt* Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Catholicæ doctrinæ; CLEMENTIS ROMANI Libri VIII. &c. *imprimat ac diſtrahat. Interdictum quoque eſt aliis omnibus, quicunque demum illi ſint, ne eum imprimant, aut alibi impreſſum, in ditiones Regiæ Ma. diſtrahendum importare tentent, ſpatio decem annorum proximè ſequentium, ſub grauibus pœnis, quas litteræ exprimunt; datæ Bruxellis pænultima Julij, M. D. LXXV.*

*Signata*

Blyleuen.

# FRANCISCI TVRRIANI

## SOCIETATIS IESV PROOEMIVM, IN LIBROS CLEMENTIS ROMANI DE CONSTITVtionibus Apoſtolorum & Catholica doctrina.

SÆPE mecum mirari ſolebam Illuſtr^me. & R^me. Domine, quæ cauſa eſſet, cùm alioqui apud omnes conſtaret (id quod, ex diſciplina etiã Lutheri qui profecti ſunt, non omnes negant) multa ſanctos Apoſtolos quæ ad morum diſciplinam & ad conſtitutiones rectè & honeſtè omnia in eccleſia agendi pertinerent, ſine ſcripto tradidiſſe, tamen Clementem eiuſmodi inſtituta, præcepta & leges Eccleſiaſticas collegiſſe, & vnde ad nos manaſſent, vt ſciremus, litteris mandaſſe, nulla ratione quibuſdam ſuaderi poſſet. Atqui legũt Apoſtolum Corinthiis præcepiſſe vt omnia honeſtè & ſecundum ordinem in Eccleſia fierent; quod quidem aut non præcepiſſet, aut fruſtra, niſi conſtitutiones honeſtatis & ordinis ſeruandi prius traditæ fuiſſent, meminerunt etiã, quod eiſdem Corinthiis idem Apoſtolus ſcripſit, Cætera cũ venero diſponam; & quod Tito, Reliqui te Cretę, vt ea quę deſunt corrigas, ſicut & ego diſpoſui tibi: Hæc inquam in Paulo legunt & eadem in ſingulos Apoſtolos cuncti orbis magiſtros cadere potuiſſe confitentur, vt in præſentia ſcilicet diſponerent, & conſtituerẽt; de quibus per epiſtolam abſentes non conſtituiſſent; ſicut idem etiam Apoſtolus Theſſalonicenſibus ſcripſit, inquiens, Itaque ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam noſtram: Hæc, inquam, libenter iſti concedunt; ſed vt Clemens Apoſtolicus auctor de iis quæ à ſanctis Apoſtolis diſpoſita & conſtituta ſine ſcripto eſſent, octo libros præſertim iuſſus, & ſi hoc nihil intereſt, conſcriberet, hoc inquã vt credant, vix poſſunt in animum inducere. Ita fit, vt imprudentes & nolentes id ipſum dicant & ſi non eadem mente, quod quidam ex Confeſſioniſtis, Nicolai Selnecceri ei nomen eſt, qui in Analecto ſuo, tractatu ſecundo, Nuſquã, inquit, certus liber extat qui contineat traditiones Apoſtolicas. Sed quod de cauſa vnde hoc fieret, mecum, vt dixi, mirabar; ex ſermone qui mihi cum nonnullis iſtorum incidit, intellexi, non vnam eſſe, ſed multiplicem. Alius enim dicit, Si certum eſſet Conſtitutiones Apoſtolorum eſſe, quæ in his libris Clementis Romani, eorum eſſe feruntur; planè ſequi non minoris auctoritatis eſſe hos libros, quàm epiſtolas Pauli & aliorum Apoſtolorũ; ac proinde in numero librorum Canonicorum habendos eſſe; vt ſi non

habeantur, rurſus ſequatur, non eſſe Conſtitutiones Apoſtolorum à Clemente Romano Apoſtolico auctore ſcriptas. hæc enim eſt iſtorum meta, ad quam argumenta ſua dirigunt. Alius quærit, quomodo à XII. Apoſtolis, ac VII. diaconis commiſſa & commendata Clementi eſt horũ librorũ conſcriptio, cùm in illis ipſis libris de morte aliquorũ Apoſtolorum & diaconorum mentio fiat? & Petrus poſt mortem ſuam dicat in quodam canone de Simone Mago, à me Petro, communione priuato? Quomodo, inquiunt, mortuus loquitur? Siquidem Clemens, qui beato Petro in Pontificatu ſucceſſit, horum librorum ſcriptor eſt? Alius alia dum notat, & tanquam falſa criminatur, aut non credit Clementis eſſe libros, aut eſſe quidẽ, ſed ab aliis poſtea corruptos, & admixtis falſis, violatos, ac proinde inter apocryphos numerari eos oportere. Hæc tria ſunt quæ hoc noſtro tempore de Conſtitutionibus Apoſtolorum à Clemente Romano ſcriptis à quibuſdam obiiciuntur. Ante annos verò propè octingentos quæ obiicerentur, notauit, & memoriæ prodidit Photius Conſtantinopolitanus in Bibliotheca ſua (ſic enim appellat volumen ingens de libris à ſe lectis) interpretabor locum ad verbum. Conſtitutiones, inquit, Apoſtolorum à Clemente Romano conſcriptæ, trium ſolùm argui videntur, κακοπλασίας, conuiciorum Deuteronomij & Arrianiſmi. Hæc duo extrema ad illud tertium ſuperius, quod dixi hoc noſtro tempore argui, pertinent, id eſt, ad ea quæ arguuntur eſſe falſa & corrupta. Illud verò primum crimen ad illud idem refertur, quod dixi nunc etiam accuſari quaſi malam factionem perſonarum. hanc enim vocat Photius κακοπλασίαν. Sed videamus quid Photius incredibilis lectionis & acris iudicij auctor, de iſta triplici criminatione iudicauerit: de κακοπλασίᾳ reſpõdet, εἶναι ῥᾴδιον ἀποσκευάσασθαι, id eſt, facile eſſe depellere hanc criminationem. non iudicauit opus eſſe pluribus ad diluendum, ſatiſque hac cõciſa reſponſione ſignificauit, non eſſe arguendum quod nemine etiam reſpondente, ſponte ſua diluitur. Quis enim non intelligit, cùm Conſtitutiones Apoſtolorum legit, ſcriptas eſſe more dialogi, factis perſonis? quæ, vt ait Quintilianus, mirè cum variant orationem, tum excitant: quę tamen ita demum à fide non abhorrent, ſi ea locutos finxerimus, quæ cogitaſſe eos non ſit abſurdum, & noſtros cum aliis ſermones, & aliorum inter ſe credibiliter introducimus. Quin deducere deos in hoc genere dicẽdi, & inferos excitare conceſſũ eſt. hactenus ille? Sic Cicero ſummus dicendi & ſcribẽdi magiſter de libris Academicarũ quęſtionum, quos ad Varronẽ miſerat, in epiſtola ſua, quæ eſt in libro eius IX. Tibi, inquit, dedi partes Antiochenas, quas à te probari, intellexiſſe mihi videbar; mihi ſumpſi Philonis, puto fore, vt cùm legeris, mirere, id nos locutos eſſe inter nos, quod nunquam locuti ſumus. Sed noſti morem dialogorum.

Simi-



Similiter Clemens in hiſce libris partes conſtituendi & loquendi quę in eis continentur, Apoſtolis quibus conuenire & à quibus profecta eſſe ſciebat, dedit, licet numquam inter ſeſe ſic locuti eſſent, neq; ſcripſiſſent, vt eos loquentes, & ſcribentes facit, hunc enim morem habet dialogus. In temporibus verò numquam errore labitur Clemens, quod in Platone & Xenophonte arguit Athenæus; & Marcus Tullius in Curione; qui, vt erat ingenij mirè immemoris, in quodam ſuo dialogo eo tempore ſermonem inſtituit; cùm eius rei de qua erat inſtitutus ſermo, non iam tempus præteriſſet, ſed anno poſt; & deinceps futurum eſſet. Clemens verò nunquam Apoſtolis partes dedit conſtituendi, quæ poſt eorum tempora conſtituta eſſent. omnia enim quæ his libris complexus eſt, à ſanctis Apoſtolis didicit, accepit, audiuit: illi verò à Chriſto Ieſu, & ab Spiritu eius, per quem ſumus nos à Deo edocti, ſicut Eſaias prædixit, Erũt omnes docibiles Dei. Deinde quia omnes Apoſtoli ſpiritum ſapientiæ diuinæ habuerunt, iſta eadem omnes eos cõſtituiſſe & docuiſſe dicendum eſt: nam & hoc Plato etiam natura duce ac magiſtra aſſecutus eſt, cùm ait Socrates in Minoë Platonis, de iis quorum ſcientiam aliqui habent, non alia alios, ſed eadem ſtatuere. Quare ſiue hunc Clemens ſiue alium Apoſtolum ratione quapiam apta aliquid conſtituentem faciat, eiuſmodi conſtitutio æquè in omnes Apoſtolos cadit. Vnde beatus Chryſoſtomus, repetam enim hic quod ex homilia eius in laudem beati Ignatij martyris in libro ſecundo defenſionis epiſtolarũ Pontificum Apoſtolicorum recitaui, vbi citat Paulum ad Titum de epiſcopo, qualis eſſe debeat, ſcribentem, cùm Paulum, inquit, dico, non hunc ſolum dico, ſed Petrum & Iacobum & Ioannem & vniuerſum chorum Apoſtolorum. vt enim in vna lyra varij nerui ſunt in fidibus, vnus tamen concentus eſt; ſic in choro Apoſtolorum, variæ perſonæ, ſed vna doctrina, ſiquidem vnus eſt artifex Spiritus ſanctus, qui illorum mentes excitabat. Sed de factione perſonarum in his libris ſatis arbitror dictum eſſe in eo loco & libro quem modò dixi, ne eadem ſine neceſſitate à nobis iterentur, qui his & illis non contentus, adhuc melius quærit, quærat, & ſi poteſt, inueniat, & cùm inuenerit, nobiſcum ſi placet, communicet, & interim ſuo iudicio, ſi ita vult, vtatur. Ad alterum quod de conuicio in Deuteronomium obiiciebatur, ſimiliter ab eodem Photio reſponſum eſt, ῥᾷϛον διαλύσασθαι, id eſt, perfacile eſſe ad diluendum. nec hic putauit Photius opus eſſe confutatione, vbi vis verbi percepta totam accuſationem depellit. Etenim quia Clemens Deuteronomium nomine deuteroſeos in his libris vocare ſolet, qui verbum accipiebant, vt nunc vtimur, & vſus eſt Iuſtinianus Imperat. cùm in conſtitut. CXLVI. de Hebræis; Deuteroſim Hebræis vt impiam & legi Moyſis contrariam prohibet, conuicium fieri

 Deute-

Deuteronomio exiſtimauerunt. at non ſic Clemens accepit, ſed vt tunc accipiebatur. Deuteroſim enim prius vocabant eam quæ poſt Legẽ Decalogi vice ſecũdæ legiſlationis à Deo data eſt Moyſi. vt iam in hoc verbo factum eſſe videamus, quod in aliis ſimiliter factum eſt, vt quod primò in laude ponebatur, poſtea in vitio poneretur; ſicut in ſophiſta, & hoſte, & aliis. Itaque non magis Clemens Deuteronomium vituperat, cùm afficit verbo deuteroſeos, quàm Iouem Socrates vituperat, cùm in Minoe Platonis Sophiſtam vocat, ſapientẽ enim intelligit; nam hoc primo nomen Sophiſtæ ſignificabat. Ad tertium illud de Arrianiſmo, quod extremo loco his libris opponebatur, his verbis idem Photius reſpondet, ὅπερ αὖθις βιαίως ἀποκρούεται, non dixit non poſſe depelli hoc crimẽ, ſciebat enim Arrij hęreſim pluribus locis horũ librorũ planè cõuelli, vt poſtea docebimus, cùm in explanationibus apologeticis præfabimur, ſed dixit depelli violentè; quia ſcilicet duriuſculè nonnumquam Clemẽs loquatur: non tamen durius quàm alij poſtea ſancti & antiqui Patres & Eccleſiæ catholicæ lumina locuti ſunt, ſed potius eodem penitus modo, immo & prius ipſa ſcriptura ſancta ſic locuta eſt. quod quidem nos, & cur ita locis propriis in defenſoriis explanationibus obſcuriorũ locorũ docebimus. Hæc igitur ſunt de quibus dixit Photius, Conſtitutiones Apoſtolorum à Clemente Romano conſcriptas τρισὶ μόνοις ἐνέχεσθαι, id eſt, tria ſolũ in eis argui. Ecquis dubitat, ſi alia eruditiſſimus & incredibili lectione auctor in his libris vel à ſe cõſcius, vel ab aliis argui non neſcius fuiſſet, quin illa notaturus eſſet in eo præſertim opere, quod Bibliothecam de libris à ſe lectis nominauit, in quo tam accuratè, tam acri ingenio, tam cõſideratè, tam doctè, tam diſtinctè, tam liberè de tanta multitudine & varietate librorum iudicium facit, vt nihil animaduerſione dignum prætermiſiſſe videatur? Præterea, qui genus ſermonis, quo in his libris vſus eſt Clemens, non diſſimulauit, dixit enim non eſſe ita ſplendidum, graue, purum, vehemens, & tam variè eruditum, vt quod ad orationem attinet, poſſent hi libri cum illis eiuſdem Clementis de Actis Petri comparari; an diſſimulaſſet, ſi quid vitij in ipſis Conſtitutionibus, & earum doctrina obſeruaſſet? minimè; non enim in aliis libris diſſimulare ſolet. immo quia ſciebat Photius libros illos Clemẽtis de Actis Petri, qui de recognitionibus inſcripti ſunt, maculatos eſſe, ac multa in illis impia ferri, vt idẽ Photius teſtatus eſt; hos verò de Conſtitutionibus incorruptos, quod ad orationem attinet, dixit illos his antecellere; vt puram doctrinam à puro ſermone diſtingueret, & elegantiam orationis à bonitate rerum. Tales itaque libros Clementis de Apoſtolorum Conſtitutionibus hæc noſtra ætas habet diuino munere, quales habuit Photij ſeculũ, in quibus nihil ne à limatiſſimis quidem & acerrimis ingeniis, quod ad genus doctrinę catholicæ & conſtitutionem vitæ Chriſtianæ & eccleſiaſtici ordinis ac

decori



decori pertineat, requiri, aut etiam reprehẽdi poſſit. Quàm ſit autem graue in hoc iudicio & quantæ auctoritatis Photij teſtimonium, intelligere licet & exiſtimare ex iis quæ ipſe ſcripſit, quæ ad manus noſtras venerunt, ex ſcholiis, inquam, in epiſtolas Pauli, & in Euangelium Matthęi ac Ioannis recondito ſenſu & acumine ingenij plenis; item ex CCC. reſponſionibus ad totidem quæſtiones de variis locis ſcripturæ ſanctæ ad Amphilochium Metropolitanum Cyzici; tum ex epiſtola eius longa & doctiſſima ad Nicolaum Pont. & ex alia multo adhuc longiore parænetica, admirabili, tum in primis ex Bibliotheca, ſic enim inſcripſit, vt paulo antè dixi, ingens volumen de libris omnis generis à ſe lectis, in quo ita ferè cuiuſque argumentum, & genus ſtyli ac doctrinæ diſcernit, & notat, vt qui ſummas illas legat, totos libros, & ingenia auctorum noſſe ſibi videatur. Quis igitur noſtræ ætatis ſe cum Photio conferre audeat, ſiue ingeniũ eius ſpectemus, ſiue πολυμαθίαν & πολυπειρίαν, vt amplius in his libris arguere tentet aut cogitet, quod ille omnibus doctrinis cultus & ſummo ingenio non eſſe arguendum iudicauit? Sed quid ad illud, dicet aliquis, reſpondemus, quod primo loco poſui à quibuſdam opponi? non minoris ſcilicet auctoritatis eſſe has Cõſtitutiones Apoſtolorum, ſi à Clemente Romano, Petri & Pauli auditore, ſcriptas eſſe cõſtet, ex quo ſequatur, hos libros inter Canonicos eſſe referendos. hac enim concluſione effici volunt, vt hi ipſi libri in apocryphis habeantur. quaſi verò in approbandis libris nomina tantum apoſtolicorum, aut etiam Apoſtolorum attendenda ſint, contra præceptum apoſtolicæ doctrinæ, & conſtitutionis, quod lib. 6. c. 16. ſcriptum eſt, & non natura rerum, & ſententia nunquã à recto deflexa. nam & impij hæretici, inquit, inſcriptione apoſtolici nominis libros ſuos munierunt: aut quaſi inter Canonicos libros & apocryphos, nulli eccleſiaſtici & catholici tãquã medij interiecti ſint: aut ſi ſunt, vt fateri coguntur, niſi ad illud abſurdum quod modò dixi, delabi malũt, fuerint igitur hi libri ex illorum numero & nota, nec apocryphi, neque canonici, ſed tamen catholici. nec enim ſunt ſcriptura ſacra, licet ſacras Apoſtolorum conſtitutiones, & doctrinam eorũ contineant. In ſcriptura enim ſacra non licet ne vnum quidem iota, aut vnum apicem mouere; immo nec ibi inquirere, vtrum aliquid rectè, an ſecus, vbi & ſententiæ & verba ſpiritus Dei ſunt; niſi quis Celſus, aut Porphyrius, aut Iulianus, aut Theoſthenes velit eſſe. Itaque in ſcriptura diuina cũ omnia ſint inſtinctu & afflatu Spiritus ſancti ſcripta, nihil in eam inquirere ad accuſandũ fas eſt. In his verò conſtitutionibus non eſt ſcriptura Apoſtolorum, aut Euangeliſtarũ, ſed Clementis Romani, qui quę erant Apoſtolorũ pleraq; ἄγραφα νόμιμα, id eſt, ſermone ſine ſcripto tradita, & quibus illi per cunctas ciuitates proficiſcentes eccleſias confirmabant, vt idem poſtea à ſucceſſoribus illorum fieret litteris mandauit, & libros VIII. confecit, valde

 illos

illos quidem eccleſiæ vtiles, vt in Synodo Tridentina ab illis Patribus qui auctoritate Synodi iudicio librorum præerant, nuper iudicatum eſt, quorum iudicium grauiſſimum Romæ in tabulis publicis officij ſanctæ Inquiſitionis teſtimonio Fräciſci Forerij Luſitani, patris R[di.] ordinis ſancti Dominici, multa doctrina & religione clari, & in illo tum iudicio ſecretarij obſignatum eſt. Scripſit igitur hos libros Clemens ex perſona Apoſtolorum, ſicut epiſtolam ad Corinthios ex perſona Eccleſię Romanæ. Quid enim intereſt, ex perſona eccleſiæ Romanę ad Corinthios ſcripſiſſe valde vtilem epiſtolam, vt beatus Hieronymus teſtatur, quæ & in nonnullis, inquit, locis publicè legebatur; an ſcripſiſſe ex perſona Apoſtolorum ad vniuerſam eccleſiam Chriſtianæ & eccleſiaſticæ diſciplinæ Cōſtitutiones? An Petrus & Paulus in doctrina & inſtitutis eccleſiæ Romanæ non viuebant & ſpirabant? Quid enim Romana eccleſia tunc tenebat, niſi quę à ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo didicerat, acceperat, audierat, & in eis viderat? Quare ergo, ſi non fuit apocrypha Clementis epiſtola ex perſona Romanæ eccleſiæ ad eccleſiam Corinthiorum ſcripta fuerint apocryphi libri eiuſdem de Cōſtitutionibus ad eccleſiam catholicam ex perſona Apoſtolorum ſcripti? Scribit idem Hieronymus de Polycarpo diſcipulo Ioannis, ſcripſiſſe ad Philippenſes valde vtilem epiſtolam, quæ vſque hodie, inquit, in Aſiæ conuentu legitur. Quis epiſtolam Polycarpi, & ſi valde vtilem, quia is Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ diſcipulus eſſet, aut etiam quia in eccleſia Aſiæ epiſtola legeretur, canonicam fecit? Sed quis rurſus apocrypham dicat, aut vnquam dixit? Sic nos Clementis apoſtolorum diſcipuli de eorū conſtitutionibus & catholica doctrina libros non facimus canonicos, alioqui vtiliſſimos, & vſu eccleſiaſtico Apoſtolicæ traditionis, tametſi extra canonem diuinarum ſcripturarum, planè Apoſtolicos. Sed quis eòs rurſus apocryphos facere audeat? niſi, vt paulò antè dixi, qui inter canonicos, & apocryphos nullos medios, interiectoſque eſſe magno errore exiſtimet? Sed videamus deinceps, quid S. Epiphanius quadringentis & amplius ante Photium annis de his libris teſtatus ſit, quales ſæculo ſuo eſſent & haberentur, vtrúmne deprauati, neglecti, ignobiles & apocryphi? Libro igitur tertio contra Audianos, qui cum Iudæis Paſcha celebrabant, & Apoſtolorum Conſtitutionem de Paſcha ad errorem ſuum defendēdum prauè detorquebant, ſic ſcribit: Et ad hoc iſti Audiani Conſtitutiones apoſtolorum detorquent, quas quidem in dubium multi reuocant. Sed quid mirum, ſi tempore Epiphanij multi in dubium reuocabāt, quę multi etiā ignorabant? vt quidem B. Hieronymus, diligentiſſimus alioqui librorum inueſtigator, in illo terrarū angulo ignorauit; in quo ſe de viris illuſtribus & eccleſiaſticis ſcriptoribus ad Dextrum prætorio præfectum ſcripſiſſe dicit. Sed quid tum Epiphanius de libris iſtis, de quibus multi dubitabant,

bant,



bant, ἀλλ' οὐκ ἀδόκιμοι, id eſt, non tamen, inquit, improbantur: planè declarat quamuis libri Conſtitutionum Apoſtolicarum multis in dubium venirent, non tamen apocryphos eſſe. cùm enim nota improbationis ad dubium & incertum accedit, tunc nota etiam apocryphi accedit. Sed audiamus iudicium S. Epiphanij, quemadmodum & quare non improbarentur, quia omnis, inquit, canonicus ordo in eis habetur, nihilq́. fidei, nihil profeſſionis eius, nihil eccleſiaſticæ gubernationis ac regulæ adulteratum. Quod maius teſtimonium à tanto ac tam graui, & antiquo & illuſtri cōtra hæreſes ſcriptore, & in diſcernendo vero à falſo, tam erudito & exercitato dari potuit, eſſe conſtitutiones Apoſtolorum, quæ in VIII. libris Clementis feruntur, non apocryphas, ſed iuſtas & legitimas, & ab omni nota improbationis alienas & liberas? Concedit quidem multos ſui ſeculi veniſſe in dubium de eis, ſed negat eas non probari, & non contentus hoc, earum approbationem omni laude cumulauit. Dicam igitur quod de ſæculo Photij paulò antè dixi, tales habet noſtra ætas Apoſtolorum Conſtitutiones, ſanas ſcilicet & incorruptas, quales Epiphanij ætas habuit. Sed accedat iam tertius teſtis cōtra notā apocryphi, ſitq́. is S. Athanaſius, quē Photius ſic in illa ſua Bibliotheca laudat, vt ex eo tanquam ex fonte Gregorium Nazianzenum, & Baſilium contra Arrianos hauſiſſe dicat. is igitur tantus auctor in epiſt. XI. ἑορταστικῇ, poſtquam libros canonicos à principio traditos tum veteris Teſtamēti tum noui numerauit, & qui eſſent, canone ſuo declarauit, de quibus ait dixiſſe Dominum IESVM Iudæis, Erratis neſcientes ſcripturas; & rurſus illud, Scrutamini ſcripturas; ipſæ enim ſunt quæ teſtimonium perhibent de me: his ſubiungit idem Athanaſius, vt ad verbum transferam: Verùm copioſioris teſtimonij gratia addam hoc etiam epiſtolæ, eſſe item alios libros pręter hos non quidem relatos inter canonicos, à patribus tamen ſancitos, vt ab iis legantur qui paulò antè ad fidem venerūt, & diſciplina vitæ piè inſtructi eſſe cupiunt; qui ſunt Sapientia Salomonis, Sapientia Sirach, Eſther, Iudith, Tobias, & quę vocatur Doctrina Apoſtolorū, & Paſtor. Cęterùm amici illis in canonem redactis, & his extra canonem ad legendum conſtitutis, nuſquam hic apocryphorum mentio. immo hæc apocrypha ab hæreticis excogitata ſunt, qui illa quidem, cùm libitum eſt, ſcribunt; tempus verò eis apponunt, vt veluti priſca proferentes, occaſionē habeant ſimplices decipiendi. Hactenus Athanaſius, qui ſatis apertè teſtatur libros Clemētis de Conſtitutionibus & doctrina Apoſtolorum nunquam in apocryphis habitos eſſe; quin potius à patribus traditum, vt quamuis extra canonem eſſent, cum illis quatuor, qui iam canonici ſunt, ad ædificationem fidei & pietatis legerētur. Quòd verò Athanaſius cùm doctrinam dixit, quæ Apoſtolorum vocatur, libros Clementis de Conſtitutionibus Apoſtolorum intelligi voluerit, teſtatur tum Zonaras,

qui

qui epiſtolam Athanaſij interpretatur; tum liber VI. harum conſtitutionum, in quo ipſi apoſtoli, quos Clemens ſcribentes facit, cap. 14. doctrinã catholicam appellant, quam ſe dicunt epiſcopis ſcribere. & lib. 2. cap. 39. Ego, inquit, Matthæus, vnus ex iis qui in hac doctrina loquuntur. Sic etiam in quodam vetuſto exemplari manuſcripto reperi Græcè inſcriptos libros de doctrina Apoſtolorum. Sic etiam inſcripti ſunt iidẽ libri è Gręco in Arabicum tranſlati, qui in Bibliotheca Vaticana extant. Ego verò vtrumq; coniunxi, & ex vtroque inſcriptionem contexui Apoſtolicarum Conſtitutionum & catholicæ doctrinę. Alia enim eſt doctrina Petri, quã Damaſcenus citat in Parallelis, & Gregor. Naziáz. in oratione de charitate in pauperes, quæ à Clemẽte Alexandrino Prędicatio Petri nominatur, quę adhuc extat licet nõ tota, quę inſcripta eſt Epitome prędicationũ Petri. Hæc autẽ, quã Athanaſius dicit, nõ doctrina Petri ſed Apoſtolorũ vocatur. Cùm igitur teſtis ſit magnus Athanaſius horũ librorũ lectionẽ proximo loco poſt canonicos libros ab eccleſia ætatis ſuæ approbatam fuiſſe, ac proinde nihil ſuperioribus temporibus in illis notatũ eſſe, quod arguendũ eſſe videretur, rurſus dicendũ nobis eſt, quod de ſæculó Photij paulo antè dicebamus, tales hoc noſtrum ſæculum libros Clementis de conſtitutionibus, & doctrina Apoſtolorum habere, quales etiam ſæculũ Athanaſij habuit, non quidem canonicos, ſed eiuſdem ordinis, & notæ, cuius erãt Sapiẽtia Salomonis, Sapiẽtia Sirach, Eſther & Iudith, antequã inter canonicos libros ab eccleſia collocarẽtur; nunc autem infra eos ſunt ob hanc cauſam; ita vt proximè poſt eos catholici & eccleſiaſtici habeãtur, ad eccleſiæ vtilitatem & ædificationem, eccleſiaſticè & catholicè ab auctore Apoſtolico & Apoſtolorum Petri & Pauli auditore & diſcipulo conſcripti. quod quidem tunc magis intelligetur, cùm eos qui his libris, & eorum auctoritate ac doctrina & conſtitutionibus vſi ſunt, in medio ponemus. Sed illud prius dicendum eſt de teſtimonio Athanaſij paulò antè recitato, multò eum verius & doctius Eccleſiaſticos libros diſtinxiſſe ab apocryphis, quàm Euſebius diſtinxerit. is enim libro 3. Hiſt. eccleſ. cap. 19. in numerum eorũ quæ νόθα à Græcis dicuntur, quę alij apocrypha vocant, omnia illa retulit, quæ dubitationem habebant, licet multis probarentur; in quibus numerat epiſtolam Iacobi & Iudæ, ſecundã Petri; ſecundam & tertiam Ioannis, Apocalypſim, Paſtorem, & Doctrinã quæ dicitur Apoſtolorum. his annumerat Acta Pauli & Apocalypſim Petri, quæ planè ſunt apocrypha & ab eccleſia reiecta & exploſa. qui igitur illa ſuperiora notha vocauit, non reliquit locum diſtinguendi hac nota & nomine apocryphi ea quæ nomine apoſtolorũ ab hæreticis ſcripta ſunt, quod tamen magnus Athanaſius fecit, qui iſta iuſtè & legitimè vocauit apocrypha, quẽ Gregorius Nazianz. ita in ſingulis libris veteris & noui Teſtamenti exercitatum fuiſſe dicit, vt nemo alius in vno. Cedat igitur teſti-



teſtimonio Magni Athanaſij de doctrina, quæ in his libris Conſtitutionum Apoſtolicarum continetur, teſtimonium Euſebij Cæſarienſis, quẽ Photius Conſtãtinopolitanus, infinitæ lectionis & multæ eruditionis auctor, in Bibliotheca ſua ait, fuiſſe quidem illum eruditione præſtantiſſimum, ſed in Eccleſiaſtica & Chriſtiana doctrina non planè eruditum.

Veniamus igitur ad eos qui his libris vſi ſunt, & ordiamur à S. Epiphanio, cui quidem quàm frequens ac familiaris horum librorum lectio eſſet, ex crebro Apoſtolicarum Conſtitutionum in libris eius contra hæreſes teſtimonio, & vſu perſpici poteſt. Sed illud animaduertendum eſt, ſic eum Conſtitutionum interdum meminiſſe, vt totam quidem ſententiam exprimat, non tamen totidem verbis, quod more ſuo in Euangelio etiam facere ſolet; vt cũ de 10. leproſis apud Lucam in ijs quæ contra Manichæum ſcripſit, meminit, ſic ſententiam extulit, non numeratis Euangelij verbis: Sicut, inquit Dominus, decem leproſi mundati ſunt, quare nec vnus ex ipſis reuerſus eſt, vt daret gloriã Deo, niſi hic ſolus alienigena? prætermiſit hic illam interrogationem, Et nouem vbi ſunt? Et quod ſequitur, aliquantulum variauit, ſed ita vt eadẽ ſentẽtia remaneat. Aliquid ſimile fecit in Conſtitutione Apoſt.. de Paſcha non celebrãdo cũ Iudæis, quæ eſt in lib. V. Conſtitutionũ, cuius in III. libro cõtra hæreſes meminit cùm Audianos confutat, qui Paſcha cũ Iudæis agendũ eſſe contendebãt, idq; teſtimonio Conſtitutionis Apoſt. quã aliis verbis proferebant, quæ malè etiã interpretabantur. ſic enim ait Epiphanius: Ad hoc ipſi Audiani Conſtitutionẽ Apoſtolorũ falsò afferunt. dictũ verò de Paſcha vnde ſumunt, quod prauè interpretantur, eſt, quia decernunt Apoſtoli in eadẽ Conſtitutione, vos ne ſupputetis, ſed agite Paſcha quãdo fratres veſtri ex circuncisione: cum ipſis ſimul agite. & non dixerunt, inquit Epiphanius, cùm fratres veſtri, qui in circunciſione ſunt, vt oſtenderent eos qui ex circunciſione ad Eccleſiam tranſierunt, principes duces fuiſſe ſic poſtea feſtum Paſcha agitandi. Hactenus S. Epiphanius, & quæ ſequuntur eodem pertinentia. Fateor (ne quis hoc per ignorantiam noſtris Conſtitutionibus obiiciendum eſſe putet) in ea Conſtitutione Apoſtolorum de Paſchę celebratione, quæ in libris noſtris nũc extat, & in lib. S. Epiphanij erat, nõ eſſe illã partẽ, Sed agite paſcha, quãdo fratres veſtri ex circunciſione quę erat in Conſtitut. Apoſt. quã Audiani falsò proferebant; non quia falſa ſit; non enim eã reiicit tanquam fictam Epiphanius (ſolet enim fieri nõ raro, vt in variis exẽplaribus, alioqui veris & incorruptis, aliquę partes variè legantur) ſed quia eam Conſtitutionẽ ad ſuam falſam ſententiam confirmãdam perperam detorquebant, falsò eam interpretantes. Fratres enim ex circunciſione, quos Cõſtitutio illa dicebat; fratres qui erãt adhuc in circunciſione, Audiani accipiebant. Sanctus verò Epiphanius hanc ipſam Conſtitutionẽ ab illis malè detortã ſic interpretatur, vt intelligẽda omnino

omnino erat. At conſtitutio Apoſtolorũ, quæ in libris noſtris nunc fer-
tur, multò dilucidior & ſimplicior, ac proinde purior eſt, quàm illa quæ
ab illis producebatur, licet illa vera etiam, vt dixi, eſſet: eſt enim in veris
& rectis aliud alio purius & rectius. Pro illa itaque parte, quæ in illa Con-
ſtitutione erat, quam malè Audiani interpretabantur, Sed agite quando
fratres veſtri ex circuncisione; in Conſtitutione noſtrorum librorũ ſic eſt,
Ne obſeruetis cum Iudæis feſti Paſchæ celebrationem; quæ pars tam di-
lucida & manifeſta eſt, vt nullam occaſionẽ malè intelligendi & perperã
interpretandi vnquã dare poſſit. Itaq; S. Epiphanius non redarguit Au-
dianos hac parte Conſtitutionis, quæ in libris Epiphanij erat, & nunc eſt
in noſtris, quæ alioqui eorum ſentẽtiæ apertiſſimè repugnabat, quia ſci-
licet aliam pro ea proferebant, quę vera etiã erat, & ſi apta illis viſa eſt ad
detorquendũ in ſenſum ſuũ & malè interpretandũ; ſed redarguit, aliũde,
id eſt, ex aliis, quæ idẽ Apoſtoli dicunt, quę S. Epiph. illis obiicit tanquam
cũ eorũ interpretatione pugnãtia. Aiunt enim Apoſt. inquit Epiphanius,
agendas eſſe vigilias in medio azymorũ, hoc autẽ fieri nõ poteſt in eccle-
ſiaſtica ſupputatione, &c. Hic etiã Epiphanius ſententiã Conſtitut. non
verba citauit. ſic enim eſt in conſtitutione eiuſdẽ li. v. cap. xix. vt à veſpera
ſabbati ſcilicet vſq; ad gallicantũ vigilias agerent. at quia erat in ſabbato
tẽpore Apoſtolorũ mediũ azymorũ, ſiquidẽ à veſpera quartę Feriæ pridie
ſcilicet eius diei quo paſcha tunc comedebant, incipiebãt azymi, qui VIII.
diebus durabãt, nõ poterat vllo modo ſecundũ Apoſt. Conſtit. Paſcha cũ
Iudæis agitari, vt Audiani contendebãt; ſiquidẽ iidẽ Apoſtoli pręciperẽt
vigilias agere, quod eſt genus afflictionis, cũ Iudęi agentes Paſcha gaude-
rent, & lętarentur. Rurſus idem S. Epiphanius poſtquã dixit perfectũ eſſe
Conſtantino Imperatore, quod S. Apoſtoli à principio prouidiſſent, ac
ſumma diligẽtia curaſſent, vt ſcilicet vnus tenor in vno feſto Paſchę cele-
brãdo omniũ Eccleſiarũ propter concordiã eſſet, ſubiũgit, Apud Apoſto-
los autẽ dictũ illud, propter concordiã, habetur, vt teſtãtur, cùm dicunt,
quãuis errẽt, ne curetis. hic quoq; ſententiã Cõſtitutionis noſtrorũ libro-
rũ ſecutus eſt Epiph. ſic enim eſt in noſtra cõſtitutione. nulla enim nobis
cõmunio cũ eis eſt. errant enim in ipſa ſupputatione quã ſe conficere exi-
ſtimant, vt ſint vndequaq; in errore, à veritate abſciſſi, at vos ſeruate dili-
genter æquinoctium vernũ, &c. Hæc S. Epiphanius ſic accepit, quaſi di-
cerent Apoſtoli, nulla nobis eſt cũ Iudęis concordia, quare etſi errãt in ſua
ſupputatione, nihil ad vos; ſitis vos concordes in diligenti obſeruatione
æquinoctij, &c. Poſtremò arguit Epiphanius Audianos, quòd iactarẽt ſe
ſecundum Conſtitutionẽ Apoſtolorũ Paſcha cũ Iudęis agere, cùm nul-
lam tamen, inquit, accurationẽ in ea re haberent, neque ſcirent manife-
ſtam diligentiam, quam S. Apoſtoli in Conſtitutione adhibuerunt. eiſ-
dem verbis vſa eſt Conſtitutio Apoſtolorum in his libris noſtris, in





quam planè conſtitutionem intuebatur S. Epiphanius, cùm hæc ſcripſit.
ſic enim ait conſtitutio cap. 17. eiuſdẽ libri v. Oportet ergo fratres, vt qui
pretioſo Chriſti ſanguine redempti eſtis, dies feſtos Paſchæ accuratè &
omni diligentia poſt æquinoctium celebretis; vt nec vnius paſſionis bis
per annum memoriã renouetis, ſed potius ſemel quotannis memoriam
Chriſti, ſemel item mortui celebretis; nec amplius cum Iudæis tempus a-
gendi Paſcha obſeruetis. nulla enim nobis nunc cum eis cõmunitas eſt;
& quæ ſequuntur. De hac conſtitutione de Paſcha & de quibuſdam eius
particulis non eodem ordine & numero, quo nunc ſunt, ſed pari ſentẽtia
à S. Epiphanio citatis paulo ſubtilius in hoc Prooemio notare volui, ne
hoc parum expertos falleret, quaſi conſtitutio Epiphanij alia eſſet quàm
noſtra, quin potius quàm puræ eſſent & integræ horum librorum cõſti-
tutiones, vel ex hac conſtitutione de Paſcha tam limatè & accuratè ac
dilucidè ſcripta perſpici poſſet. id quod S. Epiphanius admiratus eſt; tan-
tam dico diligentiam Apoſtolorum in hac de Paſcha conſtitutione, &
tam exactam curam, ac tam manifeſtam, quam idem Audianis tanquam
eius neſciis & ignaris obiecit. quo magis mirandum eſt, quòd hæc tanta
Apoſtolorum diligentia, & tam limata & perfecta ratio agendi Paſcha,
quæ laude potius & admiratione digna erat, vllũ aliquando mouere po-
tuerit ad affirmandum ſuppoſitam eſſe in his libris hanc Conſtitutionẽ,
magiſque Concilio Nicęno, quàm Apoſtolis conuenire. Sed de hoc plu-
ribus differendum erit in explanatione defenſoria huius de Paſcha con-
ſtitutionis. Addam huc, quod planè oblitus eram, quòd differens adhuc
contra Audianos idem Epiphanius de eadem conſtitutione Apoſtolorũ
de Paſcha, alium etiam locum citat non eiſdem verbis, ſed pari ſententia,
vt in ſuperioribus fecit. Aiunt, inquit, Apoſtoli, cùm illi conuiuantur,
lugete vos ieiunantes pro illis, quoniam in ipſo feſto Chriſtum compre-
henderunt. Oportet igitur deflere eos. In eandem ſententiam ſcriptũ eſt
in eodẽ lib. v. cap. 15. præcipitur enim ab Apoſtolis, vt ieiunemus ſabbato
hebdomadæ ſanctæ. ſiquidem in ipſo feſto Dominum cõprehenderunt;
quare lugendum eſſe. quòd ſi lugendũ eſt nobis in eorũ feſto, ergo lugẽ-
dum eſt nobis cùm illi conuiuantur; conuiuantur enim illi in feſto ſuo.
Aliã præterea conſtitutionẽ de nõ ieiunãdo die Dñico ſimiliter citat Epi-
phanius. quomodo, inquit, nos die Dñico lugebimus, & ieiunabimus,
cũ rurſus Apoſtolorũ conſtitutionẽ audiamus, quę ait, animã eius qui ſe
affligit ieiunando die Dñico, maledictã eſſe Deo? Conſtitutio autem quę
extat in extrema parte eiuſdẽ libri, totã horũ verborũ ſententiã continet.
ſic enim ait: Die Dñico lętamini. at cũ iubet lętari die Dñico, lugere certè
& ieiunare in eo prohibet. ſequitur poſtea in cõſtit. reus enim peccati erit
qui die Dñico ieiunauerit. atqui certè maledictus Deo eſt, qui peccati
reus eſt. Rurſus idem Epiphanius lib. 3. cõtra Aëriũ, Si, inquit, dicendum

eſt,quod eſt in conſtitutione Apoſtolorũ,quomodo ibi conſtituerunt,vt 4.& 6.feria ieiunaretur,præterquã in Pentecoſte, & diebus Paſchę? quomodo iubent nihil aliud penitus,quàm panem ſal & aquã ſumere? Hæc autem ſumpta ſunt ex Conſtitutionibus noſtris quæ ſunt in lib.v.cap.18. & cap.vlt. Item contra Meſſalianos,ac de barba quidem,inquit, in Conſtitutionibus Apoſtolorum ait diuinus ſermo & doctrina,non licere corrumpere,id eſt,tondere pilos barbæ;neque meretriciè ornari. eſt autẽ hæc Conſtitutio in lib. primo de laicis. in quo loco Epiphanij obſeruandũ eſt, non dixiſſe, ait ſcriptura,ſed diuinus ſermo & doctrina, vt qui non ignoraret Conſtitutiones Apoſtolorũ traditiones eorum eſſe ἀγράφως, quas S. Apoſtoli per ſermonem ſuum,qui ſermo diuinus erat, ſine ſcripto nobis tradiderunt; quaſq; Clemens, non vt Apoſtolus, aut Euangeliſta,ſed vt Apoſtolicarum Conſtitutionũ ſcientiſſimus,& Apoſtolorum auditor ad vtilitatẽ omniũ Eccleſiarum memoriæ prodidit & conſcripſit; vt, ſicut lib.VI.cap.18. ſcriptum eſt,hac doctrina catholica epiſcopi, & reliqui ſacerdotes eos qui per verbum euangelij crediderunt,ad exemplum Apoſtolorum fulcire,& roborare meminiſſent. Rurſus ſcribẽs aduerſus Collyridianos;quoniam,inquit,eſt ordo diaconiſſarum in eccleſia nõ quidẽ ad fungendum ſacerdotio,vt conẽtur mandare aliquid,ſed potius ad honeſtum vſum feminarum,cùm vel tempus lauandi,vel ęgrotationem,aut quod dolet,inſpiciendi eſt, vel cùm nudandum eſt corpus mulieris, ne à ſacerdotibus ſpectetur,ſed à diaconiſſa potius in iis miniſtrante quæ ſacerdos iubet ad vſum mulieris. Deinde intuens Epiphanius in Apoſtol. Conſtit. ſubiungit ita aptã cõpoſitionem ordinis & rectã Eccleſiæ adminiſtrationẽ ſcienter Canone munitã eſſe. eſt autẽ hic Canõ ſiue potius cõſtitutio in III. libro Conſtit. Adhuc aduerſus eoſdem Collyridianos citat ex eodẽ lib. III. Conſtit. Apoſtolorũ,non debere mulierẽ docere,neq; baptizare. Si enim,inquit,hoc liceret,Maria quidẽ mater Domini docuiſſet, & Chriſtũ baptizaſſet. Prætermitto reliqua quæ in Epiphanio obſeruauerã ex Conſtitutionibus Apoſtolorũ,quas in manibus habemus,citata. Pergamus ad alios, ex quibus magnus Baſilius quemadmodũ Conſtitutiones Apoſtolorũ coleret,& pro diuinis haberet,ex libro eius de Spiritu ſancto ad Amphilochiũ intelligi poteſt,vbi de pluribus ca. 27. meminit, quas ſine ſcripto à ſanctis Apoſ. traditas eſſe ait,ita enim, vt mihi videtur, futurũ erat,vt & maiore ſtudio atq; diligẽtia eis aſſueſcendũ eſſet; (vnde conſuetudines non ſcriptas vocat idẽ Baſilius) & vt melius ac facilius à corruptelis inſidiatorũ defenderẽtur: quas quidẽ parẽ Euangelio vim ad colendã pietatẽ habere dicit;quare qui eas reſpuunt & aſpernãtur,grauẽ eos plagam Euangelio infligere. in his igitur numerat B. Baſilius, quæ in his noſtris Conſtitutionibus feruntur, ſignari ſigno crucis, verti ad Orientem in adhibendis precibus,benedicere aquam baptiſmi & oleũ vnctionis,



ctionis,credere in patrem & filium & Spiritum ſanctum,facere tres merſiones vno baptiſmo,renunciare Satanæ & angelis eius,dicere quædam verba ante conſecrationem & poſt conſecrationem S. Euchariſtiæ, quorum nec Apoſtolus,inquit, nec Euangelium meminit: Hæc, inquam, quæ in traditionibus nec ab Apoſtolis,nec in Euangelio ſcriptis exempli cauſa Baſilius notauit, in his, vt dixi, Conſtitutionibus noſtris ſunt. nec ſententiis modò Conſtitutionum,ſed eiſdem etiam verbis interdum vſus eſt, vt cùm ait, aſpicere in Orientem, cùm fideles precationem faciunt,traditionem eſſe Apoſtolorum, quia antiquam, inquit, patriam quærimus paradiſum à Deo conſitum ad Orientem. Conſtitutio verò ſic ait libro 2. cap.57. & contemplantes Orientem, preces adhibeant memores antiqui paradiſi ad Orientem. Magnus verò Athanaſius non ſolum de hac conſtitutione Apoſtolorum meminit, ſed conſtitutionem etiam ædificandi verſus Orientem ædes ſacras, quas eccleſias vocamus, quæ in eodem libro & capite eſt, in quæſtionibus ad Antiochum principem citat. Sic enim ait: Idcirco B. Apoſtoli fecerunt,vt Eccleſiæ Chriſtianorum ad Orientem ſpectarent,vt in paradiſum, vnde eiecti fuimus, precando intueremur. Sed redeo ad Baſilium de quo fortaſſe dubitabit aliquis,quomodo dixerit de Traditionibus illis Apoſtolorum, quas exempli gratia commemorabat,quas non ignorabat à S. Clemente ſcriptas eſſe,quomodo,inquam,dixerit neminem ſanctum eas ſcriptas reliquiſſe? ſic enim de illis Traditionibus, quæ noſtris,vt dixi, Conſtitutionibus continentur, ait: Quis ſanctorum hæc nobis ἐγγράφως, id eſt, ſcripta reliquit? Verùm cùm hoc quærit,perinde eſt vt ſi quæreret, Quis Apoſtolus,aut Euangeliſta hæc ſcripſit? Nemo ſanè. hanc enim reſponſionem poſtulat illa percunctatio. Quare quæ Baſilius & alij antiqui Patres vocant tradita ἀγράφως, vocemus nos tradita ſine ſcriptura, quod de ſacra ſcriptura continuò intelligitur. hæc enim iam propter excellentiam & diuinam inſpirationem qua confecta eſt,ſcriptura dici ſolet. Illud præterea obſeruandum eſt, quemadmodum B. Baſilius huiuſmodi traditiones Apoſtolorum,quæ, vt dixi,Conſtitutionibus eorum continentur, quibus à principio Eccleſias cõſtituerunt,tacitas & myſticas vocat, quas dicit S. Apoſtolos ſcriptura ſua vulgare noluiſſe, ſed ſilentio potius reuerentiam myſteriis adhibere,ne cognitio eorum, inquit Baſilius,à multis neglecta contemptui haberetur. Clementem Romanũ,vt mihi videtur, ſecutus & imitatus eſt; qui in extremo Canone Conſtitutiones Apoſtolorum à ſe VIII. libris perſcriptas oportere ait non coram omnibus & in vulgus efferre propter myſtica, inquit, quę in eis ſunt. Hunc etiam Canonẽ Nicolaus primus ſecutus quoq; videtur,reddita inſuper ratione, cur Canones non omnibus vulgare oporteret. is enim in reſponſis ad Bulgaros cap.9. poſtquam dixit de iis qui intrant in Eccleſiam, & facta

oblatione non communicant, ſacri Canones ſufficienter enunciãt (citat autem hic Canonem Apoſtolorum IX. qui eſt poſtea in ſynodo Antiochena cap. 2. renouatus) ſubiungit de ſacris Canonibus Apoſtolorum, quos dixerat, qui Antiſtiti veſtro ſunt tribuendi, & à ſacerdotibus, qui claues tenent ſcientię, dumtaxat aperiendi; & vobis nihilo minus inquibus opus eſt, & minimè prohibetur, inſinuandi. quod hic dixit Pontif. de ſacris Canonibus Apoſtolorũ, qui ſunt in libro VIII. Clementis, intelligendũ eſt de reliquis horũ librorum Conſtitutionibus, quas, vt oportet, ſacerdotibus & Eccleſiæ magiſtris notas eſſe & familiares ad vtendum, & earum vſum aliis commendandum, & exponendum; ita non omnibus ſunt vulgandæ. Sic etiam idem Nicolaus eiſdem Bulgaris, qui leges ſeculares à Pont. petebant, reſpondit cap. 3. Libenti animo mitteremus, ſi quem penes vos eſſe comperiſſemus, qui has vobis interpretari potuiſſet. ſi quos autem de mundana lege libros miſſis noſtris dedimus, nolumus ibi relinqui, ne fortè quilibet vobis diuersè interpretetur; aut facilitate qualibet violet. Si hoc prouidus Pont. de legibus ſæculi cauendum eſſe iudicauit, quanto magis de Apoſtolicis legibus & Conſtitutionibus, quæ ſpirituales ſunt, cauendum erat, ne eſſent cum omnibus communicandæ? Sed rurſus de Baſilio adhuc fortaſſe quærat aliquis, quare cùm eiuſmodi traditiones ſine ſcripto à S. Apoſtolis traditas, de quibus loquitur, à Clemente Romano collectas & conſcriptas eſſe non ignoraret, nunquam eius meminit? præſertim cùm paulò pòſt in eodem libro cap. 29. licet in alia re Clementis meminerit. Mihi quidem ob eam cauſam videtur non meminiſſe, quòd maior illi videbatur auctoritas Eccleſiæ, quæ ab ipſis Apoſtolis Conſtitutiones ſine ſcripto traditas accepiſſet, quàm Clementis Romani, qui eas collegit & conſcripſit. Semper enim viuunt ſpiritu Petrus & Paulus, & reliqui Apoſtoli in eccleſia, cui conſtitutiones ſuas diuinas ſine ſcriptura ſacra tradiderunt. neque nos Conſtitutiones Apoſtolorum & doctrinam, quæ in his libris ſunt, quia Clemens ſcripſit, ſed quia Apoſtoli tradiderunt, veneramur. ſiquidem Clemens, non vt diuinus Legiſlator, nec vt ſacer & canonicus auctor, hæc ſcripſit, ſed vt eccleſiaſticus ſcriptor, licet proximæ poſt canonicos ſcriptores auctoritatis. Sed hactenus de Baſilio.

S. Aſterius Epiſcopus Amaſeæ, cuius extant aliquot homiliæ eruditiſſimæ, interpretans parabolam Samaritani, qui deſcendit ab Hieruſalem, Duo, inquit, denaria duo Teſtamenta ſignificant, vnum Legis & Prophetarum, alterum Euangeliorum, & Apoſtolicarum διατάξεων, id eſt, Conſtitutionum; & vtrumque vnius Dei, & vnius ſuperni Regis imagine conſignatum inſtar denariorum, & eundem characterem cordibus noſtris per ſanctas ſcripturas imprimens. Benè hoc conuenit cum eo quod paulò antè S. Baſilius in libro ad Amphilochiũ aiebat,



aiebat, parem Euangelio vim ad pietatem colendam habere quę S. Apoſtoli ſine ſcripto tradiderunt.

Item Euthalius Epiſcopus Sulcenſis, qui ætate Athanaſij Alexandrini in Acta Apoſtolorũ ſcripſit, cuius extat eruditiſſimus in ea ipſa Acta Prologus, in eo ſic ſe Acta expoſiturum pollicetur, vt in multis locis τῶν ἀποϛολικῶν διατάξεων mentionem faciat, quas, inquit, ἤτε πρὸς τοὺς ἐναντίου; ,ἤτε που πρὸς τοὺς οἰκείυς πεποίηνται, id eſt, quas ſiue contra aduerſarios, ſiue etiam ad vſum fidelium fecerunt. non dixit ſcripſerunt, ſed fecerunt; quia ſine ſcriptura eas, vt ſæpe dictum eſt, ſolo ſermone tradiderunt ad conſeruationem ſcilicet diuini cultus & euangelicæ doctrinæ. Hæc enim quæ ſine ſcriptura à S. Apoſtolis conſtituta & tradita ſunt, non parum defendunt ab hæreticis Euangelium noſtrum, quod ipſi oppugnant; & quo ſe priuant, cùm Traditiones Apoſtolicarum Conſtitutionum negant, & explodunt. Quomodo enim ſcripturam euangelij aduerſus eos tueremur, niſi quomodo rectè intelligenda eſſet, S. apoſtoli verbo prædicationis ſuæ ſine ſcripto docuiſſent? eſt autem magna pars doctrinæ eorum per ſermonem traditæ in his libris conſtitutionum; vt ex locis in obſeruatione noſtrorum ſcholiorum contra nouatores euangelicæ doctrinæ indicatis perſpici poterit.

Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus in epiſtola illa ſua admirabili, quę eſt in actione XI. ſextę Synodi, non ad Sergium Archiepiſcopum & Patriarcham Conſtantinopolitanum, vt nunc mendosè ſcriptum eſt; ſed ad Honorium Pont. Romanũ, vt Photius in Bibliotheca ſua teſtatur, Requiritur, inquit, à nobis, vt accedentes ad ſalutare baptiſmũ, carnis reſurrectionem confiteamur, vt quidã ſapientũ contẽplatus eſt. Atqui nunquam hoc in euangelio, nec ab vllo ex Apoſtolis ſcriptum eſt; ſed potius per ſermonem eorum traditum, & à Clemente Romano lib. 7. conſtitut. cap. 42. ſcriptum. Clementem enim haud dubiè intellexit, cùm dixit, vt quidam ex ſapientibus. cõtemplatum verò dixit, quia quod ab Apoſtolis audiuit, & in Eccleſiaſtica cõſuetudine ab illis tradita vidit, hoc ab Apoſtolis conſtitutum eſſe perſpexit; quod vſq; in hodiernum diem in Eccleſiis catholicorum vbique ſeruatur, vt qui ad baptiſmum accedat, ſymbolum recitet, in quo reſurrectionem carnis cõfitetur: aut ſi per ætatem non poteſt, qui eum tenet, hoc faciat. Idẽ rurſus Sophronius in homilia de certamine & peregrinatione Petri & Pauli ſcribit, Petrum & Paulum Canones & conſtitutiones Apoſtolicas feciſſe. Cùm Petrũ & Paulum auctores Canonum & conſtitutionum dixit, cæteros quoque Apoſtolos intellexit; ſed hos nominauit, quia de eorũ certamine & peregrinatione ſcribebat.

Cyrillus Hieroſolymitanus in catecheſi 18. cùm de reſurrectione diſſerit, Clementem Romanũ nominatim citat ea de Phœnice in quinto libro

 to libro

to libro narrantem, quæ ad demonſtrandam reſurrectionem multi narrabant. Si hic tantus & tam antiquus auctor Clementi hos libros falsò inſcriptos eſſe putauiſſet, ac nõ potius eius auctoris iuſti & legitimi eſſe cuius eſſe feruntur, id eſt, Clementis, quod ipſorum librorum inſcriptio teſtatur, aut ſi corruptelis contaminatos putaſſet, nonquam in ea præſertim narratione, quæ tanti & tam grauis auctoris teſtimonio indigeret, horum librorum quintum citauiſſet. Hunc enim librum citat, cùm ait, Scribit Clemens, & aiunt multi. nuſquam enim aliàs niſi in hoc libro ita de reſurrectione Clemens diſſeruit, vt Phœnicis meminiſſet, non quidẽ quòd hoc Clemẽs de Phœnice aſſerat, tametſi Cyrillus & aſſerere & credere videtur; quin potius narrationem ipſorum illis ipſis obiicit, qui nihilo minus tamen reſurrectionem corporum, quàm S. Apoſtoli prædicabant, & nobis credendam tradiderũt, non credebant. Huc accedit, quòd ipſe idem Cyrillus Hieroſ. teſtimonium dat non ſe citaſſe Clementem tãquã ex libris eius apocryphis, qui in catecheſi 4. ſic ſcripſit: Nihil legas ex apocryphis, qui enim quæ omnes confitentur ignorat, quid fruſtra de iis ſollicitus eſt de quibus eſt dubium? Qui hoc ſcripſit, profectò conſequens eſt, vt libros Clementis, vnde teſtimonium narrationis de Phœnice petiuit, in numero eorum librorum, quos omnes confitebantur, & de quibus dubium non erat, planè poſuerit.

Hanc ipſam de Phœnice narrationẽ mutuatus quoque eſt à Clemẽte Tertullianus in iis quæ de reſurrectione carnis ſcripſit, Clementem non ſolum ſententia ſed verbis imitatus; quod enim Clemens ait, præbere Phœnicem πλουσίαν ἀπόδειξιν reſurrectionis, Tertullianus dixit copioſam probationem reſurrectionis, πλούσιος enim diuitem ſiue copioſum ſignificat: & quam Clemens vocat μονογενὲς ὄρνεον, id eſt, vnigenam volucrem, Tertullianus appellat volucrem ſingularem. Rurſus in Apologetico cùm ait, Quis Poëtarum vel Sophiſtarum non hauſit ex fonte Prophetarum? Clemẽtem imitatus eſt cùm in primo libro ait, Siue ſophiſtica, ſiue poëtica cupis, habes Prophetas. Nunquid doctiſſ. auctor Tertullianus his libris vſus eſſet, ſi eorum lectionem nõ magnæ auctoritatis eſſe iudicaſſet?

Petrus Alexandrinus martyr, is qui primus Arrium à cõmunione fidelium ſeiunxit, cap. 15. eorum quæ inter Canones eccleſiaſticos ſanctorum patrum relata ſunt, ait iuſſum eſſe nobis ſecundum traditionem quarta & ſexta feria ieiunare; ſententiam & verba ex conſtitutione Apoſtolorũ ſumpſit. Sancti enim Apoſtoli in extremo capite libri v. Iubemus, inquiunt, vobis quarta & ſexta feria ieiunare. Quæ conſtitutio quemadmodum intelligenda eſſet, & quomodo vſque in hodiernum diem in eccleſia catholica ſeruetur, expoſui lib. 1. cap. 3. defenſionis Canonũ Apoſtolorum contra Magdeburgenſes Centuriatores.

Proclus Conſtantinopolitanus, cui ſucceſſit Flauianus, in iis quæ de diuina



diuina liturgia ab eo ſcripta in publico feruntur, teſtatur myſticum diuini ſacrificij cultum, quem miſſam vulgo vocamus, Clementem Romanum ſecundum traditionem Apoſtolorum mirabiliter deſcripſiſſe. Eſt autem ea deſcriptio in VIII. libro Conſtitutionum.

Gregorius Nazianz. cognomento Theologus frequenter in libris ſuis doctrinam Apoſtolorum à Clemente in his cõſtitutionibus conſcriptã, interdum eiſdem etiam verbis imitatus eſt, vt cùm diſſerens de filio Dei, genitum eum dicit bonitate & dilectione, non voluntate media; ex doctrina Apoſtolorum ſumpſit, quæ in libro 8. cap. 12. ait de Patre, filium genuiſſe bonitate & voluntate ſine medio. Et illud in Apologetico, epiſcopatum eſſe velut artem quandam medicinæ, ſecare, vrere, & quæ ad artis paſtoralis, ceu artis medicinæ ſpectant, facere, ex doctrina Apoſtolorum ſumpſit, quæ in libro 2. cap. 20. ſcripta eſt.

Philaſtrius Brixienſis, ſeculi B. Ambroſij in libro de hæreſibus cap. de apocryphis, contraria, inquit, ſcripturis canonicis ſentiunt atque paulatim dogmatizant contra Legem & Prophetas, contraque diſpoſitiones beatiſſimorum Apoſtolorum conſulta ponentes; è quibus ſunt maximè Manichæi. Cùm diſpoſitiones Apoſtolorum dixit, planè eorum conſtitutiones intellexit, ſic enim à principio nomẽ διατάξεις interpretabantur, quod nos nunc, tum conſtitutiones, tum diſpoſitiones interpretamur. teſtatur hoc vetus interpres noui Teſtamenti, qui verbum, vnde ducitur nomen διατάξεως, diſponere interpretatur, vt cũ Apoſtolus ait, Cetera cũ venero diſponam; & illud ad Titum, Sicut tibi diſpoſui. Cùm verò dixit hic auctor Manichæos maximè ex omnibus conſulta contra diſpoſitiones Apoſtolorum ponere, non potuit apertius conſtitutiones Apoſtolorum, quas habemus, indicare. In his enim quæ Manes, à quo Manichæi nominati ſunt, tradebat, manifeſtè refelluntur; vt quòd aiebat mundum eſſe factum à Deo non voluntate ſed neceſſitate & coactè, doctrina Apoſtolorum tum aliàs ſæpe, tum in libro VIII. cap. 12. planè euertit, cùm ait, Tu enim æterne Deus omnia per filium feciſti, per quem vt eſſent, conceſſiſti, ac donaſti. & paulò pòſt, Qui ſola volũtate terram ſuper nihil firmaſti. Item legem nuptiarum, diaboli eſſe dicebat; doctrina verò Apoſtolica libro VI. cap. 11. Nuptias, inquit, legitimas, honorabiles, & non maculatas eſſe credimus; Chriſtum quoque verum hominem eſſe ex humano corpore & anima conſtantem negabat, ac proinde non verè paſſum; tum etiam reſurrectionem omnium tollebat. Horum contraria ibidem tradũt Apoſtoli, & in pluribus aliis locis: facile eſt idem in reliquis Manichæorum dogmatibus oſtendere, niſi longum eſſet & nõ neceſſarium. Citat autem paulò pòſt idem Philaſtrius, ne quid teſtimonio eius deſit, vnam ex diſpoſitionibus Apoſtolorum, quas dixit. ſic enim ait: Propter quod ſtatutum eſt ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, non aliud legi

 debere

debere in eccleſia catholica niſi legem & Prophetas, & Euangelia & actus Apoſtolorum,& epiſtolas Pauli.Eſt autem hæc diſpoſitio ſiue conſtitutio in II. libro cap. 57.

Ioannes Damaſcenus celeberrimus dogmatiſtes, in libro de ieiuniis, ad Cometam, Apoſtolorum διατάξεις, id eſt, conſtitutiones nominatim citat,& vnam ex eis quæ eſt in libro V. cap. 13. ad verbum recitat. Seruandū eſt, inquit, ieiunium ſanctæ Quadrageſimæ, quod memoriam continet vitæ Chriſti & Legis eius. Fiat autem hoc ieiunium ante ieiunium Paſchæ incipiens à ſecūda feria,& deſinens in ſextam. poſtea ſoluto ieiunio incipienda eſt hebdomada ſancta, ieiunandumque in ea omnibus cum timore & tremore, precandumque pro pereuntibus. ſecunda enim feria ceperunt conſilium contra Dominum. & quæ ſequuntur.

Item Anaſtaſius Antiochenus, qui ante mille annos omnibus virtutibus & doctrinis floruit, multas Conſtitutiones apoſtolorum ex his libris quos nunc habemus, eiſdem verbis citat, de non legēdis libris Gentilium, ex libro primo; de ſeparādis ab eccleſia, quorum peccata aliis nocere poſſunt, ex libro 2. de ratione recipiendi pœnitētes, ex eodem libro; à quibus accipiendæ oblationes,& à quibus non, ex libro 4. de orphanis; qui iuſtè eleemoſynas accipiant,& qui non, ex eodem libro; de duplici via, altera vitæ, altera mortis, ex principio libri VII. de naturali lege decalogi, & de iis quæ propter duritiam cordis ſancita erant Hebræis, ex libro VI. de Quadrageſima & hebdomada ſancta, ex libro V. de feſtis Domini & ſanctorum,& de 7. horis canonicis, ex libro VIII. Quanta autem ſit huius ſcriptoris auctoritas, ex iis quæ de eius in diuinis ſcripturis eruditione & vitæ ſanctitate, & aduerſus Iuſtinianum Imp. pro defenſione catholici dogmatis conſtantia Euagrius lib. 4. Hiſtoriæ ſuæ ſcribit, perſpici poteſt; qui inter alias eius laudes, in diſſoluendis quæſtionibus acutum & perſpicacem fuiſſe teſtatur. quæ laus ſatis indicat eius eſſe librum variarum quæſtionum, qui eidem inſcriptus eſt, quem ὁδηγὸν appellauit. quòd enim in eo libro auctores Anaſtaſio poſteriores citantur S. Maximus monachus, Ioannes monachus cognomento Clymax, Nicephorus Conſtantinop. qui contra Iconomachos ſcripſit, idem hic factum eſt, quod in libro Quæſtionū Athanaſij Alexādrini ad Antiochū Principē, quē Athanaſij eſſe nō ſolum hic Anaſtaſius, ſed Ioan. Damaſcenus cum aliis teſtatur. in eo tamen libro feruntur nunc auctores Athanaſio poſteriores S. Epiphanius & Gregorius Nyſſenus. Ego verò nactus ſum exemplar Græcum harum quæſtionum Athanaſij ex Bibliotheca Meſſanenſis Archimādritę; vbi nō eſt citatus Epiphanius, neque Gregorius Nyſſenus; qui ab aliquo ſunt appoſiti, qui quæ ad Athanaſij quæſtiones pertinentia in his auctoribus legebat, ad ſuam & aliorum vtilitatem adiunxit; ſic in Anaſtaſij quæſtionibus factum eſt. nō igitur, vt quidam auctor nuper exiſtimauit,

ego



ego deceptus ſum, cùm aliàs ex hoc libro, quem Anaſtaſio attribuebam, teſtimonia citaui; ſed ipſe potius ſe mecum deceptum eſſe falsò putauit.

Sed reuocemus nos ad tempora Apoſtolica, & videamus quomodo Dionyſius Areopagita conſtitutionibus Apoſtolorum à Clemente Romano ſcriptis vſus fuerit, & earum teſtimonium citauerit; in Eccleſiaſtica hierarchia, cùm de baptiſmo ſcribit, Tota illa, inquit, in aquā merſio ad repræſentandam imaginem mortis, ac triſtis ſepulturæ ſumpta eſt. Subiungit deinceps: Eum igitur qui ſacrè baptizatur, docet myſticè ſymbolica doctrina imitari tribus illis in aquam merſionibus, & emerſionibus diuinam illam mortem in trium dierum & noctium ſepultura IESV auctoris vitæ. Doctrinam myſticam ac ſymbolicam planè vocat doctrinam Apoſtolorum, conſtitutionem inquam eorum de myſterio baptiſmi, quæ in III. libro à Clemente ſcripta eſt. Teſtis eſt S. Maximus, cuius ſcholium in hoc loco, vt verbum verbo reddam, tale eſt: Ex conſtitutionibus, inquit, Apoſtolorum eſt, baptiſmum quidem fieri in mortē Domini; aquam verò adhiberi pro ſepultura. In cæleſti Hierarch. cap. 2. docens quemadmodum tunc Deum magis propriè & verè laudamus, cùm eum non quod ipſe eſt, ſed quod non eſt dicimus; vt cùm infinitum eſſe, inaſpectabilem & non poſſe capi prædicamus, ſubiungit, ſiquidem vt occulta & ſacerdotalis traditio expoſuit, verum dicimus, cùm prædicamus non eſſe eum, vt aliquid eorum quæ ſunt occultam & ſacerdotalem traditionem vocat traditionem Apoſtolorum ſine ſcripto quę à Clemente in his libris ſcripta eſt cùm aliàs, tū libro VIII. cap. 15. vbi Deum dicit eſſe vbique, & in omnibus adeſſe & in nullo tanquam aliquid quod inſit; non locis circumſcribi, non temporibus ſeneſcere, non ſæculis terminari, non verbis ſeduci, non ortui ſubiici, non cuſtodia indigere, non poſſe interire, non poſſe natura mutationem capere; & quæ ſequuntur. Hæc S. Apoſtoli ſine ſcripto per ſermonem tradiderunt & expoſuerunt, quæ alioqui ex S. Scripturis concluduntur; ex quibus intelligimus verū eſſe, vt ait Dionyſius, quod ab Apoſtolis traditum eſt, οὐκ εἶναι καθά τι τῶν ὄντων, id eſt non eſſe eum ad inſtar eorum quæ ſunt. Denique de his Conſtitutionibus Apoſtolorum primo capite Eccleſ. hierarchiæ planè meminit cùm dicit diſpoſuiſſe ſiue conſtituiſſe Apoſtolos ſine ſcripto Hierarchiam firmis & digeſtis ordinationibus decori & ſacris diſtributionibus eorū, quæ cuique pro dignitate congruunt. Omitto reliqua quę ex eodem Dionyſio in defenſionem Canonum Apoſtolicorum cap. 21. attuli ſumpta ex Canonibus Apoſtolorum qui ſunt in lib. VIII. in ſummo Conſtitutionū Apoſtolicarū ceu caput in corpore.

Venio ad Ignatium Martyrem, qui in epiſtolis ſuis, Conſtitutionibus Apoſtolorum frequentiſſimè eiſdem etiam verbis vſus eſt, vt in epiſtola ad Epheſios, quarta & ſexta feria ieiunare; & quæ ſuperfluunt, egētibus

ſuppe-

ſuppeditare. hæc eadem Apoſtolica Conſtitutio libro v. extremo capite iubet. Item illud in eadem epiſtola ſapientem eſſe diabolũ ad nocendum, & ignorare quidnam ſit bonum. idem & eiſdem verbis eſt in libro VI. Et illud etiam de diabolo ibidem, ignorantia propter voluntariã malitiam repletum eſſe; ex libro VIII. cap. I. ſumptum eſt. In epiſtola ad Tarſenſes iubet honorare viduas tanquam aram Dei. Conſtitutio verò Apoſtolorũ lib. 3. cap. 14. viduam ait aram Dei eſſe. In epiſtola ad Philadelph. fugite, inquit, doctrinam hæreticorum, ex quibus pollutio egreſſa eſt in vniuerſam terram; Clemens verò in VI. libro cap. 5. ait, Ex malitia hæreticorum exiuit pollutio in cunctam terram. Rurſus in eadem epiſtola cùm illa eadem præciperet patribus, vt filios educarent in diſciplina & monitis Domini, docerentque eos artes idoneas, & ſacras litteras; ac de viduis eadem etiam quæ in eiſdem Conſtitut. Apoſtolorum libro III. legebat, ne eſſent vagæ, ne gulæ deditæ, ne circumcurſitarent, quin potius tales eſſent, quales honeſtiſſima Iudith, & caſtiſſima Anna, quia ſciebat illas ipſas Apoſtolorũ Conſtitutiones, vnde hauriebat, à Clemẽte Romano in perſona Apoſtolorũ more Dialogi ſcriptas eſſe, ne quis fortè exiſtimaret, quaſi ſe faceret vnum ex Apoſtolis, quos Clemens loquentes fecit, commodè ſubiungit; hæc non vt Apoſtolus conſtituo. item hæc in epiſt. ad Magneſios, Epiſcopum præeſſe loco Dei; presbyteros loco conſeſſus Apoſtolorum; Diaconis verò cõcreditum eſſe miniſterium Chriſti; & rurſus illud, non poſſe presbyteros neq; diaconos neque laicos facere quicquã in Eccleſia ſine epiſcopo, ſicut Dominus IESVS ſine Patre nihil faciat; Præterea, quod in eadem epiſtola ſcribit, quemadmodum oporteat ſabbatum agitare meditatione Legis, non relaxatione corporis; & diem Dominicum, Regẽ & Principem eſſe omnium dierum; & ſolũ Chriſtũ natura Pontificem eſſe: hæc, inquam, ſumpta ſunt ex Conſtitutionibus Apoſtolorum, in quibus eadem eiſdem verbis leguntur partim lib. 2. partim lib. 7. Idem dicendum eſt de illis in epiſt. ad Heronem, Epiſcopos baptizare, ſacrificare, ordinare, manus imponere, quæ ſunt in Conſtitutionibus Apoſtolorum lib. III. Item illud, Corpus Adæ ex IIII. elementis factum eſſe, quod eſt in libro VIII. cap. 12. Item illud, vxores viris ſuis contentas eſſe oportere; & viros ſuis vxoribus, quod eſt in eodem lib. cap. 32. in epiſt. ad Smyrnenſes: Si, inquit, qui aduerſus Reges arma mouet, ſupplicio dignus eſt, quãto maiore dignus erit qui abſque Epiſcopo aliquid facere velit? Eadem ſententia & eiſdem ferè verbis eſt in libro VI. cap. 2. tum in epiſtola ad Epheſios cũ ait, baptizatus eſt à Ioanne Baptiſta Chriſtus, vt inſtituto commiſſo Prophetæ tribueret auctoritatem; mutuatus eſt hanc ſententiam à Clemẽte lib. VII. cap. 21. in quo ſic ſcriptum eſt, Baptizatus eſt à Ioanne Chriſtus, vt veritatem quam Ioannes prædicabat, teſtimonio ſuo cõprobaret. Iam in epiſtola ad Trallianos Conſtitutiones

Apoſto-



Apoſtolorum nominatim citauit. Cùm enim præciperet de iis ipſis de quibus Apoſtolicæ Conſtitutiones præcipiunt, nihil ſine epiſcopo agendum eſſe, oportere ſubiectos eſſe Presbyteris qui locum tenerent Apoſtolorum, quod Apoſtolica doctrina dicit lib. 2. cap. 28. poſtquam ſubiecit, ſicut in epiſt. ad Philadelph. hæc non tanquam Apoſtolus conſtituo, ſed meipſum metior; ſubiungit paulò pòſt, epiſcopo honorẽ tanquã Chriſto habete, vt B. Apoſtoli conſtituerunt. Eſt autem hæc Conſtitutio lib. 2. cap. 34. Prætereo cætera eiuſdem B. Martyris Ignatij nõ pauca, ne omnia perſequar, in quibus ita ſunt Apoſtolicarum Conſtitutionum non ſolũ impreſſa veſtigia, ſed formæ eiſdẽ verbis expreſſę, vt nullius propè ingenij vel certè tardiſſimi habẽdus ſit, qui ſi has Conſtitutiones, & illius epiſtolas mediocri diligentia, & obſeruatione legat, & inter ſe conferat, non cõtinuò iudicet B. Ignatium illas legiſſe, & probaſſe, & vſum eis eſſe. Huius autem ſcriptoris tanta eſt & auctoritas & antiquitas quanta eſſe debet Apoſtolici viri, & martyris. & quẽ B. Petrus à Paulo ordinatũ, vt Clemẽs teſtatur, poſt diſceſſum ſuum Romam, Antiochiæ Epiſcopũ cõſtituit & reliquit, vt B. Chryſoſtomus in homilia de laudibus B. Ignatij Antiochię ſcripta & in conuentu Eccleſiæ Antiochenę habita, auctor eſt. Sanè quidem ſi nullum aliud teſtimoniũ auctoritatis & antiquitatis horũ librorum, niſi hoc B. Ignatij tam graue, tam vetus ac tam multiplex eſſet, hoc vnum inſtar plurimorum eſſe deberet.

Accedunt ad hos duos Apoſtolicos & Apoſtolicæ ætatis teſtes, Dionyſium dico & Ignatium teſtes eccleſiæ Orientis, in quibus, cùm agitur ſollemnis & ſtatutus dies feſtus S. Clementis, quod quidem credendũ eſt ab ipſo vſq; ſæculo Apoſtolorũ fieri cœpiſſe, legitur vita eius ſummatim comprehenſa, in qua lectione Apoſtolorũ Cõſtitutiones in laudem Clementis commemorantur, ſic enim legitur: Fuit beatus idemq; ſapientiſſimus Clemens patria Romanus, regali ſtirpe ortus, Fauſti & Matthidiæ filius, omnibus Græcis diſciplinis eruditus, ex naufragio autẽ præter ſpẽ aliquando ſeruatus. qui cùm in Petrum principẽ Apoſtolorũ incideret, veram Chriſti fidem ab eo didicit, factuſque eſt Euangelij prædicator, & Apoſtolorũ Conſtitutiones cõſcripſit, atq; Romanæ eccleſiæ Pontificatũ geſſit. Sed producamus iam grauiores adhuc teſtes, & ſi non ſæculi Apoſtolici, Synodos dico œcumenicas, quæ vniuerſi orbis eccleſiam catholicã repræſentant; ex quibus quæ ſumma eſt & prima Nicæna, in fragmento quod extat Actorum eius, Conſtitutionem Apoſtolorũ renouat de Quadrageſima, & eius ieiunio, quæ eſt in lib. v. cap. 13. poſt cõſtitutionem de feſtis diebus; citatq; Synodus Apoſtolorũ Conſtitutiones; ſic enim ait: Sicut Apoſtoli tradiderunt in ſuis de feſtis & ieiuniis Conſtitutionib. hoc teſtimonio Apoſtolicæ Conſtitutionis, conſtitutionẽ denuo à ſe ſancitã Synodus Nicæna in actis ſuis ne quid auctoritati deeſſet, obſignauit.

Secunda

Secunda Synodus Nicæna, quæ in Synodis œcumenicis VII. numeratur, cuius teſtimonium, eccleſiæ quoque Catholicæ teſtimonium eſt, in primo canone, Libenter, inquit, amplectimur diuinos Canones & eorum integram διάταξιν, id eſt, conſtitutionem. non eſt exiſtimandum παλιλογίαν eſſe, id eſt, idem iteratum. quin potius quia ſciebat Synodus alia eſſe à S. Apoſtolis de rebus eccleſiaſticis certa formulà iubendi & vetandi tradita & ferè pœnis ſancita, quarum ſanctiones Canones Eccleſiaſticos appellare voluerunt: alia verò propè infinita cõſtituta & diſpoſita de diſciplina & honeſtate Chriſtianæ vitæ & eccleſiaſticæ conuerſationis ſine ſanctione eccleſiaſticæ pœnæ, non quòd minus diligenter ſeruari voluiſſent, ſed quia ita expediret, non minaciter conſtituta eſſe ea quæ ſimiliora erant doctrinæ, & monitioni quã legibus, vt verbi cauſa de honeſtate lauandi in balneo, de ornatu honeſto virorum & mulierum, de ordine ſedendi in Eccleſia, de educatione & diſciplina filiorum, & de ſimilibus; hæc inquam dicuntur διατάξεις & διατυπώσεις, nos conſtitutiones ſiue diſpoſitiones dicamus; quæ quia ſunt quædam appendiculæ Canonum, id eſt, Legum eccleſiaſticarum, quibus Canones perficiuntur, & quę ad cuſtodiendum eos plurimum momenti habent, opportunè & commodè adiunxit Synodus ad Canones, totam & integram eorum conſtitutionẽ. Congruit cum hoc quod eſt in lib. VIII. cap. 5. Deſcripturus enim Clemẽs Canones poſt Conſtitutiones libris VII. ſuperioribus cõprehenſas, Nunc, inquit, ad ſummum Eccleſiaſticæ conſtitutionis feſtinat oratio. Canones igitur ſunt velut caput Conſtitutionum; Conſtitutiones verò velut reliquum corpus capiti adhęrens. Similis ferè differentia & diſtinctio erat in vetere Teſtamento eorum quæ minaciter legibus ſancita erant, & eorum quę ſine minis, & nulla propoſita pœna, quæ ſimiliora etiam doctrinę & monitis, quàm legibus videbantur. hoc intereſt, quòd illa vetera omnia ſcripta erant, tum quia erat populus durus, & obliuioſus; tum vt cogitarent aliunde quàm ex lege quærẽdam eſſe iuſtitiam, ſiquidem omnes ſub maledicto eſſent, ſicut ſcriptum eſt, Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. Similitudinem quoque huius diſtinctionis quandam habent illa quæ Plato de educatione & diſciplina puerorum & aliis eiuſmodi in principio libri VII. de legibus, ſimiliora eſſe dixit doctrinę & monitioni, quàm legibus: quæ enim parua eſſe viderentur, cũ aliis ſcilicet grauioribus cõparata, & quæ frequentia, de iis ipſis aiebat, nõ eſſe ſcribendas leges, quæ pœnis ſancitæ eſſent. quia aſſueſcere, inquit, in paruis; & crebris leges violare, interitum legibus ſcriptis affert. vnde illæ quæ ſint eiuſmodi, non leges ſed ἐπιτηδεύματα & ἐθίσματα, & νόμιμα ἄγραφα vocat, quia non ſint cũ ſanctione pœnæ ſcripta: Leges verò eas dicit, quæ μετὰ ζημίας id eſt, cum irrogatione pœnæ latæ ſunt. Vnde νόμιμα ἀπειλητικὰ appellat; id eſt, leges minaces.



minaces. Videtur mihi Plato, vt hoc etiam obiter obſeruetur, hanc diſtinctionem ex Lege Moyſis hauſiſſe, in qua videbat infinita quæ ad mores pertinerent, & priuatè ac frequenter committi ſolerent, ſine minis conſtitui ac ſanciri; vt illa in Leuitico, Non mentiemini, neque decipiet vnuſquiſque proximum ſuum: Non peierabis in nomine meo; neque morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane: non facies quicquam iniquè, neque iudicabis iniuſtè; & alia eiuſmodi ſimiliora, vt antea dicebam, doctrinæ, & monitis, quàm legibus. Rurſus videbat alia pœnis ſanciri; vt illa iudicialia Leuitici, Qui hoc aut illud fecerit, morte moriatur; Qui illud, lapidabit eum populus. & alia eiuſmodi multa. Hæc idcirco huc allata ſunt, quo magis intelligeretur diſtinctio Canonum & Conſtitutionum, quam Synodus Nicæna in iſto ſuo Canone primò intelligi voluit; cùm dixit, Amplectimur diuinos Canones & totam eorum Conſtitutionem.

Atque hoc quidem ita eſſe, id eſt; Canones à Conſtitutionibus diſtinxiſſe, clariſſimè perſpici poteſt ex octaua Synodo Conſtantinopolitana, quæ Ioanne Pontifice Romano ante annos octingentos habita eſt, trecentorum & octoginta trium Patrum, cui præfuerunt Petrus & Paulus Anconitanus & Eugenius Oſtienſis Epiſcopus. in qua cùm Baſilius Imperator fidei confeſſionem ab iis qui locum Pontificis Romani tenebant poſceret, vt in Actione ſexta ſcriptum eſt, reſponderentque non licere alium canonem nouari præter veteres, qui in cuncto orbe vigerent; tum etiam peterent, vt de ſententia omnium legerentur & confirmarentur; Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus dixit: Iudicio omnium fratrum & conſacerdotum noſtrorum legantur. ac Petrus quidem Diaconus; & Protonotarius legit ea quæ ſequuntur: Diuinam & veneratione dignam Domini & ſaluatoris noſtri doctrinam ſinu mentis amplectimur; & ſententia conſtante ac fidei puritate fundati, Sanctorum etiam Apoſtolorum τὰς ἱερὰς διατάξεις καὶ τοὺς κανονικοὺς τύπους, id eſt, ſacras Conſtitutiones & Canonicas formas, hoc eſt, Canones veriſſimo iudicio veneramur & tuemur. Quin etiam ſeptem Synodorum œcumenicarum, vt quæ vno Spiritus ſancti afflatu directæ & actæ fuerunt, prædicationem & inuiolatos ac legitimos Canones ſincerè & conſtanter honoramus, & cuſtodimus. eiicimus ex Eccleſia, quos eiecerunt; amplectimur & approbamus quibus honorem & obſeruantiã tanquam magiſtris pietatis & in eiuſdem fidei profeſſione conſentientibus deberi pronunciauerunt. Sic de his ſentientes & prædicantes

 defini-

definitionem caſtiſſimæ fidei Chriſtianæ à Patribus noſtris vſque ad nos delatam, animo, & lingua exoſculamur, & omnibus clara voce denunciamus. Hactenus Synodus. En quemadmodum in antiqua fidei profeſſione, quæ teſte Synodo à Patribus tradita per cunctum orbem vigebat, & à 383. Patribus in Synodo prolata eſt, ſecundo loco poſt ſcripturam diuinam ſacræ Conſtitutiones Apoſtolorum & eorum canones collocati ſunt. Quis hic iam contra teſtimonium & auctoritatem duarum Synodorum œcumenicarum Canonem ſecundum ſextæ Synodi in Trullo obiicere audebit? etenim ſi ille iuſtus & legitimus Canon eſt, & non potius falſus, qui præter 85. Canones Apoſtolorum, quos approbat, reliquas eorum Conſtitutiones à Clemente conſcriptas, tanquã ab hæreticis corruptas & violatas improbat; quomodo ſeptima Synodus Canones Apoſtolorum & eorum Conſtitutiones, & inſuper ſextam Synodum cum quinque reliquis ſuperioribus & earum Canones approbat? Quomodo idem etiam octaua Synodus facit, quæ planè & diſtinctè ſacras Apoſtolorum Conſtitutiones, eorumque Canones; ac ſimul etiam ſeptem Synodos ſuperiores cum earum Canonibus cõfirmat? Neceſſe igitur eſt, vt neutra Synodus Canonem illum quo conſtitutiones Apoſtolorum improbatæ ſunt, qui cũ aliis ſextæ Synodi in Trullo eſſe ferebatur, ſextæ Synodi œcumenicæ eſſe iudicauerit: ne vtraque Synodus à ſe diſſentire, ſibique repugnare planè conuincatur. Immo dicam amplius, videri mihi non eſſe hoc à Synodo octaua diſſimulatum: nec enim in Confeſſione illa quæ de ſententia Legatorum ſummi Pontificis ac totius Synodi recitata eſt, temerè dictum eſt, ſeptem Synodorum prædicationem, & canones inuiolatos ac legitimos honoramus, & cuſtodimus. non enim ignorabant Legati Pontificis neque diſſimulare debebant, fuiſſe aliquando ſuppoſitos falſos canones pro veris, vt in ſecunda Synodo tertium, & in quarta, vigeſimum octauum; vtrumque de æquando honore ſedis Conſtantinopolitanæ Sedi Romanæ. De canone ſuppoſito ſecundæ Synodi teſtis eſt Damaſus: de quartæ Synodi, teſtes Leo primus, Gregorius item primus, & Anaſtaſius cognomento Bibliothecarius. ſciebant enim Canones illos qui ſextæ Synodi in Trullo eſſe feruntur, non fuiſſe illius ſextæ Synodi Canones, quæ contra Monothelitas Agathone Pontifice habita eſſet, ſed eius quæ annis poſt illam 24. aliis Epiſcopis in Trullo loco Palatij Imperatoris, congregata fuit, id quod Theophanes Græcus auctor, Taraſij Patriarchæ Cõſtantinopolitani ſyncellus, in hiſtoria qua Chronicõ Georgij Monachi proſecutus eſt, perſpicuè indicauit. Immo ita eſſe tempus ipſum indictionis in tertio Canone notatum, vt idem quoque Theophanes obſeruauit, & admonuit, planè conuincit. Itaque non eſſe Canones illos auctoritate





Pont. Romani tunc factos & editos, nec omnes poſtea approbationem ab eo tuliſſe, vt cæteros canones nunc taceam, certè decimus tertius Canon manifeſtè conuincit; in eo enim legem ſacri cælibatus, quam eccleſia Romana ſecundum Apoſtolicam Traditionem, quæ in his Conſtitutionibus à Clemente ſcripta eſt, tuetur & ſeruat, illius Trullani cœtus patres palam audent reprehendere; & Canonem antiquum, vt ipſi vocant, approbare & ſequi, qui ius & poteſtatem facit ſacerdotibus & reliquis clericis ſacri ordinis, vxoribus ſuis vtendi; quem Canonem cum Apoſtolica conſtitutio ſexto libro cap. 17. liquidò coarguat, & refellat, quid mirum ſi libros Conſtitutionum à Clemente Romano conſcriptos improbarunt & eiecerunt? quin immo multo magis mirandum eſſet, ſi non improbaſſent.

Sed concedamus verum eſſe quod iſti Patres teſtificantur, Conſtitutiones Apoſtolorum à Clemente ſcriptas, ab hæreticis violatas eſſe, neſcio quibus peregrinis & adulterinis doctrinis, vt iſti dicunt, interiectis; an nõ veriſimiliùs tunc fuerit, immo neceſſarium ex illis ipſis Conſtitutionibus corruptis & violatis quas fatentur, antiquum iſtum Canonem quem ſe ſequi gloriantur, manaſſe? immò veriſſimum eſſe, teſtis eſt quidam ex illorum Patrum Trullani cœtus ſectatoribus. is eſt Nicetas cognomento Pectoratus, Græcus auctor, qui ante annos 500. in libro ſuo contra Latinos, cui Vmbertus Eccleſiæ Siluæ candidæ epiſcopus, & Leonis IX. ad Conſtantinopolitanos Legatus reſpondit, Canonem Apoſtolorum; quem vocat & defendit, his verbis recitat: Epiſcopum, & Presbyterum & Diaconum dicimus qui vnam habet vxorem ordinari, quamuis viuant eorum vxores, quamuis defunctæ. neque licet eis poſt manus impoſitionem innuptos eſſe; nec inſuper ad nuptias ire; aut ſi nupſerint, alias amplecti; ſed ſufficere eis quas habent, cùm ad ordinationem venerint. Hactenus Canon ab iſto recitatus, quem à Nicolaitis in ſexto libro, vnde Nicetas hauſit, ſuppoſitum aliquando fuiſſe credendum eſt; illi enim miniſtris ſacri altaris nuptias concedebant: immo tradebant non licere illis poſt manus impoſitionem abſque vxore eſſe. Hunc ergo Canonem Nicolaitarum tanquam Canonem Apoſtolorum Patres illi arripuerunt, & ad eum ſententiam Concilij Carthaginienſis detorquebant. Inde licentiam profanæ ac flagitioſæ incontinentiæ ſacri ordinis traxerunt; & eam conſuetudinem, quam idem Vmbertus Græcis obiicit, ſcilicet interrogandi eos qui ordinandi ſunt, vtrum habeant vxores? qui ſi non habere reſpondeant, coguntur, inquit Vmbertus, prius ducere, deinde manus impoſitionem accipere. Idem ante illos Trullanos Patres epiſcopi quidam Vigilantij hæretici conſortes faciebant, de quibus B. Hieronymus contra

Vigilantium ſcribens, Prô nefas, inquit, epiſcopos ſui ſceleris dicitur habere conſortes, ſi tamen epiſcopi nominandi ſunt, qui non ordinant diaconos, niſi prius vxores duxerint, nulli cælibi credentes pudicitiam. Hactenus Hieron. Cùm igitur Conſtitutio iſta quam Niceta protulit, ex ſexto libro conſtitutionum violato manauerit; in ſexto autem libro Conſtitutionum, quas nos habemus, nunc incorrupta & inuiolata ſit, conſequens eſt, non omnes Conſtitutiones Apoſtolorum à Clemente Romano conſcriptas, deprauatas fuiſſe; ſed alias etiam, alias non, quales noſtræ ſunt. Quare iſte Canon ſecundus ſextæ Synodi in Trullo, qui Conſtitutiones Apoſtolorum tanquam vitiatas ab hæreticis infirmare & tollere videbatur, non ſolum non eas lædit & infirmat, ſed contra potius earum grauiſſima confirmatio eſt; ſiquidem ex eo ducitur teſtimonium, tum eſſe à Clemente Romano ſcriptas Apoſtolorum Conſtitutiones, ſi qui fortè de eo dubitent; tum corruptas aliquando fuiſſe, illas ſcilicet Conſtitutiones. Vnde ipſa illa ſynodus ſexta in Trullo canonem illum ſuum antiquum accepit, quem in Canone 13. ſe ſequi & denuò ſancire dicit, quem Nicetas Pectoratus ex ſexto libro ſuo corrupto, vt dixi, recitauit; tum alias integras & inuiolatas, noſtras ſcilicet, in quibus eſt libro VI. cap. 17. Apoſtolica conſtitutio illius contraria, nec eſt quicquam aliud quod in eis reprehendi poſſit; aut proferant iſti, ſi quid contra poſſunt. Hactenus de ſextæ Synodi in Trullo Canone ſecundo, quem præter Synodos œcumenicas ſollemnis quoque coronatio Imperatoris refutat. Cùm enim Imperator Conſtantinopoli in templo S. Sophiæ coronandus erat, manu ſua fidei confeſſionem his verbis deſcribebat & profitebatur: Ego fidelis in Chriſto N. Imperator confeſſionem manu propria deſcriptam propoſui: Credo in vnum Deum. & quæ ſequuntur. & paulò pòſt: Amplector quoque & confirmo Apoſtolicas & diuinas traditiones, & conſtitutiones, Apoſtolicas ſcilicet & diuinas, hoc enim repetendum eſt ἀπὸ κοινοῦ. Has autem à Canonibus Conciliorum planè diſtinxit cùm ſtatim ſubiungit, Et formas ſeptem Synodorum vniuerſalium; ſcilicet amplector: formas, Græcè τύπυς, vocat eccleſiaſticas regulas, quas Canones etiam nominamus.

Poſtremò, ne quod genus teſtium in hac cauſa deſideretur, ipſos quoque eccleſiæ catholicæ inimicos & aduerſarios, teſtes citabimus, Arrium dico & ab eo dictos Arrianos; qui niſi à catholicis, quanta eſſet horum librorum auctoritas, didiciſſent, nunquam illos catholicis obieciſſent; vt intelligant tandem, qui hos libros nō tanti faciunt quāti Arriani fecerūt, minus eos in hac parte à catholicis didiciſſe, quàm Arriani didicerint. Cùm igitur Athanaſius in diſputatione ſua cum Arrio in Concilio Nicæno habita, & ab eodem Athanaſio ſcripta, illud de Filio, per

quem



quem facta eſſent omnia, ſcriptum eſſe diceret, Brachium Domini cui reuelatum eſt? & illud, Dextera Domini fecit virtutem. Tu verò, inquit Arrius, quid mihi æternum Deum ex partibus conſtituis? an non audiſti Clementem Romanum Petri Apoſtoli ſectatorem, quemadmodum huiuſmodi opinionem euertit? Reſpondet Athanaſius: Memineris quæ dicta ſunt, & ne erres. ego enim ſimplicem, non compoſitum neque circumſcriptum Deum colo; hoc enim tum ex ſacris & diuinis litteris didici, tum ab iis qui ordine deinceps in epiſcopatu ſucceſſerunt. ſic enim eſt Græcè. Euertunt autem hanc opinionem de compoſitione Dei tum illa quæ de Deo non circumſcripto locis, neque ſeculis terminato, neque ortum nec interitum capiente libro VIII. cap. 15. tum quæ libro VI. cap. 11. de æternitate Dei ſcripta ſunt. partes enim cùm prius ſint quàm quod ex eis exiſtit, æternitatem compoſiti tollant neceſſe eſt; & rurſus compoſitio, inquit Gregor. Nazianz. lib. 2. de Theologia, initium pugnæ eſt; pugna verò diſſidij, diſſidium interitus, qui eſt penitus à Deo alienus. qui ergo Deum æternum tradit, opinionem de Dei compoſitione euertit. cùm autem ait Athanaſius didiciſſe ſe hoc ipſum tum ex ſacris ac diuinis ſcripturis, tum ab iis qui in epiſcopatu Petri ſcilicet, cuius paulò antè meminerat, ſucceſſerunt, Clementis, qui Petri auditor & ſucceſſor fuit, & aliorum ſucceſſorum Pontificum Apoſtolicorum ſcripta ſignificat, quæ ſecundo loco poſt ſacras & diuinas ſcripturas ponit. Clementis itaque de doctrina Apoſtolorum libros quamuis extra Canonem eſſent, Arrius, & Arriani ad auctoritatem citabant. quod quidem, vt dixi, à Catholicis didicerant.

Illud poſtremò dicendum eſt libros octo conſtitutionum Apoſtolicarum non ſolum Eccleſiarum Græcarum totius Orientis vſu iam inde à principio celebratos ſemper fuiſſe; ſed Eccleſiarum totius Æthiopiæ & Ægypti & omnium prouinciarum ditionis latiſſimæ Precioſi Ioannis, teſtis eſt Damianus Goës Luſitanus, equeſtris ordinis, in libro de fide & religione ac moribus Æthiopum, quem tanquam interpres dictante Zagazabo legato Æthiopico ad Regem Luſitaniæ Vlyſſipone ſcripſit. ſic igitur aiebat ille in explicatione doctrinæ & legum Eccleſiaſticarum, quas Æthiopes habebant: Sunt nobis ſanctæ Eccleſiæ legum libri octo, Manda atque Abethilis vocamus, quos omnes Apoſtoli Hieroſolymis congregati ſcripſerunt. Sic Æthiopes per ignorantiam & imperitiam exiſtimabant ſcriptos ſcilicet fuiſſe hos libros ab ipſis Apoſtolis, idque Hieroſolymis congregatis. ſed hic error index potius eſt auctoritati ipſorum librorum apud eos. Recitat poſtea idem legatus aliquas conſtitutiones quæ in his libris noſtris ſunt, vt de feſtis, de ieiuniis, & de aliis. Iis igitur qui teſtes antiquitatis, auctoritatis atque vſus horum librorum requirebant, puto me affatim hactenus ſatisfeciſſe.

Si quis verò illud etiam quærendum eſſe exiſtimet, cur potius Clemẽs, quàm alij Apoſtolici auctores Apoſtolorum Conſtitutiones litteris mãdauerit, ſatis ille quidem reſponſum ſibi eſſe putabit, ſi quod B. Petrus Clementi ſucceſſionem in cathedra Romana recuſanti dixit, animaduertat, quod idem Clemens in epiſtola ad Iacobum fratrem Domini nõ temere neque gloriandi cauſa, ſed conſilio certò & accommodatè ad noſtram vtilitatem atque ędificationem ſcripſit: At hęc cathedra, inquit Petrus, non poſtulat audacem aliquem atque ambitioſum, ἀλλὰ μὴν εὐλαβῆ τὸν τρόπον, καὶ πολυμαθῆ τὸν λόγον, id eſt, ſed qui iis moribus præditus ſit, vt refugiat potius ac reformidet, ſitque multis doctrinis eruditus. Da verò mihi tu præſtantiorem, qui me diutius comitatus ſit; qui plura ex me audierit; qui rationem gubernandi Eccleſiam meliùs perceperit, & non cogam te. Hæc Petrus. Ratio autem rectè eccleſiam gubernandi ex ſciẽtia & vſu Conſtitutionum Apoſtolorum & eorum canonibus pendet. Ignatius quoque in epiſtola ad Mariam Zarbenſem, Clementem vocat Petri & Pauli auditorem. & beatus Irenæus in tertio libro contra hæreſes de Clemente loquens, Qui vidit, inquit, ipſos Apoſtolos, & cum eis contulit cùm adhuc inſonantem prædicationem Apoſtolorum & traditionem ante oculos haberet. Nunquam hoc Irenæus de Clemente ſcripſiſſet, niſi ex ſcriptis eius hoc cognouiſſet, habuiſſe ſcilicet eum inſonantem prędicationem Apoſtolorum & traditionem ante oculos. quod quidem ex his libris Conſtitutionum quos ex perſona Apoſtolorum ſcripſit, facilè perſpici poteſt. Anne Irenæus libros Clementis de Conſtitutionibus, quas S. Apoſtoli per ſermonem ſine ſcripto tradiderunt, & de eorum doctrina & prædicatione obſcurè hoc loco ſignificauit? Mihi certè nequaquam videtur, nec vlli credo, qui bene & accuratè conſiderauerit, videbitur.

Sed poſtquam ſatis, vt opinor, de horum librorum antiquitate, teſtimoniis, vſu, & auctoritate, & de auctore eorum dictum eſt; dicamus iam aliquid de eorum vtilitate, quæ tanta eſt, vt pro certo affirmare audeam, nullos libros extare eccleſiaſticæ antiquitatis tam refertos, nullúmve genus antiquarum litterarum in lucem exire potuiſſe, quod eſſet huic noſtræ ætati accommodatius ad redarguendos & planè conuincendos Nouatores rerum & conſuetudinum Eccleſiaſticarum, & Apoſtolicarum traditionum proditores. Ex iſta enim nouatione vniuerſum malum in eccleſia manauit. Quod vt magis adhuc pateſiat, non pigebit obſeruare & conferre hic, quod Plato diuinè mihi in libro Salomonis ad leges Reipub. ſuæ, quam formabat, ſcribendas obſeruaſſe videtur. cùm enim legiſſet in Prouerb. cap. 22. Ne tranſgrediaris terminos æternos quos Patres tui poſuerunt, idque de optimarum legum & Conſtitutionum ſanctionibus in primis dictum eſſe, rectè intelligeret, facilè animaduertit, vt erat perſpicax



perſpicax & magna ingenij ſagacitate præditus, ad conſeruandam Reip. formam quantum in ea re momenti eſſet. Vult itaque, (interpretabor enim Latinè) vt pueri ſollemnes & ſtatutas ſaltationes & cãtus Diis conſecratos ad imitationem Ægyptiorum habeant; quos ſingulis diebus feſtis, certis anni temporibus, ſingulis Diis eorumque filiis, quos aliàs heroas vocare ſolet, & dæmoniis adhibeant. huiuſmodi ludos ſacros ſaltationum & cantilenarum non mutari vllo vnquam tempore; ſed eoſdem perpetuò permanere, affirmat Plato ſummè valere, vt Reipub. leges firmæ & ſtabiles habeantur: ſin autem, inquit, mutetur id genus, nouique ludi inducantur, & nunquam eiſdem iuuentus delectetur, nec in habitu & figura corporis, nec in reliquo apparatu, vnum & idem pro certo poſitum ſit decere, & contrà dedecere, quin potius inuentores rerum nouarum, & qui aliud præter conſueta, tum in habitu & figura, tum in colore & in cæteris eiuſmodi introducunt, iſti præcipuè honorentur, nihil eſſe quod magis ciuitati noceat, rectè, inquit, affirmare poſſumus. mutat enim hoc ſenſim mores adoleſcentum, facitque ne habeant in honore antiquitatem, ſed contrà potius nouitatem. Rurſus dico, inquit, quod magis omnes Reſpublicas lædat, quàm hoc, nõ poſſe dici, neque decerni: Denique mutationem, inquit, omnium rerum, exceptis malis, periculoſiſſimam eſſe reperiemus, temporum, ventorum, victus, morum. Deinde poſtquam elegantiſſimè expoſuit, quemadmodum inuſitatus cibus & potus principio naturam tentare ſoleat, donec vſu ipſo amicus & familiaris factus ſalubritatem & iucunditatem afferat, concludit idem exiſtimandum eſſe euenire in cogitationibus & naturis animorũ. In iis enim legibus in quibus alti & educati ſumus, quęque diuina quadam ſorte longinquis temporibus immutabiles permaneant, ita vt nullus neque meminerit, nec audierit aliter vnquam, atque nunc ſunt, habuiſſe (interpretatus mihi videtur æternos terminos, quos Salomon dixit nõn eſſe tranſeundos) in eiuſmodi, inquit, legibus omnes metuunt propter reuerentiam aliquid mutare eorum quæ rectè conſtituta ſunt. Itaque legiſlatores, inquit, oportet conſiderare, vnde & quomodo hoc in Repub. fiat. Ego verò vſu ſic fieri poſſe intelligo, omnes putant ludos adoleſcentum mutatos, meros ludos eſſe; neque magnum emolumentum neque damnum ex eorum mutatione proficiſci; ex quo fit vt non id prohibeat, quin potius concedant conniuentes. nec enim illud cogitant, neceſſe eſſe, vt ſi pueri nouis ludis gaudeant, alij viri euadant, atque erant pueri; & cùm alij euaſerint, aliam vitam quærant: hanc rurſus cùm quæſierint, alia ſtudia & alias leges cupiũt; atque hinc maximum malum, quod modò dixi, ciuitatibus euenturum eſſe. Hæc, inquam, nemo iſtorum metuit. atqui alia quidem mutata, vt in figuris minus mali apportare poſſunt; at crebra variatio in laudandis vituperandiſue moribus periculoſiſſima omnium eſt, &

eſt,& maximè pertimeſcenda. Ergo quia ſaltationes & cantus imitationes ſunt meliorum, aut peiorum hominum, omne, inquit, ſtudium adhibendum eſt, vt pueri in ſaltatione & cantu non alias imitationes tentare cupiant, nec vllus eis quocunque genere voluptatis adhibito alias ſuadeat. Explicat deinde Plato quas ſaltationes, & quos cantus dicat, choreas ſcilicet & hymnos in laudem Deorum ad imitationem Ægyptiorum conſecratos. Hæc hactenus Plato de graui & periculoſa eorum mutatione, quæ ſemel rectè inſtituta ſunt, diuinè ſcripta, & ex diuinæ ſcripturæ lectione ingenioſè ducta & ad leges Reipub. quam fingebat, pulcherrimè accommodata, quæ ita ſunt apta tum ad laudandam conſtantiam Eccleſiæ noſtræ catholicæ, quæ in doctrina & Conſtitutionibus Apoſtolorum vſque in hodiernum diem immutabiliter perſeuerat, tum ad redarguendam & vituperandam puerilem incōſtantiam nouorum Euangeliſtarum, vt à Gentili Philoſopho, qui Apoſtolos ignorauit, ad hoc ipſum diuinitùs conſcripta eſſe videantur. Iſti enim ſunt qui Conſtitutiones Eccleſiaſticæ gubernationis, cærimoniáſq; diuini cultus & Eccleſiaſticos ritus atque conſuetudines Deo ſacratas & ab Apoſtolis traditas, quibus ipſi eorumque maiores gaudebant, veluti meros ludos mutare tanquam pueri non metuerunt. ex quo factum eſt, vt ſicut in illa mutatione hymnorum & chorearum euenturum eſſe Plato tanquam Propheta quidam Gentilium prædicebat, vt alij facti, alios mores & aliam vitā quærerent, alia ſtudia & alias leges; ita iſtis euenerit. cùm enim ſacros ritus ordinādi clericos, eccleſiaſticum cantum, ſollemnes & ſtatutos dies feſtos, & dies ieiuniorum cum delectu ciborum, ac dies vigiliarū, tum exequias mortuorum & exequiarum dies certos, impoſitiones pœnitentiarum, & indulgentias, conuentus eccleſiaſticos ad ſacrificium Miſſæ, conſecrationes Eccleſiarum, aquæ, olei & aliarum rerum, tum multa alia, ne omnia enumerem, partim ſuſtulerunt, partim mutauerunt; continuò aliam vitam & alios mores aliaſque leges induxerunt & alium ſcripturæ ſenſum quem ad nouam vitam, & nouos mores nouaſque leges, vt par erat, accommodarent. ſunt enim non paucæ Eccleſiaſticæ conſuetudines, quæ ita ſunt quorundam locorum ſcripturæ ſanctæ interpretes, vt qui illas tollat, aut variet, aut mutet, legitimum ſenſum ſcripturæ in locis illis vertat & adulteret neceſſe ſit; quæ fuit præcipua cauſa cur ſine ſcripto per ſolum ſermonem à ſanctis Apoſtolis traderentur, vt integræ ſcilicet & inuiolatę conſeruarentur, & ſic conſeruatæ legitimum ſenſum ipſius ſcripturæ ſanctæ tuerentur. Quod enim ad auctoritatem attinet, nihil refert, vt in libro de corona militis rectè ait Tertullianus, vtrum conſuetudo, quæ ſcilicet aliunde quàm ab Apoſtolis proficiſci non potuit, ſcriptura an traditione conſiſtat. exempli cauſa, conſuetudo ieiunandi cum delectu ciborum, quæ eſt in his Conſtitutionibus

Apo-



Apoſtolorum, quæ ſine ſcriptura Apoſtoli aut Euangeliſtæ ſola per ſermonem traditione conſiſtit, ſi ab aliquo tentetur, qui eam mutare velit, vt hæretici Euangelij nouatores fecerunt, an non ſtatim reclamabunt omnes eccleſiæ catholicorum? Et rurſus cùm Apoſtolus ad Coloſſ. ſcribit, Nemo ergo vos iudicet in cibo aut potu aut in parte diei feſti aut neomeniæ aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum, corpus autem Chriſti; ſi quis hunc locum ad improbandum delectum ciborum in ieiuniis pertinere prauè interpretetur, vt Confeſſioniſtæ faciunt, an non ſtatim redarguat eum, & locum Apoſtoli à falſa interpretatione defendat hæc ipſa antiqua omnium Eccleſiarum conſuetudo ab initio Apoſtolicæ prædicationis per cunctum orbem ſine vllis litteris ſacris per ſermonem tantum tradita? Hæc igitur conſuetudo omnium Eccleſiarum iuſtam & legitimam ſcripturæ Pauli, quæ à nouatoribus hæreticis violatur, inuiolatè ſeruat, quia ipſa conſuetudo, cuius eſt, vt ait idem Tertull. Traditio inuentrix, violari non poteſt dum eam ita fides vtentium conſeruat, vt niſi fide amiſſa negari non poſſit. Item conſuetudo celebrandi memorias ſanctorum & dogma de ſanctorum pro nobis precatione poſt obitum eorum quæ conſuetudo ex traditione Apoſtolorum, quæ in his Cōſtitutionibus cōtinetur, vt à nobis ſuis locis indicatū eſt, profecta eſt; an poteſt ab vllo, niſi ſenſu communi careat, negari? aut vllus poteſt aliter interpretari quàm vt fieri & eſſe in vſu videt? Minimè. & ſi quis ſcripturam Pauli, quia ſit paulo obſcurior, perperam interpretetur, & neget ad celebrandas memorias ſanctorum pertinere cùm ait in epiſt. ad Hebr. Mementote Præpoſitorum veſtrorum qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis, eorum imitamini fidem; nónne hæc ipſa conſuetudo celebrandi dies feſtos ſanctorum, quæ in eccleſia catholica viget, iſtius falſam interpretationem redarguit, & legitimam ſententiam iſtius loci Pauli defendit, & ad celebrandum cultum Sanctorum in laudem & gloriam Dei pertinere, planè demonſtrat? Similiter quod B. Petrus in epiſt. 2. ſcripſit, Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum, vt horum omnium memoriam faciatis; ſi quis neget promiſiſſe hic B. Petrum preces poſt obitum ſanctorū apud Deum pro iis ad quos ſcribebat, an non conuincit errare iſtum ipſa conſuetudo ex Apoſtolica traditione orta precandi ſanctos vt pro nobis Deum orent?

Infinitus eſt hic locus ſi vellem omnes conſuetudines ſine ſcripto ab Apoſtolis traditas veri ſenſus ſcripturarum cōſeruatrices perſequi. Idem dicendum eſt de vera & legitima ſcripturæ ſanctæ interpretatione & intelligentia, quæ ad prædicandum & docendum in eccleſia adhibenda ſemper eſt, quæ ab ipſis Apoſtolis & Euangeliſtis non vſquequaque

ſcripta

ſcripta eſt, ſed potius ſine ſcripto per ſermonem tantum plenè tradita. quæ traditio magis inuiolatè cuſtodiri poteſt, vt in eccleſia tanquam in vaſe quodam, ſicut ait Irenæus, ſemper cuſtodita eſt, quàm ipſa ſcriptura, quam nemo poteſt rectè intelligere nec interpretari, niſi ad conſuetudinem apoſtolicæ traditionis in Eccleſia relictæ collineet. Sic enim oportet intelligere, & interpretari, ſicut Eccleſia catholica intelligere & interpretari conſueuit; à qua regula & norma qui diſcedit, in doctrinas varias & peregrinas, quas Apoſt. in epiſtola ad Hebræos declinare præcipit, incidat neceſſe eſt. Rectè itaque Euſebius contra Marcellum Ancyranum hæreticum diſputans, Teſtimonia, inquit, ſcripturarum obſignat eccleſia. Quare ſi quis ſenſum ex ſcriptura eliciat, qui cum eo quod ſemper in eccleſia catholica prædicatum eſt, non conſentiat, continuò tanquam non legitimus & eccleſiaſticæ traditionis ſigillo carens, repudiatur & conuellitur. Huiuſmodi doctrinæ traditio per ſermonem Apoſtolorum qua iuſta & legitima ſcripturæ ſanctæ intelligentia, & explicatio continetur, frequens eſt in his libris Clementis, & à me in obſeruationibus per ſingulos locos contra nouatores Confeſſioniſtas paſſim notata & animaduerſa.

Hactenus de toto genere Traditionis, & de neceſſitate conſuetudinum eccleſiaſticarum, quas Traditio per ſermonem inuenit, quibus Conſtitutiones Apoſtolorum, & Catholicæ doctrinæ prædicatio continetur. quæ traditio conſuetudinum Eccleſiaſticarum tantam coniunctionem cum Euangelio, quod in Eccleſiis catholicorum docetur & prædicatur, habet (illis enim quaſi quibuſdam vinculis colligatum retinetur, & ſeruatur) vt nihil ſtudioſius neque vigilantius, neque callidius omnibus modis caueant nouatores, quàm ne eas nobiſcum teneant; ſed aut nullas aut nouas, vt ſint ipſi omnino noſtri diſſimiles. metuunt enim ne conſuetudinibus Eccleſiæ noſtræ reuocatis, continuò ipſi ad noſtrum & maiorum ſuorum Euangelium, à quo in aliud Euangelium Lutheri traducti fuerunt, reuocentur.

Hi igitur libri tanquam Apoſtolici teſtes, quibus nec antiquiores neq; grauiores exire potuerunt, hac noſtra ætate, cùm maximè opus erat, conſilio diuinæ prouidentiæ contra proditores catholicæ doctrinæ, & Eccleſiaſticarum conſuetudinum nouatores exierunt, vt ad conuincendos eos nihil amplius neque deſiderari nec expectari poſſe videretur. quos quidem ad agendum de eis triumphum, & ad proclamandam iuſtiſſimam eorum damnationem, nuper in Concilio œcumenico Tridentino factam à Deo miſſos, ad cuiuſnam bibliothecam R^{me.} Domine tanquã ad hoſpitiũ niſi ad tuam ornatiſſimã mittere debui, vt eos honorificè & hilariter exciperes? aut cuius patrocinium potius eis parare, vt ſi opus eſſet,



eſſet, defenderes? Vt enim propter dignitatem ac ſanctitatem tum Conſtitutionum ipſarum Apoſtolicarum, tum ipſius Clementis ſcriptoris Apoſtolici Pontificis, diuinitus factum eſt, vt Epiſcopus, qui eſt in eccleſia ſummi ordinis ac primi gradus, Epiſcopis loco ſummi Pontificis Synodo œcumenicæ Tridentinæ præſidentibus hos libros à ſe è Græco tranſlatos prius, dedicaret; ſic etiam diuinitùs nunc factum eſt, vt ego poſt illum, infimus quidem omnium, ſed qui gratia Dei hoc ſtudium meum excitante & adiuuante, plus quàm alij in eis inueſtigandis, & poſtquam inuenti ſunt, illuſtrandis, laboraui, eoſdem tibi nunc conſecrarem; qui optimè omnium eos noſti; & cum quo eos principio, vt probares, legi, communicaui, contuli; & quid de eis ſentires, & quantis laudibus in cælum veheres, ſæpe coram audiui: quique me in teſtimoniis eorum quærendis & obſeruandis, litteris ad me de ea re Venetias miſſis, quas adhuc ſeruo, adiuuaſti; & ex quo eos ex Calabria, vnde ipſe es, quæ olim Magna Græcia dicebatur, Græcos primus Romam attuli, & tecum communicaui, ſemper aduerſus cõtemptores defendiſti, & teſtimonio & auctoritate laudationis tuæ à neglectione multorum vindicaſti: Tibi igitur maximas gratias per me, qui hæc audient, agent & habebũt: quæ gratificatio tibi quidem diuinæ remunerationis pignus erit; mihi verò laboris mei & induſtriæ, ſi qua eſt, fructus. Perges ergo, vt primò cœpiſti, hos ſanctiſſimos libros defendere, ſiqui fortè erunt qui non, vt deceat, eos venerentur, audentes potius affirmare de eis quod neſciunt, quàm ſcientes de quo affirment, aut quid loquantur. Ego verò vt aliquid ſimile ſummi noſtri oratoris dicam; quem timeam lectorem, cùm ad te ne Græcis quidem Græcè cedentem, neque Latinis Latinè, Clementem è Græco Latinum à me factum audeam mittere? quamquã multis cauſis id quidem prouocatus facio, ex quibus vna eſt præcipua noſtræ erga te Societatis obſeruantia; cuius erit perpetuò velut teſtificatio obſignata horum librorum dedicatio. De officio autem Interpretis, quo functus ſum, hoc tantum dicam in exprimenda ſententia de Græcis; vſum me eſſe verbis non tam electis ad eleganter & ornatè loquendum, quàm ad dicendum quod planè intelligeretur, accommodatis. non ſum incultus & horridus, vt de Epicuro ait Cicero; ſed nec elegans & ornatus, vt Antonius. quod nemo puto reprehendet. à Philoſopho enim, eloquentiam ſi afferat, dicit ſe idem Cicero non aſpernari; ſi non afferat, non requirere. idem exiſtimo de Theologo dicendum eſſe; par enim eſt in vtroque, & in vtriuſque rebus, quas tractant, ratio. Sed quia iam ad ingreſſum librorum Clementis propiùs accedimus; ſupereſt, vt hoc extremo Procemij loco ſeriem & ordinem eorum attingamus, ne videatur nullus eſſe, vt parum animaduertenti fortaſſe videri queat; nam hoc quo-

quoque ad exiſtimationem tanti auctoris, quantus Clemens eſt, pertinere videtur. abſurdum enim eſſet nullo ordine diſtinctos, diſpoſitos ac collocatos eſſe, nec alium ex alio necti, ſed potius diſſolutos diſſipatóſque eſſe. Quòd autem eadem nonnunquam in his libris iterantur, non eſt argumentum, vt cuidam viſum eſt, confuſos eſſe, & non ratione diſtributos: ſiquidem hoc non ſolùm ſcripturæ ſanctæ familiare eſt. Vnde illud Apoſtoli ad Philippenſes, Nam eadem ſcribere mihi quidem non eſt pigrum, vobis autem neceſſarium. Sed & ſapientes huius ſeculi, Platonem dico & Ariſtotelem, qui in ſtudio eloquentiæ & dicendi arte tantam operam conſumpſerunt, hoc ipſum non rarò facere conſueuere. De artificio igitur diſtribuendi libros, ſi ſancti Apoſtoli, vt Clemens Alexandrinus ait, cognitionem earum artium quæ ad Philoſophiam pertinerent, doctore & magiſtro Spiritu ſancto perceperunt, quomodo Clemens Romanus, qui non ſolũ omnibus doctrinis eruditus fuit, ſed Apoſtolorum, qui à Deo docti fuerunt, diſcipulus & auditor, libros Conſtitutionum ex arte diuidere neſciuit? Sin autem ſciuit, cur neglexit? Sed omittamus hoc ἄφυκτον, dicamuſq; nos, quę materia cuiuſque libri, & qui eorum ordo, & quàm appoſitè & conuenienter naturę rerum diſtributi, & collocati ſint, ita vt alius ex alio aptiſſimè nexus ſit. Librum igitur de laicis & de diſciplina Conſtitutionum Apoſtolicarum ad laicos pertinente primo loco collocauit, vt natura, & ratio doctrinę poſtulabat, vt ab ignobiliore ſcilicet & generaliore ac notiore ordine ſæcularium, id eſt, coniugum, exordium caperet, Paulum imitatus, qui in priore ad Corinthios Epiſtola, in illa myſtica proſopopœia membrorum corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, eodem modo & ratione laicos ante miniſtros Eccleſiæ collocauit. in quo Platonem quoque, cuius, vt antea dixi, fuit perſtudioſus, ſecutus eſt, qui in quarto libro de Legibus, legem de cõiugio primam eſſe dixit, à legiſlatore ſcribendam, quòd coniugium ſecundum naturam principium ciuitatum & cęterorum ordinum eſſet. In hoc ergo libro de laicis Conſtitutiones Apoſtolicæ doctrinæ contra auaritiam & libidinem, quibus qui in coniugio ſunt, potiſſimùm ſeruire ſolent, continentur. Deinde, quia, vt ait idem Clemens libro VIII. quaſi in extremo capitis primi, laici aliquorum laici ſunt, Epiſcoporum ſcilicet & Presbyterorum, oportet autem prius eſſe gregem, deinde paſtorẽ, idcirco ſequitur liber ſecundus de epiſcopis, & presbyteris & diaconis, in quo libro Apoſtolicus auctor Conſtitutiones deſcripſit de omni genere virtutum epiſcopi, vt qui ſit imago Chriſti & populi exemplũ ad imitandum Deũ pro viribus cuiuſq;, & vt omnia vno verbo complectar de omnibus, quę, vt Apoſtolus ait, honeſtè & ſecundum ordinẽ in eccleſia ab eo fieri oportet, ſiue in diiudicandis litibus & controuerſiis fratrum, ſiue in iudicãdo

& ar-



& arguendo eos qui deliquerunt, ſiue in admittendis pœnitentibus, ſiue in omni ſtudio paſtorali ouium ratione vtentium tanquam in curatione quadam ægrotantium, ſiue in oblationibus tribuendis Epiſcopo, & reliquis clericis, ſiue in impartiendo egentibus ea quæ Epiſcopo dantur, ſiue in celebrando Eccleſiaſticos conuentus ad ſacrificia & orationem, hæc enim ſunt præcipua capita libri ſecundi.

Sequuntur Tertius, & Quartus, qui illis fortaſſe qui hos libros ordine collocationis carere dixerunt, nullam penitus communitatis rationem neque cum anterioribus neque cũ poſterioribus habere viſi ſunt, ſed habent tamen, tametſi non omnes facilè animaduertunt: ſic enim in II. lib. cap. 27. Apoſtolica cõſtitutio Epiſcopis dicit: Veſtri Leuitę ſunt Diaconi, & ij qui Lectores, & qui Cantores ac Ianitores ſunt, Veſtri item Leuitæ, illæ quæ ſunt veſtræ Diaconiſſæ, viduæ, virgines, & veſtri orphani; Princeps verò omnium epiſcopus eſt. quòd ſi viduæ & orphani vnà cum Diaconis, Lectoribus, Cantoribus, Ianitoribus, in locum Leuitarum ſucceſſerunt, vt Apoſtolica Conſtitutio tradit, quomodo temere & ſine ratione ordinis factum videri poteſt, vt poſt ſecundi libri Conſtitutiones de Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, deinceps in libro tertio Conſtitutiones de viduis, & in quarto de orphanis collocarentur? Sed quomodo, dicet aliquis, viduæ, orphani & reliqui, quos proximè commemoraui, locum tenẽt Leuitarum? quatenus ſcilicet hos etiam oportet iis bonis ali quę Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis tribuuntur: ſicut in lege Leuitis, eorumq; vxoribus, & filiis de hoſtiis & donis oblatis impertiebatur. Viduas enim & orphanos ac virgines, omneſque egentes tanquam filios ac filias ſacerdotum, participandis primitiis & decimis aliiſque oblationibus ſacris ab ipſis Epiſcopis & presbyteris ſeu à parentibus procurari oportet. Sunt autem in libro de viduis pręcipua capita, quales eſſe debeant quæ eligẽdę ſunt viduæ in Eccleſia, & ab ea alendæ, itẽ à quibus eas accipere oporteat, & à quibus non: quis earum vſus, & quod munus: Deinde, quæ vetentur facere in Eccleſia non ſolùm viduæ, ſed omnes mulieres, immo laici omnes. In libro autem de orphanis hi ſunt præcipuè loci, quemadmodum epiſcopos tanquam patres orphanis oporteat opitulari, & à quibus ſubſidia ad alendum eos accipere, & à quibus non: item de eleemoſynis; & de educatione ac diſciplina filiorum, quæ cura à patribus eorum habenda. Deinde quia multa in IIII. libro cõſtituta ſunt de ſubueniendo orphanis, & de faciendo benignè omnibus qui egent, ac de eleemoſynis, martyres verò, qui pro Chriſti nomine patiuntur ſe diripi, vexari, in cuſtodias tradi, ante cæteros omnes egentes & calamitoſos maximè digni ſunt auxilio, idcirco, poſtquam de orphanis & eleemoſynis conſtitutum eſt, pro-

**** ximo

ximo deinceps libro quinto aptiſſimè traditur doctrina de martyribus tanquam verè orphanis, & omni ope humana priuatis, & quibus omnibus modis etiam periculo mortis impendēte, ſuccurrendum eſt. Ac quia nihil prodeſſet martyrem fieri, mortem pro Chriſto ſubeundo, niſi futura eſſet reſurrectio, ſicut Apoſtolus ait, ſi ſecundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui nō reſurgunt? Ob hāc cauſam de reſurrectione poſtea in eodem libro docetur, & de paſſione & morte Chriſti, qui eſt caput martyrum, & primitiæ reſurgentiū; qui enim ſuſcitauit IESVM, inquit Apoſtolus, & nos cum IESV ſuſcitabit, & conſtituet vobiſcum. Ad hæc, quia martyres propter confeſſionem fidei, quam hæretici oppugnant, cruciantur, valde appoſitè poſt librum de martyribus ſequitur liber ſextus de ſchiſmatibus & hæreſibus, & de Apoſtolica prædicatione dogmatum Catholicorum. Præterea, quia oportet fidem in actionibus verſari, quòd fides, vt ait B. Iacobus, ſine operibus mortua ſit, quid aptius, magiſque appoſitum eſſe potuit, quàm poſt Conſtitutiones de recta fide contra ſchiſmata & hæreſes, de ea vita conſtituere & docere, quæ in ſtudio & vſu virtutis cernitur, & de oratione & gratiarum actione, quibus eorum fides qui fidem Chriſti perceperunt, exercetur? hæc autem in libro ſeptimo Clemens in perſona Apoſtolorum fecit. Poſtremò quia, vt ſuprà diximus, Conſtitutiones de omni diſciplina vitæ Chriſtianæ, & Eccleſiaſtici decori, ac de omni genere virtutis, quæ libris ſeptem ſuperioribus continentur, ſeu vincula quædam ſunt quibus cuſtodia Legum Eccleſiaſticarum, quæ Canones dicuntur, vincta & colligata eſt; & omne officium virtutis, omnis exercitatio pietatis, omnis Eccleſiaſticarum legum ſanctio, omnis eleemoſyna & pia atque conſtans fides, & ſanctæ preces ad dignam communionem corporis & ſanguinis Domini referuntur; huc enim ſpectat totius vitæ Chriſtianæ in hoc ſeculo finis. idcirco in libro proximo, id eſt, Octauo, eodemque extremo, Canones Eccleſiaſtici diſpoſiti & collocati ſunt, ac primum de ordinatione Epiſcopi qui eſt Princeps miniſter ſanctæ Euchariſtiæ conficiendæ, participandæ, & aliis diſtribuendæ; tum de myſtico cultu magni Sacramenti ſanctæ Euchariſtiæ, de ſacrificio inquam Miſſæ, quæ vſque in hodiernum diem vſu eccleſiaſtico, ſicut à ſanctis Apoſtolis traditum eſt, celebratur; cuius deſcriptio ſummatim ac typo quodam in hoc libro delineata eſt; qui merito numerum octauum ſortitus eſt, qui eſt ſymbolum ſæculi venturi, cuius virtutes, ſicut Apoſtolus ait, guſtauerunt qui donum cæleſte, vt idem ait, quod eſt S. Euchariſtia, dignè guſtauerunt.





Hactenus de ſerie & collocatione octo librorum Clementis. quorum exemplaria dicam vnde nacti ſimus, & quot. nam hoc etiam nonnulli fortaſſe neque vanè, nec inutiliter ſcire deſiderabunt; & ego cùm dixero, hac grata memoria gratiam ei referre videbor, per quem duo ex eis nactus ſum. is eſt D. Antonius Auguſtinus Ill^mus. & R^mus. Archiepiſcopus Tarracon. vir omnibus virtutibus & doctrinis ornatiſſimus, & in Eccleſiaſticis & Ciuilibus legibus eruditiſſimus, qui mihi ex Sicilia vnum attulit vetus quidem illud, ſed non ſatis benè ſcriptum; alterum multo vetuſtius & emendatius ex Creta aduectum non paruo pretio liberaliter emit, & mihi ad vtendum liberalius commodauit; in hunc enim vſum emerat. tertium ſatis quidem antiquum, & rectè ſcriptū, ſed libro octauo inchoato & imperfecto, ipſe prius in Calabria inueneram in bibliotheca monaſterij, quod vocant πατῆρος B. Mariæ ſacri, quam incolæ νέαν ὀδηγήτριαν appellant. hoc ergo quanta potui diligentia exſcripſi, & cum aliis contuli; ſed Cretenſe vt reliquis duobus melius & Græcè edidi & Latinè tranſtuli; & vtrumque meo ſtudio & mediocri induſtria, ad vtriuſq; Eccleſiæ, Græcorum & Latinorum vtilitatem, quantum conſequi potui, ad maiorem Dei gloriā illuſtraui; cui ſit honor, laus, gloria & gratiarum actio cum filio eius, & vtriuſque ſpiritu in ſecula ſeculorum, AMEN.

# ELENCHVS DOGMATVM HÆRETICORVM, QVÆ DOCTRINA APOSTOLICA LIBRORVM CLEMENTIS ROMANI CONDEMNAT.

DOgma Lutheranorum, excommunicationem non eſſe decernendam cuiquam, niſi prius habeatur certum, eſſe à Deo excommunicatum, Apoſtolica doctrina condemnat, pag. 35. obſer. 1 pa. 48. obſer. 1.

Ad formam Apoſtolicam celebrandi Miſſam pertinere lectionem ſcripturarum, & pſalmorum verſiculos, contra Lutheranos, qui tradunt auctore Bullingero, optimam formam celebrandi Miſſam eſſe poſt prædicationem verbi, & orationem frangere panem, & poculũ diſtribuere, teſtis eſt Apoſtolica doctrina, pag. 37. obſer. 1. p. 39. obſer. 2. pag. 124. obſer. 4.

Dogma Lutheranorum, non opus eſſe facere fructus dignos pœnitentiæ, id eſt, digna pœnitẽtiæ opera ad probandum verum dolorem de peccatis commiſſis, condemnat Apoſtolica doctrina, p. 38. obſ. 1.

Quòd Confeſſioniſtæ dum nobiſcum de dogmatibus diſſentiunt, non poſſunt laudare Deum, neque venerari, teſtis eſt Apoſtolica doctrina, p. 39. obſ. 1.

Impium dogma Lutheranorum, orationem non licere numero aſtringere, condemnat, Apoſtolica doctrina, , 41. obſ. 3. p. 102. obſ. 1. p. 150. obſ. 1.

Nihil apud Deum excuſare poſſe eos Catholicos qui habitantes inter Confeſſioniſtas, ne appellentur Papiſtæ, aut ne vexentur, aut ſua amittant, & patriam relinquere cogantur, ſimulant interim, & cum illis ad eorum laicũ panem, & cœnam popularem pro Euchariſtia ingrediũtur, teſtis eſt Apoſtolica doctrina, p. 4. cap. 61. obſ. 1.

Impium dogma Lutheranorum, vota eſſe vincula, quæ homines peccare cogãt, quódq; ſint de re impoſſibili pleriſq; & cum mandato Dei pugnare, condemnat Apoſtolica doctrina, pag. 44. obſ. 1. pag. 45. cap. 3. obſ. 1. pag. 58. obſ. 1.

Hæreticorum eſſe omnibus concedere nuptias, & falſum, quod tradunt Lutherani, & Philippo auctore, prohibere Pontifices coniugium iis qui ſint idonei ad coniugium, & non ſint ad cœlibatum, teſtis eſt Apoſtolica doctrina, pag. 45. obſ. 2. p. 58. obſ. 2. p. 93. obſ. 1. p. 144. obſ. 1.

Falſum dogma Lutheranorum, vnicuique ſacerdoti datam eſſe poteſtatem abſoluendi quemcumque peccatorem ab omni pœna ſimul & culpa, & nullas eſſe indulgentias in eccleſia, condemnat Apoſtolica doctrina, p. 49. obſ. 2.

Mendacium Proteſtantiũ, qui fingũt offerre nos Miſſas martyribus, & aliis ſanctis, coarguit Apoſtolica doctrina, p. 93, ob. 1. p. 135, ob. 6.

Impium dogma Lutheranorum de iuſtitia imputatiua, Apoſtolica doctrina vſu verbi imputandi redarguit, p. 50. obſ. 2.

Dogma Lutheranorum, non eſſe adhibendam vnctionem ex oleo benedicto ad baptiſmum tanquam inanem & ridiculam cærimoniam, neque chriſma poſt baptiſmum, impium eſſe cõuincit auctoritas Apoſtolicæ doctrinæ, p. 51, cap. 16, obſ. 1. p. 100, obſ. 1. pag. 108, obſ. 1.

Dogma Caluini, inter circumciſionẽ, & baptiſmum in myſterio interiore nihil diſcriminis eſſe, impium eſſe conuincit auctoritas Apoſtolicæ doctrinæ, p. 52, obſer. 2. p. 111, obſ. 1.

Accuſationem Græcorum, qui Eccleſiam Latinam reprehẽdũt, quòd in ea presbyteris prohibeatur chriſmate vngere baptizatos, grauiſſima auctoritate depellit Apoſtolica doctrina, p. 52. obſ. 4.

Quod Lutherani in monachos obiiciunt, otium eſſe dictitantes eorum ſtudium, & vitæ genus, falſo, & impiè hoc dici ex Apoſtolica doctrina licet intelligere, pag. 54, obſ. 1.

Dogma hæreticorum de non adorandis imaginibus quaſi eas adorare idolatria ſit, coarguit mendacij Apoſtolica doctrina, pag. 55, obſer. 1. p. 67, obſ. 1. p. 148, ob. 2.

Confeſſioniſtas, qui pauperes ſoluunt lege ieiunij, & diuites docent, ſatis ieiunare, ſi non indulgeant crapulæ, & ſuccurrant neceſſitati pauperum, condemnat Apoſtolica doctrina, p. 59, ob. 1.

Caluinum & alios hæreticos, qui tradunt, quod Dominus in Euangelio illi adoleſcenti dixit, Si vis adhuc perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me, non poſſe referri ad ſtatum vitæ monaſticæ, Apoſtolica doctrina, interpres illius loci Euangelij, conuincit errare, p. 59, ob. 2.

Calumniam Confeſſioniſtarum, qui tradunt nos noſtra opera virtutes, & merita addere Chriſto, quaſi menſura iuſtitiæ, & pretium ſalutis noſtræ illis expleatur, nobisq; indigeat Chriſtus, redarguit Apoſt. doct. pag. 61, obſ. 2.

Non eſſe colendos ſanctos, impium dogma Proteſtantium, condemnat Apoſt doct. p. 65, ob. 1. p. 150, ob. 3.

Lutheranos, & alios hæreticos liberum arbitrium negantes, de mendacio arguit Apoſtolica doctrina, pag. 67, ob. 2.

Quod magiſtri Proteſtantium tradunt, ieiunia non alligare conſcientiam ad certum tempus, nec eſſe in eis delectum ciborum, ſed abſtinentiam à cibo, Apoſtolica doctrina condemnat, pag. 71, obſer. 1. ibidem cap. 18. obſer. 1. pag. 76, obſer. 3. 4. 5. pag. 79, ob. 1. p. 80, ob. 1. p. 86, obſ. 2. pa. 99, ob. 1.

Qui tradunt ſola fide hominem iuſtificari, iidem dicunt, per ſolam fidem apprehendi miſericordiam Dei, vt Philippus, & ſectatores eius, ſed hos Apoſtolica doctrina mentiri auctoritate ſua conuincit, p. 69. ob. 1.

Quod aiunt Confeſſioniſtæ execrari ſe, quòd Papa omnes Principes, Reges, ac monarchas Chriſtianos ſibi ſubiecerit, non in Papam, ſed in Chriſtum blaſphemiam eſſe, qui monarchiam Papæ in Petro Principe Apoſtolorum elegit, teſtatur Apoſtolica doctrina, p. 73, ob. 1.

Nihil excuſare poſſe Confeſſioniſtas quòd per ſchiſma ſe à nobis abſtraxerunt vnum & idem in dogmatibus fidei ſemper ſentientibus, vt excuſare fruſtra nituntur, teſtis eſt Apoſtolica doctrina, p. 75, obſ. 1. pag. 76, ob. 1. p. 98. ob. 1.

Quare Proteſtantes ſiue Confeſſioniſtæ ſubuerſi ſint, & proprio iudicio condemnati, ſicut Apoſt. de omnibus hæreticis ait, declarat Apoſtolica doctrina, p. 77, ob. 1.

Auctores centuriarum, qui canonem Apoſtolorum, quo laici ſuffocato veſcentes excommunicantur, improbant, & negant, quia veſci ſuffocato leue eſſe dicunt, Apoſtolica doctrina conuincit non intellexiſſe eos cur hoc ab Apoſtolis prohiberetur, p. 82, obſ. 2.

Dogma Proteſtantium, non eſſe vnum Epiſcopum vniuerſalem in terra, Apoſtolica doctrina redarguit, p. 85, ob. 1.

Anabaptiſtas, qui negant prodeſſe paruulis baptiſmum, refellit Apoſtolica doctrina, p. 84, ob. 1.

Quomodo Confeſſioniſtæ blaſphemi ſint in ſpiritum ſanctum, ex Apoſtolica doctrina licet intelligere, & demonſtrare, pag. 85, obſ. 1.

Legem decalogi eſſe vtilem, & neceſſariã tum ante iuſtificationem tum poſt, contra quam Lutherus docuit in libro Saxonicæ Eccleſiæ, & contra Antinomos, Apoſtolica doctrina teſtatur, p. 86. ob. 1.

Iuſtitiam operum ex fide, & dilectione pertinere ad Euangelium, contra dogma Confeſſioniſtarum, ex Apoſtolica doctrina demonſtratur, pag. 86, obſ. 1. ibidem, cap. 20. obſer. 1.

Quæ ſit lex libertatis, & cur dicatur, quod Lutherus ignorauit, Apoſtolica doctrina docet, pag. 86, cap. 20. ob. 2. p. 88. obſ. 1.

Impium dogma Confeſſioniſtarum, legem diligendi Deum ex toto corde, & ex totis viribus, impleri non poſſe, & non ad Euangelium, ſed ad legem veterem pertinere, Apoſtolica doctrina condemnat, p. 87, obſeru. 4. p. 88. ob. 1.

Dogma Confeſſioniſtarum, qui docent ſic legem ab Euangelio diſcernere, ut omnia opera legis in Euangelio à iuſtitia excludantur, falſum eſſe teſtatur Apoſtolica doctrina, p. 88, obſ. 2. p. 89. ob. 1. p. 111. ob. 2.

Dogma Proteſtantium, non eſſe purgatorium poſt hanc vitam, & Miſſam non offerri pro mortuis, Apoſtolica doctrina falſum eſſe teſtatur, pag 93, cap. 29, obſ. 2. p. 94. ob. 3. p. 153, ob. 1.

Impium dogma Lutheranorum de non venerandis reliquiis ſanctorum, & quòd eas honorare ad idolorum cultum pertineat, Apoſtolica doctrina de impietate condemnat, p. 94, obſ. 4.

Eccleſiam Chriſti non eſſe apud Proteſtantes, ſiue Confeſſioniſtas ex multiplici vnitate matrimonij ſecundum carnem, quod eſt ſacramentum magnum in Chriſto, & in Eccleſia ſecundum Apoſtolum, demonſtratur, pag. 96. obſer. 1.

Quòd Eccleſiæ Saxonicæ gloriantur in confeſſione doctrinæ ſuæ bona monaſteriorum ad conſtituendas ſcholas, & adiuuanda hoſpitalia tranſtuliſſe, ſacrilegè, nefariè, & impiè factum eſſe Apoſt. doct. teſtatur, p. 96, ob. 2.

Centuriatores Proteſtantium, qui vitam communem, quam religioſi colunt, reprehendunt, Apoſtolica doctrina redarguit, p. 98, cap. 13, ob. 1.

Dogma Cõfeſſioniſtarum de iuſtificatione per fidem apprehendentem promiſſionem reconciliationis Dei, falſum eſſe teſtatur Apoſtolica doctrina, p. 106, ob. 3. p. 119, ob. 3. p. 127, ob. 2.

Dogma Arrij, quòd filius Dei patris miniſtraſſet in creatione mundi, & quòd ad hoc eſſet factus; item dogma Eunomij, quòd energia Dei diſtincta eſſet à natura eius, ita vt energia, id eſt, virtus operandi media eſſet inter Deum operantem, & opus; vtrumque redarguit Apoſtolica doctrina, p. 108. obſ. 1.

Dogma Proteſtantium dies feſtos non eſſe ſeruandos, niſi propter ordinem politicum, & pacem impium eſſe, & hereticum, teſtis eſt Apoſtolica doctrina, pag. 108. cap. 37. obſ. 1. p. 150. obſ. 3.

Arrianos, qui illud in Prouerb. Dominus creauit me initium viarum ſuarum, de filio Dei tanquam creatura eſſet, hæreticè interpretabantur, Apoſt. doctr. confutat, p. 109. ob. 2.

Hæreſim Pauli Samoſatenſis Chriſtum hominem tantùm dicentis, & Neſtorij Chriſtum in duas perſonas diuidentis, item Theodori Mopſueſtiæ duas naturas in Chriſto ſola habitudine, & gratia inter ſe aptatas, & conglutinatas ponentis, & Eutychetis carnem Chriſti noſtræ eſſe homouſiõ negantis, poſtremò Arrij, & Apollinaris carnem Chriſti anima caruiſſe dicentium, Apoſtolica doctrina refellit, p. 109, ob. 3.

Proteſtantes, & Confeſſioniſtas omnes, qui cærimonias baptiſmi repudiarunt, Apoſtolica doctrina cõdemnat, p. 113, ob. 1. p. 114, ob. 1. p. 115, ob. 2.

Non tenere Proteſtantes confeſſionem fidei, quamuis omnes partes ſymboli catholici credant, teſtis eſt Apoſtolica doctrina, p. 114, ob. 2.

Dogma eorum qui aiebant non fuiſſe in Chriſto naturam paſſionum, & neceſſitatem naturalem patiendi, quæ infirmæ carnis erant, ac proinde non fuiſſe carnem eius corruptibilem, unde ἀφθαρτοδοκῆται dicti ſunt, Apoſtolica doctrina condemnat, p. 115, ob. 1.

Beatum Petrum fuiſſe à Deo ordinatum & conſtitutum Epiſcopum Romæ, id eſt, totius orbis, contra Proteſtantes, & non ſemper totis 25. annis Romæ fuiſſe, Apoſtolica doctrina docet, p. 116, ob. 1. & 2. p. 121, ob. 1.

Traditam eſſe eccleſiæ doctrinam Catholicam per ſucceſſionem Apoſtolorum, teſtimonium tribuit Apoſtolica doctrina contra Proteſtantes, & omnes Confeſſioniſtas, qui hoc negant, p. 117. ob. 3.

Falſum eſſe, quod Illyricus, & centuriatores fingunt à Catholicis dici, fidem eſſe ſolam notitiam ſymboli, & ſolum aſſenſum verbi, teſtis eſt Apoſtolica doctr. p. 119. ob. 3.

Dogma Proteſtantium, malos ſacerdotes deſinere eſſe ſacerdotes, nec habere deinceps poteſtatem ſacerdotalem, teſtatur Apoſtolica doctrina falſum eſſe, p. 120, ob. 1.

Fuiſſe beatum Petrum primum non honore ordinis tantùm, ſed etiam poteſtate, contra Illyricum, & eius condiſcipulos Confeſſioniſtas, teſtatur Apoſtolica doctrina, pa. 121. obſ. 1.

Dogma profanum Confeſſioniſtarum tradentium legitimam ordinationem miniſtrorum pertinere ad ſuperintendentes, & ad ſuffragia magiſtratus, atque ad conſenſum populi, Apoſtolica doctrina & conſtitutio redarguit, p. 121, obſ. 2.

Impoſitionem manuum Epiſcoporum cum impoſitione libri Euangeliorum aperti ſuper caput eius, qui ordinatur Epiſcopus, defendit contra Proteſtantes, qui eam negant, Apoſtolica doctrina, p. 122. ob. 4.

Canones Apoſtolorum diuinas eſſe Eccleſiæ leges, teſtis eſt Apoſtolica doctrina, contra Lutheranos, qui negant, p. 123, obſ. 1.

Non habere Proteſtantes vllos Eccleſiæ miniſtros, nec illa ſacramenta, quæ neceſſariò à miniſtris Eccleſiæ adminiſtranda ſint, teſtatur Apoſtolica doctrina, p. 123. obſ. 2.

Dogma Confeſſioniſtarum eſſe Miſſam humanum inuentum, & nihil in ea eſſe diuinum præter verba conſecrationis, impium eſſe, & nefarium, teſtatur Apoſtolica doctrina, p. 124, obſ. 4. p. 127, cap. 10. ob. 1. p. 129. obſ. 2. p. 141. obſ. 2.

Non obtuliſſe Melchiſedec panẽ & vinum Abrahæ in Dei cultum, & typum oblationis Chriſti in ſpecie panis & vini, quod Lutherani tradunt, Apoſtolica doctrina falſum eſſe teſtatur, p. 131, ob. 4.

Canonẽ Miſſæ contra Illyricũ & alios Cõfeſſioniſtas Apoſt. doct. defendit à praua intelligẽtia, & mendacio iſtorum, p. 132, ob. 5. p. 133, & 134, & 135.

Contra dogma Proteſtantium orandum eſſe pro piè defunctis, teſtis eſt Apoſtolica doctrina, p. 136. obſ. 1.

Quòd Caluinus, & Confeſſioniſtæ tradunt nouitium eſſe inſtitutum vitæ monaſticæ, Apoſtolica doctrina teſtatur, nefarium, & impium mendacium eſſe, pag. 136, obſ. 2.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Dogma Confeſſioniſtarum ſolam ſumptionem Euchariſtiæ inſtitutam eſſe, et Miſſam, his verbis, Hoc facite in meã commemorationem. de oblatione autem, & repoſitione, nullam ſyllabam eſſe, vt ait Philippus, Apoſtolica doctrina teſtatur hæreticum eſſe, & impium, pag. 138, obſ. 5. pa. 147, ob. 1.

Confeſſioniſtas non plenè credere Chriſtum cruentè immolatum eſſe in cruce pro peccatis noſtris, quia non credunt incruentè nunc immolari pro eiſdem in altari, docet Apoſtolica doctrina, p. 140. obſ. 1.

Caſſas, & inanes eſſe vocationes miniſtrorum apud Proteſtantes, teſtimonium Apoſtolicæ doctrinæ, pa. 142, obſ. 2. p. 143, cap. 23. ob. 1.

Dogma Confeſſioniſtarum non omnes eſſe idoneos ad cælibatum, & ſi velint eſſe cælibes, falſum eſſe, & impium teſtatur Apoſtolica doctrina, pag. 144. obſ. 1. ibidem cap. 25. obſ. 1.

Dogma Proteſtantium votum continentiæ non poſſe ſuſcipi, neque ſi ſuſcipiatur, debere exigi, quia ſit vehementior impetus libidinis, quàm vt ferri poſſit, Apoſtolica doctrina teſtatur, & mendoſum eſſe & nefarium, p. 144. cap. 25, ob. 1.

Dogma Proteſtantium benedictionem aquæ, & benedictionem olei ad depulſionem morbi, & fugam dæmonum ſuperſtitioſas eſſe, vnde Magicas vocant, nefarium eſſe teſtis eſt Apoſtolica doctrina, p. 146, ob. 2.

Impium eſſe dogma Proteſtantium, quòd nulla peccata poſt hanc vitam remittantur, vnde nec orandum ſit pro defunctis, teſtis eſt Apoſtolica doctrina, p. 154, ob. 2.

Non differri vſque ad diem iudicij iuſtis, & ſanctis aſpectum Dei, & gloriæ eius fruitionem, contra Græcorum recentiorum errorem, teſtimonium Apoſtolicæ doctrinæ, p. 155. ob. 2.

Euangelium afferre promiſſionem remiſſionis peccatorum, & ſolam fidem ſine condicione obedientiæ mandatorum, eſſéque hoc diſcrimen legis, & Euangelij, quod tradit Lucas Loſſius in quarta parte ſui catechiſmi, redarguitur auctoritate Apoſtolicæ doctrinæ, p. 1, obſeru. 1. & 3. p. 86. obſ. 1. ibidem cap. 20. ob. 1. p. 111. obſ. 2. p. 112. obſ. 5. p. 118. obſ. 2.

Legem decalogi non pertinere ad Euangelium, & obedientiam mandatorum fructum tantùm eſſe iuſtitiæ, & nullo modo cauſam eius, ſcilicet adiuuantem, auctoritate Apoſtolicæ doctrinæ falſum eſſe ibidem demonſtratur, p. 1, obſ. 2. p. 88, ob. 2. p. 126, cap. 9. ob. 1.

Cælibatum ſacri ordinis clericorum eſſe traditionis Apoſtolicæ contra falſum dogma Proteſtantium probatur auctoritate Apoſtolicæ doctrinæ, p. 7, ob. 1. p. 84, cap. 17, ob. 1.

Scripturas ſacras licere intelligere proprio ſpiritu, & non eſſe interpretandas ſecundum ſanctos doctores Eccleſiæ, vtrumque enim affirmat Martinus Lutherus, redarguitur auctoritate Apoſtolicæ doctrinæ, p. 8, ob. 1. & 2.

Eccleſiam non eſſe, cui non præeſt epiſcopus, cuius ſit prædicare Euangelium, teſtatur Apoſtolica doctrina contra falſum dogma Proteſtantium qui profitentur habere ſe Eccleſiam, cùm epiſcopum non habeant, p. 9, obſ. 1. p. 96, ob. 1. pa. 151, ob. 2.

Sacerdotem non abſoluere à peccatis tanquam iudicem, & non eſſe opus enumeratione peccatorum in confeſſione, quod Lutheranorum dogma eſt, conuellitur auctoritate Apoſtolicæ doctrinæ, pag. 11, obſ. 1. pag. 18, obſ. 5. p. 28, ob. 2. p. 32, ob. 4. p. 35, cap. 48, ob. 1. p. 126, ob. 1.

Pœnitentiam eſſe agnitionem, & dolorem conſcientiæ de commiſſo peccato cum certa fiducia, peccatum eſſe nobis remiſſum per Chriſtum, vt Lutherani tradunt, & nos Catholicos veram conſolationem, & vocem Euangelij delere, quia non docemus certò ſcire remitti nobis peccata, vtrumque Apoſtolica doctrina auctoritate ſua refellit, p. 11, ob. 2. p. 12, obſer. 2. p. 20, ob. 2.

Falſum dogma eſſe per fidem ſolam iuſtificari hominem ſine operibus fidei, & lucernam fidei, qua Deus cognoſcitur ſine oleo bonorum operum lucere non poſſe docet & tradit Apoſtol. doctrina contra Lutheranos, & eorum nefarium dogma, p. 11. & 12. ob. 1. p. 14, ob. 2. p. 43. obſ. 2. pag. 49, cap. 12, ob. 1. p. 56, ob. 1. p. 60. ob. 1. p. 61, ob. 2. p. 69, ob. 1. p. 78, ob. 1. p. 91, ob. 1. p. 118. ob. 1.

Dogma Lutheranorum non eſſe partem pœnitentiæ ſatiſfactionem, nec eccleſiam habere mandatum de imponendis pœnitenti pœnis, conuincitur falſum eſſe auctoritate Apoſtolicæ doctrinæ, p. 12, obſ. 3. p. 15, ob. 2. p. 19, ob. 1. p. 127, obſ. 3.

Dogma Lutheranorum nullum diſcrimen fuiſſe baptiſmi Ioannis, & baptiſmi Apoſtolorum, conuincit Apoſtolica doctrina falſum eſſe, pag. 13, ob. 1. p. 101. obſ. 2.

Dogma Lutheranorum, non licere ſacerdoti examinare, & inquirere, an pœniteat peccatorem, conuincit Apoſtolica doctrina falſum eſſe, p. 15. ob. 1.

Ieiunium quod pœnitenti imponitur ſine opinione cultus eſſe, hæreticum dogma eſt, quod redarguit Apoſtolica doctrina, p. 15, ob. 2.

Satisfactiones, vt ieiunia, preces, peregrinationes, & ſimilia, quæ imponuntur lapſis, impias eſſe, & non pertinere ad pœnitentiam, ſed potius obſcurare gloriã Chriſti, hæreticum Lutheranorum dogma eſt, quod Apoſtolica doctrina condemnat, pag. 15, obſ. 2. pa. 22. ob. 1. p. 127, ob. 3.

Eſſe excommunicationem politicum ſpectaculum, & non ſupplicium ſpirituale, & medicinam item ſpiritualem, impium dogma Lutheranorum refellit Apoſtolica doctrina, p. 17, ob. 2. p. 18, cap. 21, ob. 1. pag. 33, ob. 1. ibidem cap. 43, ob. 2 p. 35, ob. 1.

Quòd nihil dicamus catholici de fide cùm peccatores abſoluimus, vt Lutherani fingunt, teſtatur falſum eſſe Apoſtolica doctrina, pag. 18, ob. 4. p. 56, cap. 7, ob. 1.

Peccatum Proteſtantium, ſiue Confeſſioniſtarum eſſe peccatum in ſpiritum ſanctum, ex Apoſtolica doctrina colligitur, p. 21. ob. 1.

Quòd Petrum Chriſtus Papam Iudæorum tantùm, & non Gentilium conſtituerit, vt Illyricus inſanè tradit, Apoſtolica doctrina teſtatur falſum eſſe, pag. 22, ob. 2. p. 81, obſer. 1.

Bonorum eccleſiaſticorum non magiſtratus habere poteſtatem, vt ſua auctoritate in vſus hoſpitalium, ſcholarum, & pauperum diſpenſare illa poſſint, vt Cõfeſſioniſtæ tradunt, ſed epiſcopos, Apoſtolica doctrina teſtis eſt, pa. 22. ob. 3. p. 104, ob. 1.

Bona eccleſiaſtica præter ea quæ ad vſus vitæ decentes neceſſaria ſunt, qui in pauperes, & egentes, aut in alios vſus pios non collocant; eos furti, & ſacrilegij teneri Apoſtolica doctrina teſtatur, p. 23. obſ. 1. & 2.

Dogma Lutheranorum, iudicium de ſcriptura, & de dogmatibus fidei ad omnes Chriſtianos pertinere refellit Apoſtolicæ doctrinæ auctoritas, p. 24, ob. 4. p. 40, ob. 3. p. 46. ob. 1. p. 149, ob. 5.

Sacerdotes noſtros non eſſe neque haberi à nobis mediatores pro Chriſto, vt Cõfeſſioniſtæ falsò Catholicis obijciũt, Apoſt. doctr. teſtis eſt, p. 24, ob. 5.

Non eſſe ſacerdotium externum, & viſibile ex ordinatione præter ſpirituale, & inuiſibile commune omnium Chriſtianorũ ex baptiſmo, id eſt, eſſe laicos ſacerdotes eccleſiæ, & nõ eſſe ſacerdotiũ laicum aliud à ſacerdotio clericorũ ex ordinatione, vt Lutherani tradunt, vtrũq; falſum & impium eſſe teſtis eſt Apoſt. doct. p. 24, obſ. 7. p. 25, ob. 10. p. 28, cap. 34, ob. 1. p. 48, obſ. 2. p. 49, obſ. 1. p. 51. ob. 1. p. 53, ob. 1. p. 75, ca. 2. ob. 1. p. 104, c. 32, ob. 1. p. 120. ob. 1. p. 152, cap. 37, ob. 1. p. 157, ob. 4.

Dogma Caluini, non eſſe corpus verum in Euchariſtia, & dogma Confeſſioniſtarum, gratiarum actionem tantùm eſſe in Miſſa ſacrificium, & non offerri ſanctã Euchariſtiam, Apoſtolica doctrina condemnat, pag. 24. ob. 9. p. 40, ob. 5. p. 41, obſ. 2. p. 41, ob. 4. p. 46, cap. 6, ob. 1. p. 71. obſ. 2. p. 90, ob. 3. p. 94, ob. 3. p. 102, cap. 26, ob. 1. p. 103. ob. 2. ibid. p. 103. obſ. 3. ibid. cap. 27. ob. 1. & in eod. cap. committite presbyteris veſtris, vt Euchariſtiam offerãt, p. 104, cap. 31, ob. 1. p. 109, ob. 4. p. 123, ob. 3. p. 137. ob. 4.

Poſſe laicos eſſe miniſtros eccleſiæ, quod Lutherani profitentur, Apoſtolica doctrina refellit, pag. 25, obſ. 1, & 2. cap. 6. obſ. 2.

Impios eſſe Lutheranos, qui epiſcopos Catholicorum contumelijs onerant, & non habere eos ex quibus dogmata recta diſcant, quamdiu epiſcopos noſtros non recipiunt, teſtatur Apoſtolica doctrina, p. 27, obſ. 1, & 2.

Chriſtum abrogaſſe baptiſmũ aquæ, Illyrici inſani dogma, conuellit Apoſtolica doctrina, p. 27, obſ. 3.

Sacerdotes Catholicorum derogare virtuti paſſionis Chriſti, & operi ſuo attribuere ſanctificationem, & remiſſionem peccatorum, cùm ſanctificant, & peccata remittunt, quod Lutherani fingunt, conuincit falſum eſſe Apoſtolica doctrina, p. 28, ob. 1, 29. obſer. 1. p. 139, obſ. 1.

Dogma Lutheranorum poteſtatem quam habent ſacerdotes in remittendis peccatis, non eſſe iudicialem, & ideo non habere eos poteſtatem cognoſcendi delicta, vtrumque falſum eſſe conuincit Apoſtolica doctrina, pag. 28, obſ. ſecunda.

Omnes cultus Dei voluntarios ſine Dei verbo eſſe Deo odioſos, & vt centuriatores Lutheranorum tradunt, ad idolatriam pertinere, quod alijs etiam verbis dicunt non eſſe recipienda adiaphora cum opinione cultus, Apoſtolica doctrina apertè refellit, p. 29, c. 36. obſ. 1. p. 40. obſ. 2. p. 45. cap. 4. ob. 1. p. 57. ob. 1. 87. obſ. 3.

Habere Eccleſias loca ſacra ad orationem deſignata, non eſſe hoc alligare Deum loco, vt Confeſſioniſtæ inſanè, & impiè tradunt, conuincit planè Apoſtolica doctrina, p. 29. obſ. 2. p. 41, c. 59, obſ. 1. p. 42, ob. 1. & 2.

Dogma Lutheranorum, pœnitentiam eſſe nouam vitam, & non opus eſſe exteriore pœnitentia certo tempore, cum miniſterio ſacerdotis, refellit, & condemnat Apoſtolica doctrina, p. 31, ob. 1. & ibidem cap. 39. ob. 1. ibidem cap. 41. ob. 1. p. 38, ob. 1. & 2.

Impium dogma Proteſtantium Miſſam negantium, qui tradunt eam recenter excogitatam, condemnat Apoſtolica doctrina, p. 31, ob. 2. p. 37, ob. 1.

Falſum dogma Confeſſioniſtarum duas tantùm partes eſſe pœnitentiæ fidem & contritionem, condemnat Apoſtolica doctrina, p. 32. ob. 2. ibidem ob. 3.

Lutheranorum dogma, non iuſtificatos nos eſſe in Eccleſia, nec eſſe membra eius niſi iudicio hominum, non autem iudicio Dei, redarguit tanquam falſum Apoſtolica doctrina, p. 33. ob. 1.

Eſſe Proteſtantes de manifeſta hæreſi condemnatos, quia fidem mutarunt, teſtatur Apoſtolica doctrina. Fides enim vera ſine mutatione ſeruatur, quare fides quæ mutatur, non eſt fides. mutaſſe autem ipſi nominibus ſuis teſtantur. Vnde enim Lutherani, aut Caluiniani, aut Proteſtantes, vel Confeſſioniſtæ vocati ſunt niſi à fide Lutheri, ſiue à fide Confeſſionis Auguſtanæ, ſiue Antuerpienſis, ſiue aliarum Confeſſionum, p. 155. ob. 4.

Dogma Proteſtantium, ad magiſtratus pertinere etiam curam religionis, & eccleſiaſticæ diſciplinæ, & bona eccleſiaſtica diſpenſandi, Apoſtolica doctrina tanquam impium & nefarium condemnat, cùm poteſtates eccleſiæ eſſe dicit epiſcopos, presbyteros, & diaconos, p. 156, ob. 1.

Fuiſſe Martinum Lutherum velut vnum ex Coritis, aut alterum Oziam, teſtis eſt Apoſt. doct. p. 157. ob. 3.

Impium, & nefarium dogma eſſe negantium ſacerdotium externum, & principatum ſacerdotij rerum, & nominũ differentia contra naturam, & ſcripturam ſublata, teſtatur Apoſt. doct. p. 157. ob. 4.




BIBLIOTECA UNIV. GRANADA

# INDICES CAPITVM LIBRORVM CLEMENTIS ROMANI DE CONSTITVTIONIBVS ET DOCTRINA APOSTOLORVM.

## LIBRI PRIMI.

CAp.1. De auaritia, pag.1.
Cap.2. De non referenda contumelia, nec vlciſcēdo inimico, qui iniuriam fecit, p.2.
Cap.3. De ornatu, & peccato, inde proficiſcente, ibidem.
Cap.4. Quòd non oporteat eſſe curioſum obſeruatorem eorū qui nō rectè viuunt, ſed opus ſuum attendere, 3.
Cap.5. Qui libri ſcripturæ legendi, ibidem.
Cap.6. Quòd oporteat abſtinere à lectione omnium librorum gentilium, ibidem.
Cap.7. De muliere praua, 4.
Ca.8. De vxore viro ſubiecta, & virū diligēte, ac caſta, ib.
Cap.9. Ne mulier cum viris lauet, 5.
Cap.10. De muliere pugnace, & loquace, 6.

## LIBRI SECVNDI.

Cap.1. Quòd oporteat epiſcopum eſſe eruditum, & in ſermone exercitatum, 6.
Cap.2. Qualem eſſe oporteat epiſcopum, & reliquos clericos, ibidem.
Cap.3. Quæ ſint inquirenda in eligendo epiſcopo, 7.
Cap.4. Quòd non ſit tribuendum vnicuique viduæ, & aliquando anteponenda ſit non vidua, viduæ; & quòd viduæ voraci, temulentæ, otioſæ, non ſit largiendū, ib.
Cap.5. Quòd oportet epiſcopū nō eſſe acceptatorē perſonarum, & quòd eſſe debeat moderatus, & ſobrius, 8.
Cap.6. Quòd debeat epiſcopus non eſſe turpi lucro deditus, neq; ſpōdere pro alio, neq; aduocatus eſſe, 9.
Cap.7. Qualem oporteat eſſe eum qui baptizatus eſt, 10.
Cap.8. De eo cui calumnia adhibetur, ibidem.
Ca.9. Quòd oporteat vt ſit epiſcopus incorruptus, ibid.
Cap.10. Quòd epiſcopus, qui temere ei qui deliquit, parcit, reus efficitur, ibidem.
Cap.11. Quomodo oporteat epiſcopum iudicare eos qui deliquerunt, 11.
Cap.12. Quomodo oporteat tractare pœnitentes, ibid.
Ca.13. Quòd oporteat cauere, ne experiamur peccata, ib.
Cap.14. De iis qui dicunt, non debere recipi pœnitentē, & quòd iuſtus licet cùm iniuſto verſetur & viuat, nō tamen cum eo perit, 12.
Cap.15. Quòd oportet epiſcopum nunquam negligere peccata; neque promptum eſſe ad puniendum, 14.
Cap.16. De pœnitentia, & quis modus eius, & quomodo perficitur, ibidem.
Cap.17. Quòd oportet epiſcopum carere reprehēſione tanquam formam eorum quibus præeſt, 15.
Cap.18. Quòd oportet epiſcopum curare, vt non peccet populus, quia ipſe eſt ſpeculator, 16.
Cap.19. Quòd paſtor, qui ſe negligēter gerit cū ouibus, pœnas ſoluit, & ouis quę nō paret paſtori, punitur, 17.
Cap.20. Quomodo oporteat ſubditos obedire epiſcopis ſuis, & epiſcopos diligenti, & varia vti prouidentia erga laicos, ibidem.
Cap.21. Quòd periculum ſit, iudicium pronunciare altera parte tantùm audita, & ſupplicium decernere cōtra eum qui nondum conuictus eſt, 18.
Cap.22. Quòd magnum pœnitentiæ exemplum propoſitum eſt in Dauid, in Niniuitis, in Ezechia, & in filio eius Manaſſe, 19.
Cap.23. In eos qui peccāt per conteptū, exēplo Amō, 21.
Cap.24. Quòd Chriſtus Ieſus Dominus venit ad ſaluandos peccatores per pœnitentiam, 22.
Cap.25. De decimis, & primitiis, & oblationibus, & quomodo debeat epiſcopus vel ipſe accipere ex eis, vel aliis diſtribuere, 23.
Cap.26. In cuius imagine, & dignitate quiſque in clero à Deo poſitus, & collocatus ſit, 25.
Cap.27. Quòd horrendū ſit intrudere ſe dignitati ſacrę, vt Coritæ, vt Saul, vt Ozias fecerunt, ibidem.
Cap.28. De conuiuio, & quomodo oporteat vnūquemque honorare, 26.
Cap.29. Quanta ſit dignitas epiſcopi, ibidem.
Cap.30. Quomodo oporteat laicos obedire diaconis, 27.
Cap.31. Quòd nō oporteat quicquam facere diaconum ſine epiſcopo, ibid.
Cap.32. Quòd non oporteat diaconum præter voluntatem epiſcopi dare vlli; hoc enim facere, ad criminationem epiſcopi pertinere, ibidem.
Ca.33. Quomodo oporteat honorare ſacerdotes, & veneratione dignos habere, vt qui ſint patres ſpirituales, ib.
Cap.34. Quòd ſint ſacerdotes præſtantiores regibus, & magiſtratibus, 28.
Cap.35. De penſionibus fructuū ad alendum miniſtros eccleſiæ, & egentes ſecundum legem, & Euangeliū, ib.
Cap.36. Commemoratio decalogi, & quomodo hic iubet, 29.
Cap.37. De accuſatoribus, & calumniatoribus, & quòd oporteat iudicem non facilè credere aut non facilè nō credere, ſed accurata inquiſitione adhibita, 30.
Cap.38. Quòd oporteat delinquentes priuatim arguere, & pœnitentes recipere ſecundū conſtitutionē Dñi, ib.
Cap.39. Exempla pœnitentiæ, 31.
Cap.40. Quòd non oportet malè animatum eſſe in eum qui ſemel & iterum deliquit, ibidem.
Cap.41. Quomodo oporteat recipere pœnitentem, & qualem ſe exhibere delinquentibus; & quando ab eccleſia abſcindere, ibidem.
Cap.42. Quòd oporteat iudicem non eſſe acceptatorem perſonarum, 32.
Cap.43. Quomodo oporteat punire calumniatores, 33.
Cap.44. Quòd debeat diaconus ſubleuare onus epiſcopi, & ea quæ leuiora ſunt, corrigere, 34.
Cap.45. Quòd non conueniant Chriſtianis controuerſiæ, & concertationes, ibidem.
Cap.46. Quòd non oporteat fideles apud infideles litigare, nec aliquem ex eis vocare ad dicendum teſtimonium in Chriſtianos, ibidem.
Cap.47. Quòd oporteat ſecūda feria cauſas iudicare, 35.
Cap.48. Quòd non ſit eadem pœna irroganda in omni delicto, ſed varia pro varietate peccantis, ibidem.
Cap.49. Quales eſſe oporteat accuſatores, & teſtes, ibid.
Cap.50. Quòd contingat, vt ex prioribus peccatis, quæ quis commiſit, credatur commiſiſſe ſecunda, 36.
Cap.51. Quòd non oporteat pronunciare iudicia altera tantùm parte audita, ibidem.
Cap.52. Exemplum iuſti iudicij, & cautio gentilium in pronunciandis ſententiis, ibidem.
Cap.53. Quòd non oporteat, vt fideles habeant aduerſum ſe aliquid, 37.

Cap.54.

Cap.54. Quòd oporteat, vt epiſcopi populum de pace per diaconum admoneant, ibidem.
Cap.55. Recenſetur varia prouidentia Dei, & quemadmodum ſingulas generationes à principio ad pœnitentiam vocauit, 38.
Cap.56. Quòd voluntas Dei ſit, vt omnes homines in religione pia conſentiant ad imitationem angelorum, ibidem.
Cap.57. Deſcriptio eccleſiæ, & cleri, & quid vnuſquiſque facere debeat clericis congregatis, vel laicis in Synaxe, 39.
Cap.58. De commendaticiis litteris peregrinorum, laicorum, clericorum, epiſcoporum, & de recipiendis ſine differentia acceptionis perſonarum, 41.
Cap.59. Quòd debeat vnuſquiſque adhibere ſtudium, vt mane, & veſpere ad eccleſiam eat, ibidem.
Cap.60. Exemplum ad æmulationem inducens, vanus Gentilium, & Iudæorum ad fana & ſynagogas concurſus, 42.
Cap.61. Quòd non ſit fas anteponere diuinis ſæcularia, ibidem.
Cap.62. Quòd oporteat omnes impietates Gentilium vitare, 43.
Cap.63. Quòd otioſus non debeat comedere ex bonis fidelium, vt Petrus fuit piſcator, & reliqui Apoſtoli; Paulus autem, & Aquila artifices tabernaculorum, Iudas verò Iacobi, agricola, 43. & 44.

## LIBRI TERTII.

Cap.1. Qua ætate eligendæ ſint viduæ. p.44.
Cap.2. Quòd cauendum ſit, ne adoleſcentiores viduæ eligantur, 45.
Cap.3. Quales eſſe oporteat viduas, & quomodo eis ab epiſcopo ſubueniendum, ibid.
Cap.4. Quòd oportet vnicuique indigenti benignè facere, ibid.
Cap.5. Quòd ſtudendū ſit viduæ, vt ſit bene morata, 46.
Cap.6. Quòd non oportet mulieres docere; indecorum enim eſſe: & quales mulieres Dominum ſequebantur, ibidem.
Cap.7. Quales ſint falſæ viduæ, 47.
Cap.8. Quòd non oporteat vt vidua ab indignis accipiat, aut epiſcopus, aut alius fidelis, 48.
Cap.9. Quòd non oportet mulieres baptizare, eſſe enim impium, & à doctrina Chriſti alienum, ibid.
Cap.10. Quòd non oporteat: vt laicus vllum opus ſacerdotale faciat, vt baptiſmum, aut ſacrificium, aut manus impoſitionem, aut benedictionem, 49.
Cap.11. Quòd nulli ex clericis præterquam epiſcopo, aut presbytero permiſſum eſt facere quæ ſunt ſacerdotum: ordinare verò epiſcopo tantum conuenit, & nulli alij, ibidem.
Cap.12. Dehortatio ab inuidia, ibidem.
Cap.13. Quomodo oporteat viduas orare pro iis qui præbent quæ opus ſunt, 50.
Cap.14. Quòd non oporteat gloriari, neque vt iactet nomen ſuum, quæ eleemoſynam facit, ibid.
Cap.15. Quòd non deceat conuiciari proximo, alienū enim eſſe à Chriſtiano, maledicere: & de diaconiſſis, 51
Cap.16. De diuina celebratione myſterij ſancti baptiſmatis, ibidem.
Cap.17. Quam cauſam habeat baptiſmus in Chriſtum: & quare ſingula in eo & dicantur, & fiant, 52.
Cap.18. Qualis eſſe debeat baptizatus, 52.
Cap.19. Qualis eſſe debeat diaconus, 53.
Cap.20. Quòd à duobus, vel tribus ordinandus ſit epiſcopus, & non ab vno, ibidem.

## LIBRI QVARTI.

Cap.1. De pupillis recipiendis in locum filiorum ex miſericordia ab iis qui liberis carent, 54.
Cap.2. Quibus ſit ſubueniendum ſecundum conſtitutionem Domini, ibid.
Cap.3. De auaritia, ibidem.
Cap.4. Quali timore oporteat participare ea quæ conferuntur in eleemoſynas Domini, 55.
Cap.5. A quibus accipiendæ oblationes, & à quibus nō accipiendæ, ibidem.
Cap.6. Quòd oblationes eorum qui non ſunt digni vt offerant, non ſolum non placant Deum, ſed potius irā eius prouocant, 56.
Cap.7. Quòd melius eſt ex proprio labore præbere viduis, quamuis parua, & pauca ſint, quàm ex iis quæ ab impiis dantur, licet multa, & magna ſint: præſtat enim perire fame, quàm ab impiis accipere quæ conferunt, 56.
Cap.8. Quòd oportet vt ſacerdos populum hortetur ad largiendum pauperibus, vt ſapiens Salomon, 57.
Cap.9. Quòd ſi aliquis impius nūmos ſacerdotibus proiecerit, in ligna & carbones inſumendi ſint, & non in cibos, 57.
Cap.10. De parentibus, & filiis. ibidem.
Cap.11. De famulis, & dominis, ibidem.
Cap.12. In quibus oporteat ſubiectos eſſe poteſtatibus ſæcularibus, 58.
Cap.13. De virginibus, ibidem.

## LIBRI QVINTI.

Cap.1. Quòd iis qui propter Chriſtum ab infidelibus affliguntur, iuſtum eſt vt fideles præbeant quæ opus ſunt ſecundum conſtitutionem Domini, 58.
Cap.2. Quòd fugienda ſit falſorum fratrum conſuetudo, dum in nequitia perſeuerant, 59.
Cap.3. Quòd afflictis propter Chriſtum oportet opem ferre, quamuis adſit periculum, 60.
Cap.4. Quòd horrendum, & mortiferum ſit, negare Chriſtum; & quòd imitandus ſit Chriſtus patiendo, & imitando patientiam eius, ibidem.
Cap.5. Quòd oportet vt fidelis non ſe proiiciat in pericula propter infirmitatem ſuam, neque ſit meticuloſus propter mollitiem, ſed fugiat propter metum Dei, & cùm inciderit in ea, decertet propter coronam reſeruatam, ibidem.
Cap.6. De reſurrectione variæ demonſtrationes, & de Sibylla, & quid Stoici de Phœnice aue, 62.
Cap.7. De Iacobo fratre Domini, & Stephano protomartyre, 65.
Cap.8. De falſis martyribus, 66.
Cap.9. Moralis admonitio, quòd oporteat fugere vanos & turpes ſermones, facetias, ebrietatem, laſciuiam, mollitiem, ibidem.
Cap.10. Admonitio de fugiendo ſcelere execrabili idololatriæ, ibid.
Cap.11. Quòd non liceat cantilenam ethnicam, aut meretriciam canere, aut per idolum iurare; impium enim eſſe hoc, & cognitioni Dei inimicum, ibidem.
Cap.12. Catalogus dierum Domini feſtorum, quos obſeruare oportet; & quando ſint celebrandi, & de quadrageſima, 67.
Cap.13. De paſſione Domini, & quid in ſingulis diebus actum eſt in paſſione, & de Iuda, & quòd non interfuit cùm Dominus dedit diſcipulis myſteria, ibid

Cap.14.

Cap.14. De magna hebdomada, & quare quarta, & ſexta feria iubent ieiunare, 69.
Cap.15. Enumeratio prædictionum propheticarum de Chriſto, quas cùm Iudæi ad exitum alioqui perductas vidiſſent, tamen propter malum animum non crediderunt eſſe Chriſtum Dei, atque ita Dominum gloriȩ ad crucem damnarunt, 70.
Cap.16. Quomodo oporteat paſcha celebrare, ibidem.
Cap.17. Conſtitutio de magna hebdomada Paſchæ, 71.
Cap.18. De peruigilatione magni ſabbati, & de die reſurrectionis, ibidem.
Cap.19. Prædictiones propheticæ de Chriſto Ieſu, 72.

## LIBRI SEXTI.

Cap.1. Qui nam ſchiſma cùm feciſſent, ſupplicium nõ effugerunt, 75.
Cap.2. Quòd neque contra regnum, neque contra ſacerdotium fas ſit inſurgere, ibidem.
Cap.3. De virtute Moyſis, & de incredulitate gentis Iudæorum, & quæ miracula propter eos Deus fecerit, 76.
Cap.4. Quòd ſchiſma facit, non qui ſeparat ſe ab impiis, ſed qui ſeparat ſe à piis, ibidem.
Cap.5. Quare reiectus eſt falſo nomine vocatus Iſraël, demonſtratio ex propheticis prædictionibus, 77.
Cap.6. Quòd variarum ſectarum doctrina Deo odioſa extitit apud Iudæos, ibidem.
Cap.7. Vnde ortæ ſunt ſectæ, & quis fuit dux impietatis earum, 78.
Cap.8. Qui nam fuerunt ſucceſſores impietatis Simonis, & quas hæreſes tradere cœperunt, ibidem.
Cap.9. Quomodo Simon quibuſdam præſtigiis cùm volare voluiſſet, precibus Petri ex alto deorſum præcipitatus, fregit extremos digitos pedum, 79.
Cap.10. Quomodo hæreſes & à ſe, & à veritate diſſentiunt, 79.
Cap.11. Expoſitio Apoſtolicæ prædicationis, 80.
Cap.12. Contra confitentes, volentes alioqui iudaizare; & de decreto Apoſtolorum, 81.
Cap.13. Quomodo oporteat ſeparari ab hæreticis, 82.
Cap.14. Qui prædicarunt catholicam doctrinam, & quæ eius præcepta, 83.
Cap.15. Quòd oporteat non rebaptizare, neque ab impiis baptiſmum recipere, ibidem.
Cap.16. De libris falsò inſcriptis, 84.
Cap.17. Coniugalia præcepta de clericis, ibidem.
Cap.18. Admonitio de fugienda hæreticorum communione, 85.
Cap.19. Contra vituperantes legem, 86.
Cap.20. Quæ ſit lex naturalis: & quæ inducta, & quare fuit inducta, ibidem.
Cap.21. Quòd ſumus ſub gratia, & non ſub ſeruitute legis inductæ, qui in Chriſtum credimus, 87.
Cap.22. Quòd lex de ſacrificiis erat lex inducta, quam Chriſtus ſuſtulit, 88.
Cap.23. Quomodo impleuit legem Chriſtus: & quæ ex lege abrogauit, aut mutauit, vel tranſtulit in alia rurſus, 89.
Cap.24. Quòd voluit Dominus, vt per Romanos quoq; lex iuſtitiæ declararetur, & quòd Deus propter impietatem in Chriſtum Iudæos fecit captiuos eſſe, & tributum pendere, 90.
Cap.25. Quòd oporteat fugere ab hæreticis vt animarũ interfectoribus, 91.
Cap.26. De obſeruationibus iudaicis, & ethnicis, ibid.
Cap.27. De amore puerorum, adulterio; fornicatione, 92.
Cap.28. Quomodo oporteat vxores ſubiectas eſſe maritis ſuis, & maritos diligere vxores ſuas, 93.
Cap.29. Quòd Iudæis, & Gentilibus conſuetudo ſit obſeruare naturales purgationes, & mortuorum reliquias auerſari, ibidem.

## LIBRI SEPTIMI.

Cap.1. Quòd duæ ſint viæ, vna vitæ, quæ naturalis via eſt; altera mortis, quȩ eſt via aſcita, & inducta: & quòd illa eſt ex Deo, hæc ex prauitate ſecundum inſidias inimici, 95.
Cap.2. Morales admonitiones præceptorũ Domini conſentientes cum vetere præceptione legum diuinarum, ibidem.
Cap.3. Vetatio homicidij, adulterij, maſculæ veneris, ſcortationis, furti, 96.
Cap.4. Vetatio magiæ, interfectionis filiorum, periurij, falſi teſtimonij, 97.
Cap.5. Vetatio maledicentiæ, iræ reſidentis, moris doloſi, otioſi ſermonis, mendacij, circumuentionis, ſimulationis, ibidem.
Cap.6. Vetatio peruerſitatis, acceptionis perſonarum, irȩ, odij, inuidiæ, ibidem.
Cap.7. De diſciplina augurali, incantatione, diuinatione, concupiſcendis malis, & reliquis prohibitis, ibidem.
Cap.8. Vetatio obtrectationis, contumaciæ, ſuperbiæ, & audaciæ, ibidem.
Cap.9. De longanimitate, innocentia, manſuetudine, tolerantia, ibidem.
Cap.10. Quòd oporteat eos qui ſunt magiſtri doctrinæ Chriſti, pluris eſſe quàm parentes: illi enim præſtant, vt bene ſit; hi ſolum hoc, vt ſimus, 98.
Cap.11. Quòd non oporteat diſceſſionem facere à Chriſtianis, ſed potius pacificare diſſidentes, & iudicare iuſtè, & non accipere perſonas, ibidem.
Cap.12. De eo qui eſt duplex animo, id eſt, puſilla fide, ibidem.
Cap.13. De beneficentia, ibidem.
Cap.14. Quales ſe oporteat prȩbere dominos famulis; & quomodo oporteat famulos ſubiectos eſſe dominis, 98. & 99.
Cap.15. De hypocriſi, & ſtudio legum diuinarum, & de confeſſionibus, 99.
Cap.16. De cultu parentum, ibidem.
Cap.17. Quòd oporteat ſubditos eſſe regi, & magiſtratibus, ibidem.
Cap.18. De munda conſcientia precantium, ibidem.
Cap.19. Quòd via, quæ ex inſidiis diaboli aſcita eſt, impietate, & legum violatione plena eſt, ibidem.
Cap.20. Quòd non oporteat à pietate deflectere ſiue ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram, ibid.
Cap.21. Quòd non oporteat vllum genus cibi commodi vituperare, ſed potius cum gratiarum actione, & ordinatè ſumere, ibid.
Cap.22. Quòd non ſit veſcendum idolothytis, 100.
Cap.23. Conſtitutio Domini, quomodo ſit baptizandũ, & in cuius mortem, ibidem.
Cap.24. Quibus diebus hebdomadæ ieiunandum ſit, & quibus non; & quare, 101.
Cap.25. Quales eſſe oporteat orantes orationem Dominicam, 102.
Cap.26. Gratiarum actio pro ſancta Euchariſtia, ibid.
Cap.27. Gratiarum actio poſt ſumptionem S. Euchar. 103.
Cap 28. Gratiarum actio pro vnguenti chriſmatis myſterio, ſiue ſacramento, ibidem.
Cap.29.
Cap.29. Quòd non oporteat omnes ſine diſcrimine ad communionem admittere, 104.
Cap.30. Conſtitutio de oblationibus primitiarum, & decimarum, ibidem.
Cap 31. Quomodo oporteat congregatos diem Dominicum celebrare, ibidem.
Cap.32. Quales eſſe oporteat qui eliguntur ad miniſterium eccleſiæ, ibidem.
Cap.33. Prædictio futurorum, ibidem.
Cap.34. Oratio variam Dei prouidentiã prædicans, 105.
Cap.35. Oratio variam creationem prædicans, 106.
Cap.36. Oratio prædicans cum gratiarum actione diuinam procurationem rerum, 107.
Cap.37. Oratio commemorans incarnationem Chriſti, & variam prouidentiam de ſanctis, 108.
Cap.38. Oratio continens memoriam prouidentiæ, & enumerationem beneficiorum quæ Dei prouidentia per Chriſtum ſanctis collata ſunt, 109, & 110.
Cap.39. Oratio gratiarum actionis pro auxilio ſanctis allato, 110.
Cap.40. Quomodo oporteat catechizare catechumenos, ibidem.
Cap.41. Conſtitutio, quomodo debent catechumeni in ipſo tẽpore baptiſmi benedici, & quȩ ſint docẽdi, 113.
Cap.42. De renunciatione in diabolum, & de adſcriptione ad Chriſtum, ibidem.
Cap.43. De vnctione olei myſtici gratiarum actio, 114.
Cap.44. De myſtica aqua gratiarum actio, ibidem.
Cap.45. De myſtico chriſmate gratiarum actio, 115.
Cap.46. Oratio recenter baptizatorum, 116.
Cap.47. Quos nam Apoſtoli ordinauerunt, ibidem.
Cap.48. Oratio matutina, 117.
Cap.49. Oratio veſpertina, ibidem.
Cap.50. Oratio ad ſumendum cibum, ibidem.

## LIBRI OCTAVI.

Cap.1. Quare, & propter quos nam fiant miracula, 117.
Cap.2. De epiſcopis, & presbyteris indignis, 120.
Cap.3. Quod potiſſimum ſit, diſponi, & ordinari ea quȩ in eccleſiis fiunt, ibidem.
Cap.4. De ordinationibus, 121.
Cap.5. Imploratio in ordinatione epiſcoporum, & Miſſæ celebratio, 122.
Cap.6. Denunciatio obſecrationis pro catechumenis in celebratione diuinæ Miſſæ, 125.
Cap.7. Obſecratio pro energumenis, ibidem.
Cap.8. Obſecratio pro baptiſmum petentibus, 126.
Cap.9. Pro iis qui ſunt in pœnitentia precatio, & manus impoſitio, ibidem.
Cap.10. Denunciatio obſecrationis pro fidelibus, 127.
Cap.11. Obſecratio adhibita pro fidelibus, 128.
Cap.12. Conſtitutio Iacobi fratris Ioannis, 129.
Cap.13. Denunciatio obſecrationis pro fidelibus poſt oblationem hoſtiæ, 136.
Cap.14. Denunciatio obſecrationis, & gratiarum actionis poſt communionem, 139.
Cap.15. Imploratio poſt communionem, 140.
Cap.16. De ordinatione presbyterorum conſtitutio Ioannis, 141.
Cap.17. De ordinatione diaconorum conſtitutio Philippi, 142.
Cap.18. Imploratio in ordinatione diaconi, ibid.
Cap.19. De diaconiſſa conſtitutio Bartholomæi, 143.
Cap.20. Imploratio in ordinatione diaconiſſæ, ibidem.
Cap.21. De hypodiaconis conſtitutio Thomæ, ibidem.
Cap.22. De lectoribus conſtitutio Matthæi, ibidem.
Cap.23. De confeſſoribus conſtitutio Iacobi Alphæi, ib.
Cap.24. Eiuſdem conſtitutio de virginibus, 144.
Cap.25. Lebbæi cognomento Thaddæi conſtitutio de viduis, ibidem.
Cap.26. Idem de exorciſta, ibid.
Cap.27. A quot ordinari debeat epiſcopus, conſtitutio Simonis Cananæi, 145.
Cap.28. Eiuſdem canones de epiſcopis, presbyteris, diaconis, & reliquis clericis, ibidem.
Cap.29. De benedictione aquæ, & olei, conſtitutio Matthæi, 146.
Cap.30. Eiuſdem de primitiis, & decimis, 147.
Cap.31. Eiuſdem de reliquiis Euchariſtiæ, ibid.
Cap.32. Varij canones Pauli de iis qui accedunt ad baptiſmum, qui ſint admittendi, & qui repellendi, ibid.
Cap.33. Quibus diebus feriandum ſit famulis, 149.
Cap.34. Quibus horis, & quare in eis precandũ eſt, 150.
Cap.35. Iacobi fratris Domini conſtitutio de veſpertina oratione, 152.
Cap.36. Denunciatio obſecrationis nocturnæ poſt incenſa lumina, ibidem.
Cap.37. Nocturna gratiarum actio poſt incenſa lumina, ibidem.
Cap.38. Gratiarum actio matutina, 153.
Cap.39. Impoſitio manus matutina, ibidem.
Cap.40. Oratio actionis gratiarum pro primitiis oblatis, ibidem.
Cap.41. Denunciatio obſecrationis pro mortuis, ibid.
Cap.42. Quomodo, & quando oporteat fidelium mortuorum memorias fieri; & quòd ex eorum bonis impartiendum ſit pauperibus, 156.
Cap.43. Quòd impios mortuos nihil iuuent memoriæ, ibidem.
Cap.44. De ebriis, ibidem.
Cap.45. De recipiendis iis qui propter Chriſtum exagitantur, ibidem.
Cap.46. Quòd oporteat in quo quiſque gradu cleri locatus eſt, permanere, & ordinem ſeruare, & non rapere ad ſe quæ non ſunt impoſita. ibidem.

# APOSTOLICARVM CONSTITVTIONVM, ET CATHOLICÆ DOCTRINÆ CLEMENTIS ROMANI

liber primus, Franciſco Turriano interprete è Græco, cum eiuſdem ſcholiis, & obſeruationibus ipſius doctrinæ Catholicæ.

## LIBER PRIMVS DE LAICIS. †

*APOSTOLI, & Presbyteri omnibus, qui ex gentibus in Dominum Ieſum Chriſtum crediſtis, gratia vobis, & pax ab omnipotente Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in agnitione eius multiplicetur. Eccleſia Catholica, arbor à Deo ſata, & vinea eius electa, qui in veram Dei religionem crediſtis, qui fructum per fidem percipitis regnum eius ſempiternum, qui eius robur & ſpiritus ſancti participationem tuliſtis, per Chriſtum armati, & timorem eius toto pectore amplexi, aſperſionis pretioſi, & innocentis ſanguinis Chriſti participes, qui fiduciam accepiſtis appellandi patrem Deum omnipotentem; vos dico cohæredes, & conſortes dilecti filij eius, audite ſacram doctrinam, qui promiſſioni eius ex* [*1] *præcepto Saluatoris adhæretis: doctrinam dico ipſius vocibus glorioſis conſonam. Videte filij Dei, vt omnia ad obediendum Deo faciatis, & vt Chriſto Deo noſtro in omnibus placeatis: Si quis enim iniquitatem ſectetur, & contraria, atque eſt Dei voluntas, faciat, habebitur ille quidem à Deo tanquam gentilis, legis violator.*

*1 En Apoſtolica doctrina, quæ nouos Euangeliſtas Proteſtantiũ cõfutat, cùm tradunt, euangelium afferre promiſſionẽ remiſſionis peccatorum per ſolam fidem ſine conditione obedientiæ mandatorũ, eſſeq; hoc diſcrimen legis, & euãgelij tradit Loſſius in 4. parte ſui Catechiſmi peſtiferi: at hic Apoſtolica doctrina eos, qui Euangelio credunt, adhærere dicit promiſſioni ex mandato Chriſti, nõ dixit, adhærere promiſſioni propter mandatum, vt dicendum erat, ſi ſignificare voluiſſet, adhærendum eſſe promiſſioni, quia id Chriſtus præcepiſſet, ſcilicet promiſſioni adhærere; ſed dixit adhærere promiſſioni ex mandato; ex mandati enim obedientia pendet lex, & virtus promiſſionis: ſi vis, inquit, ad vitam ingredi, ſerua mandata. & illud in Epiſt. ad Hebr. didicit ex iis, quæ paſſus eſt obedientiã, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus cauſa ſalutis æternæ. quibus autem factus eſt cauſa ſalutis æternæ, ſcilicet obtemperantibus, illis, & non aliis ſalutem æternam promiſit. Igitur Proteſtantes extra hanc promiſſionem ſunt, quorum miniſtri, & doctores proprij tradunt, vt iterum dicam, adhærendum eſſe per fidem ſolam promiſſioni ſine conditione obedientiæ.

CAP. I. De auaritia.

*ABSTINETE igitur ab omni auaritia, & iniuſtitia; ſcriptum eſt enim in lege, Non concupiſces vxorem proximi tui, neque agrum eius, neque ſeruum eius, neque ancillam eius, neque bouem eius, neque ſubiugale eius, neque cætera proximi tui: quia omnis cupiditas horum à malo eſt. Nam qui vxorem, aut ſeruum vel ancillam proximi concupiuit, iam mente adulter, & fur eſt: & niſi pœnitentiã egerit, damnatus eſt à Domino noſtro Ieſu Chriſto, per quem gloria Deo in ſæcula ſæculorum, Amen. Ait enim in euangelio repetens ſummatim, & confirmans, ac complens decalogum legis, ſcriptum eſt, non adulterabis; ego autem dico vobis, id eſt ego (inquit) per Moyſen in lege locutus ſum, nunc verò idem* [*2] *ipſe vobis edico, quicunque aſpexerit vxorem proximi ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo; iudicatus eſt hic animo adulter, qui concupiuit. An qui bouem, aut aſinum appetiuit, non cogitat furari, & ſua facere, aut abigere? Quid verò?*

*2. En Apoſtolica doctrina, quę doctrinam Cõfeſſioniſtarũ redarguit, cùm tradunt legem decalogi nõ pertinere ad Euãgelium, non quidem quòd decalogus abrogatus ſit, hoc enim rectè negat Loſſius in ſuo Catechiſmo, quia eſt lex, naturæ hominis inſita, ſed quia, vt paulo antè dixi, dicunt Euangelium afferre promiſſionem remiſſionis peccatorum ſine vlla conditione obedientiæ perfectæ per ſolam fidem aſſentientem promiſſioni dicentis in Euangelio, qui credit in me, habet vitam æternam; vnde illud, quod Dominus dixit illi legis perito in Euangelio Lucæ, hoc fac, & viues, quod de lege decalogi dixit, perinde eſſe putat Loſſius, vt ſi dictum illi fuiſſet, ſi hoc feceris ſub lege ſcilicet Moyſis, viues: in Euangelio autem, inquit Loſſius, Dominus pronunciat nos iuſtos, & acceptos Deo per Chriſtum, etiam ſi legi non ſatis faciamus: at hic Apoſtolica doctrina teſtimonium præbet, legem decalogi non ſolùm ad legem Moyſis pertinere, ſed ad Euangelium quoque; ex quo ſit, vt quod illi legis perito à Chriſto dictum eſt tunc, hoc fac, & viues, idem vnicuique fidelium in Euangelio dictum ſit, hoc fac, & viues: id eſt, ſi hoc feceris, viues. Igitur qui hoc in Euangelio audire nolunt, quæcunque enim Euangelium loquitur, iis, qui ſunt ſub Euangelio loquitur, conſequens eſt, vt vitam non habeant, quam habere nolunt; quia obedientiam mandatorum negant ad iuſtitiam tanquam cauſam ſcilicet adiuuantem conducere, ſed fructum tantum eius eſſe concedunt.

agrum rurſus qui concupiuit, & in ea cupiditate perſeuerat, nonne malitioſè illud agit, vt fines in modum ſculpentis paulatim præcidendo, cogat dominum agri, vt paruo ſibi vendat? Audi quid de iſtis Propheta Eſaias dicat: Væ qui adiungunt domum ad domum, & agrum agro addunt, vt aliquid proximo detrahant. idcirco ſubiungit; nunquid habitabitis ſoli in terra? Audita ſunt hæc in aures Domini Sabaoth: & aliàs, maledictus, inquit, qui transfulit terminos proximi ſui, & dicet omnis populus, fiat. Vnde & Moyſes ait: Non tranſmouebis fines proximi tui, quos patres tui poſuerunt. Ob hanc igitur cauſam huiuſmodi homines terroribus, cædibus, iudiciis, damnationibus Deus inſequitur; iis verò, qui Deo obediunt, vna lex [*3] Dei ſimplex, vera & viua inſita eſt, hæc ſcilicet, quòd ab alio oderis fieri tibi, alteri ne feceris. Non vis, vt alius vxorem tuam ad ſtuprum impudicè aſpiciat, neque ipſe in vxorem proximi tui oculum improbè intendas; non vis pallium tibi furto tolli, neque tu proximo abſtuleris; non vis pulſari, non conuiciis & contumeliis affici, neque ipſe alium ſimiliter afficias.

*3. Sicut hæc lex: Quod ab alio oderis tibi fieri, alteri ne feceris; quæ eſt in libro Tobiæ c. 4. eſt vna, ſimplex, & viua, vt ait Apoſtolica doctrina; ſic etiam illa altera pars, quæ ait in Euangelio Matthæi, Quæcunq; vultis, vt vobis faciant homines, & vos facite illis; hæc enim eſt lex, & Prophetæ, id eſt, non eſt nouum hoc mandatum, ſed potiùs in Lege & Prophetis poſitum, vtpote natura omnibus anticipatum, quare qui hoc violauerit, præceptum Euangelij, & Legis, & Prophetarum, & naturæ violabit. Sic Photius Conſtant. in ſcholiis Matthæi. Quòd ſi vtraque pars huius legis naturalis viua eſt, quia ſcilicet vitam affert omnibus obtemperantibus ei, alioqui nec eſſet, neque diceretur viua. De hac enim dixit beatus Iacobus, Habetis inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras; igitur & lex decalogi, quem virtute continent hæ duæ partes, viua quoque eſt, ac proinde vitam affert obedientibus. Condemnat igitur rurſus Apoſtolica doctrina, ſicut paulò antè, Confeſſioniſtas, qui profitentur, afferre vitam euangelium per ſolam fidem aſſentientem promiſſioni ſine conditione legis viuæ decalogi implendæ.

CAP. II.
De non referẽda contumelia, nec vlciſcendo inimico, qui iniuriam fecit.

QVIN potius ſi quis tibi maledicit, tu eidem benedic: quoniam ſcriptum eſt in libro Numerorum, Qui benedixerit tibi, erit & ipſe benedictus: & qui maledixerit, erit & ipſe maledictus. Similiter in Euangelio ſcriptum eſt, benedicite maledicentibus vobis: illatas vobis iniurias ne vlciſcamini, ſed potius patiẽter tolerate. ait enim ſcriptura, Ne dicas, ſumam pœnas de inimico meo propter iniuriam, qua me affecit: quin immo patere, vt vicem tuam vlciſcatur Dominus, in eúmque animaduertat, qui tibi iniuriam facit. Rurſus enim in Euangelio ait, Diligite inimicos veſtros: benefacite iis, qui oderunt vos; orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, & eritis filij patris veſtri, qui in cælis eſt; quoniam ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos & iniuſtos; & pluit ſuper bonos, & malos. Attendamus itaque chariſſimi hæc præcepta, vt ea facientes, reperiamur filij lucis: quare ferte vos mutuo, qui ſerui Dei, eiúſque filij eſtis. Ac maritus quidem ne in vxorem ſuperbus, arrogánsue ſit, ſed potius benignus, ac facilè ei tribuens, qui ſuæ tantùm vxori placere velit, & ei honeſte blandiri, ſtudens eſſe illi ſuauis.

CAP. III.
De ornatu, & peccato inde proficiſcente.

NEQVE te ornes, vt alia quæpiam amore tui illaqueetur: ſiue enim ab ea coactus, in eam pecces, morte ſempiterna, & graui ſenſus cruciatu torqueberis; ſiue non committas ſcelus, immo eam à te repellas, negéſque ei, vel in eo ſolum peccaſti, quamuis rem non patres, quòd mulierem ornatu tuo ſic irretiſti, vt te appeteret: feciſti enim, vt tuo cultu capta, adulterium appetitu committeret: tametſi eò eſt culpa tua leuior, quod ad eam, quæ irretita eſt, non miſiſti, neque enim illam appetiſti; ei verò te ſi non dedas, miſericordiam à Deo conſequeris, qui dixit, Non mœchaberis, & non concupiſces. Quòd ſi illa, cùm te vidit, aut tibi intempeſtiuè occurrit, vulnerata eſt, & ad te miſit, tu verò, vt pius erga Deum, negaſti ei, & abſtinuiſti, neque in eam peccaſti; illa verò pulchritudine, adoleſcentia, & cultu tuo ita ſauciata eſt, vt amore tui capta ſit; tu peccati illius reus es, tanquã auctor ſcandali eius, & hæres ſupplicij. Quare precare Deum, vt nihil tibi mali propter hoc peccatum infligat: neque enim voluntati hominum obſequi, & inſeruire te oportet, vt pecces; ſed Deo potius adhærere, vt ſanctitatem vitæ colas, & requie potiaris ſempiterna. Pulchritudinem à Deo tributam ne inſuper ornes, quin potius tẽpera

eam



eam módeſtè apud homines, non capillum nutriens, immo conſcindens, ac concerpens; ne pexus †, & comatus, aut vnguentis delibutus eas mulieres ad te pelliciás, quæ ſic capi aut capere ſolent; neque veſtitu ſtudioſè exquiſito, ad decipiendum vtaris; aut † anaxyridas, vel crepidas pedibus nequiter inducas, ſed quod ſolum honeſtas, & neceſſitas poſtulant: neque aureum annulum digitis tuis induas, quòd ſint omnia meretriciæ conſuetudinis indicia; quibus quidem ſi præter honeſti rationem ſtudueris, non rectè ages. Tibi enim, qui fidelis, & homo Dei es, non licet nutrire comam, & in † vnum colligere: hæc enim luxuria eſt, & mollicies; neq; effuſam geſtare, neque diſcriminatam, neque facere, vt tumeſcat: neque eam carpendo, et formando criſpare, neque flauam reddere, quod etiam lex † Deuteronomij vetet † ſiſoem facere, aut anaxyridas. Oportet præterea non barbam radere, neque formam hominis contra naturam mutare; ait enim lex, non † radetis barbas veſtras; mulieres nanque vt deceret non eſſe barbatas, fecit earum auctor Deus; viros contra vt non deceret, idem iuſtè ſtatuit. Tu verò ſi hæc facias, vt alicui placeas, id quod eſt contra legem, execrabilis apud Deum eris, qui te ad imaginem ſuam effecit. Si ergo placere Deo volueris, abſtine iis omnibus, quæ idem odit, nihílque efficias, quod ei diſpliceat.

CAP. IIII.
Quòd non oporteat eſſe curioſum obſeruatorem eorum, qui non rectè viuunt, ſed opus ſuum attendere.

NE SIS quaſi volitans, & inambulans, ac errans in vicis, intempeſtiuus ſpectator eorum, qui turpiter viuunt, immo artem tuam, tuúmque opus attende, & ſtude, vt facias, quæ Deo probentur. Scripturas ſanctas aſsidua memoria meditare; ſcriptum eſt enim, in lege eius meditaberis die, ac nocte, deambulãs in agro, & domi ſedens, cubans, & experrectus, vt in omnibus ſis intelligens. Quòd ſi diuitiis affluas, ita vt non opus ſit tibi arte ad parandum victum, ne circumeundo vageris, neque intempeſtiuè inambules; ſed potius ſi adis ad Chriſtianos, & tuæ fidei homines, colloquere cum eis, ſermones ſalutares conferendo.

CAP. V.
Qui libri ſcripturæ legendi.

SI VERO non hoc facis, intus ſedens lege legem, libros de Regibus, Prophetas; cane pſalmos Dauid; percurre diligenter Euangelium, in quo ſunt hæc conſummata.

CAP. VI.
Quòd oporteat abſtinere à lectione omniũ librorũ gentilium.

ABSTINE ab omnibus libris gentilium: quid enim tibi cùm alienis ſermonibus, aut legibus, aut falſis prophetis, quæ quidem homines leues à fide recta detorquent; nam quid in lege Dei deſideras, vt ad illa gentilium ſcripta animum velis appellere? ſiue enim hiſtorias legere cupis, habes libros de Regibus: ſiue ſophiſtica, † id eſt, quæ argutè ad ſapientiã referũtur, & poëtica, habes Prophetas, Iob, Prouerbia; in quibus plus acuminis, quàm in omni poëſi, & ſapientia ſophiſtarum reperies, quòd is qui ſolus ſapiens eſt, illa effatus eſt: ſiue cantilenas expetis, habes Pſalmos; ſiue vetuſtas rerum origines, habes Geneſim; ſiue leges, & præcepta, habes legem Domini celebrem. Ab omnibus itaque alienis, & à diabolo excogitatis fortiter abſtine. Quin potius cùm legem legis, abſtine ab iis, quæ in ea ſunt aſcita; tametſi non ab omnibus, ſed à quibuſdam quæ ad Deuteroſim, id eſt ad ſecundam legiſlationem ſpectant: quæ tantùmmodo cauſa narrationis lege ad agnoſcendum, & laudandum Deum, qui nos talibus tantíſque vinculis liberauit. Sit tibi ante oculos propoſitum, vt cognoſcas, quid ſit lex naturalis; & quid illa aſcita, quæ ad Deuteroſim pertinent, quæque in eremo iis, qui vitulum fecerunt, data ſunt. Lex enim ea continet, quæ Dominus locutus eſt, antequam populus idola coleret; & Apim illum Ægyptium in vitulo veneraretur. Continet, inquam, decalogum. quæ verò illis vincula, poſtquam peccarunt, iniecta ſunt, caue, ne ea tibi accerſas: quippe cùm Saluator non alia de cauſa in mundum venerit, niſi vt reos ab ira reſeruata liberaret; & vt legem ac Prophetas impleret, & illa aſcita vincula



ad

ad Deuteroſin pertinentia vel ceſſare faceret, vel in alia transferret. idcirco cùm nos exhortaretur, aiebat, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tu igitur poſtquam legem cum Euangelio, & Prophetis concordantem legeris, lege etiam hiſtoriam de regnis, vt ſcire poſſis quot reges iuſti fuerunt; totidem aucti adeò fuerunt, & apud Deum æternæ vitæ promiſſio eos manſit. rurſus verò, quot Reges à Deo defecerunt, in defectione ſua iuſto Dei iudicio breui interierunt, & vita eius priuati ſunt, immortale ſupplicium pro requie ſortiti. His itaque legendis multum fide auctus, magis, ac magis in Chriſto, cuius corpus, & membrum es, extrueris. Cùm in foro deambulas, & lauare vis, vtere balneo virorum, ne, quia corpus nudum turpiter mulieribus oſtenderis, aut quod non decet viros, ſpectaueris, vel illaqueeris, vel illaquees feminas, quæ ita facilè capiuntur. caue igitur, ne animæ tuæ laqueos iniicias.

**Cap. VII.** De muliere praua.

AVDIAMVS enim, quid in † Sapientia præcipiat ſanctus ſermo: Fili ſerua ſermones meos, mea verò præcepta reconde apud te. dic, ſapientiam ſororem tuam eſſe, prudentiam verò familiarem tibi effice, vt te ab aliena, & improba muliere ſeruet, ſi te verbis ad gratiam compoſitis aggreſſa fuerit; ex feneſtra enim domus ſuæ in plateam proſpectans, quemcunque viderit ex filiis imprudentibus adoleſcentem mentis indigentem, prætereuntem per forum, per tranſitus ædium ſuarum, & loquentem in tenebris veſpertinis, cùm eſt nocturnum ſilentium, & caliginoſa nox, huic occurrit ſpecie meretricia, quæ adoleſcentem è corde euolare facit; eſt verò ipſa pennata, & luxurioſa, pedeſque eius nunquam domi quieti, nunc vagatur foris, nunc in plateis ad omnem angulum inſidiatur; deinde prehenſum adoleſcentem deoſculata eſt, & impudenti vultu ſic allocuta: Victima pacifica mihi eſt, hodie vota mea reddo; ob hanc cauſam exiui obuiam tibi; cùm tui videndi deſiderio tenerer, reperi te, funibus lectum meum tetendi; Ægyptiis tapetiis ſtraui; cubile meum croco ſparſi, & domum meam cinnamomo; veni fruamur amicitia vſque ad auroram; veni, & reuoluamur in amore. & quæ ſequuntur: quibus ſubiungit: Illum autem multa confabulatione decepit, & laqueis labiorum abripuit; ille verò ſecutus eſt illam inſtar *1 Cepphi deluſus. Et rurſus ait: Ne attendas mulierem nequam, mel enim ſtillat ex labiis meretricis, quæ ad tempus fauces tuas ſuauitate afficit, ſed poſtea felle amarius, & acutius gladio duplicem aciem habente reperies. & iterum: Sed aufuge, ne moram trahas, neque oculum tuum in eam intendas, multos enim inflicto vulnere proſtrauit, & innumerabiles occidit: quòd ſi non fugeris, ad extremum, inquit, pœnitebit te, cùm carnes tuæ detritæ erunt: & dices, quomodo diſciplinam odi, & reprehenſiones iuſtorum declinauit cor meum? non audiui vocem caſtigantis me, & cùm me doceret, aures non adhibui; parum abfuit, quin in omni malo eſſem. Sed ne teſtimonia longiùs producamus, ac ſi quæ ſunt, quæ prætermiſimus, qui ſapientes eſtis, ea, quæ commoda erunt vobis, colligendo, confirmate vos de ſcripturis ſanctis, praua omnia declinantes, vt ſancti in vita ſempiterna apud Deum reperiamini.

*1 Cepphus auis, cuius meminerunt Nicander, Aratus, & Callimachus, magnis alis, & paruo corpore: ferunt ex ſpuma marina viuere: hanc cùm piſcatores capere volunt, proiiciũt procul ſpumam, quam poſtea ſenſim attrahũt proximè, donec Cepphus paulatim cupiditate ſpumæ tractus, & illectus, in manus incidat. abiit in prouerbium, in fatuos & inconſideratos.

**Cap. VIII.** De vxore viro ſubiecta, & virũ diligẽte, ac caſta.

MVLIER verò ſubiecta ſit viro ſuo, quoniam vir caput eſt mulieris; viri autem in via iuſtitiæ incedentis caput Chriſtus; Chriſti verò caput Deus, idemque pater eius. Ergo poſt omnipotentem Deum noſtrum, eundemque patrem præſentis, & futuri ſæculi dominum, omnis animæ, atque angelorum auctorem; & poſt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium eius dilectiſſimum, cuius gloria Deo, time virum tuum mulier, & reuerere eum, ita vt ei ſoli placere velis, & vbi ei miniſtrandum eſt, voluntati eius ſatisfacias, vt maritum tuum de te ſapientia laudet; cùm per Salomonem ait, Mulierem fortem quis inueniet? huiuſmodi mulier pretioſior eſt



ſior eſt lapidibus magni pretij; Confidit ei cor viri ſui, quæ talis eſt ſpoliorum non indigebit, operatur enim viro ſuo vtilia per vniuerſam vitam, quæ nendo fecit manibus ſuis ex lana, & lino, quæ eſſent commoda ad vtendum; facta eſt inſtar nauis negotiantis congregando ei è longinquo facultates; & ſurgit de nocte, & alimenta impertit familiæ, & opera diſtribuit ancillis; contemplata eſt agrum, & emit illum, & ex fructibus manuum ſuarum poſſeſſionem ſeruit; ſuccinctis lumbis, brachia ſua firmauit; & guſtu didicit, bonum eſſe operari: non extinguitur lucerna eius tota nocte, cubitos ſuos ad vtilia extendit, & manus ſuas ſuſtinet, ac librat ad fuſum; manus item aperuit pauperi, & fructum porrexit inopi; non habet curam domeſticorum vir eius; omnes enim, qui apud eam ſunt, veſtiti ſunt duplici amictu: & fecit viro ſuo ſtragula, & ex byſſo, ac purpura indumenta: illuſtris verò eſt in portis maritus eius, cùm ſedet in concilio cum ſenioribus incolis: ſindones fecit, & vendidit Phœnicibus, & cingula Chananæis: ſplendidè, & decorè veſtiuit, & lætitiam cepit in extremis diebus; os ſuum aperuit ſapienter, & accommodatè, & ordinem adhibuit linguæ ſuæ: anguſtæ ſemitæ domus eius, cibum non ſumpſit otioſa; os ſuum aperiet ſapienter, & legitimè, leges de eleemoſynis in lingua eius: ſurrexerunt filij eius, & ditati laudauerunt eam; multæ filiæ acquiſiuerunt opes, & multæ comparauerunt potentiam, tu verò antecellis, & ſuperaſti omnes. Ne ſit in te falſa ſpecies placendi, neque vana pulchritudo mulieris; mulier enim pia benedictionem fert: ipſa verò timorem Domini laudet: Date ei de fructibus labiorum eius, & vir eius in portis laudetur. Et iterum: mulier fortis corona viro ſuo. ac rurſus: multæ mulieres ædificauere domum. Intellexiſtis quas laudes mulier pudica, & mariti ſui amans à Domino Deo ferat, quare ſi vis fidelis eſſe Domino, eidémque placere, ne comas te, vt alienis viris placeas, neque meretriculæ capillum calamiſtratum, aut veſtitum, aut calceos ad geſtandum imiteris, vt eos quiiſtis irretiuntur, ad te pellicias; hæc enim tametſi non facias ad peccandum, ſed tantummodo ad cultum, tamen ne hac quidem ratione & via futuras pœnas effugies, quæ alium coëgiſti, vt ad te appetendum alliceretur; neque cauiſti, vt neque ipſa peccato ſuccumberes, neque alij ſcandalo: quòd ſi etiam pecces teipſam dedendo, ipſa deliqueris; & animæ alterius rea fueris. Deinde cùm in vno quaſi ſemel deſpicanter peccatum commiſeris, ad alios rurſus deflectes ſine ſenſu doloris; ſicut ait ſcriptura: Cùm venerit impius in profundum peccatorum, contemnit; inſequitur verò eum dedecus, & probrum. Huiuſmodi enim mulier deinceps crudeliter ſauciata animas inſipientium illaqueat. Audiamus igitur quomodo diuina ſcriptura eas, quæ tales ſunt, notat, cùm ait: odi peius morte mulierem, quæ eſt venatio, & ſagena cordis, laquei verò manus eius. & alias: quale eſt monile aureum in naribus ſuis, talis eſt pulchritudo mulieris malitioſæ. & iterum: ſicut in ligno vermis, ſic mulier malefica viros perdit. & rurſus: præſtat habitare ſub dio in angulo, quàm cum muliere loquace, & pugnace. Ne igitur vos, quæ Chriſtianæ eſtis, tales imitemini. Si autem vis fidelis eſſe viro tuo, ſtude vt ei tantum placeas; in plateis verò caput tuum obnube, obtegendo enim caput, aſpectum curioſioribus occludes. Ne pingas faciem tuam, quam tibi Deus finxit, nihil enim in te eſt, quod ornatu indigeat, quandoquidem vniuerſa quæ Deus fabricatus eſt, pulchra nimis; impudicus verò ornatus pulchræ formæ additus artificis gratiam contumelioſè dedecorat. incede ergo deiectis oculis deorſum, atque obtecta, vt mulieres decet.

**Cap. IX.** Ne mulier cum viris lauet.

CAVE etiam in balneo indecoram cum viris lauationem, multa enim ſunt dæmonis retia. Chriſtiana femina ne cum viris lauet: etenim ſi ſe tegit, vt oculos alieno-

*alienorum virorum cum pudore vitet, quomodo huiuſmodi mulier cum viris in balneas ingredietur? Si verò fuerit balneum muliebre, lauet modeſtè, verecundè, & moderatè; non autem ſuperuacuè, neque nimis, neque ſæpius, neque meridie: immò ſi fieri poteſt, neque quotidie: Sit verò conſtitutum tempus tempeſtiuæ lauationis hora *1 decima; oportet enim te, quæ fidelis es, omnibus modis, ac ſemper multorum oculorum curioſitatem vitare.*

*1 Quia hora decima erat tempus accumbendi menſis, erat tūc per vias infrequentia.

CAP. X. De muliere pugnace, & loquace.

NOLI *autem, quæ fidelis es, pugnax eſſe contra vllum, præſertim contra virum tuum, ne vir tuus ſi infidelis ſit vel gentilis, ſcandalum paſſus tua cauſſa, in Deum ſit blaſphemus, & tu apud Deum illud væ ſortita reperiaris: Væ enim, inquit, ei, per quem nomen meum blaſphematur in gentibus. Si autem maritus tuus fidelis eſt, cogetur, vt qui ſcripturas ſciat, dicere verbum, quod in ſapientia Domini ſcriptum eſt, melius eſt habitare in ſolitudine, quàm cum loquace, & pugnace muliere. Vos igitur mulieres pudore, & lenitate religionem Dei, & in eum pietatem declarate iis etiam omnibus, qui foris ſunt, tum viris, tum feminis, vt ſic eos ad fidem traducatis, & excitetis. Quòd ſi vos ſorores, & filiæ ac membra noſtra breui admonitione hactenus erudiuimus, ipſæ etiam vt ſapientes perſeuerate ſine probro vitæ; & ſtudete diſciplinas noſſe; quibus ad regnum Domini noſtri eidem placendo appropinquare, & in eo requieſcere poſſitis.*

# LIBER SECVNDVS.

## De Epiſcopis, presbyteris, & diaconis.

CAP. I. Quòd oporteat epiſcopum eſſe eruditum, & in ſermone exercitatum.

DE EPISCOPIS *verò ex Domino noſtro audiuimus, oportere eum, qui paſtor eſt, & epiſcopus in eccleſiis totius parœciæ conſtitutus, alienum eſſe à crimine, & reprehenſione, quem nulla humanæ iniuſtitiæ macula attigerit; non minorem natu quàm annorum quinquaginta, quòd ea ætas quodammodo iam iuueniles petulantias, & eorum, qui foris ſunt, obtrectationes effugerit contra quorundam falſorum fratrum vituperationes, quas multis inferunt, dum ignorant quod Dominus in euangelio dixit, qui loquitur verbum otioſum, reddet de eo rationem Domino in die iudicij: et rurſus ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Sit igitur eruditus, vſu ſermonis exercitatus, ætate † inclinante. Sin verò in parua quapiam parœcia ætate prouectus non reperiatur, & ſit aliquis, cum quo qui verſati ſunt, teſtimonium dederint, dignum eſſe qui fiat epiſcopus, qui in adoleſcentia, manſuetè, & compoſitè viuendo, ſenilem ætatē planè oſtendat, ſi talium teſtimonio probatur, quod in pace fiat, eſto epiſcopus. Etenim Salomon annos natus xij. Rex Iſraël fuit: Item Ioſias iuſtè regnauit, cùm eſſet viij. annorum: & Ioab ſeptimum annum agens populum rexit. Quare etſi iuuenis eſt, ſit tamen mitis, timens, ac tranquillus; ait enim Dominus per Eſaiam, Domine Deus, in quem aſpiciam, niſi in humilem, & quietum, & metuentem ſermones meos? ad eundem modum in euangelio, Beati, inquit, mites, quoniam ipſi poſſidebūt terram. Sit præterea etiam miſericors, quia rurſus dictum eſt; Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Ad hæc, ſit quoque pacis conciliator, quia rurſum ait, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Sit illi recta cōſcientia: ſit omnis vitij, improbitatis, & iniuſtitiæ purus; quoniam rurſus dictum eſt, Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

CAP. II. Qualem eſſe oporteat epiſcopum, & reliquos clericos.

SIT *igitur ſobrius, pudicus, modeſtus, conſtans, ſedatus, non vinolentus, non percuſſor, ſed æquus; non pugnax, non auarus, non neophytus, ne ſuperbia elatus in iudicium, & laqueum diaboli incidat: quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur.*

Talem



*Talem verò eſſe oportet epiſcopum, qui *1 vnam vxorem duxerit, quæ vni tantum nupſit: qui domui ſuæ rectè præfuerit. Sic enim probandus eſt, cùm in gradu epiſcopi per ordinationem collocatur, an ſit pudicus, fidelis, & modeſtus: an vxorem habeat pudicam, & fidelem, aut habuerit; an liberos piè educando, & monitis Domini erudiendo prouexerit: an eum metuant, & reuereantur, eidemque obediant domeſtici omnes. Etenim ſi ij quos habet ſecundum carnem ſuos, ſecum habet diſſentientes, & repugnantes, quemadmodum quos habet extra domum factos ſuos, ſe ei ſubiicient, & obedientes præbebunt?*

*1 Ecce Apoſtolica doctrina interpres loci Pauli de vnius vxoris viro contra Confeſſioniſtas eccleſiaſtici cælibatus inimicos: non enim requirit Paulus à presbytero, vt ſit vnius vxoris vir, ſicut Illyricus intellexit, qui hunc locum in cælibatum obiicit in apologia Antuerp. confeſſ. ca. 19. de cælibatu, quaſi voluerit Paulus, vt eſſet presbyter vnius vxoris vir ad vtendum ea; cùm non hoc voluerit: ſed illud potius, vt ſi vxorem haberet, aut habuiſſet, qui ordinandus eſt presbyter, aut diaconus, eſſet vna tantum, & non prius alteram habuiſſet; & ea, quam haberet, vel habuiſſet, non alteri prius nupſiſſet: quæ enim talis eſſet, non eſſet verè vna, vt quæ carnem ſuam alteri viro diuiſiſſet. quod quidem, etſi licitum ſit, non enim ſecundæ nuptiæ damnantur, immò neque tertiæ, tamen quia ſuſpicionem habet futuræ incontinentiæ coniugium iteratum, idcirco prohibetur, vt qui ordinandus eſt presbyter, aut diaconus, non duxerit plures, neque viduam, ſed vnam, id eſt, monogamum. hanc cauſſam attulit Innocentius primus in epiſt. 2. ad Victricium cap. 4. vt mulierem, inquit, viduam clericus non ducat vxorem, quia ſcriptum eſt, ſacerdos vxorem virginem accipiat, non viduam, non eiectam. Deinde ſubiungit: Vtique qui ad ſacerdotium labore ſuo, & vitæ probitate contendit, cauere debet, ne hoc præiudicio impeditus, peruenire non poſſit: præiudicium dixit futuræ ſcilicet incontinentiæ, vt idem Innocentius copioſius explicat cap. 9. cùm ait; Præterea, quod dignum, & pudicum, & honeſtum eſt, tenere eccleſia omnino debet, vt ſacerdotes, & Leuitæ cum vxoribus ſuis non miſceantur, quia miniſterij quotidiani neceſſitatibus occupantur. & quæ ſequuntur. & paulò poſt: Sed fortè licere hoc credit, quia ſcriptum eſt, vnius vxoris virum. Illyricus, & ſocij eius ſunt, qui hoc licere credunt, quibus reſpondet interpretans quod à Paulo ſcriptum eſt, vnius vxoris virum, non permanentem, inquit, in concupiſcentia generandi, ſed propter futuram continentiam. hactenus Innoc. Ad hanc continentiam futuram pertinet, quod à ſacerdotibus, & Leuitis requirit Apoſt. vt ſint ſobrij, pudici, & modeſti. idem requirit ab eorum vxoribus, de vxoribus enim eorum loquitur Paulus, cùm ibidē poſtquàm dixit de ſacerdotibus, & diaconis, ſubiungit, mulieres ſimiliter pudicas, ſobrias. vt ex hoc loco apoſtolicæ doctrinæ tanquam interprete Pauli intelligi poteſt. non enim conſentaneum eſſe videbatur, vt cùm præcepta daret de ſacerdotibus, & diaconis, quales eſſe deberent, de aliis mulieribus laicorum vxoribus ſimilia præcepta ſcriberet prætermiſſis alioqui viris laicis. Illud etiam obſeruandum eſt, quod hic à ſacerdotibus, & diaconis, & eorum vxoribus requirit apoſtolus, idem requirere à ſenibus, vt ſcilicet ſint ſobrij, & pudici; ad Tit. cap. 2. nemo verò ſanæ mentis dubitauerit, quin Paulus à ſenibus requirat, vt ab vxoribus abſtineant; turpe enim eſt, & à grauitate, & honeſtate ſenili valde alienum, rebus venereis vti. Cùm quidam ſine Deo in hoc mundo in perſona ſenum dixerit, magnam habendam ſenectuti gratiam, quæ efficeret, vt non liberet, quod non oporteret. *Cic. in Cat. Maiore.*

EXCVTIATVR *igitur, an in iis, quæ ad vſum hominum, atque vitam pertinent, omni vitio vacet; Scriptum eſt enim, inſpicite, an ſit † macula, & vitium corporis in eo, qui eligitur ad ſacerdotium. ergo ſit etiam non iracundus: ait enim ſapientia, iracundia etiam prudentes perdit. Sit deinde miſericors: non *1 ſumptuoſus in parua: ſit charitatis ſtudioſus; ait enim Dominus: In hoc cognoſcent omnes quòd mei eſtis diſcipuli, ſi diligatis inuicem. Sit promptus ad impertiēdum; beneuolus viduis, hoſpitalis, promptus ad miniſtrandum; facilis ad *2 ſubeundas vexationes: nihil habeat, in quo erubeſcat, non ignoret, quis nam dignior ſit ſubleuatione.*

CAP. III. Quæ ſint inquirenda in eligendo epiſcopo.

*1. Græcè eſt ἀβάναυσος. βάναυσος enim, inquit Ariſtot. libro 4. Ethic. eſt ille, qui in parua multa inſumit, eſtque ſplēdidus præter decorum: vt ſi quis mendicis conuiuiū magnificum, & nuptiale pararet, & comœdis purpuram de via præberet.

*2 Cùm iret Dominus ad Centurionem, vt ſeruum eius ſanaret, & iam non longè abeſſet, miſit ad eum Centurio dicens, Domine, noli vexari, ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus. μὴ σκύλλου dixit Lucas, id eſt, noli vexari; ab hoc verbo ductum eſt verbum ἄσκυλτος, quod ſignificat, facilè pati ſe vexari ad aliorum vtilitatem, qualem eſſe oporteт epiſcopum, qui non abhorreat à vexationibus, nec eas refugiat, cùm opus erit, ſed potius ad exemplum Domini patiatur ſe importunis interpellationibus vexari, ſi neceſſe ſit, ſiue adeundus ſit, ſiue vocandus, ſiue alio modo detinendus, & occupandus; denique qui pro ouibus rationalibus patiatur quod Iacob pro ouibus ratione carentibus, die noctuque inquit æſtu vrgebar, & gelu: fugiebatque ſomnus ab oculis meis. huiuſmodi ſunt, & dicuntur paſtores, & epiſcopi ἄσκυλτοι, quales Apoſtolica doctrina requirit.

ETENIM *ſi quam vidua eſt, quæ facere poſſit, vt quantum ſatis eſt, ad vſus vitæ ſibi ſuppetat, alia verò non vidua, ſed tamen egens, aut propter ægritudinem, aut quia ſint ei alendi filij, aut quia non poteſt infirmis manibus parare victum, huic potius manum porrigat: Si quis verò in iis quæ ad victum pertinent, inopia premitur, quia edax, ebrioſus, aut otio deditus ſit, hic non eſt ſubſidio dignus, immò neque dignus eccleſia Dei; de hoc enim ait ſcriptura: Piger, qui manum ſuam in ſinum abdidit, non poterit eam inde ad os referre. & rurſus: Otioſus manus ſuas complexus eſt, & carnes ſuas deuorauit: omnis enim ebrioſus, & leno inopia laborabit, & lacero veſtitu vtetur, qui ſe nimium dederit ſomno. & aliâs: Si in phialas, & pocula oculos tuos dederis, nudior piſtillo ambulabis poſtea; verè enim ex otio naſcitur fames.*

CAP. IIII. Quòd nō ſit tribuendū vnicuique viduæ, & aliquando anteponenda ſit nō vidua viduæ; & quòd viduæ voraci, temulentæ, otioſæ, nō ſit largiendum.

*Prouerb. 19. Prouerb. 26. Eccleſ. 4. Prouerb. 23.*

Cap. v.
Quòd oportet epiſcopum non eſſe acceptatorē perſonarum & quòd eſſe debeat moderatus, & ſobrius.

Ne sit *autem epiſcopus acceptator perſonarum, neq; pluſquam par eſt, diuitem reuereatur, aut ei blandiatur: neue pauperem deſpiciat, aut opprimat; non enim (inquit Dominus Moyſi) perſonam diuitis accipies: & pauperis non miſereberis in iudicio, quoniam Domini eſt iudicium. & iterum, quod iuſtum eſt, iuſtè perſequeris. Sit contentus cibo, & potu, qui ſufficiat, vt poſſit ſobrius eſſe ad monendum imperitos. Ne ſit multus in inſumendo, ne voluptuarius, ne delicatus, ne deditus eſcis ſuauibus. Sit malorum tolerans, magna patientia in monendo; multa didicerit; meditetur de libris Domini, & ſtudeat eis. Sit* [*1] *multus in lectione, vt ſcripturas accuratè interpretetur; euangelium, vt prophetis* [*2] *& legi conſonet: legem, & prophetas, vt euangelio: ait enim Dominus, ſcrutamini ſcripturas, quia ipſæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. & iterum, de me enim ſcripſit Moyſes. Ante omnia ſit epiſcopus bonus diuiſor, qui legem, et deuteroſim diſtinguat, & demonſtret quid ſit lex fidelium, & quid vincula infidelium, ne quis ſub vinculis ruat. habe igitur curam verbi epiſcope, vt poſſis omnia ſecundum verbum* † *interpretari; ac multa doctrina populum tuum copioſè nutrias, & illuſtratione legis illumines: accendite enim vobis, ait Dominus, lumen cognitionis, dum tempus eſt.* Oſeæ cap. 10.

*1 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ in Proteſtantibus, & corū miniſtris præpoſterum ſtudium ſcripturarum redarguit; nemo enim eorum eſt multus in lectione, vt accuratè, & diligēter ſcripturas ſanctas interpretetur. iſti enim ex Martino Luthero didicerūt, licere intelligere proprio ſpiritu ſcripturas ſacras, ac ſanctos doctores ſecundum ſcripturam intelligendos, & interpretandos eſſe, non autem ſcripturam ſecundum ſanctos doctores. Denique iſti ſunt, qui illud Lutheri in procemio ſuarum aſſertionum arripuerunt, & imbiberunt. Cur, enim inquit ille, non liceat hodie, aut ſolùm, aut primùm ſacris litteris ſtudere, ſicut licuit primitiuæ eccleſiæ? iſti ergo ſunt, qui quos Deus poſuit in eccleſia poſt apoſtolos, ſecundo prophetas, tertio doctores, fruſtra eſſe poſitos volunt; ſiquidem eos tollunt, dum non per eos ſcripturas ſanctas diſcere volunt, ſed eos per ſcripturas iudicare, & ex diſcipulis iudices fieri. Cùm Dominus dixerit, non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum: ſufficit, vt ſit diſcipulus ſicut magiſter eius. Primi igitur magiſtri, qui ſcripturas nobis tradiderunt, & interpretati ſunt, ſancti Apoſtoli fuerunt, qui eos potiſſimum omnia quæ opus erant, docuerunt, quibus eccleſias commiſerunt, quos ſucceſſores reliquerunt, qui illa eadem, quæ acceperunt, rurſus ſucceſſoribus ſuis tradiderunt. Vnde eam, inquit Irenæus lib. 3. cap. 3. quam habemus ab apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per ſucceſſiones epiſcoporum peruenientem vſque ad nos indicantes cōfundimus omnes eos, qui præterquam oportet, colligunt; hi enim ſunt hæretici. multa igitur quæ legere oportet, vt ſicut ait apoſtolica doctrina, ſcripturas diligenter interpretemur, ſunt illa quæ legere oportet, vt traditionem apoſtolorum percipiamus; id eſt, vt ſciamus, quemadmodum illi tradiderunt. Contrà verò negligenter, & oſcitanter interpretabimur, & facilè labi poterimus, ſi non multa legerimus, ex quibus, qui ſenſus ſcripturæ à S. apoſtolis eccleſiæ traditus ſit, cognoſcamus. hoc ipſum ſcripſit, & adhuc clarius idem Clemens in epiſt. ſua S. ſic enim ait: Obſeruandum eſt, vt lex Dei, cùm legitur, non ſecundum propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur; ſed ex ipſis ſcripturis ſenſum capere veritatis: & ideò oportet ab illo intelligentiam diſcere ſcripturarum, qui eam à maioribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruat, vt ipſe poſſit ea, quæ rectè ſuſcepit, competenter aſſerere. hæc Clemens. Sed quomodo certum habere potero, quod ex eo diſcam, qui à maioribus ſecundum veritatem ſibi traditam ſeruat? Profectò non alio modo, nec alia ratione, quàm ſi multa legum, & multorum ſanctorum diuerſæ ætatis, & variarum eccleſiarum, ac linguarum, in quibus cùm eandem ſcripturæ ſententiam de dogmatibus fidei, & doctrinæ reperero, certum habebo hunc eſſe ſcripturæ ſanctæ ſenſum à S. apoſtolis per ſucceſſiones prophetarum & doctorum nobis traditum. tunc licebit nobis ad exemplum Timothei permanere in eo, quod ad hunc modum ex ſcripturis didicimus; non enim Paulus præcepit, aut permiſit Timotheo interpretari ſcripturam ſecundum intelligentiam proprij ſpiritus; nec enim dixit ei, tu verò permane in iis, quæ per te didiciſti, aut ſecundum proprium ſpiritum inueniſti, aut excogitaſti, ſed quæ didiciſti, ſcilicet ex magiſtro, & quæ credita ſunt tibi, ab eo ſcilicet, qui tibi ea credidit fideliter ſeruanda, ſciens, inquit, à quo didiceris. nempe didicerat à Paulo, quo firmius doctrinam diſcipulus retineat, auctoritatem magiſtri, inquit Theodoretus, commendat Paulus. At Proteſtantes, & Confeſſioniſtæ, ſi quæras à quo didicerint dogmata quæ profitentur & tenent, & eum ſenſum ſcripturæ, quem prædicant, non alium ſciunt, neque dicere poſſunt, quàm Martinum Lutherum presbyterum monachum apoſtatam. Nobis ergo dixit apoſtolus quod Timotheo, vt permaneamus in iis, quæ didicimus, & credita ſunt nobis; ſcimus enim à quibus didicerimus. quia quæ ab initio audiuimus, & tradita ſunt, permanent in nobis, ſicut ait beatus Ioannes. quod vt ita eſſe demonſtremus, & hunc eſſe verum ſenſum ſcripturæ, quem prædicamus, infinitos auctores veteres diuerſarum eccleſiarum, ætatum, & linguarum ſæpe produximus, & quotidie producimus, facientes quod Apoſtolica doctrina præcipit, id eſt, multa legentes, vt accuratè ſcripturas interpretemur.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ Cōfeſſioniſtas peſſimos ſcripturæ ſanctæ interpretes redarguit, non enim interpretantur in ſuis dogmatibus euangelium, vt legi conſonet, vt Apoſtolica doctrina præcipit. vt verbi gratia, cùm ſatisfactionem vnam ex tribus pœnitentiæ partibus negant. Dominus enim dixit, non veni ſoluere legem, ſed adimplere. legem ergo decalogi Moſaici, id eſt, legem naturalem non ſuſtulit, ſed confirmauit, vt ait Apoſtolica doctrina lib. 6. ca. 23. at qui legem ſatisfaciendi ei, qui à nobis offenſus eſt, natura dictat, vt dictauit in lege Mariæ ſorori Moyſis, & Dauidi, ac Manaſſi, & ſine lege Adæ, Niniuitis, & Nabuchodonoſor. igitur Philippus non interpretatur euangelium, vt conſonet legi, cùm ait in reſp. ad art. Bauar. inquiſ. cap. 19. Adæ, Manaſſi, Nabuchodonoſor non remittitur peccatum ſine pœna, ergo & eccleſia debet nobis certas pœnas imponere: reſpondet, nego conſequentiam, & ratio eſt, quia differentia, inquit, eſt inter remiſſionem pœnæ æternæ, & pœnæ temporalis. ſententia Dei, & ſententia eccleſiæ eadem eſt de remiſſione pœnæ æternæ, Deus remittit culpam, & pœnam æternam ſimul gratis propter filium, & idem annunciat eccleſia: Sed de pœnis temporalibus eccleſia nullum habet mandatum. hactenus Philippus, qui ſatisfactionem à natura mandatam iis qui peccarent, ita cæcus fuit, vt non videret; ita expers ſenſus, vt non ſentiret. qui non audet negare punitos eſſe iſtos, quos dixit, à Deo propter peccata: & audet negare poſſe eccleſiam vice Dei irrogare pœnas peccatoribus propter peccata. Rurſus, ſi lex habebat, ſicut apoſtolus ait, vmbram futurorum bonorum in euangelio ſcilicet, & in lege erat ſummus ſacerdos Aaron, & filij eius ſacerdotes minores à laicis diſtincti, erat item præter alias victimas agnus, qui ab omnibus comedebatur, quomodo euangelium, vt legi conſonet, interpretantur, qui non relinquunt in euangelio ſummum ſacerdotem, & ſub eo ſacerdotes minores à populo diſtinctos: neque relinquunt hoſtiam incruentam, quæ verè comedatur?

Cap. vi.
Quòd debeat epiſcopus nō eſſe turpi lucro deditus, neque ſpondere pro alio, neque aduocatus eſſe.

Ne sit *verò epiſcopus turpiter quæſtuoſus, & præſertim in conſpectu gentilium, malitque ipſe incommodo affici, quàm alterum afficere; ne ſit circumuentor, ne raptor, ne defraudator, & maledicus, ne falſus teſtis, ne iracundus, ne contendendi*



*dendi cupidus, ne ſe negotiis vitæ implicet, ne pro aliis ſpondeat; ne cauſſas nummarias defendat, ne ſit cupidus præſidendi, ne duplici animo, neue duplici lingua ſit; ne delationem, aut maledicentiam auribus libenter excipiat; ne ſit ſimulator, ne in agitandos dies feſtos Gentilium aliquid conferat; ne vanis fallaciis, & præſtigiis vtatur; ne ſit appetitionibus deditus; neq; auarus, quòd ſint hæc omnia inimica Deo, & amica dæmonibus. Hæc eadem omnia epiſcopus exemplo ſuo confirmans, laicis præcipiat, inducens eos ad imitandum mores ſuos: facite enim ait reuerentes filios Iſraël.* Leuit. 15. *Sit præterea ſapiens, modeſtè de ſe ſentiens, ſtudioſus monendi de diſciplina, & præceptis Domini: Sit norma virtutis, ſit ab omnibus ſtudiis, & inſtitutis prauis vitæ huius, & ab vniuerſis Gentilium cupiditatibus alienus: Sit attentus; perſpicax ad cognoſcendum improbos, & ab eis cauendum; omnium verò amicus; iuſtus, omnia diiudicans. Denique quæcunque in hominibus pulchra ſunt, hæc in ſe epiſcopus habeat. Cùm enim extra omnem reprehenſionem paſtor erit, exemplo vitæ ſuæ ſuos diſcipulos ad facta ſua, & actiones imitandas impellet; &, vt in quodam loco ait Propheta, erit ſicut ſacerdos, ſic & populus. Dominus enim idemque magiſter noſter Ieſus Chriſtus Dei filius primùm cœpit facere, deinde docere, vt in quodam loco Lucas dicit; vnde ait: Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Vos enim epiſcopos oportet ſpeculatores populi eſſe, quòd vos quoque ſpeculatorem habeatis Chriſtum. & vos igitur eſtote boni ſpeculatores populi Dei, ait enim Dominus vnicuique noſtrum per Ezechielem: Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies ex ore meo ſermonem, & cuſtodies, & eum ex me nunciabis; ac cùm dixero peccatori, morte morieris, ſi non locutus fueris; vt abducas peccatorem à peccato ſuo, peccator ille in peccato ſuo morietur, & ſanguinem eius ex manibus tuis requiram: Tu verò ſi explicaueris peccatori de via eius, vt auertatur, & ipſe non fuerit auerſus, in peccato ſuo peribit, & tu animam tuam liberaſti. Similiter & gladius belli. Si veniat, & ſtatuat populus ſpeculatorem ad præcauendum, & videns gladium venientem, non prænunciet, & ceperit animam, anima quidem peccato ſuo capta eſt, ſanguis verò ex manu ſpeculatoris requiretur, quia non ſignificauit tuba. Sin autem ſignificet buccina; & qui audierit non caueat, & venerit gladius, & tollat eum, ſanguis eius ſuper ipſum erit, quia non cauit audita buccina; qui autem cauit, animam ſuam liberauit; & ſpeculator, quia ſignificauit, vita viuet.* [*1] *gladius quidem eſt iudicium, tuba verò ſacrum euangelium: ſpeculator autem epiſcopus, qui præeſt iudicio, & eccleſiæ, quem oportet prædicando teſtari, & affirmare de iudicio. Si enim non denunciatum, & teſtatum populo erit, peccatum ignorantium aſcribetur vobis. Quo circa eos, qui extra diſciplinam verſantur, monete, & audacter ac liberè arguite; ignaros docete, ſcientes roborate, aberrantes in viam reducite. Neque ſi eadem de eiſdem dicta inculcemus, ac repetamus, error fuerit; credibile eſt enim aliquos ſæpe audiendo pudore permotos, vel ſemel tandem aliquid boni facturos, & aliquid mali declinaturos. ait enim per Prophetam Deus: teſtificare illis hæc, fortaſſis vocē tuam audient. & rurſus, ſi fortè audiant, ſi fortè cedant. et Moyſes ad populum; ſi auditu audieris Dominū Deum, et feceris bonum, & rectum in oculis eius. & iterū: audi Iſraël, Dominus Deus tuus Dominus vnus eſt. et Dominus in euangelio ſæpe narratur dixiſſe, qui habet aures audiendi, audiat: & ſapiens Salomon: Audi (inquit) fili diſciplinam patris tui, & ne abiicias leges matris tuæ. & vſq; in hodiernum diem non audierunt; qui enim audiſſe videntur, audita neglexerunt; quippe qui vnum, & ſolum verum Deum reliquerunt, & in mortiferas, atque horrendas hæreſes præcipitati ſunt, de quibus poſtea dicemus.*

*1. Si vt Apoſtolica doct. dicit interpretās euāgelium, vt conſonet legi, & prophetis, quod erat tunc tuba ad ſonandum, id eſt, prędicādum in veteri populo, eſt nūc euangelium in eccleſia, & nouo populo; quod erat tunc gladius adminiſtrandū & feriēdum, eſt nunc iudicium, & anathema: quod erat ſpeculator, ſiue propheta, eſt nunc epiſcopus, qui præeſt eccleſiæ, & iudicio: ergo eccleſia Proteſtantium, quæ epiſcopis caret, qui ſunt tubicines, mutam habet tubam, id eſt; euangelium ſine miniſtro, qui illud prædicet: nemo

SCITO-

enim eſt legitimus verbi miniſter, ſed tyrannicus, & violentus, qui ab epiſcopo non eſt vocatus. habent præterea eccleſiam, vt ſic interim vocemus, cæcam ſine ſpeculatore, id eſt, epiſcopo, & inermem ſine gladio, id eſt, ſine iudicio anathematis, quod in noſtra eccleſia eſt, & exercetur, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini.

CAP. VII. Qualem oporteat eſſe eũ, qui baptizatus eſt.

SCITOTE verò chariſſimi, quòd qui in nomine Domini Ieſu Chriſti baptizati ſunt, non debent amplius peccare: vt enim mortui peccatum operari deſierunt, ſic Chriſto commortui non dant operam peccato. Itaque non credimus fratres, eum, qui lauacro vitæ lotus eſt, aliquid eorum facere, quæ homines ſine lege flagitioſè facere ſolent. Qui verò poſt baptiſma peccarit, niſi eum peccati pœniteat, & peccare deſinat, ad gehennam damnabitur.

CAP. VIII. De eo, cui calumnia adhibetur.

QVOD ſi quis ab infidelibus per calumniam delatus ſit, quòd non iam impurè, vt ipſi, viuat, ſciat ſe beatum eſſe apud Deum, vt Dominus noſter in euangelio ait, Beati eſtis cùm exprobrauerint vobis, & vos perſecuti fuerint, & dixerint aduerſum vos omne malum verbum, mentientes propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Si cui igitur conuicium propter mendacium fiat, beatus erit: ait enim ſcriptura, vir reprobus *1 non tentatur à Deo. Si quis verò alicuius maleficij conuictus ſit, is quidem non ſibi tantùm nocuit, ſed contumeliam vniuerſo corpori eccleſiæ, et doctrinæ intulit; quòd nõ faciamus, quæ pulchra & honeſta eſſe prædicamus; quibus quidem exprobrabit Dominus illud euangelij; dicunt, & non faciunt. Quocirca tales, poſtquam verè conuicti fuerint, liberè, ac fidenter repellet epiſcopus, niſi mores mutarint.

*1 Hoc eſt, quod B. Iacobus ait, Deus intentator malorũ eſt, & neminẽ ſcilicet malum tentat; vnuſquiſque enim eorũ, qui mali ſunt, & reprobi, tentatur nõ quidem à Deo, ſed à ſua concupiſcentia abſtractus, & illectus, vt idem ait. Qui igitur Deo probatur, idem à Deo tentatus, tentationem patienter ſubſtinet, ſicut apoſtolus ait, Omnes qui piè viuere volunt, in Chriſto perſecutiones patientur. hæc enim eſt eorum tentatio.

CAP. IX. Quòd oporteat, vt ſit epiſcopus incorruptus.

DEBET enim epiſcopus non ſolum innocens eſſe, offenſionémque vitare, ſed etiam non eſſe perſonarum acceptator, eos qui delinquunt leni animo caſtigans. Qui ſi non bene conſcius ſibi ſit, facilè is quidem in gratiã perſonæ turpi quopiam quæſtu, & munere corruptus, parcet ei, qui ſcelus commiſit, ſinens eum manere in eccleſia contra Domini ſententiam, qui ait, iuſtè perſequeris ius; non accipies perſonam in iudicio; non iuſtificabis impium, non accipies munera in anima: munera enim oculos ſapientium excæcant: & verba iuſtorum deprauant. & aliàs, auferte malum ex vobis ipſis. & Salomon in Prouerbiis, Eiice, inquit, ex concilio peſtilentem, & egredietur cum eo contentio.

CAP. X. Quòd epiſcopus, qui temerè ei, qui deliquit, parcit, reus efficitur.

QVI verò hæc non attenderit, pœnas debenti temerè ignoſcet, vt Sauli euenit in Agag rege: & Eli in filiis, qui Dominum non cognouerant. huiuſmodi autem epiſcopus tum dignitatem ſuam, tum eccleſiam Dei, eccleſiam dico ſuæ paræciæ violarit. eſt itaque hic iniquus Deo, & ſanctis hominibus vtpote auctor ſcandali multis nouis Chriſtianis, ac catechumenis, inſuper adoleſcentibus, tum maribus, tum feminis; quem manet illud væ, & illa mola aſinaria de collo pendens, & profundum illud in quo eſt, qui pœnas debet. Cùm enim eum, qui eis præeſt, talem eſſe ſentient, propter iniquitatem iudicij neglecti, eueniet, vt ſecum ambigant, & eodem vſi morbo cogantur cum eo perire, vt cum Hieroboam populus; & cum Core ſocij, & adiutores. Sin verò is, qui peccauit, epiſcopum, & diaconos eius videat crimine liberos, tùm etiam ouile mundum primum quidem non audebit ingredi per contemptum in eccleſiam, conſcientia ſua ſtimulatus; quòd ſi ea ſpreta, ingrediatur, aut continuò arguetur, & pœnas dabit, vt Ozan, cùm arcam tetigit, vt eam firmaret; & Achar, cùm furatus eſt, quod erat factũ anathema; et Giezi, cùm nummos à Naaman accepit: aut à paſtore monitus, ad pœnitentiam adducetur. Cùm enim ſingulos circumſpexerit, & in nemine maculã repererit, nec apud epiſcopum, nec apud populũ, cui ille præeſt, tunc pudore affectus ac multis cũ lacrymis pacificè egredietur dolore punctus, manebuntq; oues à cõtagione liberatæ; flebitq; ille delicta ſua,



ſua, et peccaſſe pœnitebit, atq; ita ſpem ſalutis habebit. Omnes verò oues cùm illius lachrymas viderint, admonitæ erunt, pœnitendo fieri, ne pereat peccator.

CAP. XI. Quomodo oporteat epiſcopũ iudicare eos, qui deliquerũt.

QVOcirca ſtude epiſcope, vt mundus purúſque ſis, locum tuum, dignitatemq; tuam actionibus declara, vtpote qui exemplar Dei apud homines repræſentas præſidendo omnibus hominibus, ſacerdotibus, regibus, magiſtratibus, parentibus, filiis, & pariter cunctis ſubiectis. Ac ſic quidem in eccleſia ſede ſermonem faciens, vt qui poteſtatem habeas iudicandi eos, qui peccarunt: quoniam vobis epiſcopis dictum eſt, Quodcunque ligaueritis ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælo.

CAP. XII. Quomodo oporteat tractare pœnitentes.

IVDICA *1 igitur epiſcope poteſtate fretus, tanquàm Deus, ſed pœnitentes recipe; Deus enim miſericordiæ eſt: obiurga delinquentes, mone non redeuntes ad Deum, ſtantes hortare, vt in ſtudio virtutis perſeuerent: pœnitentes admitte. quoniam Dominus Deus iureiurando promiſit dare veniam erratis pœnitentium: ait enim apud Ezechielem: Dixi eis; Viuo ego, dicit Dominus Adonai, Si voluero mortem peccatoris, ac non potius vt redeat impius à via ſua praua, & viuat: Reuertite igitur ex itineribus veſtris malis, & cur perit domus Iſraël? hoc loco ſermo Dei bonam *2 ſpem habere fecit eos, qui deliquerunt, habere inquam ſpem ſalutis, ſi eos peccaſſe pœnituerit, ne aliquando tanquam deſperantes, nequitiæ ſe dedant, ſed potius concepta ſpe ſalutis ad Deum reuerſi, ei peccata defleant, & ex animo pœnitentes eundem placatum, & beneuolum reddant; & in obliuionem peccatorum tanquam bonum patrem venire faciant.

*1. Ecce Apoſtolica doctrina, quæ catechiſmum Loſſij redarguit, cùm ait in 4. parte de pœnitentia & confeſſione, non opus eſſe enumeratione peccatorum: Nec enim; inquit, ſacerdos abſoluit pœnitentem vt iudex, qui cauſſas, & delicta prius cognoſcit, ſed vt miniſter; at hic Apoſtolica doctrina, Iudica, inquit, epiſcope poteſtate fretus tanquam Deus, ſcilicet pœnitẽtes, de his enim loquitur: quòd ſi iudicare iubet pœnitentes, iubet ergo cognoſcere cauſſas, & delicta pœnitentium. hæc enim duo etiã auctore Loſſio non ſeparantur; iudicium de pœnitentibus, & cognitio de cauſſis, & delictis eorum.

*2. Ecce rurſus Apoſtolica doctrina, quæ eundem Loſſium redarguit; cùm in eadem parte catechiſmi ſic pœnitentiam definit: Eſt agnitio & dolor conſcientiæ de commiſſo peccato cum certa fiducia peccatum eſſe nobis remiſſum à Deo gratis per Chriſtum. At hic apoſtolica doctrina non dixit; quos peccaſſe pœnituerit, certam fiduciam habere, iam eſſe conſecutos ſalutem, id eſt, remiſſa eſſe ſibi peccata, ſed ſpem ſalutis habere, id eſt, ſperare, & confidere ſe conſecuturos ſalutem, id eſt, remittenda eſſe ſibi peccata. Hæc ſpes eſt, quæ nos in pœnitentia peccatorum conſolatur. Quare falſum eſt, quod magiſtri Proteſtantium aiunt, quia nos non docemus certò ſcire remitti nobis peccata, idcirco veram conſolationem, & vocem euangelij delere. Sic enim ſcribit Philippus in reſponſ. ad art. Bau. inquiſ. 19. & hanc ait magnam cauſſam eſſe, cur ipſi lætentur, nos à ſocietate eorum abeſſe. Nos verò item magnam conſolationem ex iſta ſpe ſalutis, quam ſermo Dei pœnitentibus affert, vt Apoſtolica doctrina teſtatur, accipimus, vt propter eam ipſam ſpem ſalutis libenter pœnitentiam, & omnia opera pœnitẽtiæ digna, quamuis laborioſa, ſuſcipiamus: & nunquã nos huius pœnitentiæ pœnitet. ſicut ait Apoſtolus. quę autem triſtitia ſecundũ Deum eſt; id eſt, dolore de peccatis cõmiſſis propter Deum offenſum, pœnitentiã ſtabilẽ, ſiue quod magis verbũ Græcum declarat, ἀμεταμέλητον, id eſt, non pœnitendam in ſalutem operatur: in ſalutem dixit, quia hanc ſperat, qui pœnitentiam habet.

CAP. XIII. Quòd oporteat cauere, ne experiamur peccata.

AT VERO eos qui à peccatis abhorrent, oportet in eo ſtatu perſeuerare, & non habere vſum, & experientiam peccatorum; ne dolore, triſtitia, & fletu ad petendam veniam opus ſit eis. Quid enim ſcis homo, qui deliquiſti, àn diem in hac vita acturus ſcis, vt ſit pœnitendi poteſtas? Incertum enim eſt vitæ huius extremum: & ei, qui in delicto mortuus eſt, non erit pœnitendi facultas. ait enim Dauid; In inferno autem quis confitebitur tibi? itaque opus eſt, præſto eſſe ad virtutes, vt non dolenter iter illud ingrediamur. Quocirca monet te ſcriptura diuina per ſapientem Salomonem, cùm ait: Præpara in exitum tuum opera tua, & para te in agrum, ne quid honeſtæ actionis nobis deficiat, ſicut oleum beneficentiæ quinque euangelij virginibus propter fatuitatem defecit; quæ propter extinctas lucernas *1 cognitionis Dei ab ſponſo eiectæ ſunt. Quare extra periculum eſt, quicunque vitæ ſuæ parcit, quíque alienus à peccatis manet, vt ſuperiora rectè facta ſibi conſeruet. Tu ergo epiſcope ſic iudica vt Deus. Domini enim eſt iudicium. Itaque primùm poteſtate fretus, reum condemna; deinde cum miſericordia, ac commiſeratione, & ſuſceptione allice, *2 promiſſa ei ſalute, ſi mores mutet, & peccatorum pœniteat; † pœnitentem verò *3 caſtigando recipe, memor Domini, cùm dixit gaudium eſſe in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.

*1 En teſtimonium Apoſtolicæ doctrinæ, extinctas eſſe lucernas cognitionis Dei, id eſt, fidei, qua Deus cognoſcitur, cùm opera fidei deficiunt, quæ inſtar olei ardere, & lucere faciunt fidem. Vnde Dominus, præcipiens apoſtolis, vt cum fide opera fidei coniungerent, ne eſſet eorum fides extincta & mortua; ſed potius luceret & viueret ad Dei gloriam, aiebat: Sic luceat lux veſtra, id eſt, veſtra Dei cognitio, quæ fides Dei eſt, coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. de hoc lumine ait Dominus per Oſeam prophetam, Illuminate, ſiue accendite vobis, ſcilicet per opera bona, lumen cognitionis. de Ioanne etiam dixit, Ille erat lucerna ardens & lucens, propter actiones ſcilicet vitæ ſanctæ, quibus, vt paulò antè dixerat,

dixerat, teſtimonium perhibuit veritati, cui credebat, & quam prædicabat. Vnde ſubiungit: Vos autem noluiſtis ad horam exultare in luce eius; quia cùm de cognitione Dei alioqui gloriarentur, opera tamen quæ faciebat, & ad quæ hortabatur Ioannes, imitari noluerunt. Lucerna igitur neque lucens, nec ardens, ſed potius extincta, ac lampas ſine oleo, & chirographum ſine obſignatione, & ſigillo eſt fides ſine operibus, per quam iuſtificari hominem, & lumen iuſtitiæ à Deo dari falſò tradunt miniſtri Proteſtantium. quod non minus fatuum eſt, quàm ſi quis dicat, viuere quod mortuum eſt, aut ardere lucernam extinctam, aut chirographum ſine teſtimonio obſignationis, & ſigilli valere, aut fundamentum ædificij ſine tecto defendere à tempeſtate, aut poſſe ducem itineris ſine itinere præire. idcirco aptiſſimè vocauit euangelium virgines illas quinque fatuas, quas placet Proteſtantibus ſectari.

*2 En iterum Apoſtolica doctrina, quæ contra Confeſſioniſtas, & Proteſtantes ſpem ſalutis promittit pœnitenti, non autem ſcientiam, & certitudinem adeptæ ſalutis: iubet itaque dicere peccatori, ſi pœnitentiam egeris, promitto tibi ſalutem à Domino, & tu hanc ſpem habe. non autẽ iubet dicere, ſi te pœnitet peccatorum, certò ſcias tibi peccata remitti, alioqui non remittuntur, niſi fides tua dubitationem vincat; hoc enim poſtulat Philippus in eodem art. Reſp. cuius paulò antè memini. at quid fiet, ſi fides pœnitentis non poteſt vincere dubitationem, quæ iſti conſolatio relinquitur, cui prohibetur ne locum det ſpei? aut enim certum habere debet de remiſſione, aut deſperare, & perire. Deinde ſi apud Proteſtantes certò ſcire debent remitti ſibi peccata, ergo non eis dicit Dominus per ſacerdotem, quod paralytico, confide fili, remittuntur tibi peccata tua. aliud enim eſt certò ſcire, & certam habere fiduciam; aliud confidere ſine certitudine, immò cum dubitatione non de Deo, ſed de nobis, ne fortè non ſatis confeſſi fuerimus.

*3 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ miniſtros Proteſtantium redarguit, cùm tradunt non eſſe partem pœnitentiæ ſatisfactionem, nec eccleſiam habere mandatum de imponendis pœnitenti pœnis. At Apoſtolica doctrina pœnitentem recipere iubet caſtigando, pro quo Apoſtolica doctrina ſcientiſſimè vſa eſt vocabulo στύφειν, quod ſignificat ſtringere, & obturare; quod verbum aptiſſimum eſt ad declarandum fructum ſatisfactionis partis pœnitentiæ, eſt enim tranſlatum ab iis, quæ ſunt guſtatu acerba, quæ ſunt interdum ſalubria: ſic ſunt huiuſmodi ſatisfactiones pœnitentiales laborioſæ, quæ ad diſciplinam pertinent, ſicut Apoſtolus ait. in epiſt. ad Hebr. omnis quidem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mæroris, poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddit iuſtitiæ. eſt etiam idem verbũ tranſlatũ ab obturatis & obſtructis, cuiuſmodi ſunt vaſa rimis obturatis, ne effluant. Sic ſunt huiuſmodi ſatisfactiones, quæ ſunt vindictæ de peccatis ſumptæ ad correctionem iniuriæ, & ne remaneat facilis reditus ad eadem peccata: diligentius enim cauentur, quæ commiſſa vindicantur. huiuſmodi ergo caſtigatione ſatisfactionum aditus ad peccandum veluti rimas quaſdam obturamus, nequando perfluamus, ſicut Apoſtolus ait, qui huiuſmodi tranſlationem imitatus eſt, cùm ait in epiſtola ad Hebr. quapropter abundantiùs oportet obſeruare ea, quæ audiuimus, ne fortè perfluamus, Græcè eſt παραῤῥυῶμεν, quod ex Prouerb. Salomonis ſumpſit, cùm ait cap. 3. fili ne perfluas, audi autem meum ſermonem. alio etiam verbo ſimili vtitur Apoſtolica doctrina in huiuſmodi ſatisfactionibus pœnitentium στιβοῦ, vnde στιβαρὸν τὸ πεπιλημένον καὶ μὴ ἔχον ἔξοδον, quod ſignificat obſtructum, & non habens exitum. ego pro vtroque verbo vſus ſum interpretando, verbo caſtigandi familiari, & omnibus noto. Apud Proteſtantes, & eorum doctores, ac magiſtros vacua ſunt hæc omnia, qui tradunt non oportere, immò non licere pœnitentes comprimere, neque ſtringere vlla acerbitate diſciplinæ pœnitentialis, qui laxando, molliendo, & diſſoluendo, per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium. Videtur mihi Tertullianus vim vtriuſque verbi στύφειν, & στιβοῦν in eadem re, id eſt, in pœnis ad ſatisfaciendum pœnitenti impoſitis aut ſponte ſuſceptis expreſſiſſe. ſic enim in libro de baptiſmo ſcripſit: Cùm enim dixiſſet de illis, qui venientes ad baptiſmum Ioannis confitebantur peccata ſua, vt ait euang. ſubiungit de confeſſione ſecreta eccleſiæ Catholicæ, nobis autem gratulandum eſt, ſi non publicè confitemur iniquitates, & turpitudines noſtras; ſimul enim & de priſtinis ſatisfacimus conflictatione carnis, & ſpiritus, & ſubſecuturis tentationibus monimenta præſtruimus. moles vocauit monimenta.

CAP. XIIII. De iis, qui dicũt, nõ debere recipi pœnitentem, & quòd iuſtus licet cum iniuſto verſetur & viuat, nõ tamen cum eo perit.

SIN *verò pœnitentem non receperis, obiicis eum inſidiatoribus, oblitus quod Dauid ait: Ne tradas beſtiis animam confitentem tibi. Hinc Hieremias vt ad pœnitentiam incitaret; An, inquit, qui cadit, non reſurgit? aut qui deflectit, non reuertitur? quid? quod deflexit populus meus impudenti deflexione, & in electione ſua obfirmati ſunt? reuertite filij, qui defeciſtis, & ego comminutiones veſtras ſanabo.* Hier. 8. Hier. 3. *Recipe ergo pœnitentem nihil addubitans; neque obſtent tibi, aut ab hoc officio retardent, qui † inhumanè aiunt, non oportere talium conuictu contaminari, neque communem cum eis habere ſermonem: huiuſmodi enim conſilia hominum ſunt, & Deum, & Dei prouidentiam ignorantium, quin potius iudicum ratione carentium, & beſtiarum immanium: non enim intelligunt, non eſſe vitandam communitatem ſermonis cum delinquentibus, ſed actionis; iuſtitia enim iuſti ſuper eum erit, & delictum iniqui ſuper ipſum erit. & iterum, terra ſi peccauerit mihi, vt iniuriam faciat, extendam manum meam, & conteram ſuper eam firmamentum panis, & mittam in eam famem, & delebo ex ea hominem, & iumentum; & ſi fuerint tres viri in medio eius, Noë, Iob, & Daniel, ipſi in iuſtitia ſua conſeruabunt animas ſuas, ait adonai Dominus. Manifeſtiſſimè declarauit ſcriptura, iuſtum conuictu iniuſti vtentem non perire cum eo; in hoc autem ſæculo iuſti cum iniuſtis communitate vitæ non ſanctitatis congregantur: in qua re illi quidem non delinquunt, immò patrem ſuum, qui in cælis eſt, imitantur, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos, & iniuſtos; & pluuiam ſuam pluit ſuper bonos, & malos: neque inde iuſtus periculum vllum incurret, in ſtadio enim victores ſunt, & victi; in corona verò, illi tantùm, qui fortiter depugnarũt; nemo autem coronatur, niſi legitimè certauerit, vnuſquiſque enim de ſeipſo confitebitur; neque iuſtum cum iniuſto Deus perdet, ſiquidem apud eum, quod culpa vacat, non vindicatur. Neque enim Noëm demerſit; neque Lot incendit; neque Rhaab cum Hiericuntinis interfecit. Et ſi vultis cognoſcere, quæ noſtro tempore contigerunt,*

*nobiſcum*



*nobiſcum erat Iudas, cùm ſortem miniſterij accepit, quam & nos accepimus. item Simon magus *1 ſigillum in Domino accepit, verùm vterque eorum prauus exſtitit: & ille quidem laqueo ſe ſuſpendit, hic verò cùm præter naturam volaret, graui caſu fractus eſt. Præterea in arca fuerunt Noë, & filij eius, ſed ſolus Cham exſtitit nequam, qui in filio ſupplicium tulit. quòd ſi neque patres pro filiis pœnas ſoluunt, neque filij pro patribus, liquet, neque vxores pro maritis, neque famulos pro dominis, neque propinquos, cognatoſque pro propinquis, & cognatis, neque amicos pro amicis, neque iuſtos pro iniuſtis ſoluere; quin potius ab vnoquoque rationem actionis ſuæ repoſcendam eſſe. Neque enim Noë pœnas pro mundo dependit, neque Lot pro Sodomitis incendio conflagrauit: neque Rhaab pro Hiericuntinis iugulata eſt, neque Iſraël pro Ægyptiis, neq; habitare iuſtos vnà cum iniquis crimen eſt, ſed idem ſentire. Non igitur attendendum eſt quod iſti dicũt homines ad cædem prompti, inhumani, criminatores, & per ſpeciem ſic excuſandi interfectores; alter enim pro altero non morietur, immò ſuorum quiſque delictorum catenis conſtringitur: & ecce homo, & *2 opus eius ante faciem eius.* Prov. 5.

*Oportet autem vos iis opitulari, qui ſunt in ægritudine, in periculo, & in errore; & quoad fieri poſſit, moniiis eos ſanare, & à morte liberare: non enim medico opus habent, qui bene habent, ſed qui malè; quandoquidem non eſt voluntas coram patre, vt pereat vnus ex puſillis: non enim perpendere oportet, quæ ſit durorum hominum voluntas, ſed quæ Dei patris auctoris omnium per Chriſtum Dominum noſtrum, cui gloria in ſæcula ſæculorum.*

*Nec enim æquum eſt, epiſcope, cùm ſis caput, vt caudam attendas, laicum dico ſeditioſum, idque in alterius perniciem, ſed Deum tantùm: Siquidem te oportet iis præeſſe, qui tibi ſubiecti ſunt, non autem ipſos tibi; nam neque filius dominus patris eſt, ſecundum rationem ortus; neque ſeruus domini ſecundum rationem poteſtatis; neque diſcipulus magiſtri, neque miles regis; neque vtique laicus epiſcopi; de eo enim, quòd non cenſent, oportere, accedendo ad iniquos, ſimul cum doctrina verbi Dei coinquinari, eorumque peccata participare, Propheta Ezechiel præcidens hanc improborum ſuſpicionem, quid, inquit, vos dicitis ipſis parabolam hanc in terra Iſraël, patres comederunt immaturã vuam, et dentes filiorum ſtuporem contraxerunt? viuo ego dicit Adonai Dominus, ſi adhuc erit in vobis parabola iſta quæ hactenus erat in Iſraël, quia omnes animæ meæ ſunt, ſicut anima patris, ſic & anima filij mea eſt: Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur: Homo verò, qui erit iuſtus faciens iudicium & iuſtitiam, ac deinceps recenſens reliquas virtutes, obſignat ſententiam dicens, hic talis iuſtus eſt, vita viuet, dicit Adonai Dominus. & ſi genuerit filium peſtilentem, effundentem ſanguinem, & via patris ſui iuſti non inceſſit; deinde ſubiungens quæ ſequuntur, ad extremum ſubiicit, vita non viuet: hæc omnia peccata commiſit, morte morietur, ſanguis eius ſuper eum erit; & dicetur, quòd non cepit filius iniuſtitiam patris ſui, aut iuſtitiam eius, iuſtitiam & miſericordiam operatus. & dices eis, anima quæ peccauerit, ipſa morietur; filius non capiet iniuſtitiam patris, & pater non capiet iniuſtitiam filij: iuſtitia iuſti ſuper ipſum erit, & iniquitas iniqui ſuper ipſum erit. & paulò poſt, ſi auertat ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & faciat iniuſtitiam, omnes iuſtitiæ eius ſecundum iniquitates, quas fecit, tradentur obliuioni; in iniuſtitia ſua, quam fecit, & in peccato ſuo, quod peccauerit, morietur. Et paulò pòſt ſubiungit: ſi reuerſus fuerit iniquus à delicto ſuo quod fecit, & fecerit iudicium & iuſtitiam, hic animam ſuam ſeruauit; & ſi auerterit ſe ab omnibus impietatibus ſuis, quas patrauit, vita viuet, & non morietur. & deinceps, vnumquenque, inquit, veſtrum*

*1 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ magiſtros Proteſtãtium redarguit, qui tradũt, nullum diſcrimen fuiſſe baptiſmi Ioannis, & Apoſtolorum, ſeu Chriſti; ſic enim Loſſius in quæſtionibus ſui catechiſmi de baptiſmo quærit: eſt ne aliquod diſcrimẽ inter baptiſmũ Ioannis, & Apoſtolorũ, ſeu Chriſti? Reſpõdet, nullũ prorſus, quantum ad miniſterium, ſeu cerimoniam, & efficaciam baptiſmi attinet, ſed quãtum ad perſonas. hoc autẽ tradunt iſti, ne quis eorum conſilium ignoret, vt exorciſmos, oleũ, & chriſma, & reliquas baptiſmi noſtri cerimonias improbent, & condemnẽt, quæ nos à S. Apoſtolis tradita eſſe profitemur. iſti verò vt hoc rurſus refellãt, fingunt non aliter Apoſtolos baptizaſſe, quàm Ioannes, quem quidem ſine iſtis cerimoniis baptizaſſe certum ſit. at diſcrimẽ fuiſſe, & quidem maximum, apoſtolica doctrina docet; ſiquidem qui baptiſmo Chriſti baptizatur, is ſigillum in Chriſto accipit, vt Simon accepit. ſigillum in Domino vocat hic Apoſtolica doctrina Dominicæ crucis impreſſionem, qua ſignatur is qui ad baptiſmum accedit, vt ei in ſecũda oratione dicitur, Dominicæ crucis impreſſione eũ ſignamus, quæ quidem impreſſio crucis, quæ σφραγὶς dicitur, ſymbolum eſt, vt ait Dionyſius, diuini luminis, quod, inquit, lumen tanquam ſignũ quoddam à Deo cum eo, qui baptizatur, cõmunicatur, quo efficitur particeps ἀποκληρώσεως τῶν ἐνθέων, καὶ ἱερᾶς τάξεως, id eſt, ſortis ſanctorum, ſicut Apoſtolus ait, & ſan-



*ſecun-*

*ſecundum vias veſtras iudicabo, domus Iſraël; dicit Adonai Dominus.*

ɛti ordinis; de hoc enim dono docet idem Apoſtolus agere gratias, cùm ait in epiſt. ad Coloſſ. cap. 1. Gratias agentes Deo, & patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanɛtorum in lumine. Paulum itaque imitatus eſt hic Dionyſius, vt ſolet frequenter, qui, vt hoc quoque obiter obſeruetur, videtur mihi illud pſalmi diuinè hic interpretatus dictum eſſe non de lumine naturali, ſed prophericè de lumine excellentiori, & diuino tanquam ſigno quodam ſuper animas veſtras ſignando, ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Quia igitur qui baptiſmo Chriſti baptizatur, lumen iſtud diuinum tanquam ſignum quoddam intus accipit, quod illo ſigillo exteriore tanquam ſymbolo ſignificatur, fit, vt vmbris legis non amplius ſeruiat, nec eis teneatur; & quia iam iſte factus eſt particeps ſortis ſanɛtorũ, quod ſymbolicè ſignificat, vt idem Dionyſius ait, deſcriptio illa nominis, quod baptizato impoſitum eſt, inter cætera nomina baptizatorum, quæ in libro eccleſiæ deſcripta ſunt, fit item, vt chriſtianè deinceps viuere debeat tanquam redemptus ſanguine Chriſti de vana conuerſatione paternæ traditionis. Vt enim qui circunciditur, debitor eſt ſecundum Apoſtolum vniuerſæ legis faciendæ, ſic qui ſigillum in Chriſto accipit, debitor eſt totius euangelij ſeruandi. At baptizati baptiſmo Ioannis non deſinebant eſſe Iudæi, quin potius ſub lege remanebant: Immò, vt beatus Cyrillus lib. 2. theſau. ait, vt Ioannes inuidiam Iudæorum declinaret, quia teſtimonium Chriſto tribuebat, quem Iudæi quaſi violatorem legis calumniabantur, Herodem reprehendere aggreſſus eſt, quòd vxorem fratris ſui contra legem Moyſis haberet. nihili enim faciebat mortem, vt res ad finem propoſitum perduceretur. ex quo fiebat, vt populus Ioannem tanquam pro lege pati auderet, diligere cogeretur, promptiorque eſſet ad recipienda & credenda quæ Ioannes prædicabat. hactenus ex Cyrillo. & cùm publicani venerunt, ſicut euangelium Lucæ narrat, vt à Ioanne baptizarentur, interrogaruntque eum, quid facere deberent, non reſpondit eis Ioannes, quod Apoſtolus Galatis ſcripſit, Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini; ſed illud, nihil amplius, quàm quod conſtitutum eſt vobis faciatis. legem itaque ſinebat ſeruare. at non ſic Apoſtoli ſancti ex quo dedit eis Dominus poſt reſurrectionem ſuam mandatum de docendo, & baptizando, dicens, Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritusſancti.

*2 Hic locus in Apoſtolica doctrina citatus, quem omnes veteres patres Græci itidem citant, vt Ignatius in epiſtola ad Smyrnenſes, & Greg. Naz. in ſerm. De bono ordine, & infiniti alij, doctrinam Proteſtantium de iuſtitia ex ſola fide vehementer redarguit. Sic enim ait Philippus in reſponſione ad artic. Bauar. inquiſ. 23. Homo iuſtificatur ſola fide, ſcilicet coram Deo, & particula excluſiua expreſſa eſt à Paulo vocabulo *gratis*. & paulò poſt, denique, inquit, qui non retinent excluſiuam, dilabuntur in Synecdochen Origenicam, aut papiſticam. Synecdochen papiſticam dicit Philippus, quia nos dicimus, fidem, qua ſecundum ſcripturam gratis iuſtificamur, non eſſe ſolam, ſed cum ea comprehendi charitatem, quæ actus ſuos elicit, & aliarum virtutum actus imperat. Quæramus ergo à Philippo, ſi ſola fide ſine vlla Synecdoche iuſtificari homines coram Deo ſecundum ſcripturam credit, quomodo accipiet hoc, quod nunc Apoſtolica doctrina ex ſcriptura ſancta citat dictum de homine coram Deo iuſto, ecce homo, & opus eius ante faciem eius? (vt enim illud prius de peccatore in Prouerbiis ſcriptum citauit, ita hoc in Eſaia de iuſto) an accipiet de opere ſolo ſine Synecdoche? an de opere cum fide per Synecdochen? vt ſic interim cum Philippo Theologo grammatiſta diſſeramus, profectò cogitur accipere de opere ex fide per Synecdochen, cur igitur, vt fidem nudam prædicet, & profiteatur, Synecdoche eam ſpoliat? Rurſus, ſi dixiſſet ſcriptura in illo loco, Ecce homo, & fides eius ante faciem eius, id eſt, coram Deo, vt quidem dicere potuiſſet, an de ſola fide ſine Synecdoche accepiſſet? minimè. cur ita? quia hæc ſcriptura, quæ nunc citatur, ecce homo, & opus eius, ante faciẽ eius per Synecdochen, illud accipere coẽgiſſet, cùm idem vtrobique ſenſus eſſet. vt ſicut hic non poteſt excludi fides ab opere: ſic nec illic potuiſſet à fide opus. Addit deinde Philippus explicationem doctrinæ ſuæ peſtiferæ de iuſtitia ſua iſta ex ſola fide, clamat, inquit, vniuerſa doctrina prophetica, & Apoſtolica, ſola miſericordia homines in hac vita certò propter mediatorem iuſtos eſſe, & hæc miſericordia apprehenditur ſola fide. hæc Philippus, qui artificio Satanæ ex parte verũ cum falſo temperauit ad decipiendum. vt enim verum eſt ſola miſericordia homines in vita iuſtos eſſe: ita illud falſum, ſola fide apprehendi hanc miſericordiam, ſed fide per dilectionem operata, quæ iam non eſt ſola.

Cap. xv. Quòd oportet epiſcopum nũquam negligere peccata, neque promptum eſſe ad puniendum.

VIDETE *filij nobis chariſſimi, quemadmodum miſericors cum iuſtitia Dominus Deus noſter, bonus, & ſingulari in homines charitate, reo criminis, ac malefico non dat impunitatem; redeuntem in viam rectam recipit, eique vitam tribuit, non relinquens ſuſpicionis locum iis, qui durè, & inclementer iudicare volunt, & peccantes penitus repellere, & nolunt communicare cum ipſis ſermones exhortatorios, qui poſſint ad pœnitentiam reuocare: contra quorum ſententiam Dominus per Eſaiam Epiſcopis ait, hortamini populum meum, loquimini ad cor Hieruſalem.*

*Oportet igitur vos qui hæc auditis, eos qui deliquerunt, hortari, & ad pœnitentiam impellere, ac bona ſpe eſſe facere, neque ſuſpicari debetis, quaſi participes eorum, quæ ipſi commiſerunt, efficiamini, quòd eos diligatis. recipite ergo libenter ac læti pœnitentes; & iudicate cum miſericordia, ac miſeratione peccantes. Etenim ſi ingredientem iuxta fluuium, & iam prolapſurũ contis quibuſdam impellendo, in amnem protruſeris, cùm potius manum porrigere debuiſſes, fratrem tuum profectò occideris, cui magis dextram dare labanti oportuiſſet, ne omnino periret. Sic inquam, vt dixi, recipite, vt & populus moneatur; & is, qui peccauit, non prorſus intereat. Oportet autem epiſcope, non negligere populi delicta, neque quos peccaſſe pœnitet auertere; ne tanquam rudis, & inexercitatus gregem ouium Chriſti perdas, & mactes, & nomen eius nouum, quod populo eius impoſitum eſt, dedecores, quod tibi poſtea exprobrandum ſit, vt illis olim paſtoribus, de quibus aiebat Dominus apud Hieremiam, Multi paſtores vineam meam vaſtauerunt: fœdarunt hæreditatem meam. & aliàs, Ira mea concitata eſt in paſtores, & agnis iraſcar. & aliàs, Vos ſacerdotes, qui infamiam infertis nomini meo.*

Cap. xvi. De pœnitẽtia, & quis mod' eius, & quomodo perficitur.

CVM *verò deliquiſſe videris, iube eiici foras, acerbè ferens, de quo eiecto doleant item diaconi, qui eum obſeruent, & extra eccleſiam contineant, iidemque in eccleſiam poſtea ingreſſi, pro eo te rogent: etenim Saluator noſter pro iis, qui peccauerant,*



*uerant, patrem precabatur, vt eſt in euangelio ſcriptum: Pater, inquit, ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt. Poſtea iubebis ingredi, & facta* *1 *examinatione, an pœniteat, ſitque dignus qui in eccleſiam ex toto* *2 *admittatur: caſtiga illum ieiuniis duarum, aut trium, aut quinque, aut ſeptem hebdomadarum, vt delicti genus, & ratio popoſcerit; atque ita dimitte eum, ea locutus quæ eum, qui de peccato commiſſo alium admonendi cauſſa increpat, docere, & monere conuenit, vt apud ſe maneat Deum deprecans vt ſit ſibi propitius, ac beneuolus, illudque dicat: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? quoniam à te eſt propitiatio. tale enim quid innuit, quod in Geneſi dictum eſt Caino, peccaſti, quieſce; id eſt, ne pergas peccare. Quòd enim eum qui deliquit, pudere delicti ſui oporteat, ſatis docet quod in ſcriptura dictum eſt Moyſi; Cùm Moyſes precabatur Deum, vt peccatum ſorori condonaret; ait enim Deus illi: Si pater in faciem eius expuiſſet, an non erubuiſſet? Septem diebus extra caſtra amoueatur, & poſtea ingredietur. Sic igitur vos facere oportet, eos ſcilicet, qui ſe pœnitere aiunt peccaſſe, eiicere ex eccleſia, tempore proportione peccatorum definito: poſtea verò recipere pœnitentes, tanquam patres filios.*

*1 En falſum ſecundum Apoſtolicam doctrinã quod Proteſtãtes tradũt, non licere ſacerdoti examinare, & inquirere, an pœniteat peccatorẽ, quia inquiunt, in iudicio Dei hæc res cõſiſtit. item falſum, quod docent, non opus eſſe exteriore pœnitẽtia, quæ indiciũ interioris pœnitentię eſſe poteſt, & ſolet. admitti autem omnino ad eccleſiam eſt non ſolum admitti ad audiendum verbum, ſed ad communionem etiam orationis; vt ex cap. 41. intelligitur.

*2 En cùm pœnitentia ſatisfactio non cauſſa ſolum exempli, vt alij commonefiant, ſicut Philippus ait in reſp. ad art. Bau. inquiſit. 19. ſed etiam pro peccatis propriis ſecundum Apoſtolicam doctrinam; nec ad emendationem, & documentum tantùm, ne poſtea eadem committantur, vt tradit Caluin. inſtit. cap. 49. Sed ad ſoluendum quoque debitum iuſtitiæ naturalis vlciſcendi peccatum in correctionem iniuriæ factæ, & ad conſequendam remiſſionem peccati, id eſt, pœnæ debitæ pro peccato mortali remiſſo. ergo contra Apoſtolicam quoque doctrinam eſt, quod ait Selnecerus Confeſſioniſta in ſuo Analecto, tract. 3. cap. 31. de ieiunio: Ieiunium, quod pœnitenti imponitur, ſine opinione cultus eſſe. Religio enim quæ cultum Deo adhibet, præcipit, quod iuſtitiæ proprium eſt, vt de peccato, quo Deus offenſus eſt, vindicta ſumatur ſecundum hanc Apoſtolicam conſtitutionem, ad exemplum Mariæ ſororis Aaron; & ad exemplum Corinthiorum, quos Apoſtolus laudat, 2. Cor. 7. Denique redarguit hæc Apoſtolica doctrina peſtiferum Catechiſmum Lucæ Loſſij, cùm ait in quarta parte de pœnitentia: Satisfactiones ſcholaſticæ; ſic enim vocat, vt ieiunia, certæ preces, peregrinationes, & ſimilia, quæ imponuntur lapſis tanquam compenſatio pœnarum; impiæ ſunt, quia obſcurant gloriam Chriſti: quia mors, inquit, Chriſti eſt vnica compenſatio pro peccatis. Quaſi Chriſtus morte ſua legem naturalem abrogauerit, ac non potius confirmauerit. Lex autem naturalis dictat homini, vt & læſis, & offenſis ſatisfaciat quoad poteſt & decet.

Cap. xvii. Quòd oportet epiſcopum carere reprehẽſione, tãquam formam eorũ quibus præeſt.

SI VERO *epiſcopus ipſe offenſionem aliis concitarit, quomodo aggredietur ad inquirendum iniuriam alterius, aut ad increpandum aliquem, ſi aut ipſe aut diaconi, propter perſonarum acceptionem aut munera accepta non ſunt ſibi bene conſcij? Cùm enim petit magiſtratus, & cùm iudex accipit, & non deducitur iudicium ad finem, cùm iudices ſunt participes furum, & cauſſas viduarum non attendunt; non poterunt ij, qui ſunt ſub epiſcopi poteſtate, eſſe ei auxilio, ſi eos ſcilicet punire voluerit. dicent enim ei quod eſt in euangelio ſcriptum: Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem verò in oculo tuo non conſideras? Sit ergo epiſcopo vnà cum diaconis ſuis metus, ne quid tale audiat, id eſt, ne præbeat occaſionem. Qui enim peccat, cùm viderit aliquẽ facientem ſimilia atque ipſe facit, extruetur ad faciendum eadem; deinde qui prauus eſt per vnum occaſionem nactus, in aliis operatur; quod Deus auertat: ita fiet vt grex deprauetur; & quò maior eſt numerus peccantium, eò ſit vitium maius. Peccatum nanque quod non arguitur, deterius fit, & ad alios manat. Siquidem parum fermenti totam maſſam corrumpit, & vnus fur in totam nationem diffundit execrationem; & muſcæ mortuæ putreſcere faciunt vnguentum ſuaue; item cùm rex iniquo ſermoni aures præbet, omnes miniſtri eius exiſtunt iniqui: Sic quoque ouis ſcabioſa in alias oues transfundit ſcabiem, niſi ſeparetur à ſanis; & homo peſte laborans, multis eſt cauendus; canis etiam rabioſus quicquid attigerit, in eo periculum affert. Si igitur hominem flagitioſum ab eccleſia non remoueamus, facimus domum Dei ſpeluncam latronum. Oportet enim in delicto alterius non conniuere ſilendo, ſed potiùs arguere, monere, caſtigare, ieiuniis ſtringere, vt aliis metum & reuerentiam iniiciat. Scriptum nanque eſt: Facite filios Iſraël reuerentes. Debet quippe epiſcopus monendo prohibere peccata, fieri*

*ſcopus iuſtitiæ, præco bonorum cæleſtium quæ ſunt præparata, & iræ in iudicio futuræ denunciator; ne contempta eccleſia, quæ ſatu Dei orta eſt, audiat propter incuriam & negligentiam, quod apud Oſeam dictum eſt: Cur impietatem ſilentio diſſimulaſtis, & fructum eius collegiſtis?*

Cap. XVIII. Quòd oportet epiſcopum curare, vt non peccet populus: quia ipſe eſt ſpeculator.

OMNIVM *ergo epiſcopus curam habeat, & eorum qui non peccarunt, vt non peccent; & eorū qui in peccatis ſunt, vt peccaſſe pœniteat. ait enim Dominus: Videte ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis. Item pœnitentibus condonare oportet peccata, ſtatim enim vt aliquis ex iis qui deliquerunt dixit ex animo, Peccaui Domino; reſpondet: Spiritus S. & Dominus remiſit tibi peccatum; confide, non morieris. Agnoſce igitur epiſcope dignitatem tuam, quòd ſicut poteſtas ligandi tibi obtigit, ita quoque poteſtatem ſoluendi habes. Noſſe teipſum, & ſic te in vita gere, vt tuo loco dignum eſt; quippe qui ſcias maiorem à te repoſcendam eſſe rationem; cui enim plus commendauerunt, plus ab eo exigent. Siquidem nemo hominum à peccato vacuus eſt, præter eum qui propter nos factus eſt homo; cùm ſcriptum ſit: Nullus purus à ſorde, tametſi vnius diei ſit vita eius. Idcirco quæ vita veterum iuſtorum, & patriarcharum, & qui eorum actus, proditum litteris eſt; non quidem vt cùm ea legimus exprobremus, ſed vt nos potiùs peccatorum noſtrorū pœniteat, bonóque animo & ſpe ſimus, adepturos nos veniam, illorum enim maculæ & labes, noſtra tutela & monitio ſunt. Quippe nobis etiam commiſſa peccata condonabuntur, ſi nos eorum pœnituerit; ſiquidem ſcriptum eſt: Quis gloriabitur mundum ſe habere cor? aut quis liberè, & audacter affirmabit, purum ſe eſſe à peccato? nemo igitur eſt peccati expers. Tu ergo enitere pro viribus, vt nihil in te ſit quod reprehendatur, & fac ſis de omnibus ſolicitus, ne cui eorum ſis ſcandalo & offenſioni vnde pereat: laicus enim de ſe tantùm ſolicitus eſt, tu verò de omnibus, vt grauius onus ſuſtinens. Scriptum nanque eſt: Et dixit Dominus Moyſi, Tu & Aaron ſuſcipietis peccata ſacerdotij. quo circa curam omnium ſuſcipe, tanquam rationem de pluribus redditurus: ac ſanos quidem conſerua, lapſos verò mone, & qui in ieiunio premis, leua † in remiſſione; & eum qui luxit recipe, cuncta eccleſia pro eo deprecante; et manu impoſita, ſine eum in eccleſia eſſe; ſomniculoſos & remiſſos converte, robora, hortare, adhibe curationem, gnarus, quanta ſit tibi, ſi hæc feceris, merces propoſita: contrà verò quantum periculi, ſi neglexeris. Ait enim Ezechiel paſtoribus qui populum negligunt:*
„ *Væ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſeipſos. Paſtores non oues paſcunt, ſed ſeipſos; lac deuoratis, & lana veſtimini; quod validum eſt, mactatis, oues non paſcitis; quod in eis erat vexatum, non roboraſtis; quod ægrotum, non curaſtis; quod confractum, non alligaſtis; quod foras excluſum, non reduxiſtis; quod periit, non requiſiſtis: & imperioſè caſtigaſtis cum ludibrio; & diſperſæ ſunt oues, quia non erat paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnibus beſtiis terræ. & rurſus: Non requiſiuerunt, inquit, paſtores oues meas, & paſcebant paſtores ſeipſos, & oues meas non paſcebant. & paulò pòſt: Ecce ego ad paſtores, & requiram ego oues meas ex manu eorum; & faciā vt deſinant paſcere oues meas, & non paſcent amplius paſtores ſeipſos, & eripiam oues meas è manu eorum; & non erunt ipſis in deuorationem. & ſubiungit dicens populo: Ecce ego iudicabo inter ouem & ouem, & inter arietem & arietem; parum ne erat vobis quòd bonis paſcuis paſcebamini, & reliquias eorum pedibus veſtris conculcabatis, & oues meæ calcata pedibus veſtris comedebant. & ſubiungit paulò pòſt: Et cognoſcetis quòd ego Dominus, & vos oues paſcui mei, homines mei eſtis, & ego Deus veſter, dicit Adonai Dominus.*

Cap. XIX. Quòd paſtor, qui ſe negligenter gerit, cū ouibus pœnas ſoluit; & ouis, quæ non paret paſtori, punitur.

AVDITE *epiſcopi, & audite laici quod Dominus ait: Iudicabo inter arietem*



*& arietem, & inter ouem & ouem. & paſtoribus dicit Dominus: Iudicabimini propter imperitiam veſtram, & propter interitum ouium; id eſt, iudicabo epiſcopum cum epiſcopo comparans; iudicabo item laicum cum laico, & magiſtratum cum magiſtratu conferens. ſunt enim hi oues rationis participes, item arietes; non autem rationis expertes; ne laicus dicat: Ego ouis ſum, & non paſtor, & nullam mei rationem habui; paſtor viderit, ipſe ſolus pœnas pro me dabit. Vt enim cùm ouis non ſequitur bonum paſtorem, lupis expoſita eſt ad intereundum, ſic rurſus cùm ouis malum paſtorem ſequitur, certus eſt ouis interitus à malo paſtore, qui eam deuorabit. Quare fugiendi ſunt paſtores interfectores.*

Cap. XX. Quomodo oporteat ſubditos obedire epiſcopis ſuis, & epiſcopos diligenti & varia vti prouidentia erga laicos.

AT VERO *bonum paſtorem laicus honoret, diligat, metuat vt patrem, vt dominum, vt herum, vt Dei pontificem, vt magiſtrum pietatis: qui enim audit eum, Chriſtum audit; & qui ei non obtēperat, non obtemperat Chriſto; & qui Chriſtum non recipit, non recipit patrem eius. Qui enim vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit; & qui me ſpernit, eum qui miſit me ſpernit. Similiter epiſcopus tanquam filios diligat laicos, proſequens eos ſtudio charitatis, & fouens tanquam* [*1] *oua ad acquirendum pullos, aut tanquam pullos ſinu eos complectens, ad acquirendum gallinas: omnes monens, omnes increpans acerbè quicunque increpatione acerba indigent, ſed non feriens; premens, vt reuereantur, non vt euertantur; monens, vt conuertat; increpans, vt corrigat, & in viam rectam reducat; quod forte eſt cuſtodiens, id eſt, quod firmum eſt in tuto ſeruans; populum pacificè paſcens; quod vexatum eſt firmans, hoc eſt, eum qui tentatur & quatefit, admonitione firmum ſolidumque efficiens; quod ægrotum eſt curans; id eſt, eum qui ex fide ægrotat ambigendo, huic curationem adhibens docendo; item quod contritum eſt alligans, id eſt, errantem aut quaſſatum aut peccatis confractum, ita vt in via claudicet, monitione hortatoria vinciens, & ex delictis deonerans, ac bona ſpe eſſe iubens; ſicque valentem in eccleſiam reſtitue, atque ad gregem ouium reduc: Quod eiectum eſt conuerte, id eſt, eum qui in peccatis fuit, & vt* [*2] *obiurgaretur ex eccleſia eiectus eſt, ne ſinas foris permanere; quin potiùs recollige eum ac conuerte, vt ſic in ouile reſtituas, id eſt, in* [*3] *populum eccleſiæ macula carentis: Quod periit require, id eſt, eum qui propter multitudinem peccatorum ſuorum ſalutem deſperat, ne ſinas penitus interire; & qui valde refrigeſcit, & deſidia ac languore torpet ac ſopitus eſt, & propter huiuſmodi grauem ſomnum vitæ ſuæ oblitus procul à gregè diſceſſit, ita vt in lupos, à quibus deuoraretur, incideret, hunc tu quære, ac monendo conuerte, & ad ſobrietatem hortare, ſpemque iniice: neque ſinas, vt dicat deſperanter quod à quibuſdam dictum eſt: Impietates noſtræ in nobis, & nos in ipſis liqueſcimus, & quomodo viuemus? itaque ſi fieri poteſt delictum alterius ſibi epiſcopus tanquam proprium vendicet, atque ei qui deliquit, dicat, te modò fac conuertas, & ego mortem pro te ſuſcipiam, vt pro nobis Dominus mortem ſuſcepit: Bonus quippe paſtor animam ſuam ponit pro ouibus, mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, id eſt, diabolum, & dimittit oues, ac fugit, & lupus rapit eas. Scire igitur oportet, quòd Deus, qui miſericors eſt, pœnitentiam iis, qui peccarunt, iureiurando promiſit,*
Ioan. c. 10. *qui verò peccauit, & promiſſum iſtud Dei de pœnitentia magnamque eius patientiam, ac malorum tolerantiam ignorat, ac etiam ſanctas ſcripturas neſcit; quæ hanc pœnitentiam prædicant, quippe qui ex te epiſcope non didicerit, hic quidem propter ignorantiam perit, tu verò vtpote amans rector, & ſtudioſus paſtor require, recenſens gregem; exquire quod deeſt ad exemplum Domini Dei, eiuſdémque patris noſtri, qui filium ſuum bonum paſtorem, ac Saluatorem, & magiſtrum noſtrum*

[*1] Cum ouis, quæ facilè rumpūtur, & ex quibus pulli excluduntur, cōparat catechumenos, qui facilè ſcādalizātur, & vt infirmi fouēdi ſunt, & indulgēter tractādi, ex quibus fiant Neophotiſti, id eſt, noui baptizati: qui ſunt rurſus leniter habendi, vt ex pullis fiant gallinæ; id eſt, vt ſicut gallinæ pariūt oua, ſic ipſi pariāt alios catechumenos. In extremo huius capitis neophotiſtos vocat agnos, quos hic vocat pullos; & quos hic gallinas, illic oues fœtas, ſiue prægnantes, ex Eſa. cap. 40.

[*2] En ratio excōmunicationis ſecūdum doctrinā Apoſtolicam, vt eiectus ex eccleſia, à multis obiurgetur propter peccatū; vt obiurgatus, pudore, & dolore afficiatur, vt ſic demū ad conſequendā remiſſionē præparetur, & ſaluuadat ſpirit⁹ eius. Non eſt igitur politicū ſpectaculū, vt Philip. inſanè tradit; ſed medicina ſpiritualis. Sic Paul. de illo Corinthio quē excōmunicauerat: Sufficit, inquit, illi ob iurgatio hęc quę fit à pluribus; & prius dixerat, vt ſpi-

*Ieſum Chriſtum miſit, & ei iuſſit relinquere nonaginta nouem oues in montibus, & ire vt requireret eam, quæ errarat, & repertam vt humeris imponeret, & ad gregem reportaret gaudẽs reperta oue amiſſa. Sic igitur tu epiſcope eſto obediens, vt ouem, quæ amiſſa eſt, exquiras; quæ errauit, corrigas; quæ abſceſſit, reuoces; poteſtatem enim habes reuocandi, & dimittendi fractos cum venia. per te enim dicit Saluator*[*4] *paralytico in peccatis, remittuntur tibi peccata tua: & illud, fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.* Pax *verò, & tranquillus portus eſt eccleſia Chriſti, in quam peccatores abſoluendo reſtitue ſanos, & à macula liberos, cum bona ſpe, & cum labore operum, vt expertus & condolens medicus medere errantibus; neque enim opus eſt medico valentibus, ſed malè habentibus; venit enim filius hominis ad quærendum, & ſeruandum quod errarat. Medice ergo eccleſiæ Domini, adhibe medicinam*[*5] *cuique ægrotantium conuenientem: omnibus modis cura, ſana, factos ſanos redde eccleſiæ, paſce gregem non per vim, neque imperioſè cum ludibrio, & deſpectu, quaſi dominatum teneas, ſed tanquam bonus paſtor in ſinum ac complexum agnos congrega, & oues grauidas hortare.*

[margin, continued] ...ritus ſaluus ſit in die Domini.

*3 Reſtituere in populum eccleſiæ, vocat, cõcedere cõmunionẽ laicam, vt omnes eccleſiaſtici loquuntur.

*4 En, falſum eſt, quod nihil dicimus de fide, cùm peccatores abſoluimus, vt magiſtri Proteſtãtium fingunt, vt Philipp. art. 19. Bauar. inquiſ. Siquidem per ſacerdotes, qui hãc poteſtatem acceperunt, dicit Dominus peccatori ſecundum apoſtolicam doctrinam, fides tua te ſaluũ fecit, vade in pace. Sed fides Hæmorrhoiſſæ, cui hoc dixit, non fuit fides, qua credidit ſe ſaluam fieri, ſed qua credidit, quòd potens eſſet Ieſus, vel ſolo tactu fimbriæ fluxum ſanguinis ſiſtere, modò vellet, quod quidem vt ſperabat, ita non certò ſciebat futurum, vt Proteſtantes volunt, vt certò ſciat, remitti ſibi peccata, qui per fidem petit remiſſionem. Ergo fides Proteſtantium in remiſſione peccatorum non eſt ſimilis fidei illius, cui dixit, fides tua te ſaluam fecit, vade in pace: ac proinde teſtimonio huius doctrinæ apoſtolicę per eiuſmodi fidem non conſequũtur remiſſionem peccatorum, neque remanent in pace cum Deo, & eccleſia Dei. illa enim mulier cum humilitate, & fide dicebat intra ſe, quia ſi tetigero tantùm veſtimẽtum eius, ſalua ero; non dicebat arroganter, certò ſcio, vt iſti non contenti dicere, ſi pœnitentiam egero, & confeſſus fuero peccata, remiſſionem conſequar, ſuperbè dicunt, certò ſcio remitti mihi peccata. neque tamen docemus, ſemper manendum eſſe in dubitatione de Dei miſericordia, ſed de noſtra infirmitate, & indiſpoſitione: neque delemus veram conſolationem, vt idem Philippus obiecit. Siquidem dimittimus cum bona ſpe, vt ſancti apoſtoli docuerunt, & in ea hortamur permanere. Sed quia non ſufficiunt fides & contritio ad remiſſionem peccatorum ſacerdotalem, vt volunt Proteſtantes, qui duas has tantum partes pœnitentiæ numerant, iubet hæc Apoſt. conſtitutio reſtituere iſtos eccleſiæ ſanos, bene ſperantes, & in opere laborantes, id eſt, facientes fructus dignos pœnitentiæ, ac ſatisfacientes; eſt enim ſatisfactio opus laborioſum, vt ex cap. 16. licet hoc intelligere, & ex aliis.

*5 Si ſecundum Apoſtolicam doctrinam ſacerdos eſt medicus eccleſiæ, & adhibere debet cuique morbo peccati medicinam, ergo neceſſe eſt, vt ægrotus omnes graues morbos, quos ſentit, id eſt, omnia grauia peccata, quorum meminiſſe poteſt, medico patefaciat, damnat igitur hæc apoſt. conſtit. Catechiſmos Proteſtantium, in quibus traditur, non opus eſſe enumeratione peccatorum in Confeſſione, ex quo errore ſequitur, non eſſe medicos eccleſiæ epiſcopos, & presbyteros, neque Chriſtum per miniſterium curationis eorum, & medicinas ſanare peccata contra Apoſtolicam doctrinam; niſi fortè dicant næuum eſſe hunc apoſtolorum, vt auctores Centuriarũ loqui ſolent.

CAP. XXI.
Quòd periculũ ſit iudiciũ pronunciare altera parte tãtum audita, & ſupplicium decernere contra eum, qui nondum conuictus eſt.

ATQVE *etiam ſis tractabilis, bonus, lenis, non mendax, non durus, non contumax, non ſeueritate nimia, non arrogans, non inhumanus, non ſuperbus, non aſſentator, non timidus, non verſipellis, ac duplici mente; non illudens populis tuæ fidei, ac poteſtati commiſſis, neque Dei leges ac præcepta, & quæ ad pœnitentiam pertinent, eis celans, non facilis ad exturbandum, eiiciendumq́ue ex eccleſia, ſed in re certa nitens, non increpator petulans, non teſtimonium aduerſus vllum ſumens, niſi quod dictum ſit à duobus, aut tribus fidelibus teſtibus, quorum mores iamdiu probati ſint, & qui neque inimicitia, neque inuidia moueantur: Multi enim ſunt, qui aliorum malis delectantur homines lingua præcipiti, & perforata, habentes odium in fratres, quorum ſtudium eſt diſpergere oues Chriſti: Quorum ſermones ſi temerè & inconſideratè velis admittere, gregem diſſiparis, lupisq́ue eum ad deuorandum tradideris, id eſt, dæmonibus & improbis hominibus, immò verò non hominibus, ſed potiùs feris ſimilitudinem hominum indutis, ethnicis, Iudæis, & atheis hæreticis: ſiquidem continuò vt aliquis ex eccleſia eiectus eſt, accedunt ad*[*1] *eum truculenti lupi, & perinde ac ſi agnus eſſet, ita illum prædam eſſe putant ad vorandum, illius interitum quæſtui habentes. Etenim eorum pater diabolus homicida eſt; & qui iniuſtè per imprudentiam tuam eiectus eſt, & triſtitia oppreſſus ac puſillo animo effectus, aut ad gentiles aberrabit, aut hæreſibus implicabitur, & penitus ab eccleſia, & ab ſpe in Deo poſita abalienabitur, atque ab impietate conſtringetur; fiesq́ue de illius interitu reus: neque enim æquum eſt, promptum eſſe ad eiiciendum eum, qui deliquit, tardum verò ad recipiendum eum,* qui



*qui à peccato ſe auertit: præproperum ad amputandum, crudelem autem ad medendum dolenti: de talibus verò ait ſcriptura, pedes eorum ad malum currunt, & celeres ſunt ad effundendum ſanguinem: calamitas, & afflictio in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Via quidem pacis eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui docuit nos dicens, remittite, & remittetur vobis, date, & dabitur vobis: id eſt, date veniam erratis aliorum, & remittentur vobis peccata. Sicut nos erudiuit, vt in precatione diceremus, dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si igitur iis, qui peccauerunt, non ignoſcitis, quomodo veſtrorum peccatorum veniam impetrabitis? an non contra potius voſipſos ligatis, qui dicitis remiſiſſe, cùm non remiſeritis? an non veſtro ori repugnabitis, ſi dicatis, remiſiſſe, quæ non remiſiſtis? Scitote enim quòd qui eum, qui iniuriam non fecit, eiicit, aut eum, qui ſe conuertit, non recipit, fratrem ſuum occidit, & ſanguinem eius fundit, ſicut Cain ſanguinem fratris ſui fudit; cuius ſanguis, qui ad Deum clamat, requiretur. iuſtus enim à quopiam iniuſtè occiſus, apud Deum erit in requie ſempiterna: ſimiliter eueniet ei, qui ab epiſcopo ſine cauſſa fuerit excommunicatus. Qui tanquam peſtiferum eiicit eum, qui eſt extra culpam, is quidem ſæuior eſt interfectore, quòd neque in Dei miſericordiam intuetur, neque bonitatis Dei erga pœnitentes memor eſt, neque in eos aſpicit tanquam in ſcopum, qui multorum peccatorum veniam pœnitendo impetrarunt: idcirco violentior eſt ipſo homicida, qui corpus perimit, is, qui innocentem ex eccleſia eiicit: Similiter qui non recipit pœnitentes, oues Chriſti diſſipat factus aduerſarius eius. vt enim iuſtus eſt Deus in iudicandis peccatoribus, ſic eſt miſericors in recipiendis conuerſis: Miſericordiam enim & iudicium cecinit ei Dauid ille Deo charus.*

[margin] Prou. 1.

[margin] Pſal. 150.

[margin, continued from *1] ...vt Philippꝰ Theologꝰ poeticꝰ poeticè finxit in reſp. ad art. Bauaricę inquiſitionis 19. ſed ſupplicium ſpirituale animæ, & corpori inflictum, dęmone vindice, vt doleat qui peccauit, & ſuſcepto dolore remiſſionem mereatur. hoc igitur efficit nunc excommi. ſecundum doctrinam Apoſtolicam, quod effecit illa tũc Corinthij illius inceſti excommunicatio à Paulo Apoſtolo decreta. ergo ſecundum Apoſtolicam doctrinam in poteſtatem dæmonum traditi ſunt Proteſtãtes per excomm. à Leone decimo epiſcopo Roman. Petri principis apoſtolorũ ſucceſſore decretam: & falſum eſt, quod Selneccerus Cõfeſſioniſta in ſuo Analecto tractatu 2. ca. 22. ſcribit his verbis: Singulare eſt illud, quod Paulus abſẽs inceſtuoſum ſatanæ tradidit, quod certè cæteri efficere non potuerunt. Sed melius illud, quod ſecum pugnans in eodem cap. paulò pòſt ait, eos, qui iuſtam excommunicationem contemnunt, verè adeò, donec in illo contemptu perſeuerant, damnari, & vexari pœnis in corpore, & rebus, & angi doloribus conſcientiæ, vt ad pœnitentiam reuocentur. hæc iſte partim falſus, partim verus Propheta.

*1 En excommunicatio non eſt politicũ ſpectaculum ad exemplum Oreſtis, cùm quæritur, non eſſe ſe admiſſum ad aliorum menſas; & Herculis, cùm vetat ſe attingi à Theſeo poſt interfectos filios, vt Philippꝰ Theologꝰ poeticꝰ poeticè finxit in reſp. ad art. Bauaricę inquiſitionis 19.

CAP. XXII.
Quòd magnum pœnitentiæ exemplum propoſitum eſt in Dauid, in Niniuitis, in Ezechia, & in filio eius Manaſſe.

OPORTET *autem epiſcope, habere ante oculos præterita, & eis peritè vti ad eos monendos, quos vel ſtringere vel conſolari opus ſit; atque etiam æquum eſt, vt iudicando, voluntatem diuinam ſequaris; & vt Deus delinquentes, aut ſe conuertentes iudicat, ſimili ratione ipſe*[*1] *iudices. Cùm Dominus per Nathan peccatum exprobraſſet, ac Dauid pœnitere ſe diceret, an non ſtatim à morte eum liberat, confide, inquiens, non morieris? Ionam, quia Niniuitis prædicare noluerat, cùm mare, & cetus iuſſu Dei abſorbuiſſent, deprecantem in ventre ceti à morte eripuit: Ezechiam pauliſper elatum veniam cum lachrymis orantem à crimine abſoluit. Aduertite Epiſcopi exemplum ad hæc accommodatum, ſcriptum eſt in quarto de regibus libro, & in ſecundo Paralipomenon ſic: Mortuus eſt Ezechias, & filius eius Manaſſes duodecimum annum natus, regnauitq́ue Hieroſo-*
„ *lymis annis quinquagintaquinq;, cuius mater vocabatur Haphſiba: fecit malum*
„ *coram Domino, & non auertit ſe ab execrationibus gentium, quas deleuit Do-*
„ *minus à facie Iſraël: & conuerſus ædificauit excelſa quæ Ezechias pater eius de-*
„ *molitus fuerat; & poſuit columnas Baal, & erexit altare Baal, & fecit lucos,*
„ *ſicut fecerat Achab Rex Iſraël: & fecit altare in domo Domini, in quo dixit Do-*
„ *minus ad Dauid, & ad Salomonem filium eius, dicens, quia in ipſo ponam nomen*
„ *meum: & erexit Manaſſes altaria, & in eis ſeruiuit Baal, & dixit, erit nomen*
„ *meum in ſæculum: & ædificauit altaria in duobus atriis domus Domini militiæ*
„ *cæli, et ipſe traduxit filios ſuos per ignem in valle Ben-ennon, & augurabatur, &*
„ *veneficiis vtebatur, & fecit ventriloquos, & incantatores, & cognitores, &*

[margin] Reg. 4. ca. 21. Par. 2. ca. 33.

*1 Secundũ Apoſtolicã doctrinã falſum eſt quod tradunt Proteſtantes, auctore Philippo in reſp. ad art. Bauaricæ inquiſit. art. 21. eccleſiam nullũ habere mandatũ de pœnis corporalibus propter peccatum imponẽdis. iubet enim hæc Apoſtolica conſtit. epiſcopo, in quo, vt Cyprianus ait, eſt eccleſia, imitari Dominum in iudicãdis peccatoribus, vt cùm Ionam pœna temporali puniuit propter peccatum, & Ezechiam, & Manaſſem.

 thera-

,, therapim, & multiplicauit maleficia in oculis Domini, vt irritaret eum, & po-
,, ſuit conflatile, & ſculptile luci imaginem, quam poſuit in domo Domini, in qua ele-
,, git Dominus, vt poneret nomen ſuum ibi in Hieruſalem ciuitate ſancta in ſæculum,
,, & dixit, & non addam, vt moueam pedem meum à terra Iſraël, quam dedi pa-
,, tribus eorum, ſi tamen ſeruauerint omnia, quæ præcepi eis ſecundum omne man-
,, datum, quod mandauit Moyſes ſeruus meus, & non audierunt, & decepit eos
,, Manaſſes, vt facerent malum coram Domino ſupra gentes, quas eiecit Dominus
,, à facie filiorum Iſraël: & locutus eſt Dominus ad Manaſſem, & populum eius
,, per Prophetas dicens, pro his abominationibus ſceleſtis, quaſcunque fecit Manaſ-
,, ſes Rex Iuda ex omnibus, quæ fecit Amorrhæus corã eo, & quia peccare fecit Iu-
,, dam in idolis eius, hæc dicit Dominus Deus Iſraël, Ecce ego infero mala in Hieruſa-
,, lem, & Iudam, vt ambæ aures cuiuſque audientis ea ſonent; & extendam in Hie-
,, ruſalem menſuram Samariæ, & pondus domus Achab, & delebo Hieruſalem ſic-
,, ut deletur tabula buxea, & inuertam in faciem eius, & reſtituam reliquias hæ-
,, reditatis meæ, & tradam eos in manus inimicorum ſuorum, & erunt in direptio-
,, nem, & in paſtum omnibus inimicis ſuis pro iis malis, quæcunque fecerunt in oculis
,, meis, & irritauerunt me, ex quo die eduxi patres eorum ex terra Ægypti vſque
,, ad hunc diem. Atque etiam ſanguinem plurimum innoxium effudit Manaſſes, do-
,, nec impleuit Hieruſalem os ſuper os. Sed propter peccata eorum, quæ peccare fecit
,, Iudam, vt faceret malum coram oculis Domini, etiam adduxit Dominus in eum
,, principes exercituum Regis Aſſur: & ceperunt Manaſſem in ædibus, & liga-
,, uerunt eum compedibus æreis, & duxerunt eum Babylonem: & erat ligatus, et
,, ferro vinctus totus in domo carceris, & dabatur ei panis ex furfuribus paruo pon-
,, dere, & parua menſura aquæ cum aceto, vt viueret: eratque in anguſtias addu-
,, ctus, & vehementer dolens, & vt violenter afflictus eſt: Quæſiuit faciem Do-
,, mini Dei ſui, & humiliatus eſt valde à facie Dei patrum ſuorum, & deprecatus

Oratio Manaſſis ſcripta in ſermonibus Hozai, ſiue videntium. 2. Par. cap. 33.

Dominum Deum, dicens: Domine omnipotens Deus patrum noſtrorum Abraham,
Iſaac, & Iacob, et ſeminis eorũ iuſti, qui feciſti cælum, & terrã cum vniuerſo orna-
,, tu eorum, qui ligaſti mare ſermone iuſſionis tuæ, qui clauſiſti abyſſum, & ſigillum
,, pertimeſcendi, & glorioſi nominis tui appoſuiſti ei, quem omnia pauent, & tre-
,, munt à facie potentiæ tuæ, quia non poteſt ferri magnificentia gloriæ tuæ: & eſt
,, intolerabilis ira cõminationis tuæ in peccatores, immenſa verò, & quæ inueſtigari
,, non poteſt, miſericordia promiſſionis tuæ: quoniam tu es Dominus altiſſimus,
,, benignus, longanimis, multæ miſericordiæ, & pœnitens in afflictionibus hominum,
,, quoniam tu Deus ſecundum benignitatem bonitatis tuæ promiſiſti remiſſionem
pœnitentiæ iis *2 qui peccauerunt; & ſecundum multitudinem miſerationum "
tuarum, decreuiſti pœnitentiam peccatoribus in ſalutem. Tu igitur Domine Deus "
iuſtorum, non poſuiſti pœnitentiam iuſtis Abrahæ, Iſaac, & Iacob, qui non pecca- "
uerunt tibi, ſed poſuiſti pœnitentiam mihi peccatori, quia peccaui ſupra numerum "
arenæ maris; multiplicatæ ſunt nequitiæ meæ Domine, & non ſum dignus intue- "
ri, & aſpicere in altitudinem cæli præ multitudine iniquitatum mearum, incurua- "
tus multis vinculis ferreis, quoniam irritaui iram tuam, & feci malum coram te "
poſitis abominandis idolis, & multiplicatis offenſionibus; & nunc flecto genu cor- "
dis deprecans benignitatem tuam; peccaui Domine, peccaui, & iniquitates meas "
ego cognoſco: Sed peto deprecans te, remitte mihi Domine, remitte mihi, & ne "
perdas me cum meis iniquitatibus, neque in ſæculum iratus, ſerues mala mihi, ne- "
que condemnes me in profundiſſimis terræ; quoniam tu es Deus, Deus pœniten- "
tium: & in me oſtendes bonitatem tuam, quia me indignum ſeruabis ſecundum "
miſeri-

*2 En Apoſtolica doctrina cõtra Cõfeſſioniſtas, & eorum magiſtrũ Philippum, qui licet tradat in Reſp. ad art. 19. Bauaricę inquiſit. neceſſariam eſſe ad remiſſionem peccatorum pœnitentiam, hæc enim continetur in conuerſione peccatoris ad Deũ, fide tamen tradit certò accipi remiſſionem peccatorum. ſic enim ait: Accedat autem fides promiſſionis in euangelio traditæ, quæ affirmat, gratis remitti pec-



,, miſericordiam tuam, & laudabo te ſemper cunctis diebus vitæ meæ; quoniam te
,, laudat omnis virtus cælorum, & tua eſt gloria in ſecula ſæculorum, Amen. &
,, exaudiuit Dominus vocem eius, & miſertus eſt eius, & exſtitit flamma ignis
,, circum eum, & liquefacta ſunt omnia vincula ferrea circum eum, & ſanauit
,, Dominus Manaſſem ex afflictione eius, & reduxit eum Hieruſalem ad regnum
,, eius; & cognouit Manaſſes, quòd Dominus Deus ipſe eſt ſolus. & ſeruiuit ſoli Do-
,, mino toto corde ſuo, & tota anima ſua omnibus diebus vitæ ſuæ: & reputatus
,, eſt iuſtus, & abſtulit deos alienos, & ſculptilia ex domo Domini, & omnia alta-
,, ria, quæ ædificauerat in domo Domini, et omnia altaria, quæ in Hieruſalem, & eiecit
,, extra ciuitatem; & inſtaurauit altare; & fecerunt in eo ſacrificiũ ſalutaris et lau-
,, dis. & iuſſit Manaſſes Iudæ, vt ſeruiret Domino Deo Iſraël, et mortuus eſt in pace
,, cum patribus ſuis. & regnauit Ammon filius eius pro eo, & fecit malum coram
,, Domino ſecundum omnia, quæ fecit pater eius in principio, & irritauit Dominum
,, Deum ſuum. Audiſtis filij chariſſimi, quemadmodũ Dominus Deus eum, qui ad cul-
tum idolorũ ſe dederat, multoſque innocẽtes interfecerat, poſtquam exiguo ſupplicio
affecit, iam pœnitẽtem recepit, & data venia illius delictis, in regnum reſtituit. non
ſolum enim condonat pœnitentibus peccata, ſed in priorem dignitatem reuocat.

cata, & imputari iuſtitiam, & donari ſpiritum ſanctũ, & vitam æternã propter filium Dei, & per eum. hac fide & fiducia intuente filium Dei certò accipitur remiſſio peccatorum; & fit conſolatio, & viuificatio. hæc ille. at oratio iſta Manaſſis, quæ tanquam canonica in Apoſtolica doctrina recitatur, & ad exẽplum conſequẽdi remiſſionem proponitur, non vocat Deum credentium, ſed Deum pœnitentiũ, non enim eſt Deus omnium eorũ, qui dicunt, Domine, Domine; quod quidem ſine fide non dicunt: neque dicit, decreuiſſe Deũ peccatoribus remiſſionem fidei, ſed remiſſionem pœnitentiæ. ſic enim legimus in Ezec. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, ſi cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur. non dixit, ſi dixerit impius, pœnitet me, & crediderit ſibi remitti peccata per Deum, vita viuet: nec enim ſatis eſt, dicere peccaui, pœnitet me, & credo mihi remitti peccata per Ieſum Chriſtum vt tradit catechiſmus Confeſſioniſtarum Lucæ Loſſij, ſed opus eſt verè & ex corde ad exemplum Manaſſis pœnitere, ac dolere: quod quia certò ſcire non poſſumus, & conſcientia noſtra falli poteſt, dum putat ſe quatenus conuenit, pœnitere, idcirco nunquam certò ſcire poſſumus, vtrum remiſſa ſint nobis peccata, idque non poſſe certò ſcire, vtile nobis eſt, & ad vtilitatem noſtram à Deo prouiſum. nec hoc deſperationẽ affert, vt Philippus fingit: Satis enim eſt, quòd confidimus, ſicut Dominus iuſſit nobis in Paralytico, & Hęmorrhoiſſa, qui imaginem peccatorũ geſſerũt, neutri enim eorum credenti dixit, certò ſcias, remitti tibi peccata, ſed alteri dixit, confide fili, remittuntur tibi peccata tua: alteri, confide filia, fides tua tę ſaluam fecit. quod non de ſola fide intelligitur ſecundum euangelium, ſed de fide, quam in tactu fimbriæ operata eſt: ideò enim tetigit, quia credidit, quòd ita potens eſſet, vt ſi vellet, vel ſolo tactu fimbriæ fluxum ſiſteret; non tamen certò ſciebat, quòd vellet ſanare. Sicut Proteſtantes, & Confeſſioniſtæ omnes ſcire volunt, immò ſcire profitentur, ſibi remitti peccata per fidem, quia facilius eſt ſibi & aliis hoc perſuadere, quod nullo labore conſtat, quàm pœnitere, lugere, affligi, & illud ex corde cum ſingultu & gemitu dicere cum Manaſſe exemplo Apoſtolico pœnitentiæ Chriſtianæ, remitte mihi Domine, remitte mihi: & ne perdas me cum meis iniquitatibus. & quæ ſequuntur. obiicit rurſus ibidem idem Philippus, quòd in doctrina de pœnitentia nihil dicamus de fide accipiente gratis remiſſionem peccatorum, quod eſt merum mendacium. quomodo enim de pœnitentia docere poſſumus, & de fide tacere, cùm ſit pœnitentia, vt tradit Clemens Alex. lib. 2. ſtrom. πίστεως κατόρθωμα, id eſt, opus ſiue officium ex fide? niſi enim, inquit, credas peccatum eſſe, in quod incidiſti, & ſupplicia impendere peccanti, ſalutem verò ſeruanti mandata (in mandatis autem continetur rectè pœnitere, & rectè confiteri) non mutaberis, inquit, Clem. ad pœnitentiam, per quam fit, vt idem ait, & hæc Apoſtolica doctrina docet, remiſſio peccatorum, & quidem gratis per Dei miſericordiam. Miſericordia enim, vt ait B. Chryſoſtomus, χάριτός ἐστιν οὐ τῆς κατ' ἀξίαν, id eſt, gratiæ eſt, & non dignitatis, ſiue meriti. Hic quoque redarguitur quod Illyricus in defenſione Confeſſionis Antuerpienſis contra Iudocum Tiletanum cap. 6. negat, pœnitentia expiari peccata, quia Chriſtus, inquit, ſuper ſuum nomen, & ſanguinem, & non ſuper peccatoris pœnitentiam remiſſionem exſtruit; & cùm dixit, quorumcunque remiſeritis peccata &c. nulla fit pœnitentiæ mentio. hæc dicit quaſi pœnitentia peccatoris cum ſanguine Chriſti pugnet, vt non poſſit exſtrui remiſſio ſuper ſanguinem eius cum pœnitentia peccatoris; quæ ſecũdum legem naturæ inſitam neceſſaria eſt ad remiſſionem peccati, quam pœnitentiam in remiſſionem peccatorum præcurſor Chriſti Ioannes prædicabat: aut quaſi ſanguis Chriſti legem naturæ ab ipſo Chriſto inditam, deleuerit, ac nõ potius perfecerit, ac conſummauerit. quòd ſi in eo, quod Chriſtus dixit, quorumcunque remiſeritis peccata, &c. mentionem pœnitentiæ Illyricus deſiderat, nec ei ſatisfacit Beati Ioannis prædicatio pœnitentiæ, habet hic Apoſtolicam doctrinã, quæ promiſſionem diuinã remiſſionis pœnitentiæ ad inſtitutionem eccleſiæ catholicæ celebrat.

Cap. XXIII. In eos qui peccant per cõtemptum, exemplo Amon.

NVLLVM maius peccatum, quàm idolorũ cultus, eſt enim impietas in Deum; tamen per veram pœnitentiam remiſſum eſt. Si quis verò ex acie delinquat, tentans Deum, quaſi non inſequatur pœnis improbos; is quidem veniam *1 non impetrabit, quamuis illud ſecum dicat, bene mihi vertat Deus, quoniam ambulabo in conuerſatione cordis mei praui. Talis exſtitit Amon filius Manaſſis, de quo ait ſcriptura: decepit ſe Amon mala cogitatione tranſgreſſionis, & dixit, pater meus multa peccata ab adoleſcentia commiſit, & cùm ſenex eſſet, commiſiſſe pœnituit, & nunc ego ambulabo, vt expetit anima mea; & poſtea conuertam me ad Dominum: & egit improbè coram Domino ſupra omnes natos ante ſe, & deleuit eum Deus celeriter ex terra eius bona, & ſerui impetum in eum fecerunt, & domi eius interfecerunt, & regnauit duobus tantùm annis.

*1 Hoc eſt peccatum in ſpiritũ ſanctum, in quod non cadit vera pœnitẽtia, cùm peccator veluti acie inſtructa in Deum, timore penitus excluſo, peccat tentãs eum, quaſi ipſe nõ ſit iuſtus, vt odio habeat iniquitatem, & inſequatur hoſtes nequitiæ operarios. Qui igitur non putant Deum iuſtũ eſſe, & ideò chariſma timoris Dei abiiciũt, hi dicuntur in ſpiritum ſanctũ peccare; hos dixit beatus Petrus diſputans contra Simonem Magum qui Deum ponebat bonum tantum, & non iuſtum, propter ignorantiam iuſtitiæ Dei non timere, & ob eam cauſſam repleri eos peccatis, exiſtimantes, inquit, Deum bonum tantum, ὡς μὴ ἐπεξερχόμενον αὐτῶν τὰς ἁμαρτίας, id eſt, tanquam non vleiſcentem peccata eorum. Non cadit autem vera pœnitentia in hoc peccatum, quia non

vult

vult peccator, & impoſſibile vocatur, τὸ ἀβούλητον, id eſt, quod quis non vult. ſumpſit autem Clem. tranſlationem verbi παρατάξεως, quod ſignificat aciem, ex loco euangelij de hoc peccato in ſpiritum ſanctum, cùm ait, qui non eſt mecum, contra me eſt quaſi hoſtis, cùm in acie ſtat contra alium: ſtatim enim ſubiungit de hoc peccato in ſpiritum ſanctum. de his dixit Apoſtolica doctrina lib. 3. cap. 8. velle perſeuerare in peccato. & lib. 4. cap. 6. pugnare cum voluntate Dei. Paulus Hebr. cap. 10. vocat voluntariè peccantes; & non relinqui eis hoſtiam pro peccato: dixit pro eo, quod in euangelio, non remitti in hoc ſæculo, nec in futuro. Huiuſmodi eſt peccatum Confeſſioniſtarum, qui Confeſſiones nouorum dogmatum catholicæ Confeſſioni, quæ vna eſt vbique, oppoſuerunt, velut ex aduerſa acie contra Chriſtum, & eccleſiam eius bellantes, & tentantes Deum, quaſi non ſit de eis pœnas ſumpturus, ignorantes iuſtum eſſe: & ideò omni timore Dei carentes.

Cap. XXIIII. Quòd Chriſtus Ieſus Dominus venit ad ſaluandos peccatores per pœnitentiam.

*1 Vbique adiungitur pœnitentiæ ſatisfactio ſecundum Apoſtolicam doctrinam ceu medicina ad morbi curationem. miniſtri verò Proteſtantium cùm abſoluunt, vt ipſi putant, à peccatis ſine impoſitione ſatisfactionis, vt imperiti medici, morbum ſine medicina ſanare volunt.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina, quę Illyricum mendacij conuincit, cùm ait in legenda de ſancti Petri epiſcopatu, ſiue papatu; ſic enim inſcripſit: quã legẽdam apologiæ Antuerpienſis confeſſionis adiunxit, quòd Chriſtus beatum Petrum epiſcopum, vel papam Iudæorum, & non gentilium conſtituerit. Quæramus ergo ex Illyrico, quoſnam vocat hic Apoſtolica doctrina Chriſti ἰδίους ἄρνας, id eſt, Chriſti proprias pecudes quarum factus eſt paſtor beatus Petrus, eos ne ſolum, qui erãt ex Iudęis? an etiam, qui erant ex Gẽtilibus? quòd ſi vtroſque, vt neceſſe eſt reſpondere, igitur non fuit Iudæorum tantùm paſtor, ſed etiam Gentilium. quòd ſi non vtroſque reſpondeat, redarguet eum ſtatim euangelium Ioannis, in quo Dominus dixit, alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili; Gentiles enim dicebat; & illas oportet me adducere: & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor. huius igitur vnius ouilis vnus item paſtor fuit beatus Petrus, vt hoc loco Apoſtolica doctrina cum euangelio conſentiens affirmat. quos enim hic vocat ἰδίους ἄρνας, vocat Chriſtus in euangelio Ioannis agnos ſuos propter νεοφωτίστους, id eſt, recentes in fide: & oues ſuas propter firmiores in fide, de quibus dixit beato Petro, paſce agnos meos, paſce oues meas. vtrumque enim ſignificat verbum ἄρνες, quod nos ſimplicius interpretati ſumus pecudes.

*Cavete igitur laici, ne quis veſtrùm cogitationem Amon in animo ſuo firmet, ne breui intereat: Similiter epiſcopus conſeruet ſuos pro viribus, vt qui non deliquerunt, extra peccatum maneant; & qui deliquerunt, à delictis reuerſos *1 recipiat; medicinam adhibendo. Quòd ſi pœnitentem crudelis non admiſerit, peccabit in Dominum Deum ſuum iuſtificans ſeipſum ſupra illius iuſtitiam, & non recipiens hominem, quem Deus per Chriſtum recepit; cuius cauſſa miſit Deus in terram filium ſuum hominem hominibus: propter quem voluit, vt auctor viri & mulieris, ex muliere ortum caperet; cuius gratia permiſit, non parcendo filio, vt crucem, & mortem, & ſepulturam pateretur, natura alioqui alienus à patiendo filius dilectus, Deus verbum, magni conſilij angelus, vt videlicet obnoxios morti à morte eriperet: Hunc prouocant ad iram, qui non recipiunt pœnitentes. Hac ratione non eum puduit mei, qui antea fueram Matthæus publicanus; neque puduit Petri, qui ter propter metum negauerat, quem quidem recepit, ac *2 paſtorem pecudum ſuarum fecit, poſtquam pœnitendo placauit Deum, & amarè fleuit: Atque etiam Paulum coapoſtolum noſtrum, cùm prius multis nos malis affeciſſet, & contumeliis nomen ſanctum Chriſtianorum vexaſſet, apoſtolum ex perſecutore fecit, & vas electionis eum declarauit: idem quoque cuidam mulieri peccatrici ait, remittuntur tibi peccata multa, quia dilexiſti multum. Alteram verò, quæ deliquerat, cùm ſeniores ante eum ſiſterent, iudicio eidem relicto, egreſſi ſunt; Dominus autem, qui corda nouit, percontatus eam, eſſet ne à ſenioribus condemnata, cùm negaſſet illa, abi igitur, inquit, neque ego te condemno. In hunc Saluatorem, regem, & Dominum ac Deum noſtrum Ieſum vos epiſcopi tanquam in ſcopum aſpicere debetis, hunc vos imitari oportet, manſuetos eſſe, quietos, miſericordes, clementes, pacificos, non iracundos, ſtudio docẽdi, conuertendi, recipiendi, hortãdi deditos, non percuſſores, non cõtumelioſos, non arrogantes, non contẽptores, nõ temulentos, non ſumptuoſos vanè, non voluptuarios, nõ magnas impenſas facientes, neq; datis † à Deo tanquam alienis, ſed tanquam *3 propriis Dei vtentes, vt bonos diſpenſatores, & vt rationem à Deo repoſcendos. Sumat ergo epiſcopus cibi quantum ſufficiat: in indumentum, quod neceſſitati, & grauitati congruat. Bonis inquam Dominicis non tanquam alienis vtatur, moderatè tamen; dignus eſt enim operarius mercede ſua: Ne ſit luxurioſus, neque abutatur rebus, ſed ea tantùm appetat, quæ corporis conſtitutio poſtulat.

*3 Bonorum eccleſiaſticorum quæ miniſtris eccleſiæ tanquam egentibus, & operariis mercede ſua dignis à Deo dantur, ſecundum Apoſtolicam doctrinam Domini ſunt ipſi miniſtri eccleſiæ ad vtendum eis moderatè, id eſt, ad vſus vitæ neceſſarios, & non amplius. Quæ autem neceſſitatem ſuperant, communicanda ſunt ab eis tanquam à fidelibus diſpenſatoribus cum egentibus: horum enim non domini, ſed diſpenſatores ſunt, vt quæ non ſua, ſed Dei propria ſint ad vſus egentium deſtinata, & epiſcopis credita. condemnat ergo hæc Apoſtolica doctrina ſacrilegij Proteſtantes, qui bona eccleſiaſtica, quæ Dominus, cui oblata fuerant, epiſcopis eccleſiarum dederat, in vſus hoſpitalium, vt ipſi gloriantur, & ſcholarum, & pauperum auctoritate magiſtratus tyrannicè & impiè tranſtulerunt. Si enim bonis eccleſiaſticis epiſcopi abutebantur, vt Proteſtantes obiiciunt, à Deo erant rationem repoſcendi ſecundum Apoſtolicam doctrinam, non autem à laico magiſtratu iudicandi.

QVAE



Cap. XXV. De decimis, & primitiis, & oblationibus, & quomodo debeat epiſcopus vel ipſe accipere ex eis, vel aliis diſtribuere.

*1 En Apoſtolica conſtitutio, quę eos furti, & ſacrilegij condẽnat, qui bona eccleſiaſtica, quæ bona Domini dicuntur & ſunt, pręter ea, quæ ad vſus vitæ neceſſarios, & decentes opus ſunt egentibus, quorum ſunt, tanquàm fideles œconomi ac procuratores, non diſtribuunt; etenim ſi cum iuſtitia, quæ ſuperſunt vſui moderato, diſtribuenda ſunt, vt cuiuſque neceſſitas, & ratio poſtulat; ergo qui iuſtitiã diſtribuendi non ſeruauerit, hæc enim eſt, quæ quod cõmune multorum eſt, ſingulis, vt cuique debetur, diuidit, debet per legem iuſtitiæ ſpecialis commutatiuę reſtituere, vt tãdiu rapinæ, aut furti reus ſit, quãdiu non reſtituit, quatenus fieri poteſt, & decet.

*2 Quia in principio capitis Apoſtolica doctrina decimas, & primitias, quæ cauſſa epiſcopi, & cleri dantur iuſſu Domini, ab iis diſtinxerat, quæ cauſſa pauperũ ſpõte offerũtur, ne quis ſuſpicaretur, ſeruãdam eſſe epiſcopo iuſtitiam in iis tantũ quæ cauſſa pauperum oblata ſunt ſponte, non autem in decimis, & primitiis, quæ cauſſa miniſtrorum iure tribuuntur, iubet epiſcopo, vti bonis Dominicis moderatè, cum iuſtitia, iis, inquam, bonis, quæ cauſſa dantur miniſtrorum eccleſiæ, id eſt, iubet ſumere quantum ſibi opus eſt iuxta canonẽ Apoſtolorũ. 41. vt reliqua dentur indigẽtibus, ita vt ſi plus, quã opus habet, ſumat, im-

Qvae ſecundum Dei mandatum tribuuntur, decimas dico, & primitias, inſumat epiſcopus, vt homo Dei; quæ cauſſa pauperum ſponte offeruntur, diſtribuat decenter in pupillos, in viduas, in afflictos, & calamitoſos, & in hoſpites egentes, tanquam qui Deum habeat harum rerum ratiocinatorem quarum procurationem ei cõmiſerit. Impartite igitur epiſcopi cum iuſtitia *1 omnibus egentibus; & vos vtimini ex parte bonis Domini, ſed non abutimini; edite ex eis, ſed ne ſoli ea deuorate, imò communicate cum egentibus, & vitate offenſionem Dei; etenim ſi hæc ſoli inſumpſeritis, illud vobis tanquam inſatiabilibus, & qui ſoli ea comedatis, exprobrabit Dominus, lac deuorabatis, & lanis operiebamini: & aliàs, an ſoli in terra habitabitis? quo circa iuſſum eſt vobis in lege, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Atque hæc quidem dicimus, non vt laboribus veſtris non fruamini, ſcriptum eſt enim, non obligabis os boui trituranti, ſed vt moderatè cum *2 iuſtitia. Vt igitur cùm bos in area operatur ore non obligato, inde paſtum capeſſit, non tamen totum, quod in area eſt, ab eo depaſcitur; ſic etiam vos cùm in area, id eſt, in eccleſia Dei operam exercetis, edite ex eccleſiæ bonis, vt Leuitæ quoque faciebãt, qui in tabernaculo teſtimonij miniſtrabant, quod ex omni parte figura eccleſiæ erat; præterea etiam ipſo iam nomine teſtimonium eccleſiæ tabernaculum illud præmonſtrabat. Hic igitur Leuitæ, qui in tabernaculo aſſidui erant, ex iis, quæ Deo ab vniuerſo populo nomine oblationis donabantur, & ex portionibus, atque ex primitiis, & decimis, & ex hoſtiis, & oblationibus liberè accipiebant ipſi, & eorum vxores, ac filij, & filiæ. Quia verò eorum munus erat miniſtrare in tabernaculo, idcirco nõ ſunt inter filios Iſraël datæ eis poſſeſſiones, quoniã populi oblationes poſſeſſio Leui erant, et hæreditas leuiticæ tribus. Vos ergo epiſcopi eſtis hodie populo veſtro ſacerdotes, *3 leuitæ, qui miniſtratis in ſacro tabernaculo ſanctæ & catholicæ eccleſiæ, & ad arã Domini Dei noſtri aſſiſtitis, eidémq; hoſtias rationales, & incruentas per Chriſtum Pontificem magnum offertis. Vos eſtis veſtris laicis *4 prophetæ, principes, duces, reges, *5 mediatores Dei, & fidelium eius, receptacula verbi Dei, & præcones eius: cognitores ſcripturarum, & Dei ſoni, ac teſtificatores voluntatis eius: qui delicta omnium portatis, & de omnibus rationem reddituri eſtis, quibus, vt audiſtis, grauiter ſcriptura minatur, ſi clauem ſcientiæ hominibus celaueritis; quibus periculum impendet mortiferum, ſi voluntatem Dei populis, quibus præeſtis, non denunciaueritis: quibus rurſus ſi bene, & vt decet, tabernaculo ſancto miniſtraueritis, certa merces, & gloria maior, quàm vt dici poſſit, propoſita eſt. vt enim veſtrum eſt onus, ita quoque alimenta, & alia ad vſus vitæ neceſſaria tanquam fructus percipitis; imitatores enim eſtis Chriſti Domini: vt ſicut ille noſtra omnium peccata in ligno crucis tulit crucifixus abſque vlla culpa, & macula pro iis, qui ſupplicio digni erant: ſic etiam vos populi delicta vobis attribuere, et veſtra ducere debeatis; dictum eſt enim de Saluatore noſtro apud Eſaiam, Hic peccata noſtra portat, & pro nobis dolet. & rurſus, Ipſe peccata multorum tulit, & propter iniquitates multorum traditus eſt. Vt igitur vos ſcopus eſtis, ſic Chriſtus ſcopus veſter eſt. Quare vt ille omnium veſtrûm eſt, ſic vos eorum omnium laicorum qui ſub veſtra poteſtate ſunt: ne enim exiſtimetis facile, & leue *6 onus eſſe epiſcopatum. Ergo oportet, vt pondus fertis, ſic quoque fructum in primis percipiatis, eumque cum egentibus communicetis, tanquam rationes cum illo putaturi, qui in veſtris rationibus ſubducendis decipi non poterit. Oportet nanque, vt qui in eccleſia aſſidui ſunt, eos eccleſia alat, vtpote ſacerdotes, leuitas, præ-
Num. 18. poſitos, miniſtros Dei, ſicut in libro Numerorum ſcriptum eſt de ſacerdotibus: Et dixit Dominus ad Aaron, Tu & filij tui, & domus patris tui accipietis peccata

ſanctuarij

*ſanctuarij ſacerdotij veſtri, ecce dedi vobis cuſtodiam primitiarum ex omnibus ſanctificatis mihi à filiis Iſraël; dedi tibi eas in honorem, & præmium, & filiis tuis poſt te legitimum ſempiternum: & hoc erit vobis ex ſanctificatis de fructibus, & ex donis, atque ex omnibus ſacrificiis, & ex omni delicto, & de peccatis: & quæcunque mihi reddunt ex omnibus ſanctis, tibi erunt, & filiis tuis: in ſanctuario comedetis ea. & paulò pòſt: omnes primitiæ olei & vini, & frumenti, quæcunque Domino dederint, tibi dedi ea; & omnes primitias frugum tibi dedi, & omne quod conſecratum eſt, tibi confluebat; omne primogenitum hominis; & iumenti, mundi & immundi, conſecratum victimæ, pectuſculi, & brachij dextri, ad ſacerdotes pertinent, & ad leuitas, qui apud eos manent. Audite hæc ò laici, & eccleſia Dei electa: prius enim populus, populus Dei, & gens ſancta vocabatur. & *7 vos igitur eſtis ſancta & ſacra eccleſia deſcripta in cælis, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, ſponſa ornata Domino Deo, eccleſia magna, eccleſia fidelis. quæ prius dicta ſunt, audi ea nunc attentè. Portiones, decimæ, primitiæ Chriſto pontifici, & miniſtris eius: decimæ ſalutaris, † principium nominis Ieſu. Audi ſacra, catholica eccleſia, quæ decem plagas illas euaſiſti, decalogum accepiſti, legem didiciſti, fidem tenuiſti, in Dominum Ieſum credidiſti, & nomine eius appellata es, quæ in *8 conſummatione gloriæ eius firmata es, & ſplendes. quæ antea ſacrificia, nunc precationes, & *9 obſecrationes, & Euchariſtiæ; quæ tunc primitiæ, & decimæ, & portiones, ac dona, nunc oblationes, quæ per ſanctos epiſcopos offeruntur Domino Deo per Chriſtum, qui pro omnibus mortuus eſt. Hi nanque ſunt veſtri pontifices; *10 ſacerdotes verò veſtri ſunt presbyteri: *11 Leuitæ † autem veſtri, qui nunc ſunt diaconi; & qui lectores veſtri, & cantores & ianitores; diaconiſſæ item veſtræ, viduæ, & virgines, & orphani; ſupra hos verò omnes Pontifex eſt.*

moderatè, & iniuſtè ſumat. itaque vt iuſtitia cum moderato vſu epiſcopi coniuncta eſt, ita iniuſtitia cum immoderato.

*3 Quatenus Leuitæ erant ad miniſtrandum Domino ordinati, & ex oblatis Domino viuebant, dicuntur epiſcopi ſuorum populorum ſacerdotes Leuitæ, ſunt enim põtifices, ſicut Apoſtolus ait, ex hominibus aſſumpti, pro hominibus cõſtituti in iis, quæ ſunt ad Deũ iuxta ſignificationẽ nominis Leuitę, quod ſignificat aſſumptum, ſicut Leuitæ aſſumpti ſunt pro cunctis primogenitis filiorũ Iſraël, vt ſeruiant, inquit, pro Iſraël. quatenus verò Leuitæ erant ſub Aaron, & filiis eius, ſicut ſcriptum eſt 1. Paral. cap. 23. eruntque ſub manu filiorum Aaron in cultũ domus Domini; ſic põtifices veteres figuram gerebant epiſcoporum, ſacerdotes presbyterorum; Leuitæ verò, qui non in ſanctuario, ſed in tabernaculo miniſtrabant, diaconorum, lectorum, cantorũ, ianitorum.

*4 En Apoſtolica doctrina, quæ conuincit falſum eſſe dogma Lutheranorum, qui tradunt, iudicium de ſcriptura, & dogmatibus fidei ad omnes Chriſtianos pertinere. non enim pertinet niſi ad epiſcopos primum, quos Deus poſuit in eccleſia Prophetas, ſic enim vocat eos Paul. 1. Cor. 12. & Luc. Act. 13. quia ſunt, ſicut ait Apoſtolica doctrina, cognitores ſcripturarum, & ſoni Dei, &, vt Dionyſius vocat in cap. de piè defunctis, denunciatores diuinorum iudiciorum. pertinet deinde ad presbyteros, quos Deus poſuit in eccleſia; tertiò doctores, qui ſunt etiam Prophetæ, ſed minores, id eſt, ſub epiſcopo, cui ſunt ſubiecti. ergo qui volunt iudicium de dogmatibus ad omnes Chriſtianos pertinere, omnes Chriſtianos volunt eſſe Prophetas, & omnes doctores: cùm Apoſtolus dicat, nunquid omnes prophetæ? nunquid omnes doctores? & illud 1. Cor. 14. Prophetæ duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent. non dixit, & cæteri Chriſtiani, ſiue fideles diiudicent: ſed cæteri ſcilicet Prophetæ. de prophetis enim loquebatur, ita vt repetendum ſit ἀπὸ κοινοῦ, quæ eſt figura in ſcripturis frequentiſſima & familiariſſima, quæ alio nomine Zeugma dicitur, repetendum, inquam, ſit, cæteri Prophetæ: niſi enim prophetæ cùm docent de ſcripturis & dogmatibus, non à quibuſlibet Chriſtianis, ſed ab aliis prophetis diiudicandi eſſent, quibus oportet ſubiectos eſſe in timore Chriſti (Diiudicari enim eſt quoddam ſubiici) quorſum ſubiungeret, poteſtis omnes ſcilicet Prophetæ per ſingulos prophetare, & à cæteris ſcilicet Prophetis diiudicari, ſicut iam dixerat, ſpiritus enim prophetarum, id eſt, Prophetæ ſpirituales prophetis ſubiecti ſunt.

*5 En Apoſtolica doctrina, quæ mendacij ſimul & ignorantiæ Proteſtantes, & Illyricum coarguit, qui in defenſione Confeſſionis Antuerpienſis contra Tiletanum cap. 15. ait, cùm Canon miſſæ meritis & precibus ſanctorum vult hominibus auxilium Dei impetrare, fieri eos mediatores pro Chriſto vnico noſtro mediatore; non ita eſt. aliter enim eſt mediator Chriſtus, aliter ſancti in cælo, & ſacerdotes in eccleſia, quod adhuc iſti ignorant. Chriſtus enim factus eſt mediator Dei, & hominum non ſolùm verbis, & precibus, ſed ſeipſo, vt ait Simeon Theſſ. in lib. de myſteriis Miſſæ, c. 28. etenim quia erat, inquit, Deus ſimul & homo, Deum cum hominibus vniuit, ſeipſum ὡς κοινὸν ὅρον vtrique naturæ immittens. Vnde in Miſſa (vt idem auctor ait) non eſt mediator Chriſtus per preces & obſecrationes, quæ ſunt ſacerdotum, ipſe enim eſt, qui myſterium corporis ſui ſanctificando operatur, & qui fideles ſanctificat, idem vt homo Deus offerens, & oblatus, & idem vt Deus oblationem ſuſcipiens; ſacerdotes verò ſunt mediatores in Miſſa, per miniſterium oblationis, & orationum, obſecrationum, poſtulationum, & gratiarum actionis, tanquam miniſtri, vt ſancti in cælo. Vnde Apoſtolica doctrina non vocauit hic epiſcopos mediatores Dei, & hominum, ſicut ſcriptura ſancta Chriſtum vocat, quod iam expoſitum eſt; ſed mediatores Dei, & fidelium tanquam miniſtros ſcilicet ad intercedendum per cultum illum myſticum, & per preces pro fidelibus, pro quibus offerunt. non enim offerunt pro infidelibus neque pro hæreticis, nec excommunicatis, ſed pro membris eccleſiæ Dei, neque ſunt eorum & Dei mediatores in oblatione Miſſæ, Chriſtus verò mediator eſt Dei, & omnium hominum.

*6 Hoc eſt quod ait Paulus, qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat, id eſt, difficile, & laborioſum negotium, hoc enim ſignificat aliquando in ſcriptura ἔργον, id eſt, opus, quod arduum & difficile eſt, vt Pro. c. 20. virum fidelem opus inuenire. quod igitur ineſt operis & laboris, ac negotij difficilis in epiſcopatu appetere licet; quod verò in eo eſt honoris, dignitatis, & ſplendoris, ac facultatum, non licet.

*7 En ſecundum doctrinam Apoſtolicam commune, & laicum ſacerdotium aliud à ſacerdotio ſpeciali & ſacro ex ordinatione, quod eſt in epiſcopis, & presbyteris tantum contra Proteſtantes, qui laicos numerant ſacerdotes eccleſiæ.

*8 Paſſionem Chriſti vocat Apoſtolica doctrina conſummationem gloriæ, in Chriſto enim Ieſu per paſſionem conſummato, ſicut Apoſtolus ait, habent, qui in eccleſia ſunt, redemptionem per ſanguinẽ ipſius remiſſionem peccatorum, ita vt inferi nõ præualeant aduerſus eos: quod eſt firmari eccleſiam Chriſtianorum in conſummatione gloriæ Ieſu.

*9 En ſecundum Apoſtolicam doctrinam non ſolùm Euchariſtia, id eſt, gratiarum actio, ſacrificium eſt, ſed ſacra etiam Euchariſtia, id eſt, oblatio corporis Domini in Miſſa. cùm enim numero multitudinis dicat Apoſtolica doctrina à diſcipulo Apoſtolorum deſcripta, eſſe nunc Euchariſtias ſacrificia, ſi gratiarum actio, cui minus conuenit hoc nomen Euchariſtiæ, ſacrificium eſt, & dicitur; conſequens eſt, vt

cui ma-



cui magis, & excellentius conuenit, id eſt, conſecratio corporis Domini, quæ in Miſſa conficitur, ſacrificium quoque ſit, & dicatur, & quidem excellentius; conuenit autem magis nomen Euchariſtiæ huic myſterio corporis Domini, quia eſt cauſſa & fons omnis gratiarũ actionis, & omnium bonorum. quòd ſi tota actio, inuocatio, & gratiarum actio adiuncta ſumptioni rectè dicuntur ſacrificia, vt Philippus ait in Reſp. ad art. Bauaricæ inquiſ. art. 17. cùm nec in his fiat mactatio, & hæc propter myſterium ipſum corporis & ſanguinis, cui adiuncta ſunt, fiant ſacrificia Deo accepta, conſequens neceſſariò eſt, vt illud ipſum myſterium corporis Domini, quod in Miſſa conficitur, propter quod fiunt illa ſacrificia, magis fiat, & dicatur ſacrificium, & magis acceptum Deo. Sed quòd ſacra Euchar. ſacrificium ſit, eadem doctrina Apoſtolica tradit lib. 6. cap. 23. planè, & expreſsè, & lib. 8. cap. 46.

*10 Teſtimonium Apoſtolicæ doctrinæ, presbyteros eccleſiæ catholicæ propriè eſſe, & dici ſacerdotes contra Proteſtãtes, qui hoc negant, quòd nuſquam in nouo teſtamento hoc nomen ſacerdotis presbyteris tribuatur, quod quidem diuino conſilio & prouidentia factum eſt, ne ſacerdotium noſtrum in illis initiis, ex communitate nominis aliquid commune cum ſacerdotio veteris legis habere exiſtimaretur, præſertim cùm ſcirent Iudæi legem, & Prophetas à nobis honorari: quin potiùs nouitas verbi nouitatem rei declararet, donec deuaſtato templo Hieroſolymitano, & deleto cultu Moſaici ſacerdotij omnis ea ſuſpicio eiiceretur: tunc enim frequentari cœpit nomen ſacerdotis, quod quia gentilibus erat vſitatum, valebat quoque ad alliciendum eos ad noſtram religionem.

*11 Si diaconi, & reliqui miniſtri eccleſiæ infra diaconos, & cum eis diaconiſſæ, viduæ, virgines, & orphani ſunt leuitæ populi Chriſtiani, ergo ex oblatis Deo alendi ſunt, ſicut leuitæ veteris teſtamenti. Quare cùm epiſcopi, & presbyteri, quæ oblata ſunt Domino, accipiant, conſequens neceſſariò eſt ſecundum Apoſtolicam traditionem, vt quæ eorum vſus neceſſarios, & decentes ſuperant, diſtribuere iſtis omnibus debeant iuxta Canonem Apoſtolorum 4. qui iubet epiſcopo, & presbyteris impertiri diaconis, & reliquis clericis, & iuxta hanc Apoſtolicam conſtitutionem, quæ diaconiſſas, virgines, viduas, & orphanos cum illis miniſtris minoribus coniungit, & in leuitis populi Chriſtiani numerat.

Cap. XXVI. In cuius imagine, & dignitate quiſque in clero à Deo poſitus, & collocatus ſit.

*QVI epiſcopus eſt, hic eſt miniſter verbi, ſcientiæ cuſtos, mediator Dei, & veſtrum in iis, quæ ad eum colendum pertinent: hic eſt magiſter pietatis, ac religionis: hic eſt ſecundum Deũ pater veſter, qui vos per aquam, & Spiritum ſanctum in adoptionem regenerauit: Hic princeps, & dux veſter: hic veſter rex, & præfectus; hic poſt Deum terrenus Deus, qui honore veſtro frui debet; de his enim, & ſimilibus aiebat Deus, ego dixi, dij eſtis, & filij altiſſimi omnes: & diis populi tui non detrahes. Epiſcopus igitur vobis præſideat, vt dignitate Dei cohoneſtatus; qua clerum ſub poteſtate ſua tenet, & toti populo præeſt. Diaconus verò aſſiſtat huic, vt Chriſtus patri; ac miniſtret ei ſanctè in omnibus, vt Chriſtus nihil priuata auctoritate faciens, quæ placita ſunt patri, facit ſemper. Diaconiſſam verò honorate, vt repræſentet vobis ſpiritum ſanctum: nihilque ea agat, aut loquatur abſque diacono, ſicut neque ſpiritus ſanctus quicquam priuatim agit, aut loquitur, quin potiùs ad honorem Chriſti † voluntatem eius expectat. & vt non contingit credere in Chriſtum ſine doctrina ſpiritus ſancti, ſic ad diaconum, aut epiſcopum nulla mulier ſine diaconiſſa accedat; presbyteri nos Apoſtolos repræſentare exiſtimentur: ſintque doctores cognitionis Dei. Siquidem Dominus cùm Apoſtolos mitteret, euntes, inquit, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, docentes ſeruare omnia quæcunque præcepi vobis, viduas, & pupillos exiſtimate, quaſi altare repræſentent: Habete etiam honorem virginibus, vt thuribulum, & odoratum thymiama repræſentantibus.*

Matth. cap. 28.

Cap. XXVII. Quòd horrendum ſit intrudere ſe dignitati ſacrę, vt Coritę, vt Saul, vt Ozias fecerunt.

*VT igitur non licebat *1 alienigenæ, cùm non eſſet leuita, offerre aliquid, aut ad aram accedere ſine ſacerdote, ſic vos ſine epiſcopo nihil agite: Sin verò quiſpiam abſque epiſcopo quicquam faciat, fruſtra faciat; neque enim ipſi reputabitur in opus. vt enim Saul cùm ſacrificium fecit, Samuele abſente, audiuit, ſtultè egiſti: ſic *2 quicunque laicus ſine ſacerdote aliquid operatur, inaniter operatur: & vt Ozias, quia fecit cùm non eſſet ipſe ſacerdos, quæ ad ſacerdotes pertinebant; propter crimen violatæ legis leprà affectus eſt; ſic nullus laicus impunè feret, qui Deum contempſerit, in ſacerdotes eius inſani erit, & honorem ſibi vſurparit minimè Chriſtum imitatus, qui non ſe glorificauit, vt fieret pontifex, ſed expectauit, vt patrem*



*audiret,*

*1 Secundũ Apoſtolicam doctrinam nõ poteſt laicus fieri miniſter eccleſię, quia cõparat illum cum alienigena, de quo iubebat Lex Num. 18. ne miſceretur cum ſacerdotibus, neque Leuitis, id eſt, vt non poſſet miniſtrare in tabernaculo teſtimonij, quod Aaroni, & filiis eius iubebat, id eſt, ſacerdotibus; nec ad opera tabernaculi, quod erat Leuitarum excepta tractatione vaſorum ſanctuarij, & altaris. magiſtratus ergo Proteſtantium cùm laicos ad miniſterium eccleſiæ vocant, alienigenas cum filiis Aaron, & cum Leuitis contra legem miſcent, quos faciunt imitari Saulem, Oziam, Coritas, Dathan, & Abiron: quorum vt ſunt ſceleris ſocij, ſic quoque ſupplicij conſortes erunt.

*2 Teſtimoniũ Apoſtolicæ doctrinæ contra Proteſtantes, nõ poſſe eſſe laicos miniſtros eccleſiæ in ordine ſacerdotali, quia poteſtas ſæcularis etſi ſe dicat habere ius inſtituendi miniſtros eccleſiæ, quia & ipſa ſe putat habere ſacerdotium, tamen non eſt præſtantior, id eſt, non eſt ſacerdotium eius ordinis præſtantioris, vt miniſterium ſacerdotale dare alteri poſſit, quia eius ſacerdotium laicum eſt, vt cuiuſlibet de populo Chriſtiani. Sine vlla autem contradictione, inquit Apoſtolus, quod minus eſt, à meliore ſiue præſtantiore benedicitur. atqui inſtitutio miniſtri eccleſiæ nõ poteſt fieri ſine benedictione. nobis autem duo ordines ſacerdotum à ſanctis Apoſtolis traditi ſunt epiſcoporum, qui ſunt præſtantioris ordinis, & presbyterorum infra eos.

*audiret, iurauit Dominus, & non pœnitebit, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Si igitur Chriſtus non vindicat ſibi priuatim gloriam ſine patre, quomodo poteſt homo ſeipſum in ſacerdotium proiicere, non accepta dignitate à præſtantiore? aut illa facere, quæ ſolis ſacerdotibus licent?* Nónne Coritæ cùm *alioqui Leuiticæ tribus eſſent, arſerunt tamen, quia ſeſe in Moyſen, & Aaron extulerunt, & de iis quæ ad ſe non pertinebant, cum eis certarunt? &* Dathan, *atque Abiron viui, terra dehiſcente, in infernum deſcenderunt? & virga illa quæ floruit, multorum inſolentiam repreſſit, et pontificem à Deo electum declarauit? Oportet igitur vt & vos fratres ſacrificia veſtra, id eſt, oblationes epiſcopo, vtpote pontifici, aut per voſipſi, aut per diaconos offeratis; imò primitias quoque, & decimas, & quæ ſponte offeruntur, is enim probè nouit afflictos, et cuique tribuit, vt congruit; ne quis eodem die, aut eadem hebdomada bis, aut ſæpiùs accipiat, alius verò nihil penitus: æquius enim eſt iis ſuppeditare, qui reuera magis inopia premuntur, quàm iis qui premi exiſtimantur.*

CAP. XXVIII. De conuiuio, & quomodo oporteat vnũquemque honorare.

AD † *conuiuium, quod agape dicitur, & Euangeliſta δοχὴν appellauit, qui anus* *1 *inuitare voluerint, ei quam diaconi afflictam eſſe ſciant, mittant ſæpe; ſeponant verò in conuiuio paſtori, quod conſuetum eſt, primitias dico illius epuli tanquam ſacerdoti, quamuis non adſit in conuiuio, idque in honorem Dei, qui ei ſacerdotium mãdauit: Quantum verò cuiq. impertitur, altero tanto plus diaconis impertiatur, vt ſit munus Chriſto. Presbyteris autem, ſi aſſiduè in ſtudio docendi verbum Dei laborauerint, ſeponatur dupla etiam portio in gratiam Apoſtolorum Chriſti, quorum locum tenent, tanquam conſiliarij epiſcopi, & eccleſiæ corona; ſunt enim conſilium & ſenatus eccleſiæ. ſi autem & lector eſt, is partem vnam in honorem prophetarum accipiat; item cantor, & ianuæ cuſtos. vnicuique igitur dignitati honorem laici habeant, qui in iis, quæ dantur deceat, & qui reuerentiæ erga vitam illius, cui datur, adhibendæ conueniat. Caueant verò ne facilè obſtrepant ei, qui præeſt; quin potius quæ volent, per miniſtros, id eſt, per diaconos ſignificent, cum quibus audaciùs ac fidentiùs agant. Neque enim ad omnipotentem Deum accedere licet, niſi per Chriſtum. Ad hunc ergo modum, quæcunque volunt laici, per diaconum epiſcopo indicent; atque ita vt ei videbitur, agant. neque enim prius aliquid ſacrum in templo offerebatur, aut fiebat ſine ſacerdote; labia nanque ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius. in quodam loco ait Propheta, quia angelus eſt omnipotentis Domini.* (Mal. 2.) *Etenim ſi cultores dæmonum in illis ſuis ſceleratis, & deteſtabilibus, atque impuris ſacris offenſione Dei plenis vſque in hunc diem ſancta imitantur, tametſi quæ ſunt execrabilia, ab iis, quæ ſancta, & religioſa ſunt, comparatione quidem longiſſimè diſtent, tamen in ſuis illis ludibriis ſine execrabili ſacerdote offerunt nihil, neque efficiunt: imò illum os lapidum putant, expectantes quid eis facere iubeat, idque faciunt, & abſque eo faciunt nihil, honoremque illi habent, & eius nomen venerationem habere exiſtimãt, idq; in honorem ſtatuarum anima carentium, & in cultum malorum ſpirituum. ſi illi, inquam, vanam ac confictam opinionem habentes, ac nulla ſpe firma ſubnixi, quæ ſanctitatem & religionem habent, imitari ſtudent; quanto eſt iuſtius nos, quorum fides clariſſima eſt, & ſpes vera, qui promiſſum præclarum, & ſempiternum, & quod fallere non poteſt, expectamus, per eos, qui nobis præſunt, honorem Deo deferre; ita vt epiſcopos os Domini eſſe arbitremur?*

*1 Diaconiſſas natu grandiores vocat anus, quę viduę quoque vocantur, vt intelligi poteſt ex Epiph. lib. 3. hęre. LXXIX. contra Collyridianos. ex viduis enim eccleſiæ fiebant diaconiſſę ad miniſteriũ, quod ibidem à S. Epiphanio deſcribitur. huiuſmodi anus iubet Apoſtolus eſſe in habitu ἱεροπρεπεῖ, id eſt, qui deceat ſacratas: ad Tit. cap. 2.

CAP. XXIX. Quãta ſit dignitas epiſcopi.

NAM *ſi Aaron poſtquam Pharaoni nunciauit verba Moyſis, Propheta dictus eſt, Moyſes verò Deus Pharaonis, vt rex ſimul & pontifex, ſicut ait illi Deus, poſui te Deum Pharaoni, & Aaron frater tuus erit tuus Propheta; cur vos internuncios*



*internuncios ſermonis veſtri non habetis in Prophetis? & epiſcopos tanquam* *1 *Deos colitis?*

*1 Ex hac Apoſtolica doctrina intelligere licet, quàm graue ſcelus ſit, nolle habere epiſcopos, id eſt, internuncios ſermonis Dei tanquam prophetas quoſdam, & in terra Deos, vt fuerunt Pharaoni Aaron & Moyſes.

CAP. XXX. Quomodo oporteat laicos obedire diaconis.

NVNC *enim veſter Aaron eſt diaconus, epiſcopus verò veſter Moyſes, & Deus. Si igitur Moyſes à Domino appellatus eſt Deus, epiſcopũ in honore vt Deum habete, & diaconum, vt Prophetam eius. Vt enim Chriſtus ſine patre nihil agit, ſic neque diaconus ſine epiſcopo. Item vt filius eſt debitor † patri, ſic omnis diaconus epiſcopo: atque vt filius eſt angelus, & propheta patris, ſic diaconus angelus, & propheta epiſcopi. quare quæcunque diaconus cuipiam facit, indicentur epiſcopo, & per eum perficiantur.*

CAP. XXXI. Quòd nõ oporteat quicquã facere diaconum ſine epiſcopo.

NIHIL *verò prorſus ſine epiſcopo faciat, neque vlli quippiam niſi illo conſcio & auctore tribuat: etenim ſi clam epiſcopo, dederit egenti, & calamitoſo, erit probro epiſcopo, eumque de iniuria afflictorum inſimulat. qui autem epiſcopum ſermone quopiam, aut facto vituperat, Deum offendit. An non audiſti quod ait, diis tuis non maledices?* (Eſa. 22.) *neque enim de lapideis, aut ligneis idolis, quæ quia falsò dicuntur dij, execrabilia ſunt, legem ferebat; ſed de ſacerdotibus, & iudicibus, quibus dixit, dij eſtis, & filij altiſſimi omnes.* (Pſal. 81.)

CAP. XXXII. Quòd nõ oporteat diaconum præter voluntatẽ epiſcopi dare vlli. hoc enim facere, ad criminationem epiſcopi pertinere.

SI *quem ergo diacone ſcis inopia premi, admonito prius epiſcopo, ſuppedita ei, & ne occultè quicquam, quod ſit ei futurum probro, facias, ne in eum admurmurationem ſuſcites; neque enim admurmuratio in eum fiet, ſed in Deum; & audiet diaconus, ac reliqui, quod Aaron, & Maria audierunt cùm Moyſi detraxerunt: Quomodo, inquit, non veriti eſtis detrahere Moyſi famulo meo? & rurſus Moyſes iis qui aduerſus eum coierant, non eſt, inquit, in nos facta admurmuratio veſtra, ſed in Dominum Deum noſtrum.* (Num. 12.) *Si enim qui laico dixerit Racha, aut fatue, non erit impunitus, vtpote qui in nomen Chriſti fuerit contumelioſus; quanto* *2 *minus erit ſi quis epiſcopo maledixerit? per quem dedit vobis Dominus ſpiritum ſanctum in impoſitione manus baptizantis; per quem ſancta* *2 *dogmata didiciſtis, Deum cognouiſtis, & in Chriſtum credidiſtis? per quem cogniti eſtis à Deo; per quem ſignati eſtis oleo exultationis, & vnctione intelligentiæ; per quem declarati eſtis filij lucis; per quem Dominus in* *3 *baptiſmo veſtro, præbens teſtimonium impoſitioni manus, in vnumquemque veſtrum ſacram illam vocem emiſit dicens; filius meus es tu, ego hodie genui te: per epiſcopum tuum te Deus adoptat, cognoſce fili dexteram, quæ eſt mater tua, ama eum qui ſecundum Deum factus eſt tuus pater, & cole hunc.*

*1 Vt epiſcopos omnes ſemper honoremus, nihil hæc Apoſtolica conſtitutio de eorum virtute, & ſanctitate vitæ dicit, ſed quot, & quanta bona per eorum miniſteriũ, qualeſcunque ipſi ſint, accipiamus. quare impij & blaſphemi in Deum ſunt, qui quos Deus tãtis chariſmatibus honorauit, ipſi tot conuiciis, ac maledictis nocte & die proſequuntur. Sed non ferent impunè teſtimonio huius Apoſtolicæ conſtitutionis.

*2 En ſecundum Apoſtolicam doctrinam qui epiſcopos non habent, nec habere volunt, non poſſunt vera dogmata fidei diſcere, quia epiſcopi eſt docere verbum Dei, vel presbyterorum, iuſſu & auctoritate epiſcopi. hinc orta ſunt falſa dogmata Lutheri, & Caluini, eiectis legitimis verbi Dei miniſtris.

*3 Si ſecundum Apoſtolicam doctrinam is accipit teſtimonium, quòd fiat filius Dei per adoptionem qui baptizatur aqua, ergo hæreticum eſt dicere, vt Caluinus dicit, qui audit verbum Dei, & credit, & carnem ſuam mortificat, hic verè baptizatus eſt, & Chriſtum abrogaſſe baptiſmum aquæ, tanquam non neceſſarium, cùm dixit diſcipulis, vos autem baptizabimini ſpiritu ſancto, non poſt multos hos dies.

CAP XXXIII. Quomodo oporteat honorare ſacerdotes, & veneratione dignos habere, vt qui ſint patres ſpirituales.

NAM *ſi de parentibus ſecundum carnem ait diuina ſcriptura, honora patrem tuum, & matrẽ, vt bene ſit tibi, & qui maledicit patri, aut matri, morte moriatur; quanto magis de patribus ſpiritualibus verbis Dei moneamur, honore & charitate eos proſequi, vt beneficos, & ad Deum* *1 *legatos? qui nos per aquam Deo regenerarunt, ſpiritu ſancto impleuerunt, lacte verbi Dei aluerunt, & doctrinæ alimento nutriuerunt, monitis ſtabilierunt, corpore ſalutari, & pretioſo ſanguine nos dignati ſunt, nobiſque peccata remiſerunt, & ſanctæ ac ſacræ Euchariſtiæ participes fecerunt, ac promiſſionis Dei conſortes, & Chriſti cohæredes conſtitue-*

*1 En teſtimoniũ Apoſtolicæ doctrinæ, quam catholici profitentur contra Proteſtãtes, qui per

*conſtituerunt. His igitur reuerentiam adhibentes omni eos genere honoris afficite: Siquidem hi poteſtatem vitæ & mortis à Deo acceperunt in *2 iudicandis iis qui deliquerunt, & in damnandis ad mortem ignis ſempiterni, & iis qui ſe ad rectè viuendum conuertunt, abſoluendis, & viuificandis.*

calumniã obiiciunt catholicis ſacerdotibus, quaſi derogent virtuti paſſionis Chriſti, & ſanctificantes, ac remittentes peccata operi ſuo id quod Chriſtus facit, attribuant, cùm ſe legatos tantùm profiteantur ſecundum hanc Apoſtolicam conſtitutionem: tota autem virtus legationis in Domino, & auctore legationis, & non in legato conſiſtit. ipſe per eiuſmodi legatos remittit peccata, ſanctificat, & viuificat, aut ad mortem damnat: & ipſi gratiarum actio debetur, ſicut ait Apoſtolus: ei autem, qui potens eſt omnia facere abundanter ſupra quàm petimus, aut intelligimus, ſecundum virtutem, quæ operatur in nobis, ipſi gloria. Virtus igitur Chriſti operatur in ſacerdote petente remiſſionem peccatorum in Miſſa, quam celebrat, & petente ſanctificationem in quocunque ſacramento, quod adminiſtrat. itaque gratia ſanctificationis, aut remiſſionis peccatorum non ex virtute propria legati operantis opus legationis manat, ſed ex virtute, quam operatur Chriſtus per verbum, quod in legato ſecundum Apoſtolum poſuit, ſiue ſit verbum reconciliationis, vt in ſacramento pœnitentiæ, ſiue verbum regenerationis, & renouationis, vt in ſacramento baptiſmi, ſiue verbum confirmationis, vt in ſacramento chriſmatis, ſiue verbum alterius ſanctificationis, vt in aliis ſacramentis: ex quo fit, vt non ſint ſigna tantùm gratiæ ſacramenta, vt falsò tradunt Proteſtantes: qui enim legati ſunt, non ſigna tantùm ferunt in inſtrumentis poteſtatis ſuæ, ſed virtutem, & efficaciam à domino & auctore legationis datam.

*2 En teſtimonium Apoſtolicæ doctrinæ in catechiſmum peſtiferum Confeſſioniſtarum Lucæ Loſſij, qui in quarta parte in quæſtionibus de Confeſſione, ſic ait: Duplex eſt poteſtas eccleſiæ, altera vocatur miniſterium, quo impertiuntur nobis miniſtri euangelium, & ſacramenta, annunciantes remiſſionem peccatorum publicè, & priuatim pœnitentibus gratis propter Chriſtum. Hæc poteſtas non eſt mandatum cognoſcendi delicta, nec eſt iudicium, ſed tantùm miniſterium impartiendi beneficij, iuxta illud, quorumcunque remiſeritis peccata, remittuntur eis. altera poteſtas vocatur iuriſdictio, quæ eſt iudicium quoddam externum eccleſię, quod tantùm ad manifeſta crimina pertinet, excommunicat, & abſoluit. Hactenus Loſſius. Paulo ſuprà enumerans Apoſtolica doctrina ea quæ patres ſpirituales tum epiſcopi, tum presbyteri fidelibus in eccleſia miniſtrant, dixerat de ſacramento pœnitentiæ, nobiſque peccata remiſerunt: deinde & ſanctæ Euchariſtiæ participes fecerunt, ac promiſſionis Dei conſortes, & Chriſti cohæredes conſtituerunt. & ſubiungit: his igitur reuerentiam adhibentes omni eos genere honoris afficite. Subiicitque rationem: ſiquidem hi poteſtatem vitæ & mortis acceperunt in iudicandis iis qui deliquerunt. en, de quibus dixerat, nobiſque peccata remiſerunt, de eiſdem rurſus dixit, poteſtatem vitæ, & mortis acceperunt in iudicandis iis qui deliquerunt. ergo in remittendis peccatis poteſtas iudicialis exercetur: & non eſt hoc miniſterium tantùm, vt iſte Loſſius contra Apoſtolicam doctrinam ſomniat, ſed iudicium. quòd ſi ſacerdotes iudices ſunt in remittendis peccatis, vt Apoſtolica doctrina conuincit, ergo ad eos pertinet cognitio peccatorum, quæ remittunt. remanetque Loſſius ſyllogiſmo ſuo, quem texuerat, irretitus, ita vt extricari non poſſit, nec elabi. ſic enim ratiocinabatur contra ſe: iudex non abſoluit, niſi prius cognoſcat delictum, in Confeſſione fit abſolutio, ergo neceſſe eſt fieri cognitionem. maiorem negabat iſte reſpondendo, & fingendo è ſuo capite miniſterium quoddam abſoluendi ſine iudicio: ſed rurſus maiorem probat hæc Apoſtolica doctrina eccleſiæ catholicæ tradita.

CAP. XXXIIII. Quòd ſint ſacerdotes præſtantiores regibus, & magiſtratibus.

HOS *exiſtimate veſtros præſides, hos putate reges, his quaſi regibus vectigalia offerte, eos enim eorumque domeſticos bonis veſtris alere debetis. Vt enim Samuel in primo de regibus libro, de rege alendo ſanxit populo, & Moyſes de ſacerdotibus in Leuitico, ſic nos vobis de epiſcopis ſancimus. Nam ſi illic populus tanti regis proportione facultatis ea quæ dicuntur ſeruitia præſtabat, an non multo magis debet nunc epiſcopus accipere à vobis quæ ſunt ei à Deo conſtituta ad alendum eum, & clericos eius? immò ſiquid amplius dicendum eſt, plus hic accipiat, quàm ille olim accipiebat. Siquidem ille militaria tantùm adminiſtrabat bello, & pace ad cuſtodiam corporis ſuſceptis, hic verò ſacerdotium ad Dei honorem adminiſtrat, vt pericula ab anima, & corpore propulſet. Quanto ergo anima corpore præſtantior eſt, tanto eſt *1 ſacerdotium regno excellentius; ligat enim aut ſoluit ſupplicio, vel remiſſione dignos. Quocirca epiſcopum oportet vt patrem diligere, vt regem metuere, vt Dominum honorare, offerendo ei in benedictionem veſtram fructus veſtros, & opera manuum veſtrarum tribuendo, inquam, vt ſacerdoti Dei primitias veſtras, & decimas veſtras, primitias frumenti, vini, olei, pomorum, lanæ, & quicquid Dominus Deus vobis ſuppeditat; & erit oblatio tua accepta in odorem ſuauitatis Domino Deo tuo, & benedicet Dominus operibus manuũ tuarum, & multiplicabit bona terræ tuæ, quia benedictio ſuper caput impartientis.*

*1 Teſtimonium Apoſtolicæ doctrinæ, eſſe ſacerdotiũ externum ac viſibile, aliud à ſacerdotio ſpirituali & inuiſibili: ſiquidẽ omnes Chriſtiani, vt à Chriſto vncti, facti ſunt in baptiſmo ex æquo regale ſacerdotium, id eſt, reges, & ſacerdotes, vbi huiuſmodi regnum æquale eſt ſacerdotio, & ſacerdotium regno. at ſacerdotium externum ac viſibile excellentius regno viſibili. quare ſicut non omnes Chriſtiani ſunt reges regni viſibilis, ſed qui ſecundum legem ſæculi vocatur ad regnum, cui conuenit poteſtas in corpora tantùm, ſic non omnes Chriſtiani ſunt ſacerdotes ſacerdotij viſibilis, ſed qui vocatur per legem Chriſti ab Apoſtolis traditam per quam datur poteſtas in corpora, & animas, quæ non poteſt per poteſtatem multitudinis, aut magiſtratus dari. Hic quoque redarguitur doctrina Confeſſioniſtarum, qui tradunt, ad magiſtratus ſæculares pertinere officium conſeruandi in eccleſia diſciplinam Chriſtianã, vt eſt in Antitheſi Heinrichi Bullingeri 14. cùm ſecundum Apoſtolicam doctrinam ſola conſeruatio corporum ad magiſtratum ſæcularem ex officio pertineat.

CAP. XXXV. De penſionibus fructuum ad alendũ miniſtros eccleſiæ & egentes ſecundũ legẽ & euangelium.

ATQVE *etiam hoc vos ſcire oportet, quòd tametſi vos Deus à ſeruitute aſcitorum vinculorum liberarit, indeque eduxerit, vt recrearet, qui non permiſit amplius brutas pecudes pro peccatis immolare, liberarit, inquam, ab emundationibus, à victimis emiſſariis, à lauationibus aſſiduis, ab aſperſionibus, nondum tamen à penſionibus liberauit, quas ſacerdotibus debetis, & quas egẽtibus benignè largiri oportet:*



*oportet: Ait enim Dominus in euangelio, niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Sic igitur abundabit iuſtitia veſtra, ſi maiorem procurationem ſacerdotum veſtrorum habueritis, veſtrorumque pupillorum, & viduarum, egentiumque omnium, ſicut ſcriptum eſt, diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. & rurſus, eleëmoſynis, & fide emundantur peccata. & iterum: benedicta omnis anima ſimplex. Sic ergo facies tu, vt Dominus ſanxit, dabiſque ſacerdoti quæ ei debentur, primitias areæ, & torcularis, & oblata pro peccatis, vt *1 mediatori Dei, & pro emundatione, & depulſione mali: tibi enim conuenit, vt largiaris; illi verò tanquam œconomo, & *2 adminiſtratori rerum eccleſiaſticarum, vt diſpenſet. Caue tamen ne epiſcopum ad *3 rationes voces, neque diſpenſationem illius obſerues, quomodo eam gerat, aut quando, aut quibus, aut vbi, vtrum bene, an ſecus. Habet enim ipſe ratiocinatorem Deum, qui hanc illi procurationem in manus tradidit, qui ei ſacerdotium tantæ dignitatis mandare voluit.*

*1 En ſecundum Apoſtolicã doctrinam non ſunt ipſi ſacerdotes auctores gratiæ Dei, neque nos, vt Proteſtãtes per calumniam fingunt, eorum operi, ac miniſterio cauſſam ei⁹ aſſignam⁹, ſed Domino; ſacerdos autem miniſter tantũ eſt & mediator, per cuius miniſteriũ mediũ Deus operatur gratiam.

*2 En epiſcopi primitiarum, quæ dantur ad alendum eos, vt eſt in libr. viij. cap. 30. non domini, ſed œconomi, & procuratores ſunt.

*3 En doctrina Apoſtolica de eo, quòd eccleſia catholica Rom. tradit, ad magiſtratum Chriſtianum non pertinere diſpenſationem bonorum eccleſiaſticorum, ſed ad epiſcopum, iuxta canonem Apoſtol. 41. Quare hæreticum eſt, & à ſanctis Apoſtolis damnatum, quod Bullingerus in compendio ſuo cap. 4. de eccleſia & miniſtris ponit in Antitheſi 15. magiſtratus Chriſtiani eſt diſpenſare bona eccleſiaſtica per œconomos idoneos, quales requirit verbum Dei, vt ea inquam cedant ſuſtentationi eccleſiarum, doctrinæ pauperum, & neceſſitati communi, de quibus diligenter rationem accepti & expenſi quotannis poſtulet. ſic ille. Iuſto ergo iudicio Dei factum eſt, vt cùm miniſtris Proteſtantium non ſint commiſſæ animæ, quia non ſunt miniſtri eccleſiæ, ſed meri laici, nec eis committatur diſpenſatio bonorum eccleſiæ.

CAP. XXXVI. Cõmemoratio decalogi, & quomodo hic iubet.

PONE *tibi ante oculos metum Dei, memor ſemper decem mandatorum, Dominum Deum tuum vnum, & ſolum totis viribus dilige; ne attendas idola, aut aliquos alios vtpote deos inanimos, aut ratione carentes, aut dæmones. Noſce creationem † variam, quæ per Chriſtum cœpit; & ſabbatiſmum agitabis propter eum, qui † creare quidem deſiit, ſed non deſiit prouidere; agitabis, inquam, meditatione legis, nõ vacatione manuum; eiice omnem prauam cupiditatem, omnem læſionem ad homicidium pertinentem, omnem iram. Cole parentes, vt ortus tui auctores: Dilige proximum tuum vt teipſum: communica cum egentibus quæ ad vſum vitæ pertinent. Caue ne peieres, néue frequenter iures; non enim habeberis inſons: Ne compareas apud ſacerdotes vacuus, & *1 voluntarias tuas oblationes aſſiduè offer Domino; & ab eccleſia Chriſti ne *2 abſis, ſurgens ad eam mane, antequam vllum opus aggrediaris; & rurſus adi ad eam veſpere, vt gratias Deo agas de iis, propter quæ vitam tibi largitus eſt; operare, eſto aſſiduus, labora, & offer Deo quæ voluntatis tuæ ſunt; honorem enim, inquit, adhibe Deo ex tuis iuſtis laboribus; ſi conferre non potes in corbonam, ſaltem impartire peregrinis vnum, aut duo, aut quinque minuta; congrega tibi cæleſtes opes; quas neque tinea, neque fures demoliantur: Quæ cùm facies, caue, ne epiſcopum tuum iudices, aut popularem tuum; nam fratrem tuum ſi iudices, factus es iudex, cùm à nemine ſis electus. Atqui ſolis ſacerdotibus iudicandi poteſtas commendata eſt, quia dictum eſt eis, iuſtum iudicium iudicate; & rurſus, † eſtote probi trapezitæ: vobis namque non eſt concredita huiuſmodi poteſtas, immò contrà, iis, qui extra dignitatem, & gradum iudicis, aut magiſtri ſunt, dictum eſt, nolite iudicare, & non iudicabimini.*

*1 Apoſtolica doctrina contra Proteſtantes, & contra dogma falſum Caluini, qui tradit in ſuis impiis & hæreticis inſtitutionibus, omnes cultus volũtarios ſine Dei verbo eſſe Deo odioſos; addiderunt centuriatores, & ad idololatriam pertinere. atqui oblationes iſtæ ad cultum Dei planè pertinẽt, quæ ſi voluntariæ ſunt, ſequitur, non eſſe mandatas, quæ enim mandantur, neceſſaria ſunt. ad volũtarias oblationes pertinent ſatisfactiones ſponte ſuſceptæ ad vindictam peccati, & expungendum debitum pœnæ temporalis pro peccatis remiſſis, quas Philippus contra hanc Apoſtolicam doctrinam, & conſtitutionem falſos cultus eſſe, dicit in reſpon. ad art. Bauaricæ inquiſitionis art. 19. cùm hæc ergo Apoſtolica conſtitutio huiuſmodi oblationes facere approbet, conſequens eſt contra Apoſtolicam legem facere, qui eas tollunt, & impios eſſe, qui impias faciunt: qui enim dixit, facite fructus dignos pœnitentiæ, fructus quoque dixit, quos quiſque voluerit, qui ſunt oblationes voluntariæ.

*2 En Apoſtolicæ doctrinæ catechiſmus, quem in eccleſiis catholicorum omnes paulò religioſiores, niſi impediti ſint, vſque in hodiernum diem religioſè obſeruant, qui mane, ſtatim vt ſurrexerunt, antequam opus aggrediantur, ad eccleſiam adeunt. Catechiſmus verò Lutheranorum, vt ab Apoſtolica doctrina alienus, nihil tale præcipere poteſt, quia nullum eccleſiæ locum ad orandum, & gratias agendum habent. hi enim ſunt, qui collectionem noſtram deſeruerunt peiores facti, quàm illi, quos Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos notauit, cùm ait, non deſerentes noſtram collectionem, ſicut conſuetudo eſt quibuſdam. Collectionem enim Græcè ἐπὶ συναγωγὴν vocat congregationem fidelium ad orandum. quòd ſi Paulus eos accuſat, qui ad eccleſiam non adibant, ad quam hæc Apoſtolica conſtitutio adire præcipit, quanto magis Proteſtantes accuſat, qui nullum eccleſiæ locum habent, in quo ad orandum conueniant. Quæ igitur

ſummatim complexus eſt Apoſtolus cùm dixit, conſideremus inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum, non deſerentes noſtram collectionem, ſicut conſuetudo eſt quibuſdam. hæc Apoſtolica conſtitutio paulò explanatius expoſuit hic, præcipiens opera decalogi, & alia, quæ ad illa referuntur, & hortans ire ad eccleſiam ad orandum mane, & ad agendum gratias veſpere. quod quidem non eſt alligare Deum loco, & cum eo pugnare, quod ait Eſa. 66. cælum ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum, vt Philipp. in reſpon. ta:l art. 28. Bauar. inquiſ. fatuè, & impiè ſcribit. vnde Salomon in dedicatione templi veluti exagitans huiuſmodi cogitationis impiam emeritatem, ergo n e, inquit, putandum eſt, quòd Deus habitet ſuper terram? Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui? illud verò ad Timotheum, volo viros orare in omni loco, &c. quod idem quoque Philippus opponit, non intellexit, de quo omni loco loqueretur Apoſtolus, loquitur enim de eccleſiis, quas in omnibus locis cuncti orbis futuras eſſe ſciebat. ad eas enim pertinent illa omnia genera precationum publicarum, & communium in Miſſa pro omnibus hominibus, de quibus proximè meminerat; & illa, quæ ſtatim ſequuntur: tum de ornatu modeſto mulierum, quæ cùm ad eccleſiæ ſynaxes eunt, nimio cultu religionem, & honeſtatem Chriſtianam non decente ſolent procedere: tum de non permittendo mulieri, vt doceat, nempe in eccleſia; idem enim vetat, quod in priore epiſt. ad Corinth. 14. Perinde itaque eſt, ac ſi diceret, volo viros orare in omni eccleſia, vbicunque ſit, cum innocentia, & in pace, ac concordia fratrum; de oratione enim quæ fit in eccleſia, dat hic præceptum Apoſtolus qualis eſſe debeat, ſicut 1. Cor. 11. cùm præcipit, vt oret vir aperto capite. Si enim cùm domi oramus, cum bona conſcientia, & in pace fratrum orare debemus, quanto magis cùm in eccleſia oramus? ſic enim ait Apoſtolica doctrina cap. 54. Etenim ſi qui ingrediuntur cuiuſpiam domum, primum dicere debent, pax huic domui, tanquam filij pacis, multo magis qui in eccleſiam ingrediuntur, in primis pacem Dei precari debent: qui verò hanc aliis precatur, multo magis curare debet, vt idem in ea tanquam filius lucis habitet. hactenus Apoſtolica doctrina. Poſtremò quod dicit idem Philippus prohibitam eſſe alligationem ad locum Ioan. 4. cùm Dominus dixit Samaritanæ, veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate, fatemur prohibitam fuiſſe alligationem ad locum in Dei cultu, ſed quam alligationem vel non intellexit Philippus, vel malitioſè conſcientia reclamante diſſimulauit odio eccleſiæ noſtræ victus. illam enim Iudaicam alligationem ad templum Hieroſolymitanum, quia Hieroſolymis tantùm erat locus in quo oportebat adorare, illam inquam prohibuit; nunc verò nullus locus eſt, in quo ſolo oporteat adorare, quin potius in omnibus locis ab oriente vſque ad occidentem ſunt eccleſiæ, in quibus oportet adorare. itaque Dominus, inquit doctrina Apoſtolica lib. 6. cap. 23. baptiſma, ſacrificium, ſacerdotium, cultum loco circumſcriptum aliter mutauit: pro baptiſmis enim quotidianis vnum tantùm dedit, qui fit in mortem eius; pro vna tribu ſacerdotali iuſſit ex vnaquaque gente optimos quoſque deligere, neque corporis vitia inſpicere, ſed religionem, & vitam: pro ſacrificio cruento rationale, & incruentum myſticum; ſacrificium dico corporis, & ſanguinis, quod in ſymbolum mortis eius celebratur. pro cultu circumſcriptione loci definito, ab oriente vſque ad occidentem in omni loco dominationis eius eundem laudibus celebrare præcepit, & iuſtum eſſe ſtatuit. Hactenus Apoſtolica doctrina. Pro vno ergo loco infinita loca dedit per cunctum orbem, in quibus oportet adorare in ſpiritu, id eſt, obſequio, ſiue cultu rationali, ſicut Apoſtolus ait, & in veritate, id eſt, non iam in vmbris futurorum, & figuris, nec huiuſmodi cultus in loco ad eum dedicato dicendus eſt alligatio Dei ad locum, vt impiè dicunt hæretici, nam & quidam ex ipſis Heinrychus Bullingerus in Antitheſi & compendio doctrinæ euang. cap. 5. locus, inquit, in quo congregatur eccleſia, ſanctus eſt & propter ſanctos Dei, qui ibi congregantur, & propter res ſanctas, quas ibi exercent ſancti. hæc iſte. neque tamen dicturus eſt alligare ſe Deum ad locum, quia loco tribuat ſanctitatem. itaque ſua Confeſſione vrgetur iſte.

CAP. XXXVII. De accuſatoribus, & calúniatoribus, & quòd oporteat iudicē non facilè credere, aut non facilè non credere, ſed accurata inquiſitione adhibita.

*EPISCOPVM tamen oportet rectè iudicare, ſicut ſcriptum eſt, iuſtum iudicium iudicate. & aliàs: Quid verò ex vobiſipſis quod iuſtum eſt non iudicatis? eſtote igitur tanquam argentarij periti: vt enim hi nummos adulterinos ſegregant, probos autem ſibi adiungunt; ſic oportet epiſcopum, quæ vitiis quidem carent, retinere; vitioſa verò vel curare, vel ſi eſt ægritudo inſanabilis, expellere, & non celeriter amputare, neque quibuſuis credere. Vſu enim venire ſolet, vt quidam propter æmulationem aut inuidiam contra fratrem aliquem falſam inſtituant accuſationem, vt duo illi ſenes Babylone aduerſus Suſannam; & illa Ægyptia contra Ioſeph. Tu igitur vt homo Dei, ne huiuſmodi accuſationes facilè admittas, ne innocentem perimas, & occidas iuſtum; qui enim talia vult admittere, magis ille quidem pater iræ, quàm pacis eſt: vbi verò ira, ibi non eſt Dominus, ſiquidem ira amica Satanæ, ira, inquam, ſuſcitata à falſis fratribus contra æquitatem, nunquam concordiam in eccleſia gigni ſinit. Quocirca cùm tales homines vobis noti erunt, imprudentes, pugnaces, qui alieno bono anguntur, qui aliorum malis delectantur, ne fidem eis habeatis: quin potius obſeruate eos, cùm quid ab ipſis contra fratres auditis, quia necem pro nihilo habent; & vbi nemo ſuſpicatur, proſternunt hominem. Tu igitur conſidera eum, qui accuſatus eſt, ſapienter animaduertens, quæ eius vita ſit, & qualis; etſi repereris accuſatorem dicere verum, fac vt Dominus faciendum eſſe docuit, conueni accuſatum ſeorſum, & argue eum nemine præſente, vt eum pœniteat: ſin autem non paruerit, adhibito vno aut altero, indica ei erratum, monens eum adhibitis māſuetudine, et diſciplina; quoniam in corde bono requieſcet ſapientia, in corde autem inſipientium non dignoſcitur.*

CAP. XXXVIII. Quòd oporteat delinquētes priuatim arguere, & pœnitētes recipere ſecūdum conſtitutionem Domini.

*SI igitur vobis tribus crediderit, bene habet; ſin aliquis durus, obſtinatuſque erit, dic eccleſiæ: hanc ſi contempſerit, neque audire voluerit, ſit tibi vt Ethnicus, & publicanus; & ne eum ad eccleſiam tanquam Chriſtianum admittas, immò tanquam publicanum deuita. Si autem vult agere pœnitentiam, aſſume eum: neque enim Ethnicum aut publicanum ad communionem eccleſia admittit, priuſquam eos*

eorum,



*eorum, quæ prius impiè commiſerunt, *1 pœniteat: pœnitentia enim ductis Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei, locum pœnitentiæ conſtituit.*

*1 En doctrina Apoſtolica de pœnitentia exteriore, ac ſacramentali neceſſaria, vt ex ea de interiore pœnitentia peccatorum, quæ ſemper eſſe debet, eccleſia iudicare poſſit, vt ſic pœnitentem tanquam dignum ad communionem eccleſiæ admittat contra falſum dogma Proteſtantium, qui tradunt, pœnitentiam eſſe nouam vitam, & non opus eſſe exteriore pœnitentia certo tempore, & cum miniſterio ſacerdotis.

CAP. XXXIX. Exempla pœnitentiæ.

*EGO enim Matthæus vnus ſum ex numero duodecim, qui vobis in hac doctrina loquuntur, idemque fui prius quidem publicanus, nunc verò per fidem miſericordiam adeptus, & ad pœnitentiam anteactæ vitæ adductus, dignuſque habitus, vt Apoſtolus, & præco verbi Dei ſim: et Zachæus, quem Dominus in pœnitentia deprecantem recepit; ipſe item fuit publicanus. iam verò milites, & turba publicanorum, cùm acceſſerunt ad audiendum verbum Domini de pœnitentia, illud à Ioanne Propheta poſt baptiſmum audierunt: Nihil præter conſtitutum facite. Ad eundem modum neque Ethnicorum ſalus deſperata eſt, ſi modò incredulitatem pœnitendo abiiciant. Habe ergo loco publicani & Ethnici eum qui conuictus eſt in maleficio, neque eum tamen pœnitet: quem ſi poſtea errati ſui pœnituerit, in eccleſiam admittimus ad audiendum verbum, ſicut Ethnicos, cùm pœnitentiam agere, & conuerti volunt, licet communionem cum his, quoad baptizentur, non habeamus. ſic horum ſimilibus, donec fructus *1 pœnitentiæ proferant, ingredi in eccleſiam permittimus, ne planè funditus pereant; ſed ne communionem in oratione habeant, quin potius exeant poſt *2 lectionem legis, & prophetarum, & euangelij, vt exeundo vitam emendent, ac meliores fiant, dum ſtudent ire quotidie ad conuentus eccleſiaſticos, & precationi incumbere; vt & ipſi poſſint admitti, & qui eos viderint, ſint compuncti, ac cautiores fiant, dum metuunt, ne in ſimilia incidant.*

*1 En rurſus contra Proteſtantes Apoſtolica doctrina & cōſtitutio de pœnitentia exteriore, & fructu exteriore pœnitētiæ interioris ad admittēdum dignè pœnitentem in eccleſiam ad cōmunionem orationis. hoc ipſum faciunt hodie in eccleſiis catholicorum per orientem & occidentem epiſcopi, & auctoritate eorum presbyteri.

*2 En Apoſtolica conſtitutio, quæ Proteſtantes de impietate condemnat, qui Miſſam negant, & recenter excogitatam fingunt. Miſſas enim habemus nos catholici, quę ex lectione legis, & prophetarum, & euangelij conſtant, & ex obſecrationibus, orationibus, poſtulationibus, gratiarum actionibus pro omnibus hominibus, & pro regibus, ſicut Timotheo præcepit Apoſtolus, cùm præceptum ei dabat, vt bonam militiam militaret, id eſt, vt bene in caſtris eccleſiæ miniſtraret, miniſtros enim eccleſiæ ſolet vocare milites; præcipuum autem miniſterium ſacerdotis eſt Miſſam pro omnibus hominibus celebrare. ad Miſſam enim pertinere obſecrationes iſtas & orationes, ac poſtulationes, gratiarumque actiones, Auguſt. quoque in epiſt. ad Paulinum 59. intellexit.

CAP. XL. Quòd nō oportet malè animatum eſſe in eum qui ſemel & iterum deliquit.

*CAETERVM epiſcope, ne eum, qui ſemel & iterum lapſus ſit, auerſeris, neque audire verbum Domini vetes, neque communitate vitæ priues; neque enim Dominus recuſabat quin cum publicanis, & peccatoribus comprandere; & cùm à Phariſæis de hoc argueretur, aiebat, non opus habent medico, qui bene habent, ſed qui malè. Cum iis igitur, quos propter peccatum excommunicaſtis, habete & congreſſus, & conuictum; curantes, cōſolantes, fulcientes, illudque dicentes, inualeſcite remiſſæ manus, & ſoluta genua. conſolari enim oportet lugentes, & eis qui parui animi ſunt, alacritatem animi addere, ne immoderato dolore ad amentiam tendant: nam qui eſt, inquit, anguſti animi, valde amens eſt.*

Prouerb. 14.

CAP. XLI. Quomodo oporteat recipere pœnitētem, & qualem ſe exhibere delinquētib[us], & quādo ab eccleſia abſcindere.

*QVOD ſiquis *1 conuerſus pœnitentiæ fructus ediderit, tunc ad orationem admittite, vt illum filium, qui perierat, qui luxurioſus fuerat, qui cum meretricibus patrimonium dilapidauerat, qui oues paſcebat, & cùm ſiliquis expleri cuperet, non potiebatur optato, quem peccaſſe pœnituit, & ad patrem rediit, peccaui inquiens in cælum, & coram te, neque ſum dignus vocari amplius filius tuus; quem pater filiorum amans, cum cantu excepit, & ei antiquo amictu, annulo, & calceis redd[illegible]s, pingui etiam vitulo mactato lætabatur cum amicis. Sic igitur faciendum tibi eſt epiſcope. atque vt Ethnicum baptiſmo lotum poſt doctrinam admittis, ſic*



hunc

*1 En ſecundum Apoſtolicā doctrinam non verè quis cōuerſus eſt, neque verè & ex corde dicit illud Lucæ, pœnitet me, niſi prius fructus dignos pœnitentiæ, vt Ioannes prædicabat, faciat, qui ſunt, & dicuntur ſatisfactiones, quibus peccata, quibus Deus offenſus eſt, vindicantur ſecundum legem iuſtitiæ naturalis, quæ ad huiuſmodi vindictas Deo excitante nos ducit, quam Chriſtus non abrogauit in cruce, ſed perfecit, cùm effecit, vt per ſuam pro nobis ſatisfactionem noſtræ ſatisfactiones & vindictæ eſſent ſalutares. Oportet igitur ſecundum Apoſtolicā conſtitutionem, vt ad contritionem cordis accedat tanquam pars neceſſaria ſacramenti pœnitentiæ

*hunc per manus impoſitionem, vtpote factum *2 mundum pœnitendo, cunctis pro eo deprecantibus in antiqua paſcua reſtitue; eritque ei loco *3 lauacri manuum impoſitio; ſiquidem per impoſitionem manuum noſtrarum dabatur ſpiritus ſanctus credentibus. Quòd ſiquis ex eius fratribus, qui non fuit tentatione quatefactus, te reprehenderit, quòd ei ſis reconciliatus, illud ei reſpondebis: tu ſemper mecum es, mea omnia tua ſunt, lætari te oportebat, & gaudere, quoniam hic frater tuus mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus eſt. Quod enim Deus non ſolùm recipit pœnitentes, ſed in priorem gradum dignitatis reſtituit, teſtis eſt ſanctus Dauid, qui poſt peccatum in Vriam admiſſum precabatur* Deum, *dicens, Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me: & rurſus, auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele; cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum tuum ſanctum ne auferas à me. ergo & tu, vt *4 medicus condolens, adhibe curationem iis, qui deliquerunt, vtens ſalutaribus ad opitulandum modis, non ſolùm ſecans, aut vrens, aut *5 ſicca medicamenta adhibens, ſed etiam vulnus alligans, & linimentum in illud iniiciens, leneque medicamentum, quod vim habeat obducendi cicatricem, imponens, ac verbis conſolatoriis recreans. Si vulnus cauum fuerit, appone ſuaue emplaſtrum ad accretionem carnis; vt carne repletum vulnus æquale efficiatur parti ſanæ. Si autem vulnus ſordeſcit, tunc repurga nouacula, id eſt, ſermone increpatorio; ſi turgeſcit, complana, & deprime acri collyrio, id eſt, minis iudicij: ſi ſerpit cancer, vre, & extrahe ſaniem, comprimens ieiuniis. Quòd ſi hæc feceris, ac demum intellexeris, quòd à pedibus vſque ad caput non eſt malagma imponere, neque oleum, neq; alligationem, immò magis ſerpit cancer, & omnem curationem anticipat, vniuerſas partes corporis tanquam gangræna tabefaciens; hic tu multa conſideratione, aliis item medicis peritis, & exercitatis in conſilium adhibitis, ſeca membrum tabidum, ne vniuerſum corpus eccleſiæ intereat. Ne igitur facilis ſis, & præproperus ad ſecandum, neque celeriter ad ſerram dentatam proſilias, quin potius vtere prius ſcalpello ad ſecandum apoſtema, vt cauſſa morbi, quæ intus reſidet, educta, corpus ſeruetur à dolore incolume. At verò quem à pœnitentia alienum videris, & obduruiſſe, hunc tu cum mærore vt inſanabilem eiice ex eccleſia: tolletis, inquit, improbum ex vobiſipſis, & facietis reuerentes filios Iſraël. & rurſus: non accipies perſonam in iudicio, & pauperis non miſereberis in iudicio, quoniam Domini eſt iudicium.*

huiuſmodi ſatisfactio, ſine fructus pœnitentiæ; ſiquidem ſine illo nō eſt dignus, qui dicit ſe pœnitere, vt epiſcopus donet ei veniā, & ingreſſum ad cōmunionē orationis in eccleſia in perſona Chriſti. epiſcopus enim aut preſbyter auctoritate epiſcopi in perſona Chriſti donat ſi quid donat, ſicut Apoſtolus ait; & admittit ad orationē, ſi quem admittit.

*2 Quem hic dicit factum mundū pœnitendo, dixit prius Apoſtolica cōſtitutio conuerſum faciēdo fructum pœnitentiæ. ergo vera pœnitentia, in qua conſiſtit vera conuerſio, non conſiſtit ſine fructu pœnitentię, qui eſt, & dicitur ſatisfactio; falſum ergo eſt dogma Proteſtantium de duabus ſolùm partibus pœnitētiæ, & contritione.

*3 En ſecundum Apoſtolicā doctrinam pœnitentia ſacramētalis, ſiue ſacramentum pœnitentiæ, cōſtat ex tribus partibus, contritione, fructu pœnitētiæ, & impoſitione manus, ſiue abſolutione, quæ implicatā eſt cū confeſſione. ex hac Apoſtolica doctrina eccleſiæ tradita manauit, vt à ſanctis patribus diceretur hæc ſacramentalis pœnitentia ſecundus baptiſmus laborioſus, & ſecunda tabula. Proteſtantes noui euangelici negant pœnitentiam eſſe ſecundam tabulam, quia tantùm de interiore pœnitentia ſiue contritione loquuntur, quam dicunt eſſe perpetuum effectum baptiſmi; at pœnitentia ſacramentalis non eſt perpetua, & continua. non enim ſemper fit impoſitio manus, nec omni tempore, & loco eduntur fructus pœnitentiæ ad vlciſcendum peccatum in remiſſionem pœnæ temporalis pro eo remiſſo debitæ in ſatisfactionem ſecundum legem iuſtitiæ naturalis.

*4 En rurſus ſecundum Apoſtolicam doctrinam opus eſt enumeratione peccatorum, & explicatione circunſtantium qualitatum, quæ ſpeciem peccati mutant, aut illud grauius reddunt: etenim ſi ſunt ſacerdotes medici eccleſiæ, & vnicuique morbo peccati conuenientem curationem adhibere oportet, quomodo hoc facere poſſunt, ſi, vt catechiſmus peſtilens Lucæ Loſſij præcipit, ſic facienda eſt confeſſio miniſtro, confiteor me coram Deo omnium peccatorum reum; quòd aliena appetiui, & abſtuli; non dicit tamen, quæ illa, ex quo loco, quo tempore, à quo? quòd mentitus ſum, & proximo obtrectaui; nec hic dicit, quomodo obtrectauit, quali proximo, quod genus mendacij, in qua cauſſa, qua mente, & propoſito, cui mentitus: quaſi omnia peccata ſint paria ſecundum academiam Stoicorum Proteſtantium, addit poſtea, & multa alia perpetraui, quæ Deus non ignorat. puniturus quoque eſt in impœnitentibus. Dominus dicit per Prophetam Eſa. dic tu peccata tua primus, vt iuſtificeris, ſiue, vt eſt in interpretatione vulgata Hier. narra ſiquid habes, vt iuſtificeris: iſte catechiſmus Satanæ docet, & præcipit dicere, & alia multa perpetraui, quæ Deus nō ignorat. hac ratione nec illa ſuperiora dicenda erant, quia Deus nouit omnia. hanc enumerationem peccatorum & in ea pudorem vocat Philippus carnificinam, quia eſt, fatemur, moleſta & odioſa carni, quam carnalis homo non vult crucifigere cum vitiis, & concupiſcentiis, vt Apoſtolus præcipit. Illyricum quoque redarguit hæc Apoſtolica doctrina; ait enim Illyricus in defenſione Confeſſionis Antuerpienſis, contra Tiletanum cap. 18. Si dolet peccator ſe peccaſſe, & petit propter Chriſtum condonationem, omnia ſunt ei remittenda, poſthabito omni peccatorum diſcrimine.

*5 Deſcribit hic Apoſtolica conſtitut. varia genera curandi peccata per eorum multiplices vindictas, vt Apoſtolus vocauit 2. Cor. 7. nos ſatisfactiones vocare ſolemus, quæ ſunt laborioſæ & moleſtæ carni, aliæ plus, aliæ minus, inſtar medicamentorū, quibus vulnera curantur.

CAP. XLII.
Quòd oporteat iudicem nō eſſe acceptatorem perſonarum.

QVOD *ſi delatio falſa eſt, & vos paſtores cum diaconis mendacium tanquam veritatem amplexi fueritis, aut quia perſonam accipitis, aut quia iuſtitiam muneribus commutatis, volentes gratificari calumniatori, atque ita accuſatum quidem, ſed à crimine alienum ex eccleſia expuleritis, rationem reddetis in die Domini:*



*mini: quoniam ſcriptum eſt, innocentem & iuſtum non occides; non accipies munera, vt animam proteras: munera enim cæcitate afficiunt oculos ſapientum, & corrumpunt verba iuſtorum. & iterum, væ, inquit, qui iuſtificatis impium propter munera, & iuſtitiam iuſto aufertis. Cauete igitur, ne ſi perſonas accipiatis, hæc vox Domini in vos cadat; cauete ne vllos iniuſtè condemnetis, & improbos defendatis. Væ enim, inquit, dicenti malum bonum, & bonum malum; amarum dulce, & dulce amarum; ponenti lumen tenebras, & tenebras lumen. Nam ſi alios iniuſtè damnatis, contra voſipſi ſententiam pronunciatis, ſiquidem ait Dominus; quo iudicio iudicatis, iudicabimini; & quo condemnatis, condemnabimini. Ergo ſi abſque perſonarum acceptione iudicaueritis, cognoſcetis eum qui proximū ſuum per calumniam mendacis teſtimonij accuſauit, & oſtendetis eum eſſe calumniatorem, inuidum, interfectorem, ſuis repugnantiis perturbantem, vt malitioſum, ſermone inconſtantem, dictis ſuis contrarium, & oris ſui verbis captum; fuerunt enim ei laqueus fortis labia ſua, quem tu, poſtquam falſitas teſtimonij eius conuicta fuerit, iudica rigidè, & *1 gladio ignis trade, facq; ei quod ipſe proximo ſuo ſceleratè machinatus eſt; quantum enim in eo fuit, fratrem occidit, aures iudicis occupando: ſcriptum enim eſt, qui ſanguinem hominis effuderit, effundetur ſanguis illius, & auferes à te ſanguinem innocentem effuſum ſine cauſſa.*

*1 En ſecundum Apoſtolicā doctrinam excōmunicatio eſt gladius quidam ignis contra impiā fabulā Philippi, qui in reſp. ad art. 19. Bauar. inquiſit. inter politica ſpectacula eam refert; cur enim ſi non ſcindit, nec vrit, nomen gladij ignis habet? aut ſi ſcindit, & vrit carnem, ſicut Apoſtolus Corinthium, quem excommunicauit, Satanæ tradidit in interitum carnis, quomodo erit ſpectaculum politicum ad commonefaciendum tantùm alios homines, vt ait Philippus. addit etiam fabulæ, oſtenſum fuiſſe veſtigium huius ritus in Hercule vetante ſe attingi à Theſeo interfectis filiis, & in Oreſte quærente non ſe admiſſum ad aliorum menſas. Sic homo iniquus quod ſancti Apoſtoli à ſpiritu ſancto docti eccleſiæ catholicæ vtiliter & neceſſariò tradiderunt, ad originem fabulæ reuocat, & in ſpectaculum, & ludum vertit.

CAP. XLIII.
Quomodo oporteat punire calumniatores.

ITAQVE *eiice eum ex Eccleſia tanquam fratris interfectorem: deinde interuallo temporis interiecto, ſi dixerit, pœnitere ſe, premite eum ieiuniis, ac poſtea per manus impoſitionem recipite, cauentes tamen illi, ne quem iterum turbet. Quòd ſi rurſus ingreſſus, ſimiliter ſeditionem, & diſcordiam concitarit, neque deſinat turbare, & cōuicia facere fratri, vituperationibus ex contentione nequiter ſtudens, eiicite eum tanquā peſtilentem, ne eccleſiā Dei vitiet, & fœdet. Qui enim huiuſmodi eſt, turbas conflat ciuitatibus, idemque tametſi intra *1 eccleſiam eſt, tamen quia eccleſiam dedecorat, ſuperuacuus & inanis eſt; qui quidem quantum in ſe eſt, corpus Chriſti ſordidat. Nam ſi nonnulli homines ita nati, vt quaſdam partes corporis ſuperuacaneas adhærentes habeant, vt digitos, aut quædam in carne eminentia, quæ dicuntur hyperſarcomata, hæc ſibi propter turpitudinem amputant; neque eſt indecorum, opera artificis naturalem pulchritudinem recuperare; quanto magis decet hoc facere vos paſtores eccleſiæ, quæ eſt integrum corpus, conſtans ex membris ſanis, quæ in Deum, in metu Domini, & charitate credunt, cùm aliquis inſtar membri ſuperuacanei repertus fuerit, qui praua cogitet, & reliquum corpus deformet, tempeſtateſque in eo excitet, ſeditione & pugna, ac detractione exhibens ei metus, moleſtias, vituperationes, obtrectationes, criminationes, turbulentias, aut alia huiuſmodi opera diaboli efficiens; tanquam à diabolo electus, vt eccleſiam maledictis, & infamia, & multa ſeditione, contentione, diſcordia, vilem faciat, & ſordidam. Hic igitur ex eccleſia iterum eiectus, meritò eſt *2 abſciſſus à cœtu Domini: atque eccleſia Dei magis nunc ornata fuerit, quàm antea, cùm erat in ea aliquod membrum ſuperuacaneum, & ab ea alienum. Quocirca iam deinceps extra maledicta, & contemptum eſt, liberata fraudulentis, conuiciatoribus,*

*1 En Apoſtolica doctrina, quæ dogma Lutheranorū redarguit; cùm tradunt nō iuſtificatos non eſſe in eccleſia, nec membra eius numerari niſi iudicio hominū, qui corda hominum nō poſſunt introſpicere. eſſe enim in eccleſia, non de toto corpore, ſed de corde intelligendum eſſe, ait Nicolaus Selneccerus Lutheranus in 2. Tract. ſui Analecti. at hæc doctrina Apoſtolica malos, qui ſunt membra eccleſiæ & Chriſti licet mortua, cum accretionibus carnis ſuperuacuis, quæ naturalem pulchritudinē totius corporis fœdant, comparat quę non exiſtimatione hominum ſed verè ſunt partes corporis, quamdiu non reſecantur, vt inutiles, & indecoræ; ſic mali, cùm tanta eſt eorum fœditas, vt eccleſiam inſigniter maculent & turpificent, verè abſcinduntur à cœtu Domini, id eſt, ab eccleſia primogenitorum, qui cōſcripti ſunt in cælis, non iudicio hominū tantū, ſed iudicio Dei; iam enim à Deo ſunt dānati, vt paulò pòſt ex cap. XLVII. perſpici poteſt.

*2 En rurſus Apoſtolica doctrina, quæ damnat dogma Lutheranorum tradentium excommunicationem non ſeparare à Chriſto, neque

priuare bonis ſpiritualibus, quia excommunicatus, inquiunt, adhuc credit, ſperat, & diligit, & quādiu hoc facit, non nocet ei excommunicatio. at propter peccatum ex eccleſia iuſtè eiectus, idem eſt ſecundum hāc Apoſtolicam conſtitutionem dignè abſciſſus à cœtu Domini; ergo neque fides eius ſpiritualis eſt, & viua, neque ſpes, neque dilectio, quia non viuit ſpiritu qui Chriſti non eſt: non eſt autem Chriſti, qui ad cœtum Domini, id eſt, ad eccleſiam primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cælis, non pertinet.

*ciatoribus, inhumanis, proditoribus, à virtute auerſis, voluptuariis, inanis gloriæ cupidis, impoſtoribus, & iis qui ſapientes videri volunt, quorum officium eſt diſpergere, quin potius diſſipare agnos Chriſti. Stude igitur epiſcope vnà cum clericis tuis, vt verbum veritatis rectè tractes; quia Dominus ait, ſi obliquè in me inceditis, & ego item in vos obliquus incedam. & aliàs, cum ſancto ſanctus eris, & cum innocentibus innocens eris, & cum peruerſo peruerteris. ſanctè igitur ambulate, vt laudem potiùs à Domino reportetis, quàm, ſi ſecus feceritis, vituperationem.*

CAP. XLIIII. Quòd debeat diaconus ſubleuare onus epiſcopi, & ea quæ leuiora ſunt, corrigere.

FACTI *igitur vnius animi, & vnius inter vos ſententiæ, ô epiſcopi, pacem inter vos mutuam habete, condolentes, & beneuoli fratribus. Paſcite populum diligenter, eodem ſenſu & mente docentes eos qui ſub veſtra poteſtate ſunt, vt concordent, & idipſum de re omni ſentiant; ne ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem vnum corpus, & vnus ſpiritus, perfecti eadem mente, & eadem ſententia ſecundum ſanctionem Domini. Ac diaconus quidem de re omni ad epiſcopum referat, vt Chriſtus ad patrem. Verùm quæcunque poteſt, facta ab epiſcopo poteſtate, moderetur per ſe, ſicut Chriſtus poteſtatem creandi, & prouidendi à patre accepit: Quæ verò maiora ſunt, epiſcopus iudicet. Cæterùm ſit diaconus epiſcopi auris, & oculus, & item os, cor, & anima, ne epiſcopus ſollicitudine multarum rerum, ſed grauiorum tantùm vrgeatur, ſicut Iothor Moyſen inſtruxit, & Moyſes conſilium eius amplexus eſt.*

CAP. XLV. Quòd nōn conueniāt Chriſtianis cōtrouerſiæ, & concertationes.

PVLCHRA *quidem Chriſtiani hominis laus eſt, cùm nemine litigare. ſin autem alicuius opera, aut tentatione quapiā factum fuerit vt incidat ei lis, det operam vt dirimatur, quamuis opus ſit aliquid damni facere; & ne adeat ad iudicium gentilium; immò ne patiamini, vt ſæculares magiſtratus de cauſſis veſtris iudicent, per eos enim diabolus ſtudet, vt famulis Dei probrum etiam excitet, quaſi non habeatis vos quempiam ſapientem, qui poſſit inter vos ius dicere, aut controuerſias dirimere.*

CAP. XLVI. Quòd nō oporteat fideles apud infideles litigare, nec aliquem ex eis vocare ad dicendum teſtimoniū in Chriſtianos.

NE *igitur diſceptationes veſtras gentiles cognoſcant, neque ad dicendum contra vos teſtimonium adhibeantur, neque ab eis iudicemini; neque quicquam eis debeatis, quod ad tributum & timorem pertineat. Quin potiùs reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, quæ ſunt Dei Deo, vt vectigal, aut cenſum, aut didrachmum: ſicut Dominus noſter ſoluto ſtatere, à moleſtia liberatus eſt. elige igitur potius incommodum rerum tuarum, & ſtudium pacis non ſolùm cum fratribus, ſed cum infidelibus; facta enim aliqua iactura bonorum externorum, nullum damnum facies in iis quæ ad pietatē erga Deum pertinent, vtpote pius Dei cultor, & ſecundū mandatū Chriſti viuens. Si verò fratres habuerint aliquid alius aduerſus alium, quod Deus auertat, indidē intelligere debetis, qui præpoſiti eſtis, quòd qui huiuſmodi ſunt, non faciūt opus fratrū in Domino, ſed potius hoſtiliter diſſidentiū: Atque alter quidem eorū reperietur lenis, æquus, ac filius lucis; alter verò immitis, contumax, oppreſſor. qui igitur cōuictus fuerit, obiurgetur, eiiciatur, & pœnas odij fraterni luat: deinde ſi eum peccati pœnituerit, recipiatur. atque ita caſtigati tribunal veſtrum alleuabunt. Oportet autem mutuò iniurias condonare, non quidem iudices, ſed eoſipſos qui inter ſe querelas habent, ſicut Dominus edixit, cùm ego Petrus ſic eum percontarer: Quoties in me peccabit frater, & remittam ei, vſque ſepties? & reſpondit, non dico tibi, vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties. Sic enim vult Dominus*



*Dominus eſſe veros diſcipulos ſuos, nihilque eis eſſe alteri in alterum: non iram immoderatam, aut furorem implacabilem, aut cupiditatem iniquam, aut odium irreconciliabile. eos itaque, qui iram habent, reconciliate in gratiam; eos qui inter ſe diſſident, reducite in concordiam: ait enim Dominus, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

CAP. XLVII. Quòd oporteat ſecunda feria cauſſas iudicare.

FIANT *iudicia veſtra ſecunda feria, vt ſi fuerit diſceſſum à ſententia, poſſitis liberè vſque ad Sabbatum ſedare cōtrouerſiā, et pacificare diſceptantes in diem Dominicum. Aſſiſtant autem iudicio diaconi, & presbyteri, qui citra acceptionem perſonarum tanquam homines Dei iuſtè iudicent. Cùm igitur vtraque perſona ſicut lex iubet, in iudicium venerit, ſtabit vterque diſceptantium in medio iudicio; quibus auditis, ferte ſanctè & incorruptè ſuffragia, & date operam, vt antequam epiſcopus pronunciet, fiant amici, ne exeat epiſcopi ſententia ſuper terram contra eum qui deliquit, quia habet ſecum in tribunali Chriſtum Dei filium iudicij comprobatorem & cognitorem. Si qui verò à quopiam de infamia non rectè ambulandi in Domino, arguantur, auditis ſimiliter vtriſque, & non ex opinione præiudicata, neque altero tantùm audito, ſed potiùs iuſtè tanquam de vita & morte ſempiterna ferenda eſt ſententia: Iuſtè enim, inquit Deus, quod iuſtum eſt exequeris. Qui enim iuſtè à vobis punitus eſt, & excommunicatus, idem à vita* *[1] *immortali & gloria reiectus eſt, & apud iuſtos & pios homines inhonoratus, & inglorius, & apud eundem Deum damnatus.*

*[1] En iterum excommunicatio ſecundum Apoſtolicam doctrinā vita immortali & gloria priuat, contra dogma falſum Proteſtantium. neque debet prius habere certum, qui aliquem excommunicat, an à Deo erit excommunicatus, vt iidem tradunt: ſed tunc ſcit, ac certum habet poteſtas eccleſiaſtica aliquē à Deo excommunicari, cùm ipſa certum habet, ſe iuſtè excommunicare.

CAP. XLVIII. Quòd nō ſit eadem pœna irroganda in omni delicto, ſed varia pro varietate peccantis.

NE DE *omni peccato idem* *[1] *iudicium pronuncietis, ſed de vnoquoque ſuum, ſingulis delictis, tum paruis, tum magnis multa prudentia iudicatis; aliter, inquam, facto ſermone, item aliter propoſito alio modo conuicio, alio ſuſpicione: atque etiam alios quidem ſolis minis, & terroribus ſubiicies, alios mulctationi largiendi pauperibus. rurſus alios ieiuniis comprimes: item alios ex eccleſia eiicies pro magnitudine & grauitate criminis. ſiquidem lex non omne delictum eodem ſupplicio puniebat, quinimmò alio atque alio commiſſa in Deum, in ſacerdotem, in templum, in hoſtiam, aliter in regem, in ducem, in militem, in ſubditum, in æqualem, aut in famulum, aut in poſſeſſionem, aut in iumentum, ſiue in pecus: rurſum ſecus peccata in parentes, & propinquos: aliter peccata ex conſulto, aliter non voluntaria; atque alios quidem morte puniebat vel cruci affigendo, vel lapidando, alios verò mulcta pecuniæ vel verberibus, vel talione: ergo vos quoque diuerſa delicta diuerſis pœnis plectite, ne qua iniuria accidat, quæ iram Dei prouocet. Cuius enim iniuſti iudicij critis intermedij, eius mercedem feretis. nam quo iudicio iudicatis, eo iudicabimini.*

*[1] Secundum hāc Apoſtolicā doctrinā qui poteſtatem habent abſoluendi in Cōfeſſione, mādatum habent cognoſcēdi delicta, & iudicium exercent. vtrumque horum negant Proteſtātes, vt ſimul negent opus eſſe enumeratione peccatorum: & iuriſdictionē cōcedūt ſolùm ad excommunicandum, ad abſoluendum verò à peccatis miniſterium impartiendi beneficij ſine mandato cognitionis, & iudicij. Sic enim tradit Lutheranus catechiſmus Lucæ Loſſij in quarta parte de confeſſione, & abſolutione. Sed redarguit hoc Apoſtolica doctrina, quod enim iſte vocat miniſteriū impartiendi beneficij, miniſteriū iudiciale eſt, & illo miniſterio pronunciant ſacerdotes miniſtri Chriſti iudicium de peccatis. ex quo fit, vt enumeratione peccatorum opus ſit ſecundum Apoſtolicam doctrinam, vt iudices conſcientiæ de ſingulis delictis iuſtè iudicent, & iuſtas, ac conuenientes vindictas præſcribant. Illyricum quoque condemnat hic Apoſtolica doctrina: ait enim in defenſ. Confeſſionis Antuerpienſis cap. 18. contra Tiletanum, ſi doleat peccator peccaſſe, omnia peccata ſunt ei remittenda poſthabito omni peccatorum diſcrimine.

CAP. XLIX. Quales eſſe oporteat accuſatores, & teſtes.

CVM *igitur in tribunali ſedebitis, præſentibus vtriſque perſonis, non enim appellabimus fratres, quoad pace facta ſe in gratiam recipiant, exquirite diligenter de iſtiſipſis qui in iudicio contendunt, ac primùm de accuſatore, an hunc primum accuſauerit, an alium quempiam criminatus ſit, aut num ex querela eorum inter ſe & inimicitia ſubiecta ſit contentio, & crimen, & quæ illius vita; ac quamuis talis exiſtat, cui recta conſcientia ſit, non eſt tamen ei ſoli fides adhibenda, hoc enim iniquum eſt, & à lege alienum; immò habeat oportet alios teſtes, qui ſint ei moribus ſimi-*

Deut.cap.19. Dan. 13. 3.Reg.c.21. Matt.c.26. Act. c.6. Exod. c.23.

bus ſimiles, ſicut ait lex, in ore duorum vel trium ſtabit omne verbum. Sed cur diximus, inquirendum eſſe & indagandum, quibus moribus eſſet accuſator? nempe quia ſæpenumero euenire ſolet, vt duo, aut plures teſtimonium dicant in malo; & vno conſenſu mendacium defendant. Ut duo illi ſenes Babylone contra Suſannam. Item duo illi filij ſceleratorum in Samaria contra Nabureth; & turba Iudæorum contra Dominum Hieroſolymis, & contra protomartyrem eius Stephanum. Sint igitur teſtes manſueti, non iracundi, æqui, beneuoli, temperati, continentes, non malitioſi, fideles, pij in Deum, horum enim teſtimonium, tum propter eorum mores firmum, & graue eſt, tum propter eorum vitam verum: Teſtimonium verò eorum, qui non fuerint tales, ne approbate, quamuis in teſtimonio contra quempiam dicto conuenire videantur. Sic enim lex iubet, non eris cum multis in malitia, non vanam auditionem accipies; non conſenties cum multitudine ad peruertendum ius. de reo etiam cognoſcere oportet, quæ vitæ eius conſuetudo, quæ eius conuerſatio; an vita probata, an extra crimen; an iuſtitiæ & pietatis ſtudioſus; an benignus in viduas, & in pauperes; an hoſpitalis, & in fratres beneuolus, an non lucri cupidus, non helluo, non dilapidator, & decoctor rerum, an temperans, & non luxuria diffluens, vel ebrius, & otio victitans, an commoueatur miſericordia, ſitque facilis ad tribuendum.

CAP. L.
Quòd cõtingat, vt ex prioribus peccatis, quæ quis commiſit, credatur commiſiſſe ſecunda.

SI enim iam ex parte maleficia eius anteceſſerint, videbuntur vera crimina, quæ nunc obiiciuntur, niſi ius ei ſuffragetur: ſiquidem contingere poteſt, vt is aliquando deliquerit, ſit autem alienus ab hoc crimine. Quocirca accuratè, & vigilanter certa de his, & grauia contra reum conuictum pronunciate. Quòd ſi reus poſtquam ex eccleſia eiectus fuerit, veniam petierit, ſeque ſupplex ad pedes epiſcopi proiecerit, & peccaſſe fateatur, recipite eum. Neque verò calumniatorem impunitum dimittatis, ne quempiam rectè viuentem infamet; aut alium exemplo ſuo ad eiuſmodi calumniam inferendam inuitet, & commoueat; neque rurſus reum conuictum, ſine animaduerſione contumelioſa relinquatis: ne aliàs eiſdem delictis implicetur. neque enim, inquit, teſtis malus impunitus abibit; neque qui deliquit, erit inultus.

Prouer.c.19. Prouer.c.28.

CAP. LI.
Quòd nõ oporteat pronũciare iudicia altera tãtũ parte audita.

DIXIMVS verò, non eſſe æquum, altera tantùm parte audita, iudicare; etenim ſi alterum audiatis, cùm alter abeſt, & cùm nihil ad illatum crimen reſponderit, ſententiam de damnatione eius temerariè tuleritis, rei decede illius, & eadem cum illo calumniatore menſura commenſi eſſe, apud Deum iudicem iuſtum reperiemini. vt enim qui tenet caudam canis, ſic qui præeſt alieno iudicio. Si verò ſenes illos, qui Babylone dictis contra Suſannam teſtimoniis eam ad mortem damnarunt, imitemini, iudicium, quod de eis factum eſt, & eorum condemnationem ſubibitis. Quoniam quidem Suſannam Dominus per Danielem è manibus ſceleratorum eripuit: Senes autem ſanguinis Suſannæ reos ad ignem damnauit, ac vobis etiam per Danielis perſonam exprobrauit, dicens, ſic fatui filij Iſraël, qui neque habita quæſtione, neque cognita veritate filiam Iſraël condemnaſtis? Reuertimini ad iudicium, falſum enim teſtimonium contra eam dixerunt.

Prouer.c.26.

CAP. LII.
Exemplum iuſti iudicij, & cautio gẽtilium in pronunciandis ſententiis.

DEINDE contemplamini iudicia ſæcularia, quorum poteſtate videmus trahi parricidas, adulteros, veneficos, ſepulchrorum violatores, latrones. Hi enim ſtatim, vt ab iis, qui reos in iudicio ſiſtunt, quæſtiones de eis habitas acceperunt, quærunt ex malefico ipſo, an ita ſe res habeat; ille verò ſi ait, non ſtatim mittitur ad ſupplicium, immò pluribus diebus cum multa deliberatione ac conſultatione, & interiecto † velo, inquiritur in eum. Poſtremò, qui ſuffragium de capite contra eum laturus eſt, ſublatis manibus ſolem teſtatur, innocentem ſe eſſe, ac mundum à ſanguine



guine hominis illius. Itaque iſti quamuis gentiles, qui neque Deum nouerunt, neque ſciunt vindicari à Deo eos, qui innocenter condemnati ſunt; tamen cauent.

CAP. LIII.
Quòd nõ oporteat, vt fideles habeant aduerſum ſe aliquid.

VOS verò qui ſcitis, quis noſter Deus ſit, & qualia eius iudicia, quomodo poteritis iudiciũ veſtrũ per violentiã, et impetũ pronunciare, cùm illico illud pateat Deo? quod quidẽ ſi iuſtũ ſit, iuſtè et nunc, et in futuro remunerãdi ſitis: ſin verò iniuſtũ, rurſus parẽ mercedẽ reportaturi. ergo conſiliũ vobis fratres damus, vt ſtudeatis meritam laudem potius à Deo ferre, quàm vituperationẽ: laus nanq; Dei eſt hominibus vita immortalis, vt contrà vituperatio, ſempiterna mors. Quocirca eſtote æqui iudices, pacifici, ira vacui. Qui enim temerè fratri ſuo iraſcitur, reus erit iudicij. Quòd ſi alicuius opera in aliquẽ iraſci contingat, ne occidat ſol ſuper iracundiã veſtram: iraſcimini enim, inquit Dauid, & nolite peccare: fiat citò reconciliatio pacis; ne ira reſidens efficiatur iniuriæ recordatio, & peccatum pariat. Animæ enim, inquit Salomon, memores iniuriarum in mortem. Ait præterea Dominus Ieſus Chriſtus in euangelio, ſi offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. Munus verò Deo cuiuſque precatio, & gratiarum actio. Si igitur habes aliquid aduerſus fratrem tuum, aut ipſe habet aliquid aduerſum te, neque precationes quidem tuæ, neque gratiarum actiones, quia ſubeſt ira, exaudientur. Oportet autem fratres aſſiduè precari; ſed quoniam eos, qui cum fratribus inimicitias, & ſimultates iratè, & iniuſtè exercent, Deus non exaudit, quãuis ter in hora preces adhibeant. idcirco tollenda eſt omnis inimicitia & exiguitas animi, vt poſſimus puro & mundo corde precari. Atqui vel inimicos præcepit nobis Dominus diligere, non autem amicos odio habere. & legiſlator ait: Ne oderis omnem hominem; ne habeas odio fratrem tuum in corde tuo: arguendo argues fratrem tuum, & ne ſuſcipias peccatum propter ipſum. Non habebis odio Ægyptium, quia aduena fuiſti apud eum. Non habebis odio Idumæum, quoniam frater tuus eſt. & Dauid ait, ſi reddidi retribuentibus mihi mala. Quare ſi Chriſtianus eſſe vis, ſequere legem Domini: diſſolue omne vinculum iniquitatis, in te enim poſuit Dominus poteſtatem remittendi peccata in te commiſſa. Quoties ergo fratri tuo delicta remiſiſti, vt nolis etiam nunc eidem remittere? Cùm tamen Zachariam audias, qui ait, vnuſquiſque malum proximi ſui ne reputetis in cordibus veſtris. At tu iniuriæ memor es, & inimicitiam retines, & in iudicium venis, & iracundiam obſeruas, & precibus tuis obſiſtis. Quòd ſi fratri tuo peperciſti remiſſis quadringentis nonaginta peccatis, fac propter teipſum, vt magis adhuc aucta iræ vacuitas affluat in benignitatem. etſi ille non facit, at ſtude tu propter Deum, vt fratri ignoſcas, vt ſis filius patris tui, qui in cælis eſt, & vt audiaris tanquam amicus Dei, cùm facis precationem.

Leu.19. Deut. 23. Eſa. 58. Zach. 8.

CAP. LIIII.
Quòd oporteat, vt epiſcopi populum de pace per diaconum admoneant.

IDCIRCO epiſcopi, cùm eundum vobis erit ad orationem, poſt lectionem, & *1 cantum pſalmorum, ac poſt doctrinam de ſcripturis, dicat diaconus ex loco vobis vicino voce magna, nemo contra aliquem, nemo cum ſimulatione. vt ſi in nonnullis controuerſia reperiatur, conſcientia perculſi precentur Dominum, vt fratri reconcilientur. Etenim ſi qui ingrediuntur cuiuſpiam domum, primùm dicere debent, pax huic domui, tanquam filij pacis pacem dignis tribuentes, ſicut ſcriptum eſt, iis, qui propè, & iis, qui longè, quos nouit Dominus ſuos eſſe, multò magis qui in eccleſiam Dei ingrediuntur, in primis pacem Dei precari debent; qui verò hanc aliis precatur, multò magis curare debet, vt idem intra eam tanquam filius lucis habitet. Qui enim in ſe non habet pacem, non eſt fide & auctoritate dignus ad tribuẽdum eam aliis. Quocirca primum oportet ipſum eſſe ſecum in pace.

*1 En cantus pſalmorum in eccleſia ſecundũ Apoſtolicam doctrinã. quare Proteſtãtes cùm eum reprehẽdunt, Apoſtolos reprehẽdunt. Lectio verò ſanctarum ſcripturarum, & pſalmorum cantus, cùm

D Qui

Qui enim ſecum non diſſidet, neque cum alio pugnabit; quin potiùs erit ſtudioſus pacis, beneuolus, colligens ea quæ Domini ſunt, adiutorque eius ad augendum numerum eorum, qui idem ſentiendo ſalui fiunt. Qui enim inimicitias, pugnas, controuerſias, & lites excogitant, improbi ſunt, & à Deo alieni.

Miſſa canitur, ad formam Miſſæ inter alia pertinēt ſecundum Apoſtolicam conſtitutionē. idē cernitur in forma Miſſę à Dionyſio Areopag. Apoſtolorum diſcipulo deſcripta, qui in eccleſiaſt. Hierarchia in ca. de communione, pſalmorum ſacra verba omnibus fere ſacramentis immixta eſſe ait, quare non debuiſſe diſtrahi, ac diſſolui à ſummo omnium ſacramento. at forma Miſſæ Proteſtantium neque lectionem ſcripturarum, neque pſalmorum ſacros verſus habet. Mendacium ergo eſt quod ſcribit Bullingerus in ſuo compendio doctrinæ c. 5. de ritibus eccleſiæ Antitheſi 15. optimam formam celebrandi Miſſam eſſe ad exemplum Apoſtolorum: hi autem, inquit, in ſacrum cœtum conuenientes, poſt prędicatum Dei verbum orarunt cum tota eccleſia; cum qua etiam panem Domini fregerūt, & poculum ſanguinis diſtribuerunt; de lectione autem ſcripturæ, & de pſalmodia nulla mentio contra duos teſtes Apoſtolicos, Clementem, & Dionyſium.

CAP. LV.

Recēſetur varia prouidētia Dei, & quemadmodum ſingulas generationes à principio ad pœnitentiā vocauit.

DEVS enim, miſericordiæ Deus, à principio ſingulas generationes ad pœnitentiam per iuſtos, & prophetas vocat, & alios quidem ante diluuium corrigebat per Abel, Seth, Sem, item per Enos, & Enoch tranſlatum; alios verò rurſus in ipſo diluuio per Noë: Sodomitas per hoſpitalem † illum Lot; poſt diluuium per Melchiſedec, & Patriarchas, & per Iob, quem habuit Deus chariſſimum: eos qui in Ægypto erant, per Moyſen: Iſraëlitas per ipſum Moyſen, & per Ieſum, ac Caleph, & Phineem, & reliquos: Poſt legem per angelos, & prophetas, & eoſdem per aduentum ſuum in carne ex virgine ſumpta; alios paulò antequam eſſet oſtenſus, per Ioannem præcurſorem: eoſdem verò etiam per eundem, & poſt ortum ſuum, cùm aiebat; agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cælorum: poſt paſſionem ſuam *1 vocat per nos duodecim, & per Paulum vas electionis. Nos igitur, quos voluit teſtes eſſe aduentus ſui vnà cum Iacobo fratre Domini, & aliis ſeptuaginta duobus diſcipulis, ac ſeptem diaconis ſuis, audiuimus ex ore Domini noſtri Ieſu Chriſti, & optimè edocti, dicimus quæ nam ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, quæ nobis per Ieſum Chriſtum declarata eſt; ſcilicet ne vllus pereat, ſed potius omnes homines, cùm ei vno conſenſu crediderint, laudibus eundem vno animo, & ore celebrantes, iidem in ſempiternum viuant.

*1 Si per Apoſtolos vocabat Chriſtus ad pœnitentiā, vt Apoſtolica doctrina teſtatur, ſicut vocabat prius per Ioannē Bapt. cùm aiebat, agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnū cælorum, ergo & nunc ſic quoq; vocat per eos, qui apoſtolorum locum tenent, epiſcopos & presbyteros. at agere pœnitentiam, ad quod vocat, non poteſt quis, niſi fructus pœnitentiæ faciens, ſicut idem Ioannes videns venientes ad ſuum baptiſmum, id eſt, ad baptiſmum pœnitentiæ, facite ergo, inquit, fructus dignos pœnitentiæ, id eſt, opera digna pœnitentię, vt Paul. act. 26. interpretatus eſt, cùm ait, gentibus annunciabam, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes. ſunt enim opera digna pœnitentiæ, quibus probatur coram Deo, & hominibus, odio haberi peccatum, quod verè confitemur. vt enim ait Baſilius in comm. Eſa. cap. 1. non ille, qui dixit, peccaui, deinde in peccato perſtat, is confitetur peccatum, ſed qui, vt ait Dauid, inuenit peccatum, & odio habuit. & tunc, inquit, remittuntur peccata, ſi virtus totum animum occupet, & vitij contrarij odium generet. Quærit rurſus idem Baſ. in regulis breu. quæſt. 5. Quomodo debeat quis agere pœnitentiam ἐφ᾽ ἑκάστῳ ἁμαρτήματι, id eſt, in ſingulis peccatis, & non generatim, vt noui euangelici tradunt: Si ita, inquit, affectus ſit, vt ille, qui dixit, iniquitatem odio habui, & abominatus ſum: & illa fecerit, quæ in ſexto pſalmo ſcripta ſunt. inter alia autem ſcriptum eſt ibi, laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis ſtratum meum rigabo. addit deinde idem Baſ. aliud exemplum ab Apoſtolo nobis propoſitum ad imitandum: & ſi ea, inquit, fecerit, quæ teſtatur Apoſtolus facta ab iis fuiſſe, qui pro alio, qui peccauerat, ſecundum Deum contriſtati fuerunt. ecce enim, inquit, hoc ipſum ſecundum Deum contriſtatos eſſe vos, quantam in vobis operatum eſt ſolicitudinem, ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam. in omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotio. ſi hæc Corinthij facere debuerunt, vt ſic apud Paulum coram Deo probarent, & oſtenderent, ſe verè pœnitere, quòd aliquando illi inceſto conniuere viſi eſſent, quid facere oportet eos, qui non alienis peccatis communicarunt, vt illi, ſed ſua, quod grauius eſt, commiſerunt? huiuſmodi ergo fructus pœnitentiæ ſunt, quos odium peccati parit. addit poſtremò aliud exemplum agendi pœnitentiam: etſi, inquit, vt Zachæus, contraria rectè facta multiplicauerit. at confeſſioniſtæ in ſua doctrina de pœnitentia, & abſolutione, de operibus pœnitentiæ dignis, quia laborioſa ſunt, omnino tacent. Illyricus in defenſione Ant. confeſſionis cap. 18. Si dolet, inquit, peccator ſe peccaſſe, & petit propter Chriſtum condonationem, omnia ſunt ei remittenda. & Philipp. in reſp. ad art. 19. Bauar. inquiſitionis, cùm ſunt, inquit, veri dolores non ſimulati, Deus iudicat peccatum in cordibus, verbo ſuo arguente peccatum, iuxta dictum, per legem cognitio peccati: accedat autem & fides cum cogitatione promiſſionis in euangelio traditæ, quæ affirmat gratis remitti peccata, & imputari iuſtitiam; hac fide certò accipitur remiſſio peccatorum. hæc iſte. Si veri dolores ſunt, cùm cognoſcitur peccatum per legem, quam peccator tranſgreſſus eſt, non debebat Ioannes Baptiſta requirere ab iis, qui veniebant ad baptiſmum pœnitentiæ, vt facerent opera pœnitentiæ digna; aut ſi requirebat, vt euangelium dicit, & ſimiliter Apoſtoli requirebant, vt hic Apoſtolica doctrina teſtatur, ſiquidē per eos vocabat poſt paſſionem ſuam Dominus ad pœnitentiā. ſicut ante paſſionem per Ioannem planè conuincitur, neceſſaria fuiſſe opera pœnitentiæ digna ad probandum veros dolores. hoc genus pœnitentiæ operibus pœnitentiæ dignis probatum ſemper Deus requiſiuit ante legem, & in lege, ac poſt legem, vt hæc Apoſtolica doctrina teſtatur, quæ pœnitentiam, ad quam vocabat Dominus per Ioannem, comparat cum pœnitentia, ad quam vocabat ante legem, & ad quam vocabat poſt paſſionem, & nunc vocat vſque ad ſæculi conſummationem.

CAP. LVI.

Quòd voluntas Dei ſit, vt omnes homines in religione pia cōſentiāt ad imitationē angelorū.

HOC enim eſt quod Dominus docuit, vt cùm precationem facimus, patri eius dicamus, fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra; vt ſicut cælites naturæ incorporeæ cuncti Deum vno conſenſu laudant, ſic etiam in terra cuncti homines vno ore, & vno animo, concelebrent ſolum Deum vnum, & verum per Chriſtum vnigenitum.



vnigenitum. Voluntas itaque Dei eſt, vt ipſum idem *1 ſentiendo laudemus, idēq; dicendo veneremur. Hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto, vt multi in eo ſint ſalui; & non potius, vt ei incommodemus, neque eccleſiam eius imminuamus: aut contrahamus numerum ad pauciores vel vna anima hominis à nobis occiſa, quæ cùm per pœnitentiam alioqui ſeruari poſſet, interierit tamen non ſolum à propria ira, ſed etiam veſtris inſidiis; ita vt ad exitum perductum ſit, quod ſcriptum eſt, qui nō congregat mecum, diſpergit; qui verò ſic diſperſor eſt, aduerſarius eſt ouium, inimicus Dei, agnorum laniator, quorum fuit paſtor Dominus: & quos nos ex variis gentibus, & linguis congregauimus multa ſolicitudine, & periculo, ac labore aſſiduo, peruigilando, famem tolerando, humi cubando, perſecutiones, verbera, & carceres ſuſtinendo; vt voluntati Dei obſequentes triclinium accubantibus impleremus; id eſt, impleremus ſacram catholicam eccleſiam iis, qui inuitati lætentur, & exultent: laudentque, ac celebrent Deum, qui per nos ad vitam eos vocauit: Nos inquam congregauimus, vos verò quantum in vobis fuit, diſperſiſtis. Et vos verò laici pacem & mutuam concordiam ſeruate, ac ſtudete, vt tanquam prudentes eccleſiam Dei amplificetis; & oues, quæ habentur pro feris, & agreſtibus, ad eam reducatis, & mitigetis; & in priſtinum ſtatum reſtituatis. Atque hæc quidem eſt maxima à Deo promiſſa merces, ſi eduxeris, inquit, ex indigno dignum, & honoratum, ſicut os meum eris.

*1 Huius Apoſtolicæ doctrinæ teſtimonio cōuincitur, nō laudare Lutheranos Deum neque venerari, ſiquidem de ſublimibus doctrinæ Chriſtianæ articulis inter ſe cōtendunt, vt ipſe etiā Nicolaus Gall⁹ vn⁹ ex Cōfeſſioniſtis in theſibus ſuis fatetur & teſtatur, & alij alios inter ſe pro hæreticis habent, vt Cōfeſſioniſtę Zuinglium, Oſiādrum, & eorū ſectatores, & adiaphoriſtas, ac principes Saxoniæ, & comites Manſfeldenſes XI. ſectas Lutheranorum tanquā execrabiles condemnarūt, quas Staphyl⁹ in libro de concordia Lutheranorum numerat.

Hier. cap. 3.

CAP. LVII.

Deſcriptio eccleſię & cleri, & quid vnuſquiſq; facere debeat clericis congregatis, vel laicis in Synaxe.

TV verò ô epiſcope ſis ſanctus, omni nota carens, non percuſſor, non iracundus, non ſæuus, ſed potius ædificator, conuertendi, docendi, conſtituendi ſtudioſus, tolerans, lenis, mitis, longanimis, monitor, conſolator tanquam homo Dei.

Cùm verò eccleſiam Dei conuocas, tanquam magnæ nauis gubernator iube cum omni prudentia, congregari præcipiens diaconis, veluti nautis, vt loca fratribus tanquam nauigantibus valde accuratè, & honeſtè diſponāt. Ac primùm quidem ſit ædes † oblonga ad orientem verſus naui ſimilis, vtrinq; *1 paſtophoria in orientem. Sit ſolium epiſcopi in medio poſitum, & ex vtroque eius latere ſedeant presbyteri, & aſtent diaconi ſuccincti, & expediti ſine multa veſte, ſunt enim illi ſimiles nautis; hi illis, qui per foros nauis curſitant. Sit autem horum cura, vt laici in altera parte, ordine, & decore, & quiete ſedeant; item, vt ſedeant mulieres ſeparatim, ac cum ſilentio; in medio autem lector ex loco edito legat libros *2 Moyſis, † & Ieſu Naue, Iudicum, & Regum; item Paralipomena, & Eſdram de reditu populi; præterea Iob, & Salomonem: ad hæc ſexdecim prophetas. peractis verò binis lectionibus de binis libris, alius quiſpiam pſalmos Dauid canat, populus verò initia verſuum quæ dicuntur acroſtichia, ſuccinat. Deinde acta noſtra legantur; item epiſtolæ Pauli adiutoris noſtri, quas eccleſiis miſit ſpiritus ſancti inſtinctu dictatas. Poſtea diaconus aut presbyter euangelia legat, quæ ego Matthæus & † Ioannes tradidimus vobis, & quæ adiutores Pauli, Lucas, & Marcus acceperunt, ac nobis reliquerunt; & cùm legetur euangelium, presbyteri & diaconi,

*1 Paſtophoria ſunt, quæ nunc tabernacula & ſacraria vocam⁹, in quibus veneranda ſacramenta ſeruantur, vt eſt in libr. 8. cap. 13. de reliquiis S. Euchariſtiæ in Paſtophoria inferendis: item in quibus ſacra vaſa, & veſtes ſacræ ad eccleſiaſticum vſum, miniſteriū, cultum.

*2 En Apoſtolicæ doctrinæ teſtimonium, pertinere ad formam Miſſæ lectiones ſcripturæ, quæ ideò adhibentur, vt, ſicut ait Simeon Theſſ. in libro de myſteriis Miſſæ cap. 22. purgando, & ſanctificando præparēt, ad illam ſummam ſanctificationem ſacræ Euchariſtiæ participandam. nec hoc ſolum faciunt, inquit, ſed ſimul ſignificant, quæ ex vetere quidem ſcriptura leguntur, tempus ante aduentum Chriſti, lex enim & Prophetæ vſque ad Ioannem: quæ verò ex Apoſtolis, & euangeliis tempus aduentus, & manifeſtationis Chriſti, in quo per ſeipſum, & per Apoſtolos locutus eſt. Legitur autem prius ex Apoſtolis, quàm ex euangeliis ſecundum ordinem huius conſtitutionis, non ſolum in Miſſis Latinorum, ſed Græcorum etiam, vt idem auctor Simeon ait, quia Dominus non fecit ſimul omnem potentiæ, & bonitatis ſuæ manifeſtationem, ſed minorem prius, & poſtea maiorem: quæ autem per ſe locutus eſt, quæ in euangelio continentur, perfectiorem manifeſtationem continent, quàm quæ per Apoſtolos locutus eſt: idcirco lectio Apoſtolica priori loco adhibetur, vt ſignificetur huiuſmodi progreſſus à minus perfecto ad perfectius. Quòd autem tot lectiones in hac Miſſa adhibētur ex vetere teſtamento, ratio eſt, quòd principio eccleſia ex maiori parte ex Iudæis veteri tantùm teſtamento aſſuetis congregabatur, quibus ex vetere tantùm ſcriptura Chriſti aduentus erat oſtendendus: poſtquàm verò tota ferè ex gentibus cōgregari cœpit, ferè in omnibus Miſſis tam Latinorum, quàm Græcorum duæ tantùm noui teſtamēti lectiones eo ordine, quo dictum eſt, ſecundum Apoſtolicam traditionem remanſerunt. Illæ verò binæ lectiones de binis libris veteris teſtamenti ſignificabant & tempus ante aduentum Chriſti, cùm ſunt omnia de aduentu prophetata, & tempus poſt aduentum, cùm ſunt completa. eſt autē in hoc de binis lectionibus teſtimonium Apoſtolicæ doctrinę, poſſe ſuſcipi aliquid adiaphoron cum opinione cultus Dei cōtra Confeſſioniſtas, & licere aſtringere numero orationem, & lectionem ſacram ad piam aliquam ſignificationem in ædificationem.

vniuerſuſque populus magno cum ſilentio ſtent: ſcriptum eſt enim, tace, & audi Iſraël. & rurſus, tu autem ſta ibi, & audies. Deinde hortentur populum *3 preſbyteri, non omnes † ſimul, ſed ſingulatim, & poſtremus omnium epiſcopus, qui ſimilis eſt gubernatori nauis. Ianitores ſtent ad introitus virorum cuſtodiendi cauſſa, diaconiſſæ verò ad mulierum, vtrique inſtar eorum, qui in naui recenſent vectores: in tabernaculo enim teſtimonij, & in templo Dei, eadem ratio, & forma obſeruabatur. Si quis autem repertus fuerit, qui † ſedeat loco non decenti, increpetur à diacono, tanquam à proreta: traducaturque in locum qui eum deceat. eſt enim eccleſia non ſolum ſimilis naui, ſed gregi: Nam vt paſtores ſingulas pecudes, capras dico, & oues pro generis, & ætatis ratione locant, & quodque eorum ſimile cum ſimili congregatur; ſic in eccleſia adoleſcentes quidem ſeorſum ſedeant, ſi locus ſit: ſin autem non ſit, ſtent; ætate verò prouecti ordine ſedeant, pueros autem ſtantes, patres, & matres eorum ſuſcipiant; rurſus adoleſcentulæ ſeorſum, ſi fuerit locus. Si verò non fuerit, poſt mulieres locentur. Nuptæ iam & matres familias item ſeorſum: Virgines autem, & viduæ, & anus primæ omnium ſtent, aut ſedeant. Locis verò occupandis præſit diaconus, vt quiſque eorum, qui ingrediuntur, in locum ſuum ſe conferat, & nemo præter decorum ſedeat. Similiter diaconus populum ſpeculetur, nequis murmure obſtrepat, dormitet, aut nutus faciat. Oportet enim ſtare in eccleſia ſapienter, ſobriè, & vigilanter, auribus ad verbum Domini intentis. Deinde cuncti pariter conſurgentes & in Orientem ſpectantes, egreſſis catechumenis, et pænitentibus, precentur Deum, qui aſcendit ſuper cælum cæli; idque ad *4 Orientem. Vnde primus homo neglecto Dei mandato conſilio ſerpentis eiectus eſt. Diaconi autem poſt precationem alij oblationi Euchariſtiæ operam dent, miniſtrantes corpori Domini cum timore, alij obſeruent turbam, & faciant, vt ſilentium teneant: diaconus verò, qui epiſcopo aſſiſtit, dicat populo: Nemo contra aliquem, nemo in ſimulatione. deinde mutuò ſalutent, viri viros, & feminæ feminas oſculo in Domino; ac nemo dolo, vt Iudas, cùm Dominum oſculo prodidit. poſtea diaconus precationem faciat pro cuncta eccleſia, & vniuerſo mundo, & eius partibus, pro fertilitate, pro ſacerdotibus, pro magiſtratibus, pro pontifice, pro rege, & pro pace omnium. Deinde pontifex precatus pacem populo, benedicat ei, vt Moyſes ſacerdotibus præcepit, vt his verbis populo benedicerent: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te, & oſtendat faciem ſuam ſuper te, & det tibi pacem. Precetur ergo epiſcopus his verbis, conſerua Domine populum tuum incolumem, & benedic hæreditati tuæ, quam ſanguine Chriſti tui poſſediſti, & acquiſiuiſti; ac regale ſacerdotium, & gentem ſanctam appellaſti. Poſtea verò fiat ſacrificium, *5 cuncto populo ſtante, & ſilentio precante; & oblatione facta, quiſque ordo ſeorſum, corpus Domini & pretioſum ſanguinem ſumat, accedentes ordine, cum pudore, & reuerentia, vtpote ad corpus regis: Item mulieres operto capite, vt ordinem earum decet, accedant. Ianuæ autem ædis ſacræ cuſtodiantur, ne quis infidelis, aut non baptizatus ingrediatur.

*3 En Apoſtolica doctrina interpres loci Pauli 1. Cor. 14. Prophetæ duo, aut tres dicãt, & cęteri diiudicent. quẽ locum prauè interpretãtes Lutherani tradũt iudicium de ſcriptura, & dogmatibus ad quemlibet Chriſtianum pertinere, quia dicit Apoſtolus, cæteri diiudicẽt. Paulus igitur quos hic Apoſtolica doctrina vocat preſbyteros, vocat illic Prophetas, quia ſunt doctores verbi. Vult ergo Paul. vt presbyteri populum doceãt, & hortentur, non omnes, ſed duo, aut tres, idque nõ ſimul, ſed ſingulatim, & cęteri ſcilicet presbyteri, qui eadem ratione dicũtur Prophetæ, diiudicent: poteſtis enim, inquit, omnes ſcilicet prophetę, ſiue preſbyteri per ſingulos prophetare, ita vt omnes diſcant, & omnes exhortẽtur, id eſt, exhortationẽ audiãt, verbũ enim eſt patiendi. ecce ad ordinem diſcentiũ, & exhortationes audientium pertinet populus, diiudicare autem non eſt ordinis diſcentium ſed docentiũ, in primis epiſcopi, & ſub epiſcopo presbyterorum.

*4 En Apoſtolicæ doctrinæ teſtimoniũ, licere aliquid adiaphoron ad cultum Dei adhibere contra Proteſtantes Cõfeſſioniſtas, qui tradunt in ſuis catechiſmis non eſſe recipiẽda adiaphora cũ opinione cultus Dei. ſpectare enim ad Oriẽtem, quod eſt adiaphoron, vt admoneat inter orandum de paradiſo, vnde primus homo propter peccatum eiectus eſt, quo magis nos caueamus, ad cultum Dei planè refertur: placetque ei huiuſmodi recordatio, quæ eſt quædam teſtificatio gratiæ Dei, & iuſtitiæ eius.

*5 En ſancta Euchariſtia ſacrificium eſt ſecundum Apoſtolicam doctrinam, & corpus Domini extra vſum & ſumptionem: non enim pręcipit hæc Apoſtolica conſtitutio ſumere tantùm cum reuerentia, ſed accedere cum reuerentia ad ſumendum. quòd ſi reuerentia opus eſt ad accedendum, accedere autem ad ſumendum, non eſt ſumere, igitur ante ſumptionem eſt reuerentia dignum, quia eſt corpus Domini: & ſi acceſſus cum reuerentia eſt pius & laude dignus, cur non erit pia, & laude digna circũgeſtatio cũ reuerentia, contra Proteſtãtes?

CAP. LVIII. De commendaticiis litteris peregrinorum, laicorum, clericorum, epiſcoporum, & de recipiendis ſine differẽtia acceptionis perſonarum.

SI autem aliquis frater, aut ſoror ex paræcia aduenerit, qui commendaticias afferant; accedat diaconus, & inquirat, an fideles ſint, an eccleſiaſtici; num hæreſi quapiam contaminati; ac rurſus ſoror, nupta ne an vidua ſit. atque ita cùm cognouerit fideles planè eſſe, & in doctrina Domini idem atque nos ſentire, deducat

ſingulos



ſingulos eorum ad locum eis accommodatum. Si verò presbyter item ex parœcia aduenerit, excipiatur in † commune à presbyteris: Si diaconus fuerit, à diaconis: ſi autem epiſcopus fuerit, cum epiſcopo ſedeat, eodem honore ab eo acceptus. Rogabiſque eum epiſcope, vt ſermonem habeat apud populum docendi cauſſa: eſt enim hortatio, & monitio hoſpitum grata, & mirum in modum vtiliſſima: ſiquidem nemo propheta, inquit Dominus, acceptus in patria ſua. Deinde epiſcope, committes ei, vt *1 offerat Euchariſtiam; ſin verò tanquam ſapiens propter reuerentiam, erga te, quo tibi honorem ſeruet, offerre noluerit, coge, vt ſaltem benedicat populo. Si autem † cùm iam ſedetur, alius quiſpiam adueniat honeſtus, & nobilis, ſiue externus, ſiue eius regionis, tu epiſcope cùm de Deo verba facis apud populum, aut cùm pſallentem, aut legentem audis, ne ratio perſonæ faciat, vt miniſterium verbi intermittas, quo illi locum ante alios ſedendi conſtituas: quin potiùs quieſce, ne vel ſermonem tuum interrumpas, vel audientiam; fratres verò eum per diaconum recipiant; ſi non eſt locus, diaconus iuniorem loco moueat, prudenter tamen, & non iratè, & illum ſeſſum recipiat: æquum enim eſt, vt qui eſt in fratres beneuolus, ſponte ſua hoc faciat. quòd ſi recuſauerit, moue eum cogendo, & in extremum locum reiice, vt diſcant cæteri, cedere loco honoratioribus. Si autem pauper, aut ignobilis, aut peregrinus quiſpiam, ſenex, vel adoleſcens aduenerit, neque ſit locus vacuus, his quoque diaconus ex toto animo locum faciat, vt non fiat aduerſus hominem acceptio perſonæ, ſed fiat miniſterium Deo acceptum: Cùm mulieres ſiue pauperes, ſiue diuites aduenerint, vtrumque horum faciat diaconiſſa.

*1 En Apoſtolicæ doctrinæ teſtimonium in Cõfeſſioniſtas, qui negant offerri in Miſſa Euchariſtiã, id eſt, corpus & ſanguinem Chriſti. hæc enim eſt Euchariſtia, quæ in Miſſa offertur. quare non habet hic locũ Philippi cauillatio, cũ in Reſponſ. ad art. Bauar. inquiſ. c. 17. ait: quod verò interdũ nomine oblationis, aut ſacrificij vetuſtas vtitur, intelligit totam actionem, inuocationẽ, & gratiarum actionem adiunctã ſumptioni. hæc, inquit ille, ſacrificia dici nõ dubium eſt. at hic Apoſtolica doctrina non dicit, committes ei, vt offerat gratiarum actionem. Euchariſtia enim quæ ſumitur, non eſt gratiarum actio, ſed verum corpus Chriſti. neque dicit, committes, vt offerat inuocationem aut actionem Miſſæ; actio enim Miſſæ non eſt ipſa Euchariſtia, ſed circa Euchariſtiam, quæ offertur, & inuocatur, & gratiarum actione celebratur.

CAP. LIX. Quòd debeat vnuſquiſq. adhibere ſtudium, vt mane, & veſpere ad eccleſiam eat.

CVM autem doces epiſcope, iube † & mone populum frequentare quotidie eccleſiam mane, & veſpere, vt omnino abeſſe nolit, immò aſſiduè conueniat, neque vllus ſubducendo ſe, eccleſiam mutilam faciat, & à corpore Chriſti vnum membrum decerpat. Neque enim de ſolis ſacerdotibus dictum eſt, ſed potius quiſque laicus de ſe quoque dictum cogitet. Qui non eſt mecum, neque mecum colligit, ſpargit. Ne igitur qui eſtis alioqui membra Chriſti, vos diſpergatis non congregando vos, qui Chriſtum habetis caput, qui, vt idem promiſit, vobiſcum eſt, & vobis ſui communionem impertit. Ne ſitis veſtri negligentes, neue Saluatorem ſuis membris priuetis, neque corpus eius diuidatis, neque membra eius diſſipetis, neque verbo Dei ea, quæ ad vſus vitæ pertinent, anteponatis. Quinimmò conuenite in *1 eccleſiam ſingulis diebus mane, & veſpere ad canendum pſalmos, & precationes in templo Domini faciendas: mane quidem pſalmum *2 ſexageſimum ſecundum; veſpere verò centeſimum quadrageſimum: potiſſimum autem die † ſabbati, & die Dominico, qui eſt dies reſurrectionis, ſtudioſiùs templum Domini adite; vt Deum laudibus celebretis, qui fecit omnia per Chriſtum, quem ad nos miſit, & pro nobis mori permiſit, et à mortuis excitauit. Quid enim apud Deum excuſare poterit, qui eo die ad audiendum verbum Dei ſalutare de reſurrectione non conuenit? quo quidem die *3 precationes tres ſtantes facimus, memores eius, qui poſt triduum reſurrexit. in quo item adhibentur lectio prophetarum, euangelij prædicatio, oblatio *4 ſacrificij, & ſacri cibi donum.

*1 En teſtimoniũ Apoſtolicæ traditionis, quę vſque in hodiernum diem per omnes eccleſias Gręcorum, & Latinorum ſeruatur de adeundo eccleſiam mane, & veſpere quotidie ad orationem, contra Proteſtantes, qui eccleſias ſuas clauſas habent, niſi cũ ad δημοθοινίαν, id eſt, ad cœnã popularem conueniũt, qui quia cum Chriſto non colligunt, ſicut maiores eorum collegerũt, idcirco mutata maiorum ſuorum religione huiuſmodi aſſiduam & quotidianam noſtram in eccleſia collectionem, ſicut Apoſtolus de aliis ait, deſeruerunt.

*2 Traditio huius Apoſtolicę conſtitutionis de his duobus pſalmis quotidie mane, & veſpere in eccleſia canendis adhuc ſeruatur in eccleſia noſtra in teſtimonium contra Proteſtantes, quotidie enim in laudibus mane canitur in eccleſia pſal. 62. & veſpere diebus Dominicis, & ſingulis feriis verſus pſal. 140. vice totius pſal. cauſſa verò huius traditionis eſt, quia vterque pſal. continet deſiderium Dauid orandi in tabernaculo, cùm fugiebat Saulem; noſtra autem eccleſia locus eſt in nouo teſtamento ad orationem per verbum, & orationem ab epiſcopo ſanctificatus, ſicut in vetere teſtamento tabernaculum à Moyſe, cui tabernaculo noſtra eccleſia, vt corpus vmbræ, reſpondet.

*3 En oratio ad cultum Dei aſtricta numero propter piam ſignificationem contra eoſdem Proteſtantes. Viget autem adhuc hæc de tribus orationibus traditio in Miſſis diei Dominici, ſicut à S. Apoſtolis eccleſia accepit.

*4 En ſacrificium planè à communione diſtinctum, vt Illyricus tergiuerſari amplius non poſſit, vt facit in apologia ſiue defenſione



Confeſſionis

Confeſſionis Antuerpienſis contra Iudocum Tiletanum cap. 15. de Miſſa: non enim poteſt dicere, vocari hic ſacrificium preces adiunctas communioni, nec ipſam communionem, quia his addidit tertium, ſacrificij oblationem.

CAP. LX.
Exemplum ad æmulationẽ inducens, vanus Gentilium, & Iudæorũ ad fana, & Synagogas concurſus.

QVOMODO verò non eſt hoſtis Dei, qui nocte, & die operam & ſtudium in fluxis quidem, & caducis rebus collocat, quæ verò æterna ſunt, negligit? qui quotidie in balnea, & cibum caducum incumbit; ea verò, quæ ſemper permanent, & durant, non curat? Quomodo iſti non eſt etiam nunc dicturus Dominus;[*1] iuſtificatæ ſunt ſupra vos gentes, ſicuti cùm exprobrabat; Hieruſalem, inquiens, iuſtificata eſt Sodoma ex te! Etenim ſi gentes quotidie cùm è ſomno ſurrexerint, ad idola properant colenda, & ante opus, actionemque omnem eis primùm preces adhibent, & in eorum agitandis feſtis, ac celebritatibus non interponunt moram, ſed eis ſtudent, & inſeruiunt, non ſolùm qui ſunt eius loci; ſed etiam qui procul habitant, & in ipſis theatris omnes tanquam in Synagoga quadam conueniunt: ſimiliter qui nunc vano nomine Iudæi appellantur, ſex diebus operantur, die ſeptimo in Synagoga ſua conueniunt, nunquam neque ſuam illam Sabbati vacationem, neque Synagogam ſuam prætermittentes, aut negligentes, alioqui vacui in incredulitate ſua à virtute verbi Dei, & nominis, quo ſeipſi vocant. (Iudas enim confeſſionem declarat: hi autem, qui Chriſtum morte contra legem affecerunt, non confitentur Deo, vt per pœnitentiam ſalui fiant) ſi, inquam, perditæ gentes ea, quæ nihil eis proſunt, frequentant, quid tu Domino Deo excuſabis, qui ab eccleſia eius abſens es? qui ne gentes quidem imitaris, immò quia abes, ideò[*2] deſidiæ te dedis, aut apoſtaſiæ, aut maleficio. Quibus Dominus per eum, qui dictus eſt, dicit, Iuſtificationes meas non cuſtodiſtis, immò neque ſecundum iuſtificationes gentium ambulaſtis; & eas propè ſuperatis. & rurſus, Iuſtificauit animam ſuam Iſraël præ anima incompoſiti Iuda, & quæ ſequuntur; ſi mutabunt gentes Deos ſuos, & hi non ſunt Dij; quia tranſite in inſulas & videte, & mittite ad Cedar, & conſiderate diligenter, an ſint facta talia, quia illi quidem non mutant, quæ legis ſuæ ſunt; populus verò meus, inquit, mutauit gloriam ſuam, quæ ei non proderit. Quomodo igitur ſe defendet, qui eccleſiam Dei parum curauerit, aut ſe de ea ſubduxerit?

*1 En ſecundum Apoſtolicam conſtitutionem de frequentanda eccleſia Dei quotidie mane propter orationem, iuſtificatæ ſunt gẽtes ſupra Proteſtãtes, & ſectarios omnes, qui non ſolùm non frequentãt, ſed potius tradunt, non eſſe eccleſiam domum orationis, nec adiuuare ad exaudiendum eam contra hanc conſtitutionem Apoſtolicæ traditionis: cuius teſtis eſt noſtra, & omnium eccleſiarũ Dei conſuetudo à ſanctis Apoſtolis ſpiritu Dei inſtituta.

*2 Abeſſe autẽ ab eccleſia Dei, cauſſam eſſe pigritiæ in ſtudio virtutis, aut cauſſam maleficiorum, aut etiã apoſtaſiæ, ſicut hæc Apoſtolica conſtitutio teſtatur. teſtimonio ſunt Proteſtantes, qui ex quo gloriam eccleſiæ, quam patres, & maiores eorum ſemper habuerunt, mutarunt, à fide catholica diſceſſerunt: contra verò Græci tametſi ſchiſmatici ſunt, quia tamen eccleſias patrum ſuorum frequentant, & earum gloriam, & cultum, ac religionem nunquam mutarunt, nunquam apoſtaſiam Proteſtantium probarunt, aut imitati ſunt; ſed potius eorum dogmata deteſtãtur.

CAP. LXI.
Quòd nõ ſit fas anteponere diuinis ſæcularia.

SI QVIS verò parum curat eam, excuſando ſe cauſſa operis ſui, excuſando, inquam, excuſationes in peccatis, cognoſcat, qui ſic eſt, artes quidem Chriſtianorum eſſe quaſi quoddam adminiculum operis, religionem verò eſſe opus. Artificia ergo veſtra tanquam aliud agentes ad victum parandum exercete: religionem verò colite hoc agentes. ſicut Dominus aiebat, operamini non cibum, qui perit, ſed manentem in vitam æternam. & iterum, hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille. Itaque ſtudete, ne eccleſiam Dei vnquam deſeratis. Sin verò aliquis eam deſpexerit, & in fanum profanum gentilium intrauerit, vel in Synagogam Iudæorum, vel hæreticorum, quid iſte in die iudicij apud Deum[*1] excuſabit, qui dereliquit verba Dei viuentis, quæ viuunt, & viuificant, quæque ab æterno ſupplicio liberare poſſunt, & ſe contulit ad aliquam ædem dæmoniorum, aut ad Synagogam eorum, qui Chriſtum occiderunt, aut ad eccleſiam malignantium, neque audiunt eum, qui dixit, odiui eccleſiam malignantiũ, & cum iniquè agentibus non introibo; non ſedi cũ concilio vanitatis, & cũ impiis nõ ſedebo. et rurſus: Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorũ, et in via peccatorũ nõ ſtetit; et in cathedra peſtilentiũ non ſedit; ſed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Tu verò relicto fidelium cœtu, eccleſia Dei, eiusq; legibus, aſpicis in ſpeluncã latronum, ſancta exiſtimans, quæ ille profana, et execrabilia vocauit; et cõmunia tecũ faciens, quæ

*1 En teſtimoniũ Apoſtolicæ doctrinæ, nihil excuſare poſſe apud Deum eos, qui inter Proteſtantes, ne appellentur papiſtæ, aut ne vexentur, & ne bona ſua amittant, aut patriam relinquere cogantur, ſimulant interim, & cum Proteſtãtibus ad eorum cœnam popularem, & laicũ panem ingrediuntur, vt quę metuũt, ſubterfugiãt; quod dum faciunt, videntur ſacra ducere, quæ Deus execratur: & matrem ſuã eccleſiã. quã Chriſtus ſanguine ſuo acquiſiuit, dedecore afficiunt. quibus Dominus ait, Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filiꝰ hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua, & patris, & ſanctorũ angelorum.



quæ ille diſſeparauit: neque id ſolum, immò iam ad pompas etiam gentilium concurris, & ad theatra properas, cupiſque inter eos, qui illuc ingrediuntur, numerari, & obſcœnos, ne dicam execrabiles cantus audire. Neque Hieremiam audiſti, cùm ait, non ſedi in concilio eorum ludentium, ſed timebam à facie manus tuæ: neque Iob, cùm ſimilia loquitur, ſi cum ſcurris ambulaui vnquam; appendebar enim in lance iuſta. Quid verò vis communicari tecum libros gentilium, qui ſunt hominum mortuorum, qui diaboli inſtinctu ea ediderunt quæ ad interficiendum, & euertendum fidem valent; quæque eos, qui ſtudium in ipſis collocant, ad ponendam multitudinem Deorum deferunt. Vos igitur legibus Dei ſtudete, easque in maiore pretio, quàm ea, quæ ad vſum, & vitæ neceſſitatem pertinent, habete; atque ita maiorem eis honorem habentes, concurrite ad eccleſiam Dei, quam ipſe acquiſiuit ſanguine Chriſti dilecti, primogeniti omnis creaturæ. Hæc eſt filia altiſſimi, quæ nos per verbum gratiæ parturiuit, & Chriſtum in nobis formauit, cuius facti participes, ſacra membra eſtis electa, non habentes maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed potius tanquam ſancti & in fide[*2] immaculati, conſummati eſtis in ipſo ſecundum imaginem eius, qui vos creauit.

*2 En doctrina Apoſtolica, quæ dogma Lutheranorum de fide ſola iuſtificante condemnat: etenim ſi immaculati in fide cõſummantur per baptiſmum, ergo aliqui ſunt in fide nõ immaculati, qui non conſummantur; nec enim illi eſſent immaculati in fide, ſi nulli poſſent eſſe non immaculati in fide, quia ſi vnum contrarium eſt, & alterum in eodem genere neceſſe eſt eſſe. Quare ſicut illi, qui non ſunt immaculati in fide, non conſummantur per fidem in baptiſmo, ſic poſt baptiſmum qui non erunt immaculati in fide, non aſſequentur per fidem remiſſionem peccatorum. igitur non ſola fides iuſtificat, alioqui in ſola fide eſſent omnes immaculati. eodem modo argumentandum eſt in fide non ficta, quam Apoſtolus probat 1. Tim. c. 1. ergo eſt fides ficta in eodem genere fidei non fictæ, ne tergiuerſando ad fidem aliam hiſtoricam, quam vocant, confugiant iſti, vt facere ſolent. eſt igitur fides hypocritica ſecundum Apoſtolum, illa fides, quæ eſt ſine charitate ſpirituali, quæ fides contraria eſt fidei non fictæ, quæ eſt fides immaculata, per quam fit conſummatio nouæ creaturæ in baptiſmo: de hac enim creatione loquitur hic Apoſtolica doctrina, cùm ait, qui creauit vos. ſicut Apoſtolus Eph. cap. 2. creati, inquit, in Chriſto Ieſu, &c.

CAP. LXII.
Quòd oporteat omnes impietates Gentilium vitare.

CAVETE igitur, ne ferias cum perditis hominibus, id eſt, cum Synagoga gentilium in errorem & interitum veſtrum agatis; nulla nanque Deo cum diabolo communio: qui enim tunc cum illis congregatur, qui ea ſapiunt quæ diaboli ſunt, vnus ex iis ipſis numerabitur, & væ erit hæreditas eius. fugite demum turpia ſpectacula, theatra dico, & gentilium pompas, incantationes, diuinationes, vaticinia, expiationes, auguria, auſpicia, necromantias, omina: quia ſcriptum eſt, Non eſt auguratio in Iacob, neque vaticinatio in Iſraël. & rurſus, augurium peccatum eſt. & iterum aliàs: Ne auguremini, & diuinationes, ac vaticinia, & ventriloquas ne ſectemini; & veneficos ne aſciſcatis. Vnde Hieremias ſic nos monet: Vias, inquit, gentium ne ambuletis, & à ſignis cæli ne vobis metuatis. Quamobrem oportet fidelem deuitare conuentus gentilium, & Iudæorum reliquorumque hæreticorum: ne ferias cum eis communes habendo, animas noſtras laqueis irretiamus: & ne, ſi diebus eorum feſtis, quos ipſi in honorem dæmonum agitant, cum ipſis verſemur, impietatis eorum ſocij, & participes ſimus. Fugiendæ verò ſunt nundinæ gentilium, & qui in eis fiunt ludi: Chriſtianus enim nihil debet in nundinis impendere, niſi in[*1] mancipiolum emendum, vt animam eius ſaluam efficiat, & in quædam alia mercanda ad neceſſitatem naturæ accommodata. Abſtinete igitur ab omni idolorum pompa, præſtigiis, mercatu, conuiuiis, monomachia, & ab omni ſpectaculo dæmoniaco.

*1 Græci vocant ſeruos σώματα, & paruos ſeruos σωμάτια: Latini verò quia non ſic loqui conſueuerunt, nos σωμάτιον nõ corpuſculum, ſed mancipiolum vertimus. permittit autem Apoſtolica conſtitutio emere mancipiolum, vt aſſueſcendo vitæ Chriſtianæ dominorum, fidem eorum ſuſcipiat, & anima eius lucrifiat, ſicut Apoſtolus ait, euenire ſolere, cùm mulier fidelis virum infidelem ſecum habitare conſentientem lucratur: nec hoc ſolum, ſed filij eius conſuetudine, & vſu matris fidelis ſancti fiunt, id eſt, Chriſtiani. permittit etiam alia quædam emere ad neceſſitatem vitæ in nundinis Gentilium, ſicut Paulus permittit emere omne quod in macello Gentilium venit ad veſcendum.

CAP. LXIII.
Quòd otioſus nõ debeat comedere ex bonis fideliũ, vt Petr-

VOS verò in eccleſia adoleſcentiores ſtudete, vt in omnibus, quæ opus erunt, nauiter miniſtretis, & opera veſtra cum omni honeſtate exercete, vt per vniuerſum vitæ tempus tum vobis tum egentibus neceſſaria ſuppetant; ne neceſſe ſit vobis graues eſſe eccleſiæ: Etenim & nos verbo euangelij incumbimus, tamen exercere

 illa

fuit piſcator, & reliqui Apoſtoli, Paulus autem & Aquila artifices tabernaculorum, Iudas verò Iacobi agricola.

*illa quaſi adminicula operis huius non negligimus : partim enim noſtrum ſunt piſcatores, partim tabernaculorum opifices, partim agricolæ, ne vnquam otioſi ſimus: ait enim Salomon, Abi ad formicam, ô piger, & imitare videns vias eius, & eſto ſapientior ea; illa enim cùm neque opus ruſticum exerceat, neque ſit, qui cogat eam, neque dominum habeat, æſtate parat alimentum, & meſſis tempore copioſè recondit. Aut abi ad apem, & diſce, quàm ſit operaria, & quemadmodum in opere ſuo honeſto negotiatur : Cuius labores tum reges, tum priuati ad valetudinem adhibent, eſt deſiderabilis & munifica : & quamuis eſt imbecillis viribus, eò tamen præſtantiæ proceſſit, vt ſapientiam honorarit. & deinceps: Quouſque piger cubas, quando tandem è ſomno expergiſceris? pauliſper dormis, pauliſper ſedes, pauliſper dormitas, pauliſper pectus vlnis complecteris; poſtea adeſt tibi tanquam malus viator paupertas, & egeſtas tanquam bonus curſor. ſin autem fueris impiger, veniet tanquam fons meſſis tua, & egeſtas tanquam malus vir à te ſponte ſua recedet. & rurſus, qui arat terram ſuam, implebitur panibus. & alio loco ait, otioſus manus ſuas complicauit, & comedit carnes ſuas. & deinceps, piger, inquit, qui manus ſuas abſcondit, non poterit deferre eas ori ſuo. & rurſus, propter vacationem manuum deprimetur contignatio. Igitur operamini aſſiduè, nota enim otioſi inſanabilis eſt; ſi quis autem apud vos non laborat, ne manducet : odit enim Dominus Deus noſter otioſos, ſiquidem nemo eorum, qui Deo ſtudent, otio & vacationi indulgere debent.*

Prouer. 12. Eccl. 4. Prouer. 19. Eccl. 10. 2. Theſſ. 3.

# LIBER TERTIVS,
## de viduis.

**Cap. I.** Qua ætate eligēdæ ſint viduæ.

VIDVAS *verò conſtituite non minoris ætatis, quàm annorum ſexaginta, vt quodammodo propter ætatem ipſam pro rato & ſtabili habeamus, carere eas ſuſpicione nubendi iterum. Si verò adoleſcentiorem in gradu viduali conſtitueritis, & viduitatē in adoleſcentia non ferens nupſerit, gloriam gradus vidualis dedecorabit : rationemq́ue Deo reddet, non quidem quia iterum nupſit, ſed quia* [*1] *promiſſionem ſuam non ſeruauit, quæ quaſi habenas quaſdam Chriſto dirupit, quia non venit cum fide, & metu Dei ad ſeruandum promiſſionem. Quocirca oportet non temere, neque inconſideratè promiſſionem facere, ſed cautè: Melius enim eſt ei non feciſſe votum, quàm feciſſe, & non reddere. Sin verò aliqua adoleſcentior viro ſuo, cum quo exiguo vixit tempore, aut morte, aut alio caſu orbata, cum* [*2] *dono ſuper ſe viduitatis maneat; beata erit ſimilis facta illius Sidoniæ viduæ Sareptis, ad quam ſanctus Dei Propheta Elias hoſpes diuertit. huiuſmodi vidua ſimilis erit Annæ filiæ Phanuelis ex tribu Aſſer, quæ nunquam à templo recedebat, perſeuerans nocte, & die in obſecrationibus, & preci-*

*1 En Apoſtolica doctrina, quæ illos planè condemnat tanquam blaſphemos, qui tradunt, vt Philipp. in Reſp. ad ar. Bau. inquiſ. art. 27. eſſe vota vincula, quæ homines peccare cogunt; eſſe enim de re impoſſibili pleriſq;, & pugnare cum mādato diuino, nō mœchaberis; ac proinde irā Dei irritare. At viduæ illæ adoleſcentiores, quas Paulus 1. Tim. c. 5. dicit, de quibus hæc doctrina Apoſtolica loquitur, ideò damnationem habent, quia, vt nubant, primam fidem negant, id eſt, quia promiſſionem caſtitatis, quam priuſquam nuberent, fecerunt, non ſeruant. pro eo enim quod illic Paul. dixit, fidem, dicit hic Apoſtolica doctrina promiſſionem, contra interpretationem falſam iſtorum, qui illam primam fidem interpretātur fidem, quæ vocem euangelij complectitur, & veri Dei inuocationem accendit. ſic enim ait idem Philipp. in eodem art. cum doctrina Apoſtolica, & cum veritate pugnans. Vult igitur vt ſeruetur Deo promiſſio caſtitatis, ſiquidem qui non ſeruat, damnationem habet; non ſeruant autem eiuſmodi viduæ adoleſcentiores, quas Paulus dicit, promiſſionem caſtitatis, non quia non poſſunt, ſed quia, vt ait hæc Apoſtolica conſtitutio, non veniunt cum fide, & metu Dei ad ſeruandum promiſſionem. igitur quicunque Deum timet, & in fide poſtulat gratiam ad reſiſtendum carni, & ſeruandum votum, Dominus, qui dat votum vouenti, vt eſt in cantico Annæ 1. Reg. cap. 2. apud 70. eidem dat vires ad ſeruandum. is autem poſtulat in fide, ſicut beatus Iacobus præcipit poſtulare, qui, vt beatus Chryſoſtomus in epiſtola ad monachos interpretatur, poſtulat perſeueranter, & non arguitur à conſcientia ſua, quod poſtulet ἀμελῶς, καὶ ῥαθύμως, id eſt, negligenter, & pigrè. Denique redarguit hæc doctrina Apoſtolica, & conuincit quod idem Philippus ibidem tradit; ſic enim ait: Paulus dicit, vitandæ fornicationis cauſſa, vnuſquiſque habeat vxorem ſuam. deinde ſubiungit: hoc præceptum, neque pontificiis legibus, neque votis monaſticis tolli poteſt; at Apoſtolica doctrina & conſtitutio promiſſionem caſtitatis Deo factam ſeruari vult, & non eſſe locū coniugio, alioqui ſancto, vbi illa anteceſſit.

*2 Habere donum viduitatis ſuper ſe vocat promiſiſſe apud ſe Deo caſtitatem vidualem: nos votum ſimplex vocamus, quod eſt promiſſio priuata.



*bus : quæ annos quidem nata erat octoginta, vixerat verò cum viro à virginitate ſua annis ſeptem, & aduētum Chriſti laudibus celebrans confitebatur Domino, & loquebatur de eo iis, qui expectabant redemptionem in Iſraël. Quæ talis erit, teſtimonio approbata honorabitur gloriam habens apud homines in terra, & apud Deum in cælis laudem ſempiternam.*

**Cap. II.** Quòd cauendū ſit ne adoleſcentiores viduæ eligantur.

CAETERVM *adoleſcentiores viduæ in gradum vidualem ne cooptentur, ne excuſando non poſſe continere feruorem adoleſcentiæ, aliquando iterum nubentes, in* [*1] † *negotio ſint. ſubueniendum verò & opitulandum eſt illis, ne excuſando ſe derelinqui, iterum nubentes, negotio turpi implicentur. nam & illud ſcire oportet, monogamiam quidem, id eſt, ſimplex matrimonium, ſi legitimum ſit, iuſtum eſſe, vtpote Deo probatum; digamiam verò, id eſt, iterum nubere poſt* [*2] *promiſſionem, ſceleratum eſſe, non quidem propter coniugium ipſum, ſed propter mendacium; tertium coniugium, intemperantiæ indicium oſtendere; quartum verò coniugium, & deinceps, planè* † *libidinem eſſe, & manifeſtam impudicitiam : Deus enim vnam vxorem dedit viro, cùm eum creauit; erunt, inquit, duo in carnem vnam. Adoleſcentioribus verò mortuo primo marito ſecundum connubium concedatur: ne in iudicium diaboli incidant, & in laqueos multos; ac deſideria ſtulta, & animis incommoda; quæ ſupplicium potius afferunt, quàm laxamentum.*

*1 πρᾶγμα vocat vocabulo vulgari fornicationem, vt Itali vulgo vocant negotium. ſic vſus eſt Paulus verbo 1. Theſſ. cap. 4. hæc eſt voluntas Dei, vt abſtineatis vos à fornicatione, &cet. & ne quis ſupergrediatur, neque circūueniat in negotio ſcilicet fornicationis, quam dixerat. eſt igitur fornicatio & quidem inceſta, & ſacrilega eius viduæ, quæ poſt promiſſionem publicam in eccleſia, quæ maior eſt, ſiue priuatam, quæ minor, iterum nupſit.

*2 En teſtimonium Apoſtolicæ doctrinæ, falſum eſſe quòd aiunt Luther. prohibere pontifices magnæ parti hominum coniugium presbyteris, monachis, puellis incluſis in monaſteria, & hanc etiam habere ſe iuſtiſſimam cauſſam ſeiunctionis à pontificiis, quia nemo debet prohibere coniugium iis qui non ſunt idonei ad cælibatum. ſic Philipp. at non homo iſtis coniugium prohibet, ſed Deus : idq́ue non propter coniugium ipſum, quod alioqui ſi legitimum ſit, ſanctum eſt, ſed propter promiſſam Deo ſponte caſtitatem, ne mentiantur Deo. Sed pro nihilo ducunt Lutherani mentiri Deo, vt eorum primus magiſter, & dux apoſtata mentitus eſt, cui pars erit cum Anania, & Sapphira. iſti igitur propter promiſſionem caſtitatis, quam ſponte Deo fecerunt, non ſunt idonei ad coniugium, ad cælibatum verò omnes ſunt idonei, qui promiſerunt, ſi timent Deum, & fidem habent in eo qui fidelis eſt, qui non patietur eos ſupra id, quod poſſunt, tentari, ſicut Apoſtolus ait.

**Cap. III.** Quales eſſe oporteat viduas, & quomodo eis ab epiſcopo ſubueniendum.

VERAE *autem viduæ ſunt, quæ vni nupſerunt, quibus plures honeſtarum actionum teſtimonium præbent, reuera viduæ temperantes, pudicæ, fideles, religioſæ; quæ liberos honeſtè educarunt, quæ hoſpites exceperunt laudabiliter, quibus opitulari oportet tanquam Deo* [*1] *dedicatis. Quin potiùs pauperum quoque memineris epiſcope manum porrigens adiutricem, atque eorum curam habens, tanquam Dei diſpenſator, diſtribuendo cuique in tempore, quæ commoda ſunt, viduis, pupillis, derelictis, ac deſtitutis, & calamitoſis.*

*1 En rurſus contra Proteſtantes teſtimonium Apoſtolicæ doctrinæ pium & ſanctum eſſe dedicare ſe Deo, vouendo ei caſtitatem. debereq́ue epiſcopum eiuſmodi viduarum, quæ ſe Deo dedicauerunt, curam habere, vt Dei diſpenſatorem. quod ſi pium eſt & laudabile eſt apud Deum, dedicando ſe ei, vouere caſtitatem; multo magis pium, & apud Deum laudabilius erit, dedicando ſe totum ei, vouere ſponte caſtum futurum, nihil poſſeſſurum, neque ſui poteſtatem habiturum, quod monachus facit. & eo magis debet ſecundum Apoſtolicam doctrinam epiſcopus eorum, qui hoc faciunt, curam habere.

**Cap. IIII.** Quòd oportet vnicuique indigenti benignè facere.

QVID *enim, ſi quæ ſunt non viduæ, aut ſi qui non vidui, egent tamen ope propter paupertatem, aut valetudinem infirmam, aut egent ad alendos filios? oportet te proſpicere omnibus, omnesq́ue curare: Qui enim dona afferunt, non ea ex tempore dant viduis, ſed potius omnino conferunt, quæ* [*1] *voluntaria nominant: vt tu epiſcope, qui calamitoſos noris, tanquam bonus diſpenſator dona illa optimè diſpertias, ac diſtribuas. Scit enim Deus eum, qui dedit, quamuis tu, eo abſente, egentibus diuidas. Atque ille quidem habet beneficentiæ mercedem, tu verò diſpenſationis recta conſcientia adminiſtratæ laudem. Dicite, quibuſcunque dona diſpertitis, quis illa dederit, vt nominatim pro eo precentur; oportet enim omnibus hominibus benignè facere ſine ſtudio ſcrutandi hunc vel illum, quicunque ſit: Dominus enim ait, omni petenti à te da, ſcilicet omni verè indigenti, ſiue amicus ſit, ſiue inimicus, ſiue cognatus, ſiue alienus, ſiue vxorem non duxerit, ſiue duxerit. In vniuerſa enim ſcriptura hortatur Dominus, vt pauperibus ſuppeditemus. Per Eſaiam quidem frange, inquit, eſurienti panem tuum, & inopes introduc in domum tuam:*

*ſi videris*

*1 En ſecundum Apoſtolicā doctrinam oblatio volūtaria ad iuſtitiam, & Dei cultū facta, mercede, & laude apud Deum digna contra Lutheranos, & Caluiniſtas, qui hoc genus operum negant poſſe ſuſcipi cum opinione iuſtitiæ, & cultus Dei.

ſi videris nudum, veſti; & propinquos, cognatoſque tuos ne deſpicias. Per Danielem potenti dicit Rex: Conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmoſynis redime, & iniuſtè facta miſericordia pauperum. et per Salomonẽ ait, eleëmoſynis, & fide purgantur peccata. Rurſus per Prophetã Dauid omnibus dicit: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperes, in die mala liberabit eũ Dominus. & iterum: diſperſit, inquit, & dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Et Salomon ait, qui miſeretur inopis, Domino fœneratur, ſecũdum datum eius retribuetur ei. & in eandem ſententiam, Qui obturat, inquit, aures, ne audiat pauperem, & ipſe implorabit, & non erit qui exaudiat eum.

CAP. V. Quòd ſtudendum ſit viduę, vt ſit bene morata.

SIT verò omnis vidua mitis, quieta, moderata; non malitioſa, non iracunda, non loquax, non clamoſa, non occupans præloqui, non maledica, non captatrix verborum, non duplicis ſermonis, non curioſa, & ſi quid turpe viderit, aut factum audierit, ſit perinde, ac ſi nihil viderit, vel audierit, nihilque aliud curet, quàm vt Deo preces pro iis, qui dant, et pro cuncta eccleſia adhibeat. Siquis aliquid interroget, ne facilè reſpondeat, præterquam de fide in Dominum, & de iuſtitia, ac ſpe in Deum; eos qui in dogmatibus religionis Chriſtianæ erudiri voluerint, ad *1 præpoſitos eccleſiæ remittat, tantùm reſpondeat, quæ ad euerſionem falſæ opinionis de multitudine deorum pertinent, demonſtrans rationem de vno Deo ac Domino; de iis verò, quæ deinceps ſequuntur, nihil temere reſpondeat, ne ſi quid inſcienter dixerit, infamiam inferat verbo Dei. Dominus enim docuit, ſimile eſſe verbum grano ſinapis, hoc autem eſt igneum, quo ſi quis ſine vſu & experientia vtatur, reperiet eum amarum. oportet enim in myſticis non eſſe proditorem, ſed firmum. monet enim nos Dominus his verbis: Ne proiiciatis margaritas veſtras ante porcos, ne conculcent illas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos. Cùm enim infideles audierint verbum de Chriſto, non quantum opus ſit, ſed minus, præſertim de incarnatione, vel de paſſione eius, magis irridebunt tanquam falſa, quàm laudabunt; eritque anus iſta rea petulantiæ, ac blaſphemiæ, venietque ei væ hæreditas; væ, inquit, per quem nomen meum blaſphematur.

*1 En Apoſtolica doctrina, quæ dogma Lutheranorũ cõdemnat, qui tradunt ad quemlibet Chriſtianum pertinere iudicium de dogmatibus fidei, vt etiam, inquiunt, textrinæ hoc poſſint, & ruſtici arantes. at doctrina Apoſtolica eum qui erudiendus eſt in dogmatibus, nõ ad alium remitti præcipit, quàm ad prępoſitũ eccleſiæ, qui eſt epiſcopus, aut eius auctoritate ſacerdos, quem parochum vocamus, qui præeſt curę animarum. quomodo autem pertinebit iudicare de dogmatibus, ad quem non pertinet in eis erudire? euenit igitur Lutheranis, quod hic ait Apoſtolica doctrina, vt quia apud eos quicunque volebat, ſine vſu, & peritia verbo Dei vteretur, proditores eius fuerint, quibus amarum erit verbum Dei teſtimonio huius Apoſtolicæ doctrinæ: quia cùm eſſet ſimile grano ſinapis, id eſt, igneum, non timuerunt tractare illud perinde vt ſi non fuiſſet tale, ſed frigidum potius.

CAP. VI. Quòd nõ oportet mulieres docere; indecorum enim eſſe: & quales mulieres Dominum ſequebantur.

IGITVR mulieribus vt in eccleſia doceant non concedimus, ſed tantùm, vt precationes faciant, & audiant doctores. noſter enim magiſter ac Dominus Ieſus Chriſtus cùm nos duodecim ad docendum populũ, & gentes miſit, nuſquam mulieres ad prædicandum miſit, tametſi non deerant: erat enim nobiſcum mater Domini, & ſorores eius, præterea Maria † Magdalena, & Maria Iacobi, ac Martha, & Maria ſorores Lazari, & Salome, & aliæ quædam. ſanè quidem ſi neceſſe fuiſſet, vt mulieres docerent, ipſe primus iis quoque mulieribus, quæ nobiſcum erant, populum erudire præcepiſſet. Si enim vir caput mulieris eſt, non eſt æquum, reliquum corpus capiti præeſſe.

Sciat igitur vidua ſe eſſe *1 altare Dei, & domi ſuæ ſedeat, neque prætextu vllo in domos fidelium ad accipiendum ingrediatur, nam neque *2 altare Dei vnquã circumit,

*1 Quia vidua, vt Apoſtolus pręcipit, inſtare debet obſecrationibus & orationibus die ac nocte, & non vagari, ideò vocat eam Apoſtolica doctrina altare Dei: in altari enim eccleſiæ, quod eſt altare Dei fixum & immotum, aſſiduè offeruntur ſacrificia. ſic in vidua hoſtiæ ſpirituales orationum. hoc ipſum dixit beatus Ignatius in epiſtola ad Tarſ. ex hoc loco ſumptum eſſe, viduas honorandas, vt altare, inquit, Dei.

*2 En teſtatur Apoſtolica doctrina eſſe in eccleſia altare Dei propriè dictum, quod θυσιαστήριον vocat; ſicut Apoſtolus vocauit in epiſtola ad Hebr. cùm ait, habemus altare, de quo edere non licet iis, qui tabernaculo deſeruiunt. qui ergo non concedunt ſacrificium eſſe ſanctam Euchariſtiam, ſed tantùm cœnam, interpretentur nomen altaris Græcum, quod ἀπὸ τῆς θυσίας, id eſt, à ſacrificio dicitur: aut ſi non fit in eo ſacrificium, cur ſic appellatur? aut ſi ſacrificium ſunt orationes tantùm, quæ ſunt adiunctæ ſumptioni, vt ait Philipp. & reliqui Confeſſioniſtæ, quomodo dicit Apoſtolus, habemus altare, de quo edere non licet iis, qui tabernaculo deſeruiunt. eſt igitur aliquid in altari Dei, quod eſt in eccleſia, de quo nobis licet edere, illis non licet: at orationes adiunctæ ſumptioni, quas iſti dicunt, quamuis ſint ſacrificium, non tamen aliquid eſculenti habent, quod ore ſumptum dentibus teri poſſit, vt ſpecies illius panis viui. an verò qui tabernaculo deſeruiebant, quos Apoſtolus dicit, nõ edebant de ſacrificio altaris ſui? quòd ſi edebant, & de noſtro altari edere illis, vt Apoſtolus ait, non licet; eſt igitur ſecũdum Apoſtol. in noſtro altari ſacrificium, quod à nobis edi licet.



cumit, quin potiùs in loco vno collocatum eſt. ergo & virgo, & vidua ne circumcurſent, aut vagentur per alienas domos quia vagæ, & impudentes, & ſimiles in vno loco non cõquieſcunt, quoniam nõ χῆραι, ſed πῆραι ſunt, id eſt, non viduæ, ſed viduli, hoc eſt, ciſtæ, ad accipiendum promptæ, vaniloquæ, maledicæ, conſilij oppugnatrices, impudentes, inuerecundæ; quæ cùm tales ſunt, non ſe præſtant dignas eo, à quo vocatæ ſunt. Non enim ad eccleſiam, quæ eſt communis omnium requies, Dominico die adeunt, vt faciunt qui vigilantes ſunt, immò vel dormitant, vel nugas effutiunt, vel lenocinantur, vel petunt, vel alios ducunt captiuos, adiungendo eos diabolo, neque ſinentes ſobrios ac vigilantes eſſe in Domino, ſed potius ſic eos præparant, vt tales exeant, quales ingrediuntur, vacui ſcilicet, idque quia non audiunt iſtæ vel eos, qui docent, vel eos, qui verbum Dei legunt. Huiuſmodi ſunt de quibus ait Propheta, auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non ſcietis; incraſſatum eſt enim cor populi huius.

CAP. VII. Quales ſint falſæ viduæ.

AD eundem ergo modum huiuſmodi viduæ obturatas habent aures cordis, vt non intus in domibus ſuis ſedeant, & ibi Dominum alloquantur, quin immò, vt circumeuntes conſilio quæſtus per nugas faciendi, expleant aduerſarij deſideria. Tales igitur viduæ non adhærent altari Chriſti. Sunt enim viduæ quædam, quæ negotiationem habent pro ſtudio ſuo, & quia impudenter petunt, & inſatiabiliter accipiunt, multos iam pigriores ad dandum effecerunt. cùm enim deberent modeſtiæ cauſſa contentæ eſſe eccleſiaſticis ſubſidiis, ipſæ contra circumeundo, domos diuitum excutiunt, & pecuniarum copiam ſibi congerunt, & fœnori grauidant, ſoliuſque mammonæ curam habent, quarũ Deus eſt crumena, quæ voluptates cibi, & potus omni virtuti præferunt, aientes, edamus et bibamus, cras enim moriemur, quæ iſta putauerunt tanquã firma, ac non potius fluxa, & caduca. Etenim ſi in cõquirendis pecuniis exercitata, pro Deo colit mammona, id eſt, ſeruit lucro, Deo placere non poteſt, neque cultum eius exequi, cùm aſſiduè illum precari non valeat, quia habeat mentem & voluntatem auro colligendo intentam: quia ſcilicet vbi eſt theſaurus, illic eſt cor: mente enim tractat, vbi accipiet, aut quò ibit ad accipiendum, aut quòd illa amica ſua ſit oblita, & quòd ſit aliquid dicendum ei. quæ talia cogitat, non erit attenta ad precationem, ſed potius ad cogitationem menti occurrentem. Quocirca tametſi aliquando pro aliquo deprecari velit, non exaudietur, quia non toto corde, ſed mente diſtracta ſupplicat Deo. Quæ autem vult intendere animum ad Deum, intus ſedens, quæ Domini ſunt, cogitat, nocte & die ore nunquam ceſſante, caſtas puraſque preces adhibens. Vt igitur prudentiſſima illa Iudith pudicitiæ teſtimonio laudata, nocte & die Dominum pro Iſraël deprecabatur: ſic vidua illius ſimilis perpetuò pro eccleſia Deum deprecabitur, eamque exaudiet; quia in hoc ſolum intenta eſt, & non in inſatiabilitatem, ſumptuoſamque cupiditatem incumbit, cui oculus caſtus, aures mundæ, manus non inquinatæ, pedes quieti, os neque ad gulam, neque ad vanitatem loquacitatis paratum, loquens quidem, quæ loqui oportet; accipiens verò, quæ ad neceſſitatem tantùm natura commoda ſunt. quæ ſic honeſta, grauis, & ſedata erit, placebit Deo, & ſimul vt à Deo aliquid petierit dabit Deus; adhuc enim te loquente, inquit, dicet, ecce adſum. Sic igitur vidua talis, quæ non ſit auara, ſuperba, turpis lucri cupida, non inexplebilis, non gulæ dedita, ſit continens, lenis, tranquilla, religioſa, verecunda, ſedens domi ſuæ, pſallens, precãs, legens, vigilans, ieiunans, ſemper cũ Deo colloquens odis & hymnis ſpiritualibus, & lanam faciens, vt potius ſuppeditet aliis, quàm ipſa vlla re indigeat, memor illius viduæ, quæ teſtimonio Chriſti in euangelio laudata eſt, quæ cùm in templũ veniſſet, miſit in gazophylacium duo æra minuta, qui eſt quadrans:

Quam

*Quam cùm videret is, cui patet cor, Chriſtus Dominus noſter, ac magiſter, ait: Amen dico vobis, plus omnibus miſit in gazophylacion hæc vidua, quia illi omnes ex abundantia ſua miſerunt, hæc verò totum victum ſuum, quem habebat, miſit. Viduas igitur oportet eſſe honeſtas, graues, obedientes epiſcopis, presbyteris, diaconis, adhuc etiam diaconiſſis; adhibentes reuerentiam, obſeruantiam, metum, non liberas, & licentiæ compotes, neque præter præſcriptum quicquam facientes ſine diaconi ſententia, vt ſi velint ire ad aliquem ad comprandendum, aut bibendum, aut ab aliquo accipiendum. Sin verò iniuſſu aliquid huiuſmodi fecerit, pœna ſit ei ieiunium, aut excommunicatio, vt petulanti, & temerariæ.*

CAP. VIII. Quòd nõ oporteat, vt vidua ab indignis accipiat, aut epiſcopus, aut alius fidelis.

QVID *enim ſcit, qualis ſit ille, vnde accipit, aut ex quo genere miniſterij victum ſibi parat: num ex rapina, aut ex alio quopiam inhoneſto viuendi modo? ſcilicet neſcit huiuſmodi vidua reddituram ſe de his omnibus rationem Deo, quippe quæ vt indignum Deo eſt, accipiat: neque enim ſacerdotes talium munera ſponte oblata vnquam accipient, vt furis, aut meretricis. Scriptum eſt enim, non concupiſces rem proximi tui, neque offeres mercedem proſtibuli Domino Deo. Non eſt igitur accipiendum à talibus, neque etiam ab excommunicatis. Sint autem viduæ promptæ ad capeſſendum mandata ſuperiorum, & ad præſcriptum epiſcopi agant, tanquam Deo obedientes. Qui enim accipit donum ab huiuſmodi infami, aut excommunicato datum, & Deum *1 precatur pro eo, qui vult in ſcelere perſeuerare, neque pœnitendo vult vnquã reſipiſcere, hic communionem precationis cum illo ipſo à quo accipit, habet, & Chriſtum, qui iniquos repellit, contriſtat: eóſque in delicto ædificat, cùm eorum dona indigna accipit, ſéque cum eis inquinat; dum non ſinit eos ad pœnitentiam venire, vt defleant, & deprecentur Deum.*

*1 Ecce Apoſtolica doctrina, & conſtitutio, quę auctoritate ſua conuincit falſum eſſe, quod Selneccer᾽ vnus ex Confeſſioniſtis tradit in Analecto ſuo tractatu 2. cap. 22. poſſe anathematizari homines, ſi conſtet, inquit, de eorum finali blaſphemia, vel impœnitentia, non autem de quibus adhuc ſpes eſt, dum viuunt, conuerſionis: neque quiſquam, inquit, eſt tam ſceleratus, pro quo non orandum eſſe eccleſia iudicet. Citat autem, vt id probet conc. Meldenſ. c. nemo epiſcoporum: ſed id totum confictum ab eo eſt, immò ca. 56. contrarium ab eadem Synodo decretum eſt. illud tamen verius eſt, quod iſte ibidem ait, excommunicationem non eſſe terriculamentum, ſed efficax, & diuinum fulmen, in quo planè contradicit Philippo, quem alioqui aliàs & honorificè appellat, & ſequitur, qui excommunicationem ſpectaculum politicum eſſe dicit.

CAP. IX. Quòd nõ oportet mulieres baptizare, eſſe enim impiũ, & à doctrina Chriſti alienum.

DE *mulieribus verò baptizantibus ſcitote, quæ hoc tentant, non mediocre periculum eas incurrere, quamobrem non hoc conſilium damus, periculoſum enim eſt, immò verò præter legem, & *1 impium. Etenim ſi vir eſt caput mulieris, & hic eligitur ad ſacerdotium, non eſt æquum improbare, quod in ædificatione mundi factum eſt, & relicto capite ad extremum corpus deſcendere. mulier nanq; corpus viri eſt, ex coſta eius fabricatum, eique ſubiectum, à quo ſeparatum eſt ad liberorum procreationem: ipſe, inquit, dominabitur tui: princeps enim mulieris vir eſt, quippe caput eius. Quòd ſi hactenus mulieribus docendi munus non commiſimus, quomodo *2 munere ſacerdotali fungi præter naturam eiſdem quiſpiam permittet? hic enim eſt error gentilium Deum negantium, Deis feminis ſacerdotes feminas eligere: At non eſt hoc à Chriſto conſtitutum. Quòd ſi à mulieribus baptizari oporteret, profectò Chriſtus à matre ſua baptizatus eſſet, & non à Ioanne: Aut cùm nos ad baptizandum miſit, miſiſſet quidem mulieres nobiſcum ad hoc; nunc verò nuſquam neque iuſſit *3 hoc, neque per ſcripturam tradidit, vtpote qui naturæ conuenientiam, & rei decorum noſſet, tanquam naturæ auctor, & legiſlator.*

*1 Impium dicitur, quod eſt alienũ à cultu Dei, quale eſt mulierẽ baptizare in eccleſia, quod non licet, ſicut neq; docere: nõ enim eſt miniſtra baptiſmi, ſicut neque verbi. aliud eſt, cùm propter neceſſitatẽ priuatè baptizat non tanquam ordinaria miniſtra, vt vulgò accidere ſolet, cùm periculum inſtat, ne ſine baptiſmo, quod eſt ſacramentum neceſſarium ad ſalutem, infans decedat.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina quæ dogma Lutheranorum condemnat, cùm impiè tradunt, omnes Chriſtianos eſſe ſacerdotes ita, vt non ſit vllum ſacerdotium ſpeciale diſtinctum ab illo communi Chriſtianorum. etenim ſi eſt aliquod munus ſacerdotale, quod ſecundum Apoſtolicam doctrinam mulieribus tribui non poteſt niſi præter naturam, eſt igitur aliquod ſacerdotium ſpeciale, quod ſecundum naturam mulieris quamuis Chriſtianæ, & ſecundum Apoſtolicam doctrinam non poteſt conuenire eis; immò tribuere eis eiuſmodi ſacerdotium ad impietatem Gentilium, vt ſancti Apoſtoli docuerunt, pertinet: illi enim ſacerdotes dearum feminas faciebant.

*3 Hinc intelligi poteſt, quod ſicut Apoſtoli aliqua tradiderunt per ſermonem ſine ſcripto, alia per epiſtolam; ſic Chriſtus alia per ſeipſum ſine ſcripto, alia per ſcripturam euangeliorum, quæ etiam ore ſuo locutus eſt.





CAP. X. Quòd nõ oporteat, vt laic᾽ vllũ opus ſacerdotale faciat, vt baptiſmũ, aut ſacrificium, aut manus impoſitionẽ, aut benedictionem.

IMMO *neque laico *1 permittimus facere aliquod opus ſacerdotale, vt ſacrificium aut baptiſmum, aut impoſitionem manus, aut *2 benedictionem, ſiue † paruam, ſiue magnam; nemo enim ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Domino: huiuſmodi nanque gratia per impoſitionem manuum epiſcopi datur. qui verò non eſt ad eam electus, ſed potius ſibi eam rapuit, hic ſupplicio Oziæ afficietur.*

*1 Ecce ruſus ſecundum Apoſtolicam doctrinam laici non ſunt ſacerdotes, vt ſunt presbyteri: presbyteris enim & epiſcopis permittit Apoſtolica doctrina facere ſacerdotale opus: laicis verò nulla ratione, immò neque reliquis clericis, priuſquam ordinentur ſacerdotes ab epiſcopo. miniſtri igitur Proteſtantium ſecundum Apoſtolicam doctrinam, & conſtitutionem, vt ſunt ſimiles Oziæ, & Coritarum, ita ſupplicij eorum hæredes erunt.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ Lutherum falſitatis in eo conuincit, quòd tradit, vnicuique ſacerdoti tantam tribui poteſtatem, vt à pœna ſimul & culpa peccatorem etiam ſceleſtiſſimum ſoluat: at hic Apoſtolica doctrina planè docet, non omnem benedictionem vniuſmodi eſſe, ſed aliam paruam, aliam magnam. benedictionem enim vocat remiſſionem peccatorum, ſiue abſolutionem à peccatis ad imitationem ſcripturæ ſanctæ, quæ ait apud Eſaiam cap. 27. propterea auferetur iniquitas Iacob, & hoc erit benedictio eius. Sic enim eſt apud 70. & libro 7. cap. 43. de olei benedictione: benedicitur, inquit, ab epiſcopo in remiſſionem peccatorum. benedictio igitur fit in remiſſionem peccatorum, magna magnorum; parua paruorum. huiuſmodi benedictionem, & ſi ſit per manus impoſitionem, diſtinxit tamen hoc loco Apoſtolica doctrina ab impoſitione manus, quia impoſitio manus latiùs patet, ſiquidem manus imponitur in varia ordinatione, vt in libro 8. explicatum eſt. Manus item imponitur in ſacramento confirmationis, & in reconciliatione pœnitentium ab hæreſi ad eccleſiam reuertentium; item ſuper infirmos, ſuper catechumenos: & energumenos, quæ poteſtas exorciſtis datur. Benedictio itaq; magna, eſt remiſſio, ſiue condonatio magnorum peccatorum, hoc eſt, mortalium, vt vocamus. quæ quidem benedictio æqualis ſemper eſt, id eſt, omnium peccatorum magnorum, ex æquo omni ſacerdoti conueniens, ſi ei ab epiſcopo ſuo poteſtas abſoluendi fiat. parua verò benedictio eſt, qua aut reliquiæ peccatorum; id eſt, pœnæ pro peccatis magnis iam remiſſis debitæ ratione ſatisfactionis obligatæ, aut venialia, hoc eſt, parua peccata, condonantur. remiſſiones obligationis huiuſmodi ſatisfactionum hodie vocantur indulgentiæ, quarum antiquitati verbum ipſum benedictionis, quo Apoſtolica doctrina vſa eſt, aſtipulatur; quo verbo non ſemel aut iterum, ſed ſæpius vſus eſt beatus Greg. ante annos nongentos: Igitur qui Lutheranæ ſectæ ſunt, & cum patre ſuo Luthero indulgentias negant, ſi dicant ſe habere magnam benedictionem, quæ ſit ſacerdotalis abſolutio à culpa, & à pœna, interrogemus eos, præter iſtam magnam ſuam benedictionem, quam nam paruam benedictionem ſecundum Apoſtolicam doctrinam habeant, qua parua peccata, & paruæ item pœnæ remittantur? aut ſi adhuc iſta omnia negare audent, reſpondeant nobis, ſi illa in lege Leuitici mundatio lepræ per ſacrificium ſacerdotis, quæ faciebat, vt mundatus à lepra cum viuis iam deinceps verſaretur, vmbra erat, & typus, quod neceſſe eſt conſiteri, mundationis peccatorum mortalium, quæ virtute paſſionis Chriſti pro nobis immolati per miniſterium ſacerdotis ſit, quæ eſt magna benedictio, hominem prius mortuũ viuificans: reſpondeant, inquã, ſecunda illa mundatio, quæ fiebat ad introducendum ſanatum à lepra in domum ſuam ſiue in tabernaculum ſuum octauo die, ſicut factum eſt in ſorore Moyſis, & Aaron, quæ erat minor mundatio poſt lepram iam ante mundatam, cuiuſnam mundationis ſpiritualis minorum peccatorum, & pœnarum typus erat? Lex enim vmbram habebat futurorum bonorum. profectò ſi interpretandum eſt euangelium, vt conſonet legi, & lex vt euangelio, vt Apoſtolica doctrina præcipit, neceſſe eſt concedere nobis huiuſmodi benedictionem minorem, quam Apoſtolica doctrina dicit, & eccleſia catholica, ſicut à ſanctis Apoſtolis per eorum prædicationem accepit, profitetur. Sed reliqua de indulgentiis ad hunc locum Apoſtolicæ doctrinæ pertinentia, ne ſcholium modum excedat, in extremam partem explanationum reiicienda ſunt.

CAP. XI. Quòd nulli ex clericis præterquam epiſcopo, aut presbytero permiſſum eſt facere, quæ ſunt ſacerdotum; ordinare verò epiſcopo tantùm cõuenit, & nulli alij.

IMMO *neque reliquis clericis poteſtatem baptizandi facimus, vt lectoribus, cantoribus, ianitoribus, aut miniſtris, niſi tantùm epiſcopis, & presbyteris miniſtrantibus diaconis. Qui verò hoc auſi fuerint, pœnas Coritarum pendent. Neque presbyteris poteſtatem damus ordinandi diaconos, aut diaconiſſas, aut lectores, aut miniſtros, aut cantores, aut ianitores, ſed epiſcopis tantùm; hic enim eſt ordo eccleſiaſticus, & concentus.*

CAP. XII. Dehortatio ab inuidia.

DE *inuidia verò, æmulatione, maledicentia, rixa, contentione iam dictum eſt à nobis, aliena eſſe hæc à Chriſtiano, præſertim in viduis. Poſtquam verò diabolus multis variiſque modis ad fallendum inſtructus, in eas, quæ non ſunt veræ viduæ, ſpeciem quandam & pompam infert, vt olim etiam in Cainum intulit, quædam enim ſunt, quæ ſe quidem viduas dicunt, præcepta verò & inſtituta viduitatis digna non exercent, ſicut neque Cain iura fraterna; ignorant enim, quòd nomen viduitatis non introducet eas in regnum cælorum, ſed potius vera fides, & *1 opera ſancta: ſi ergo quæpiam nomen viduæ habeat, ſtudia verò aduerſarij exerceat,*

*1 Ecce ſecundum Apoſtolicã doctrinam contra Proteſtantes: ſicut vera fides introducit in regnum cælorum, ſic & opera ſancta. ſunt autem opera ſancta opera veræ fidei, quam dicit Apoſtolica doctrina, quæ viua vocatur, tum ſecundum ſcripturam beati Iacobi, qui fidem mortuam dicit eam quæ eſt ſine operibus, vt viuam eſſe intelligamus eam quæ eſt cum operibus; tum ſecundum ſcripturam beati Petri, qui ſpem viuam dicit, quæ neceſſariò cum fide viua iuncta eſt. quare ſicut ex fide vera, id eſt, viua iuſtificamur, vt iuſtificati regnum cælorum aſſequamur, ſic etiam ex operibus ſanctis veræ fidei iuſtificamur, & in omnibus damus gloriam Chriſto, qui vt huiuſmodi iuſtitiam, quæ eſt donum ſpiritus ſancti in nobis per veram fidem, & opera ſancta veræ fidei operaretur, pro nobis impiis & reis mortis iuſtus & innocens paſſus eſt ad oſtenſionem, ſicut Apoſtolus ait, iuſtitiæ Dei, vt ſit ipſe iuſtus ſcilicet iuſtitia ſua infinita, & iuſtificans, id eſt, & largiens donum iuſtitiæ ei qui ex fide Ieſu Chriſti eſt. at ſecundum iſtos imputatiuos dicere debebat Paulus, vt ſit ipſe iuſtus, & imputans nobis iuſtitiam ſuam, quæ cùm infinita ſit, in infinitum iuſtos nos faciunt iſti, & alteros deos. hæc eſt gloria, quam iſti tribuunt Chriſto, id eſt, pro gloria blaſphemiam; qui animas noſtras dono ſpiritus S. ſpoliare volunt, & diuitias eiuſdem ſpiritus ſancti defraudare, dum iuſtitiam negant donum eius eſſe: etenim ſi donum eſt, neceſſe eſt, vt in eo ſit, cui donatur, vt cætera eius dona, ſiue gratiæ. Eſt quidem, ne quis hic erret, fides vera fides ſine charitate, quam Theologi ſcholaſtici informem vocant, nihil enim ei deeſt ad rationem eſſentiæ ſuæ pertinens ex parte intellectus, cuius eſt perfectio; quantũ verò pertinet ad finem fidei, quæ eſt ſalus animæ, quæ in vnione cum Deo conſiſtit, ſicut beatus Petrus ait 1. c. 1. reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarũ: tunc fides, ſi ſola eſt, id eſt, ſine charitate, quæ cum Deo copulat credentẽ, non eſt vera fides, id eſt, non eſt perfecta hac ratione, quatenus ſuo fine fruſtratur. Sic accepit Apoſtolica doctrina, ſic quoque vſus eſt Dionyſius Areop. in diuinis nom. ca. 7.

*erceat, huius viduitas non *2 reputabitur. quinimmò à regno Dei repulſa, æterno ſupplicio tradetur. Audimus enim quaſdam viduas eſſe zelotypas, inuidas, obtrectatrices, quæ aliarum ſubſidiis, & alleuamentis inuident: Quæ verò ſic ſunt, non ſunt Chriſti diſcipulæ, neque doctrina illius inſtitutæ: dicere enim potius debebant, ſi quam ſororem vel fratrem viderent recreaſſe alteram viduam, eique aut veſtitum, aut pecuniam, aut alimentum, aut potum, aut calceos præbuiſſe, dicere, inquam, debebant: Benedictus Deus.*

cùm ait, verè credentem nihil ſecũdum ſcripturam ſeparabit ab ſtatu veræ fidei: Paulus autem, cuius ſcripturam hoc loco citat Dionyſius, ſic ait in epiſt. ad Rom. c.4. Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? charitas ergo eſt ſimul cum huiuſmodi vera fide, quam Apoſtolica doctrina hic dicit, quam Dionyſius quoque vocat veram fidem; Paulus verò vocat fidem non fictam, quæ non poteſt eſſe ſine charitate: ſic enim ait, finis præcepti eſt charitas de corde puro, conſcientia bona, fide non ficta.

*2 Ex vſu verbi huius reputari in hoc loco Apoſtolicæ doctrinæ licet intelligere clarius, quid ſonet apud Paulũ idem verbũ cõtra dogma Lutheranorum de iuſtitia imputatiua. Significat enim reputari idem, quod valere. vt igitur viduitas, quæ non eſt vera, non reputatur, id eſt, nihil valet; quæ autem eſt vera, valet: ſic iuſtitia naturalis, & ſecundum carnem, id eſt, virtutum moralium, ſiue operum naturæ, qualis erat in Abraham, antequam crederet, non reputatur: contrà verò iuſtitia fidei, & operum fidei, quæ ſunt opera non naturæ noſtræ, ſed gratiæ Dei in nobis, hæc inquam iuſtitia reputatur, & valet coram Deo, cuius donum eſt. de hac iuſtitia ait Apoſtolus, credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam: id eſt, credidit in eum, qui iuſtificat impium, & iuſtificatus eſt: & hæc iuſtitia eſt ei reputata, id eſt, valuit illi, & non illa prior, quam habebat ſecundum carnem apud homines. Lutherani verò ex ignorantia verbi dogma ſuum ducentes reputari mutauerunt in verbum imputari, quod vulgaris ſermonis conſuetudine ſignificare ſolet attribui, ſiue aſſignari alicui, quod ipſe in ſe non habet, vt perinde ſit quaſi habeat. Sed iſti teſtimoniis ſcripturæ, quæ citant, dogma ſuum redarguunt, vt cùm Confeſſio Saxonica c. de remiſſione peccatorum, & iuſtificatione ait, fiducia filij iuſtificamur, non propter noſtram qualitatem, ſed quia ipſe eſt propitiator, in quo cor acquieſcit: fiduciam ipſe ſpiritus ſanctus exſuſcitat, ſicut inquit Apoſtolus, accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum: at ſpiritus adoptionis donum ſpiritus ſancti eſt, quod accipi non poteſt, niſi detur, & in eo ſit, cui datur; eſt enim de numero earum gratiarum, ſiue donorum, de quibus Apoſtolus ait, diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus: cùm autem in anima eſt donum adoptionis, in ea eſt donum iuſtitiæ. Siquidem donum adoptionis nihil aliud eſt, quàm donum iuſtitiæ, qua iuſtificati à peccatis, ſicut Apoſtolus ait, per ſanguinem Chriſti, filij Dei facti ſumus, ac proinde liberi. Quare cùm adoptio donum ſpiritus ſancti recipiatur in anima hominis, iuſtitia, quæ re idem donum eſt, in anima quoque recipitur. aut explicent, & doceant, ſi poſſunt Proteſtantes, quòd aliud donum ſit ſpiritus adoptionis, præterquam ſpiritus iuſtitiæ? aut cur recipiatur in anima donum adoptionis, & non donum iuſtitiæ?

CAP. XIII. Quomodo oporteat viduas orare pro iis, qui præbent quæ opus ſunt.

BENEDICTVS *Deus, qui conuiduam recreaſti, benedic Domine, & glorifica eum, qui illi præbuit; & opus eius adſcendat verè ad te, & memineris eius, vt bene ſit ei in die viſitationis eius. Epiſcopum quoque meum glorifica, qui bene tibi miniſtrauit, & opportunam eleëmoſynam meæ conuetulæ, quæ erat nuda, fieri docuit; addas ei gloriam, & des ei coronã gloriationis in die reuelationis viſitationis tuæ: ſimiliter vidua, cui tributa eſt miſericordia, cõprecetur pro eo qui tribuit.*

CAP. XIIII. Quòd nõ oporteat gloriari, neque vt iactet nomen ſuum, quæ eleëmoſynam facit.

TAMEN *quæ benignè facit, nomen ſuum celet, vt ſapiens non canens tuba ante ſe, vt fiat eleëmoſyna coram Deo in occulto, ſicut Dominus ait, cùm facis eleëmoſynam, neſciat ſiniſtra, quid facit dextra tua, vt ſit eleëmoſyna tua in abſcondito; & vidua precetur pro eo, qui dedit, quicunque ille ſit, cùm ſit ipſa ſanctum quoddam altare Dei, & pater qui videt in occulto, reddet in aperto ei, qui benignè facit: verùm viduæ, quæ ſecundum Dei mandatum viuere nolunt, curam habent ſciſcitandi curioſè, quæ illa, quæ dedit, quæ item illæ, quæ acceperunt: quod cùm cognouit, queritur de illa, quæ dedit; an, inquit, neſciebas, me eſſe viciniorem, & calamitoſiorem illa? cur igitur mihi illam prætuliſti? hæc verò dicit deſipiens, non intelligens, non fuiſſe hanc voluntatem hominis, ſed Dei mandatum: etenim ſi ipſa teſtatur, quòd erat Deo propinquior, quòd maiore inopia premebatur, & quòd magis nuda, quàm illa, debet cogitare eum, qui legem ſanxit, & tacita, ac de ea, quæ præbuit, non conqueſta, ingreſſa in domum ſuam humi in faciem proſtrata ſupplicare Deo, vt peccatum ſibi remittat. Dominus enim præcepit iis, qui beneficium dant, ne beneficium datum iactent atque oſtentent, hæc verò querebatur de illa, quòd nomen non dixiſſet, vt ipſa quoque ad accipiendum curreret; neque querebatur ſolum, ſed malè etiam precabatur oblita quod Dominus dixit, qui benedicit tibi, benedictus eſt, & qui maledicit, maledictus. Ait præterea Dominus, cùm domum intratis, dicite, pax huic domui; & ſi fuerit illic filius pacis, pax veſtra requieſcet ſuper eum; ſin verò non fuerit dignus, pax veſtra reuertetur ad vos.*

CAP. XV. Quòd non deceat conuiciari proximo, alienũ enim eſſe à Chriſtiano, maledicere, & de diaconiſſis.

SI *igitur pax ad illos rurſus redit, qui eam præmiſerunt, quia non reperit qui ea eſſent digni, multò magis maledictio in caput eius, qui iniquè eam iecit, reuertitur,*



*titur, quia is, in quem iacta eſt, non ſit ea dignus. Quiſquis enim ſine cauſſa conuicium facit, ſibi maledicit, vt Salomon ait: ſicut aues volant, & paſſeres, ſic maledictio vana non abibit in nihilum. & rurſus ait: Qui conuicia inferunt, imprudentiſſimi ſunt; vt autem apis infirmis viribus prædita, poſtquàm pupugerit, aculeum amittit, ſterilisque efficitur. Sic vos quam iniuriam aliis feceritis, hanc vobis facietis. lacum, inquit, aperuit, & effodit eum, & incidet in foueam, quam fecit. & rurſus: Qui foueam proximo fecit, incidet in eam. Ergo qui maledictum euitare vult, ne alteri maledicat. Quod enim fieri tibi non vis, alteri ne facias. Igitur qui maledictionem fugit, ne alteri maledicat. Quare monete viduas non obedientes, obiurgate inuerecundas, conſolamini eas quæ ſunt puſillo animo, roborate infirmas, laudate eas quæ ſanctè viuunt: Benedicant potius, & non maledicant; pacem concilient, & ne bellum inferant. Ne igitur epiſcopus, ne presbyter, ne diaconus, ne quiuis alius ordinis clericorum linguam conuicio inquinet, vt non pro benedictione maledictionem reportet. ſtudeat autem & curet epiſcopus, vt neque laicus maledictionem proferat; habenda enim eſt ei cura de omnibus, de clericis, de virginibus, de viduis, de laicis. Idcirco epiſcope elige adiutores tuos vitæ, & iuſtitiæ operarios diaconos Deo gratos, quos ex cuncto populo maximè dignos probaris, & faciles ad vexationes, & moleſtias, in vſus miniſterij ſuſtinendas. Eliges quoque diaconiſſam fidelem, & ſanctam ad miniſtrandum mulieribus. Euenire enim ſolet aliquando in quibuſdam domibus, vt non poſſis propter infideles mittere diaconum ad mulieres, mittere verò poſſis diaconiſſam propter cogitationes improborum, ad multa enim indigemus diaconiſſa ac primùm quidem cùm mulieres baptizantur, vnget quidem eis diaconus frontem tantùm oleo ſancto; poſt eum verò illinet eas diaconiſſa. Non enim opus eſt, vt viri inſpiciãt feminas: verùm ſolũ epiſcopus in baptiſmo caput eius vnget, ſicut prius vngebantur reges, & ſacerdotes, non quidem quòd *1 qui nunc baptizantur, etiam ſacerdotes ordinentur; ſed quòd fiant à Chriſto Chriſtiani, regale ſacerdotium, gens ſancta, eccleſia Dei, columna & firmamentum præſentis *2 luminis, qui aliquando non populus, nunc autem dilecti, & electi, ſuper quos inuocatum eſt nouum nomen eius, vt teſtatur Eſaias Propheta dicens, & vocabunt populum nouo eius nomine, quo Dominus nominabit eum.*

*1 Ecce Apoſtolica doctrina aduerſus Proteſtãtes, qui negãt eſſe ſacerdotium externum & viſibile, aliud à ſacerdotio ſpirituali, & inuiſibili, cõmuni omnium Chriſtianorũ ex baptiſmo. cùm enim hæc Apoſtolica conſtitutio tradit, non ordinari in baptiſmo ſacerdotes, vt olim in vetere teſtamento ordinabantur, in eo ſimul tradit, eſſe aliud genus ſacerdotij ex ordinatione, ac conſecratione in nouo teſtamento, quod ſacerdotium regno eſt excellentius, vt ſuprà lib. 2. cap. 34. docuit, & cap. 25. tradit eadem Apoſtolica doctrina habere huiuſmodi ſacerdotium presbyteros.

*2 Pro eo, quod eſt in Græco exemplari edito τοῦ νυμφῶνος, reperi poſtea in alio exemplari manuſcripto peruetuſto τοῦ νῦν φωτὸς, quæ eſt fortaſſe vera etiam lectio, & ad propoſitum accommodata, ac cum ſcriptura S. conſentiens. loquebatur enim Apoſtolica doctrina de vnctione frontis in baptiſmo, qui φῶς & φώτισμα vocatur à ſanctis patribus, vt Paulus quoque vocat Col. c. 1. & in epiſtola ad Hebr. c. 6. baptizatos vocat illuminatos. nũc ergo ab hoc diuino lumine, quod, vt ait Dionyſius, diuina beatitudo ei qui baptizatur, tanquam ſignum quoddam impartit, firmamentum & robur accipiunt fideles, vt ſint tanquam columnæ quædam ſtabiles & immobiles. in eandem ſententiam dixit Apoſtol. eccleſia Dei viui columna, & firmamentum veritatis: fides enim veritatis, qua nihil fortius, & quæ omnia vincit, quæ fides in baptiſmo donatur, firmat, & facit fideles eſſe inſtar columnæ, vt qui perfectè credunt veritati, non iam circumferantur omni vento doctrinæ. fides enim, vt ait Dionyſ. cap. 7. de diuinis nom. credentes firmat in veritate, & veritatẽ in credentibus. huiuſmodi fideles eccleſiæ vocat Salomon in cant. cap. 5. columnas marmoreas fundatas ſuper baſes aureas, id eſt, ſuper veritates inexpugnabiles dogmatum catholicorum, quorum fides etſi inſtar auri in igne probetur, non corrumpitur, vt martyria ſanctorum teſtantur. apud Proteſtantes verò non eſt huiuſmodi eccleſia, quæ ſit columna, & firmamentum veritatis, ſiue fidei, ſiue baptiſmi, ex quo fidem patrum ſuorum reliquerunt, in qua illi à principio tanquam columnæ marmoreæ fundatæ ſuper baſes aureas, id eſt, veritates dogmatum ſemper vſque ad Martinum Lutherum ſteterunt. iſti verò pro columnis marmoreis facti ſunt nubes ſine aqua, quæ à vento circumferuntur. teſtimonio ſunt tot iam inter eos ſectæ, & tot confeſſionum mutationes. ſi cui verò magis placet altera lectio, firmamentum ſponſi, non repugno, nec improbo; eccleſia catholica fidelium columna eſt & firmamentum veritatis, id eſt, Chriſti ſponſi, quod Apoſtolus vocat fundamentum poſitum præter quod non eſt aliud poſitum, quòd ſcilicet virtute propria firmet, quod ſuper ædificatur.

CAP. XVI. De diuina celebratione myſterij ſancti baptiſmatis.

TV *igitur epiſcope ad exemplum illud vnges *1 oleo ſancto caput eorum, qui baptizantur,*



*1 Ecce Apoſtolica doctrina de ceremonia vngendi oleo ſacro eum qui baptizatur: quæ cùm per omnes eccleſias, tum orientis, tum occidentis ſeruetur, & cum verbo Dei conſentiat, conſequens eſt, vt ab omnibus ſeruari debeat, vel ipſo Illyrico teſte, qui in defenſione Confeſſionis Antuerpien. contra Tilet. cap. 22. eos ritus, ſiue cerimonias ſeruandas eſſe tandem concedit, quas vniuerſa eccleſia per totum orbem terrarum omni tempore ſeruauit, modò, inquit, cum verbo Dei conſentiant. atqui nos per cunctum orbem terrarum omni tempore hunc ritum ſeruatum eſſe docemus, quia

ptizantur, ſiue viri ſint, ſiue mulieres, in typum † ſpiritualis *2 baptiſmi. Deinde aut tu epiſcope, aut presbyter tuus, qui ſub poteſtate tua eſt, facta ſuper eos nominatim ſacra inuocatione patris, & filij, & ſpiritus ſancti, baptizabis. Ac virum quidem ſuſcipiat diaconus, mulierem verò diaconiſſa, vt honeſtè & à quibus decet, fiat ſignum *3 infractum. Poſtea *4 epiſcopus baptizatos † chriſmate *5 vngat.

vbicunque eccleſiæ lingua Græca, Latina, Syriaca, Aethiopica, Arabica, Illyrica, ſiue Sclauonica, aut aliis linguis loquũtur, oleo vtũtur in baptiſmo, nec ab vllo vnquam auctore proditum litteris eſt, quando, aut vbi non vſi fuerint: aut proferat Illyricus veterem teſtem, qui contradicat. quod verò cum verbo Dei conſentiat, teſtatur Cyrillus Hieroſolymitanus, qui interpretans ante annos mille ducentos cerimonias ſymbolicas, quæ ad baptiſmum in eccleſia Hieroſolymitana adhibebantur, vt à ſanctis Apoſtolis acceperat, in 2. catecheſi myſtagogica ſcribit, oleum, quod per verbum Dei, & orationem ſanctificatum virtutem ſpiritualem præparandi ad baptiſmum à Deo accipit, ſignificare eos, qui baptizantur, fieri participes pinguedinis veræ oliuæ, quæ eſt Chriſtus. quod quidem optimè conuenit cum eo quod Apoſtolus in epiſtola ad Rom. cap. 11. ſcripſit de factis Chriſtianis ex gentibus, quos dicit factos eſſe ſocios pinguedinis oliuæ, id eſt, gratiæ Chriſti, quæ per baptiſmum ab omni peccato mundat, & animam ſanctitate afficit.

*2 Hoc etiam teſtimonio Apoſtolicæ doctrinæ conuincitur error Caluini, qui in ſuis inſtit. cap. 17. art. 22. ſic ait: Inter circumciſionem, & baptiſmum in myſterio interiore nihil diſcriminis eſſe: at Apoſtolica doctrina ſpiritualem eſſe ait baptiſmum, quod nihil aliud eſt, quàm dari per eum gratiam ſpiritus ſancti, quæ nouam creaturam facit, quod in carnis circumciſionem non conueniebat. Si qua enim noua creatura in Chriſto, inquit Apoſtolus, vetera tranſierunt ecce facta ſunt omnia noua; non ergo circumciſio in carne, quæ erat vetus, nouam creaturam in Chriſto faciebat, vt facit noua circumciſio cordis in ſpiritu per baptiſmum, quo baptizamur in mortem Chriſti, vt ſicut ipſe mortuus eſt, & reſurrexit, ſolutis doloribus inferni, ſicut beatus Petrus ait, iuxta quod impoſſibile erat teneri eum ab eo; ſic qui in mortem eius baptizantur, ſimul cum eo reſurgunt, & verè extrahuntur à morte, & inferno, quod non fiebat per circumciſionem, & ſi culpam deleret originalem, omnes enim deſcendebant in infernum: extrahuntur, inquam, non ſolùm ad nouitatem vitæ, quæ hic ex fide à baptizatis degenda eſt, ſed ad nouitatem vitæ cæleſtis, & ſempiternæ. itaque non erat circumciſio regeneratio, ac renouatio creaturæ, vt quidem eſt baptiſmus, per quem Deus promiſſionem factam patribus adimpleuit in nobis reſuſcitans Ieſum, qui enim ſuſcitauit eum à mortuis, & nos in baptiſmo commortuos, & conreſuſcitatos ſuſcitabit, ſicut Apoſtolus ait, cum illo, qui ideò eſt primogenitus ex mortuis, & primitiæ dormientium. quomodo ergo dicit Caluinus nihil differre in interiore myſterio circumciſionem à baptiſmo?

*3 Infractum ſignum vocat crucem, quia eſt cuſtodia munitiſſima crux: ſignum enim cuſtodit rem, cui appoſitum, aut impreſſum eſt. Vnde Cyrill. Hieroſoly. in catecheſi 13. crucem vocat θεμέλιον ἀῤῥαγῆ καὶ μέγα φυλακτήριον, hoc eſt fundamentum, quod labefactari non poteſt propter Chriſtum ſcilicet crucifixum, & propugnaculum ingens. ſic quoque Greg. Nazianzenus baptiſmum vocat σφραγῖδα ὡς συντήρησιν: vocat, inquam, ſignum tanquam conſeruationem, & ſignum dominatus, vt ipſe ait; ſignum enim declarat eum, qui eſt dominus rei, cui ſignum impreſſum eſt: ſic eſt baptiſmus, & crux, quæ in iis, qui baptizantur, à ſacerdote fit.

*4 En Apoſtolica conſtitutio, quæ Græcorum veterem de Latinis iniuſtam querelam coarguit. reprehendebant enim tempore etiam Leonis, & Conſtantini imperatorum, vt ex epiſtola Nicolai primi ad Hicmarum Rhemenſem conſtat, quòd Latini prohiberent presbyteris frontes baptizatorum chriſmate vngere; quod tamen ſecundum traditionem Apoſtolicæ conſtitutionis in eccleſia noſtra fit: Apoſtolis enim, qui ſoli ſuper baptizatos manus imponebant, vt acciperent ſpiritum ſanctum, non presbyteri, ſed epiſcopi ſucceſſerunt. his igitur conuenit vngere baptizatorum frontes chriſmate, quod ab eiſdem traditum eſt eccleſiis vice impoſitionis manuum, qua ipſi vtebantur, quod tunc quidem presbyteris permittitur, præſertim ex diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ, cùm neceſſitas cogit abſente epiſcopo, ita vt ſine ſcandalo fiat, vt ex epiſt. Gregorij ad Ianuarium conſtat, & ex epiſt. 1. Innocentij 1. cap. 6. de energumenis à presbytero conſignandis, ſi ad epiſcopum abſentem duci non poſſunt.

*5 Ecce mandatum Apoſtolicæ conſtitutionis eccleſiis traditæ de chriſmate contra Illyricum, qui in defenſione Confeſſionis Antuerpienſis c. 11. affirmat nuſquam eſſe mandatum de hoc ſacramento, quia nullam traditionem mandatum eſſe credit.

CAP. XVII. Quam cauſſam habeat baptiſmus in Chriſtũ; & quare ſingula in eo & dicãtur, & fiant.

BAPTISMVS igitur datur in mortem filij Dei; aqua adhibetur pro ſepultura: oleum pro ſpiritu ſancto; ſigillum crucis pro cruce: chriſma *1 confirmatio confeſſionis eſt: fit patris commemoratio tanquam cauſſæ, & emiſſoris; ſpiritus † coaſſumptio, vt teſtis: mergi commori eſt; emergere conſuſcitari: Pater Deus eſt ſuper omnia, Chriſtus vnigenitus Deus, idemque dilectus filius, et gloriæ Dominus: Spiritus ſanctus paracletus eſt, qui à Chriſto mittitur, & de quo Chriſtus docet, & qui ipſum Chriſtum prædicat.

*1 Negat Illyricus locum de impoſitione manuum Apoſtolorum ſuper illos in Samaria baptiſmo Ieſu verè baptizatos, accipiendum eſſe de ſacramento confirmationis, quia, inquit, nullum ibi eſt mandatum, neque textus vllam confirmationis mentionem facit: verùm vt Apoſtolica conſtitutio eccleſiis tradita, mandatum de hoc ſacramento ſancti chriſmatis continet, vt iam animaduerſum & notatum eſt, ita etiam mentionem confirmationis facit. quod nomen vſque in hodiernum diem in eccleſia catholica ſeruatur in teſtimonium Flaccianis, & cæteris omnibus Confeſſioniſtis, qui ex quo tempore à confeſſione fidei patrum ſuorum defecerunt, ex eo ſacramentum confirmationis abiecerunt, non amplius vnctionem habentes, quæ eos de omnibus, vt ait beatus Ioannes, doceat. illa etiam experientia, quæ in eccleſiis catholicorum frequens eſt, & plurimorum teſtimonio conteſtata omnes ſectarios hoc ſacramentum negantes redarguit, & conuincit: cùm enim adulti, vt fit, ſiue per negligentiam eorum, in quorum poteſtate fuerunt, ſiue per ignorantiam, aut alia cauſſa ſacramentum confirmationis non acceperunt, aſſiduè, & moleſtiſſimè eorum fides à dæmone tentari ſolet, qui continuò, vt confirmantur, ita eorum fides, & fidei confeſſio confirmatur, vnde ſacramentum confirmationis nomen accepit, vt non amplius poſſit, nec audeat dæmon eorum fidem tentare, vt illi ipſi poſtea teſtantur. Ego huius rei in duobus adoleſcentibus periculum feci, alteri eorum ex Hebræis Neophyto, cùm à dæmone perpetuò ſollicitaretur, vt quæ credebat, deſineret credere, conſilium dedi, vt adiret epiſcopũ, & ſacramentum confirmationis acciperet, accepto, continuò omni illa tentatione, & moleſtia liberatus eſt: alterũ audiebam conſitentẽ mihi ſcrupulos de fide innumerabiles & abſurdiſſimos à dæmone iniectos. quem cùm ad epiſcopum deduxiſſem, rogaſſemque, vt adoleſcentem, ſi fortè non eſſet confirmatus, confirmaret, id enim adoleſcens ignorabat tenera ætate à patria & à ſuis abductus: ſtatim vt confirmatus eſt, omnes ſcrupuli dubitationum exempti ſunt. & miram alacritatem ad certandum vſque ad mortem pro fide, de qua prius dubitabat, vt mihi affirmabat, ſemper deinceps ſenſit. in ſectariis verò, quia fidem ſponte amiſerunt, fidem, quam non habent, tentare dæmon non poteſt.

CAP. XVIII. Qualis eſſe debeat baptizatus.

QVI baptizatur, ſit alienus ab omni impietate, expers omnis operationis ad peccandum, amicus Dei, inimicus diaboli, hæres quidem Dei patris, cohæres verò filij eius: qui renunciarit ſatanæ, & dæmonibus, ac fallaciis eius, caſtus, purus, ſanctus, Deo charus, Dei filius, qui tanquam filius his verbis patrem precetur velut nomine communis cœtus fidelium: Pater noſter, qui es in cælis, ſanctificetur nomen



men tuum; adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris; & ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Quoniam tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria patris, & filij, & ſpiritus ſancti, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

CAP. XIX. Qualis eſſe debeat diaconus.

SINT verò diaconi ab omni macula & labe alieni, non aliter quàm ipſe epiſcopus, tantummodo faciliores, quàm ille, ad vexationes in miniſterio ſuo ſubeundas. Numerus verò eorum ad proportionem multitudinis eccleſiæ, vt poſſint miniſtrare imbecillis tanquam operarij, in quibus nihil ſit pudendum. Ac mulier quidem mulieres curet. Vtrique obeant munus nunciandi, peregrinandi, miniſtrandi, ſeruiendi, ſicut de Domino aiebat Eſaias, Iuſtificauit iuſtum bene ſeruientem multis. Vnuſquiſque igitur partes ſuas agnoſcat, & eas ſtudioſè agat, & concordi animo, ac cum charitate, vt qui mercedem miniſterij non ignoretis. Ne verò pudeat miniſtrare egentibus, ſicut Dominus noſter Ieſus Chriſtus non venit vt ei miniſtraretur, ſed vt etiam ipſe miniſtraret, et daret animam ſuam redemptionem pro multis. Sic igitur faciendum eſt ipſis, vt quamuis pro fratribus vitam amittere opus ſit, ne dubitent, neque enim Deus noſter, & Dominus Ieſus Chriſtus dubitauit animam ſuam ponere pro amicis ſuis, vt ipſe dixit. Si igitur Dominus cæli, & terræ omnia propter nos ſuſtinuit, quomodo vos egentibus miniſtrare dubitabitis? quos imitatores eſſe oportet eius, qui ſeruitutem, egeſtatem, verbera, & crucem propter nos pertulit? Oportet itaque vos ſeruire fratribus exemplo Chriſti: Qui vult, inquit, inter vos eſſe magnus, ſit veſter miniſter: & qui vult eſſe inter vos primus, ſit ſeruus veſter. Sic ipſe impleuit illud bene ſeruire multis, & id quidem non verbis, ſed re. Cùm enim, inquit, accepiſſet linteum, præcinxit ſe, deinde fudit aquam in peluim, & nobis menſæ accubantibus, acceſſit ad nos, & noſtros omnium pedes lauit, & linteo terſit. Cùm hoc faceret, demonſtrabat nobis amicitiæ fraternæ charitatem, vt nos quoque inter nos idem faceremus. Si ergo Dominus noſter idemque magiſter ſic ſe ipſe humiliter abiecit, quomodo pudebit vos hoc facere fratribus infirmis, & imbecillis? Vos dico, qui veritatis operarij eſtis, & religionis propugnatores. Miniſtrate igitur beneuolè, ſine murmuratione, ſine ſeditione; non enim propter hominem, ſed propter Deum hoc facitis, à quo mercedem miniſterij veſtri in die viſitationis veſtræ reportabitis. Oportet igitur, vt vos diaconi omnes viſitetis, quibus viſitatione opus eſt; & de calamitoſis, & afflictis nunciate epiſcopo veſtro: debetis enim eſſe ei anima, & ſenſus faciles & parati ad ſubeundas moleſtias, ac per omnia obedientes tanquam epiſcopo veſtro, immò patri, & magiſtro.

CAP. XX. Quòd à duob⁹, vel tribus ordinandus ſit epiſcopus, & non ab vno.

IVBEMVS autem vt à tribus epiſcopis epiſcopus ordinetur, & vt minimum, à duobus, ita vt ab vno conſtitui non poſſit. teſtimonium enim duorum, & trium firmius eſt, & certum: Item iubemus, vt *1 presbyter, & diaconus, ac reliqui clerici ab vno epiſcopo ordinentur; & vt neque presbyter, neque diaconus reliquos clericos ex laicis ordinent, ſed tantummodo presbyter quidem doceat, offerat, baptizet, benedicat populo; diaconus verò miniſtret epiſcopo, & presbyteris, id eſt, agat diaconum, reliqua verò ne faciat.

*1 Ecce Apoſtolica conſtitutio eccleſiis catholicorũ tradita, quæ per omnes eccleſias orientis, & occidentis, & aliarum partium mundi viget, quæ cùm presbyteros ab epiſcopo, qui ab epiſcopis ordinatus eſt, ordinandos eſſe ſtatuat, & presbyterorum eſſe docere, baptizare, offerre, & benedicere, quæ ſunt muneris ſacerdotalis, & quæ in primis epiſcopo conueniunt, ſequitur, vt ſecundum traditionem Apoſtolicę doctrinæ, & conſtitutionis duo ordines ſacerdotum, vt beatus Anacletus epiſt. 3. ait, nobis à Deo collati ſint contra Confeſſioniſtas, & Caluiniſtas, qui hæreticè tradunt, nullos eſſe in eccleſia Dei ſacerdotes ex ordinatione, ſed ſolum miniſterium eccleſiæ ſine vllo ſacerdotio præter illud commune Chriſtianorũ. vnde Confeſſio, & expoſitio fidei miniſtrorum Heluetiæ, c. 18. de miniſtris eccleſiæ, & ipſorum inſtitutione, & officiis, ſic ait: Licebit ergo nunc eccleſiarum miniſtros nuncupare epiſcopos, presbyteros, paſtores, atque doctores, addere etiam debuit, diaconos; ſiquidem non ſunt hæc nomina ordinis, ſed miniſterij tantùm: & diaconus Grecè ſonat, quod Latinè miniſter. ſed iſti nouatores omnia, res, inquam, & nomina nouare voluerunt. deinde cùm Apoſtolica conſtitutio dicat presbyteri tantùm eſſe offerre, aliud igitur genus ſacrificij eſt præter illas hoſtias ſpirituales, quas quiſque Chriſtianus offerre poteſt & debet in templo & ara cordis ſui.

# LIBER QVARTVS,

## De orphanis.

CAP. I. De pupillis recipiendis in locum filiorum ex miſericordia ab iis, qui liberis carent.

SIQVIS *Chriſtianus pupillus, puer ſcilicet, aut puella virgo fuerit, pulchrè, ac præclarè fiat, ſiquis ex fratribus, qui liberis careat, pupillum ſuſcipiat, & loco filij habeat: & virginem pupillam, ſi filium habeat, qui poſſit eodem cum illa tempore maturus eſſe ad nuptias filio collocet: Qui enim hoc faciunt, præclarum opus efficiunt facti parentes pupillorum, cuius quidem miniſterij mercedem à Deo accipient. Si quem verò ad voluntatem, & gratiam hominum in vita verſantem, & diuitem, pupilli pudet, pupillo quidem proſpiciet pater orphanorum, & iudex viduarum, ipſe verò diues incidet in eum, qui bona, quibus ille pepercit, et quibus abſtinuit, conſumat; eueniet que ei, quod dictum eſt, quæ non comederunt ſancti, comedent Aſſyrij, ſicut ait Eſaias: Regionem veſtram in conſpectu veſtro alieni deuorant.*

CAP. II. Quibus ſit ſubueniendum ſecundum conſtitutionẽ Domini.

VOS *igitur epiſcopi eſtote ſoliciti de alendis pupillis, vt nulla in parte illis deeſſe videamini, ac pupillis quidem præbete, quæ decent parentes; viduis verò, quæ maritos; maturis coniugio date coniuges; artifici opus; imbecillo miſericordiam; hoſpitibus tectum; eſurienti cibum; ſitienti potum; nudis indumentum; ægrotis viſitationem; incluſis in cuſtodias auxilium. Sit autem præ cæteris maior cura de orbis, vt nihil ei deſit; de virgine quidem pupilla, quoad veniat ad ætatem maturam viro, eamque fratri in matrimonium collocetis: Puero pupillo ſuppeditate victum, & quo artem quampiam diſcat; vt cùm artem probè exerceat, poſſit tunc emere ſibi inſtrumenta artis, ne ſit amplius grauis cuipiam ex fratribus, qui erga eum charitatem veram oſtenderit; quin potiùs ſibi ipſe ſuppeditet, eſt enim planè beatus, ſi cùm iam ſibi poteſt opitulari, locum pupillo, hoſpiti, & viduæ non coarctet.*

SIQVIDEM *Dominus beatius dixit eſſe dare, quàm accipere; ab eo enim rurſus dictum eſt, væ eis, qui habent, & in hypocriſi accipiũt; aut qui poſſunt opem ferre, & malunt ab aliis accipere; vterque enim reddet rationem Domino Deo in die iudicij. Nam qui accipit aut propter ætatem, qua eſt pupillus, aut propter imbecillitatem ſenectutis, aut quia incidit in ægritudinem, vel quia habet multos filios alendos, non ſolum hic non reprehendetur, ſed potius laudabitur: habitus enim à Deo inſtar altaris afficietur honore ab eo, ſi impigrè pro eis, qui ei dant, aſſiduè deprecatur. Sic enim fit, ne otioſè accipiat, immò precando,* *[1] *mercedem dati muneris, quantum in ſe eſt, tribuit. hic igitur in æterna vita fiet à Deo beatus. Qui verò habet, & facta ſimulatione accipit, aut nihil agens, cùm deberet potius opere faciendo alios etiam iuuare, hic pœnas Deo ſoluet, quòd panem pauperum rapuit.*

*[1] Ecce Apoſtolica doctrina, quæ Confeſſioniſtas & Caluiniſtas condẽnat, qui in monaſticæ vitæ inſtitutum, impiè otium obiiciunt, exiſtimant enim otium eſſe monachorum, quod in aſſiduas preces, tum publicas, tum priuatas collocant, conuenireque in eos quæ Apoſtolus in epiſt. 2. ad Theſſal. ſcripſit in illos inquietè ambulantes, nihil operantes, & curioſè agentes. at Apoſtolica doctrina eos, qui orantes accipiunt, non otioſè accipere ait, immò eorum orationes eorum, quę dantur, mercedem eſſe, & à Deo remunerandos. Vtrumq; dixit Apoſtolus in epiſt. 2. ad Cor. cap. 8. non eſſe otium orare, & dare etiam qui orant, & non accipere tantùm; non vt aliis, inquit, ſit remiſſio, id eſt, otium, vobis autem tribulatio, ſed ex æqualitate; accipiunt enim & dant. Vnde ſtatim ſubiungit: veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat; vt & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.

CAP. III. De auaritia.

QVI *enim habet pecunias, & cum aliis non communicat, immò neque vtitur, locum ſerpentis ſortitus eſt, quem aiunt in theſauris cubare; competitque in eum*
Eccl. c. 6. *verè quod ait ſcriptura, congregauit opes, & ex eis nihil guſtabit, & nihil ei pro-*
Prou. c. 11. *ſunt intereunti à ſupplicio: non enim, inquit, proderunt opes in die iræ; nam qui ſic eſt, non credidit Deo, ſed auro ſuo, quod pro Deo habuit, & cui confiſus eſt, ſimulator veritatis, acceptor perſonæ infidelis, ſui derogator, timidus, imbellis, leuis, facilis captu, querulus, in dolendo aſſiduus, inimicus ſibi, amicus nemini: Huius bona peribunt, & peregrinus homo comedet ea; aut quia eo viuente, ſurripiet; aut*



*aut quia iam mortuo, eis fruetur. Diuitiæ enim iniuſtè coaceruatæ euomentur.*

CAP. IIII. Quali timore oporteat participare ea, quæ cõferuntur in eleẽmoſynas Domini.

MONEMVS *autem viduas, & pupillos vt cum omni metu, ac reuerentia accipiant quæ eis ſuppeditantur, & vt gratias agant Deo, qui dat eſcam eſurien-*
Eccl. 4. *tibus, in eumque oculos intendant. Quis enim veſtrum, inquit, edit, aut bibit ſine*
Zach. 9. *ipſo? & qui implet omne animal bona voluntate, tribuens frumentum iuuenibus, vinum virginibus, oleum ad lætitiam & hilaritatem viuentium; fœnum iumentis, herbam ſeruituti hominum, carnem beſtiis, ſemina auibus, & omnibus commodum alimentum: idcirco ait Dominus, contemplamini volucres cæli, non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter alit ea; nonne vos præſtantiores illis eſtis? Ne igitur ſoliciti ſitis, dicentes, quid comedemus, aut bibemus; ſcit enim pater veſter, quòd his omnibus indigetis. Cùm igitur tanta illius prouidentia, bonisque illius fruamini, debetis omnipotentem Deum laudibus celebrare, qui pupillum, & viduam recreat per dilectum filium ſuum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cum quo ipſi patri gloria in ſpiritu, & veritate in ſæcula, Amen.*

CAP. V. A quibus accipiendæ oblationes, & à quibus non accipiendæ.

OPORTET *verò, vt ſciat epiſcopus à quibus oblationes accipere debeat, & à quibus non debeat; cauere enim debet, ne caupones dent. Non enim iuſtificabitur caupo à peccato; de ipſis enim in quodam loco Eſaias, cùm hoc Iſraëli exprobraret, aiebat, caupones tui miſcent vinum aqua. Fugiendi præterea ſcortatores, non offeres, inquit, Deo mercedem proſtibuli. Item fugiendi prædatores, & direptores, atque alienarum rerum appetitores, & adulteri: odioſa enim & execrabilia Deo ſunt horum ſacrificia. immò etiam qui viduam affligunt, & pupillum opprimunt; & qui carceres implent innocentibus, aut famulos ſuos durè accipiunt, et tractãt, id eſt, qui verberibus, aut fame afficiunt, aut crudeli ſeruitute premunt: aut qui ciuitates totas populantur: ſint tibi epiſcope execrabiles horum oblationes. Vitabis etiam falſarios, & rhetores, qui iniuriæ patrocinium ſuſcipiunt; tum eos, qui idola* *[1] *faciunt: fures, & publicanos iniuſtos, & qui fraudulenter lances deprimunt; & qui in menſuris alios fraudant: item militem ſycophantam non contentum ſuis ſtipendiis, ſed potius vexantem, & concutientem pauperes: deinde homicidam, carnificem; præterea iudicem iniquum, rerum dilapidatorem, inſidiatorem hominum, operarium nefandorum, ebrium, blaſphemum, cinædum, fœneratorem, quemlibet denique ſceleratum, & cum Dei ſententia ac voluntate pugnantem: ait enim ſcriptura, huiuſmodi omnes eſſe apud Deum execrabiles, à quibus qui oblationes accipiunt, & inde viduas, & pupillos alunt, rei fient in iudicio Dei. Sicut ille in libris regum Propheta Adonias, qui quia Deo non obediuit, cùm panem comedit, & aquam bibit, vbi Dominus propter impietatem Hieroboam edere & bibere vetuerat, à leone diſcerptus eſt. Panis enim qui ex labore viduis ac pupillis ſuppeditatur, melior eſt, quamuis modicus ſit, & paruus, quàm qui ex iniquitate, & fraudulentia, quamuis copioſus, & elaboratus; ait enim ſcriptura, melius eſt modicum iuſto, quàm multæ diuitiæ peccatorum. Quòd ſi vidua victu ab impiis accepto, & ſaturata pro eis deprecabitur, non exaudietur, quoniam Deus, cui corda patent, cum iudicio de impiis pronunciauit, ſi ſteterint Moyſes, & Samuel ante faciem meam pro ipſis, non exaudiam eos: & tu ne ores pro populo hoc, & ne roges, vt miſericordiam eis tribuam, & ne accedas ad me ad precandum pro eis, quia non exaudiam te.*

*[1] Ecce Apoſtolica conſtitutio, quæ Confeſſioniſtas, & Caluiniſtas mendacij, & blaſphemiæ coarguit, cùm imagines Chriſti, & ſanctorũ eius ad idola referunt. Sic enim ait Cõfeſſio Antuerp. c. 9. Non poteſt vllo modo negari, hanc ſententiam de imaginibus non faciendis ad cultum, contineri ſub præcepto præcedente prohibente Deos alienos. Certè enim idola dij alieni ſunt. Cũ ergo in genere prohibentur omnes dij alieni, etiam imagines ad cultum fabricatæ prohibentur. At Apoſtolica cõſtitutio inter eos Chriſtianos, quos ab oblationib⁹ prohibet, nõ numerat εἰκονοποιοὺς, aut ξοανοποιοὺς, id eſt, eos, qui imagines, aut ſtatuas faciunt, ſed εἰδωλοποιοὺς, id eſt, eos, qui idola faciebant, quæ Gentiles deos eſſe credebant, & pro diis colebant, vt Eſaias cap. 44. & epiſt. Hieremiæ ad Iudæos Babyloniæ teſtatur. idem docet Apoſtolus cùm ait, ſcimus, quia nihil eſt idolum in mundo: & quòd nullus eſt Deus, niſi vnus. & in eadem epiſtola cap. 12. quoniam cùm Gentes eſſetis, inquit, ad idola, ſiue ſimulachra muta prout ducebamini. Etenim ſi idola non aliud eſſe credebantur, quàm æs, aut lapis, aut alia materia, ex qua fiebant, quorſum Apoſtolus per irriſionem muta ſimulachra, ſiue idola vocaſſet? Quis ignorat non poſſe loqui, quod anima, & voce caret? ergo quia deos eſſe putabant, meritò appellauit muta, vt Gentilium cæcitatem redargueret. Confirmat hoc ipſum Apoſtolica doctrina, quæ lib. 2. cap. 28. loquens de honore, quem Gentiles ſacerdotibus ſuis adhibeant, & ſine ſacerdote, inquit, nihil offerũt, neque quicquam faciunt, quin

quin potiùs os lapidis putant expectantes, quid eis facere iubeat. idola igitur ex lapide, aut alia materia non muta eſſe, ſed per ſacerdotes loqui credebant, cùm alioqui per ſe loqui non poſſent. itaque de idolis iſtis dixit Apoſtolus: idolum nihil eſt in mundo, non ſolùm quia ad nihil vtile eſt, ſicut ait Eſa. ſculptile conflauit ad nihil vtile; & ſicut Hierem. nullum, inquit, opus Dei cum illo: ſed quia, vt ait Magnetes vetuſtiſſ. & eccleſiaſticus auctor lib. 3. Apologiarum contra Theoſthenem gentilẽ, nomen idolorum tanquam deorum Gentiles adinuenerũt: ἡ δὲ ἀλήθεια τοιαύτην ψῆφον οὐ δογματίζει, οὐ γὰρ δύναται σώζεσθαι ἐν κόσμῳ ὁ ἀπαίδευτος ὅρος εἰδώλου, id eſt, veritas tamẽ talẽ ſententiam non decernit: non enim poteſt conſiſtere in mundo ratio, ſiue definitio idoli. ξόανα enim, inquit, id eſt, ſtatuæ, non idola, ſed ξόανα, id eſt, ſtatuæ dicuntur: quæ ex auro, argento, ære fiunt, aurum, argentum, & æs ſunt, non autem idola: & corpora mortua animalium non dicuntur idola: & animæ ſeparatæ animæ ſunt, non idola: effigies eorum, qui dicuntur heroës, non idola, ſed imagines ſunt: quæ pinguntur, picturæ ſunt, non idola. τὰ δὲ λεγόμενα τῶν ὀπτασιῶν φαντάσματα, καὶ σκιαὶ τῶν ὕπνων ὑπάρχουσι, καὶ εἴδωλα καὶ ἰνδάλματα εἰσί. id eſt, illa verò, quæ in viſis phantaſmata dicuntur, & vmbræ ſomni ſunt & idola, atque ſimulachra. Deinde ſubiungit, vt iam veriſſimè dixerit Apoſtolus, idolũ nihil eſt in mundo. Hactenus Magnetes auctor temporibus Apoſtolorum vicinus, eius libri quinque in Veneta Bibliotheca extant. idolorum igitur cultum, hoc eſt, dæmonum cauere iubet Apoſtolus: & idola etiam facere Apoſtolica conſtitutio prohibet, quia eorum cultus dæmonum cultus erat. imagines verò, & ſtatuas, non prohibuit facere. extra idola ergo, de imaginibus ad cultum prohibitis nuſquam eſt in ſcriptura; cùm alioqui proprius locus ſcripturæ eſſet, vbi tam multa Paul. de idolis, & idolothytis. Quare qui ad præceptum de non habendis diis alienis, & non faciendo ſculptili, quę ipſi etiam Confeſſioniſtę ad idola pertinere fatentur, addunt præterea de non faciendis imaginibus ad cultum, hi addant ad verbum Dei, & apponet Dominus ſuper illos plagas, ſicut ſcriptum eſt. immò Apoſtolus cùm hoſtes imaginum iam tunc per ſpiritum videret, Leonem imperatorem dico, & eius filium Conſtantinum, & Proteſtantes nouos eorum imitatores, & ſupplicij hæredes, poſtquàm dixit in epiſt. ad Cor. priore, fugite ab idolorum cultura, ſubiungit ſtatim, tanquam prudentibus loquor, vos ipſi iudicate, quod dico, quod perinde eſt, quaſi diceret, de idolis loquor, quæ pro diis habentur, & de iis, quæ dæmonibus immolantur. dementes ergo ſunt, & ſenſus communis expertes, ac impij, & blaſphemi, qui ita de imaginibus ſanctorum Dei ſentiunt, & loquuntur, vt de idolis gentium, & cultu dæmonum.

CAP. VI. Quòd oblationes eorũ qui nõ ſunt digni, vt offerant, nõ ſolum nõ placãt Deũ, ſed potius iram eius prouocant.

QVIN *potiùs qui deliquerunt, & eos non pœnitet delictorum ſuorum, non ſolùm non exaudientur, cùm precationem facient, ſed magis Deum irritabunt dantes ei recordationem improbitatis ſuæ. Prohibete igitur huiuſmodi miniſteria oblationum, quæ ſunt tanquam commutatio canis, & merces proſtibuli, vtrumq; enim legibus vetitum eſt: nec enim Eliſſæus dona ab Azacle allata accepit, nec Achias à Hieroboam. Quòd ſi Prophetæ Dei, dona impiorum non acceperunt, æquum eſt, vt neque vos epiſcopi accipiatis. immò Simon magus oblata pecunia mihi Petro & Ioanni conabatur mercari gratiam, quæ pretio æſtimari non poteſt, qua quidem pecunia non accepta, ſempiterna illum maledictione conſtrinximus, quoniã donum Dei non*[1] beneuolentia in Deum, ſed pecuniæ permutatione comparare cogitauit. Cauete ergo ne oblationes malæ conſcientiæ ad altare Dei afferantur, abſtine enim, inquit, & non metues ab iniquo, & tremor non appropinquabit tibi.*

*[1] En Apoſtolica doctrina, quæ aduerſus Lutheranos nihil ad comparandum gratiam Dei tribuentes operib⁹, docet, gratiam Dei beneuolentia in Deum comparari; ergo & operibus fidei, non quidem quòd fides, aut opera, quæ gratiam iuſtificationis antecedunt, eam promereantur, quaſi tunc Deo placeant ante gratiam; ſed quòd illa Deus ex miſericordia dignetur gratia ſua, ad quam illa habet nunc accepta iuſtificando, ita vt beneuolentiã iſta, & fides, & opera antecedentia non cauſſa αὐτοτελὴς, id eſt, perfecta, & ſufficiens gratiæ ſint, vt eſt pretium ex pacto & conuento iuſto cauſſa abſoluta permutationis factæ; alioqui ſi ſic ex operibus eſſet gratia, gratia nõ eſſet gratia: ſed ſunt cauſſa adiuuans, quæ συναίτιον, id eſt, concauſſa à Philoſophis dicitur: adiuuãt enim præparando, ſiue diſponendo ad gratiam. quòd ſi hic de gratia dandi ſpiritum ſanctũ per impoſitionem manus, quam Simon emere volebat, ſermo eſt, & non de gratia iuſtificante, nihil intereſt ad id quod volui. gratia enim Dei, quæcunque illa ſit, ſemper eſt gratia, & ſemper gratis datur, & miſericordiæ eſt, & non dignitatis: ſicut viciſſim miſericordia gratiæ eſt, & non dignitatis, vt ait beatus Chryſoſtomus in libro de virginitate cap. 42. explicans illum locum, miſericordiam conſecutus ſum, vt ſim fidelis.

CAP. VII. Quòd melius eſt ex proprio labore præbere viduis, quãuis parua & pauca ſint, quàm ex iis, quæ ab impiis dãtur, licet multa, & magna ſint. præſtat enim perire fame, quàm ab impiis accipere, quæ conferunt.

SED *ſi dicatis, hi ſunt, qui eleëmoſynas dant, ſi ab eis non accipimus, vnde viduis à nobis miniſtrabitur? vnde viuent in populo egentes? audietis à nobis, idcirco data eſſe vobis dona leuitarum, oblationes dico populi, cui præeſtis, vt victus ſuppetat vobis, & egentibus; & ne egeſtate preſſi, à ſceleratis accipiatis. Quòd ſi tanta fuerit eccleſiarum indigẽtia, præſtat fame perire, quàm ab inimicis Dei quicquam accipere, quod amicis Dei contumelioſum ſit, & eos faciat ludibrio eſſe. De huiuſmodi enim hominibus ait Propheta, oleum peccatoris non impinguet caput meum. explorate igitur iſtos tales, & ab iis, qui ſanctè ambulant, accipite, & calamitoſis atque afflictis ſuppeditate. Ab excommunicatis verò ne prius accipiatis, quàm, vt membra*[1] *eccleſiæ fiant, digni habeantur. Sin autem oblata dona non ſufficerint, denuncia fratribus, & cùm ab eis collectam feceris, ſuppedita pupillis, & viduis iuſtè.*

*[1] Eccè Apoſtolica conſtitutio in Philippum ducem Cõfeſſioniſtarum, qui inſanè, & impiè tradit in reſponſ. ad art. Bauar. inquiſ. ex ritu ethnico manaſſe excommunicationem, vt cùm Oreſtes, inquit, querebatur ſe non eſſe ad aliorum menſas admiſſum. at Apoſtolica doctrina eam vim excommunicationis eſſe pronunciat, quæ facit, ne excommunicatus ſit membrum eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti: ex quo fit, vt huiuſmodi membrum abſciſſum non faciat per miniſtros eccleſiæ, & per miniſterium orationum eccleſiaſticarum, & ſacrificiorum augmentum ſui per iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram ſuam, ſicut Apoſtolus ait.

CAP. VIII. Quòd oportet, vt ſacerdos populum hortetur ad largiendum pauperibus, vt ſapiẽs Salomon.

DIC *verò, cui præes populo, quod ſapiens ille Salomon: Honora Dominum ex tuis iuſtis laboribus: da ei primitias ex tuis fructibus iuſtitiæ, vt impleantur horrea*



*rea tua frumenti, & torcularia tua vino redundent. ex iuſto igitur labore fidelium victum, & veſtitum egentibus tribuite; & pecuniam, vt ſuprà diximus, coactam diſpenſate, conferentes eam in miniſterium redimendi ſanctos, vt liberetis ſeruos, captiuos, in vincula coniectos, calumnia oppreſſos, damnatos à tyrannis ad monomachiam, aut ad mortem propter nomen Domini; ait enim ſcriptura, libera eos qui ducuntur ad mortem, & interfectos redime, ne parcas pecuniæ.*

CAP. IX. Quòd ſi aliquis impius nummos ſacerdotib⁹ proiecerit, in ligna, & carbones inſumendi ſint, & non in cibos.

SI *quæ verò neceſſitas aliquando contigerit, vt à quopiam impio argentum inuiti accipiatis, impendite in ligna, & carbones, ne ſi inde vidua, aut pupillus aliquid acceperit, cogatur emere cibum, aut potum, quod minimè cõuenit; iuſtum nanque eſt, quæ impij dant, igne conſumi, & non ali inde pios. Hoc quoque lex cauet, cùm id, quod ex ſero ſacrificio reſtat, ἄβεθτον vocat, et igne iubet conſumi: non enim iſta, quæ offeruntur, natura, ſed propter animum*[1] *eorum, qui dant, vitioſa ſunt. Hoc verò præcipimus, vt eos, qui ad nos accedunt, non auertamus, cùm ſciamus ſæpenumero profuiſſe impiis congreſſum cum piis, nocere autem piis ſolam communionem religionis cum illis. atque hæc quidem hactenus chariſſimi ad cautionem veſtram dicta ſint.*

*[1] Ecce Apoſtolica doctrina contra dogma Confeſſioniſtarum, qui tradunt ea tãtum eſſe bona opera, quæ Deus mãdauerit; ſic enim eſt in Confeſ. Antuerpienſi, cap. 7. de bonis operibus, quod Illyricus pergit defendere in Apologia contra Tiletanum, quia fruſtra, inquit, colitur inuentis hominum; at oblationes iſtas argenti, aut aliarum rerum, quæ ad voluntatem cuiuſque fieri ſolent, ſi à quopiam vitæ alioqui ſceleratæ fiant, pronunciat Apoſtolica conſtitut. non eſſe Deo acceptas, ſed odioſas, non quia non ſint verbo Dei commendatæ, ſed propter malam conſcientiam offerentis. ergo ſi accedat bona conſcientia, ac vita proba, acceptæ erant, & gratæ.

CAP. X. De parentibus, & filiis.

AC *etiam vos patres erudite filios veſtros in Domino, educantes eos in diſciplina, & monitis Domini, eóſque artes idoneas, & verbo Domini congruentes docete; ne copia & opportunitate temporis fractis habenis, & à parentibus non obiurgati, ab honeſtate & virtute deflectant, ante tempus idoneum relaxati. Quamobrem ne vereamini increpare eos, & aſperè caſtigare, non enim interficietis eos caſtigando, immò ſeruabitis, ſicut Salomon ait in ſapientia, caſtiga filium tuum, & dabit tibi requiem: Sic enim faciet tibi bonam ſui expectationem. nam tu eum quidem virga cædes, animam verò eius à morte eripies. & rurſus idem, qui parcit bacillo ſuo, filium ſuum odit. & in eandem ſententiam, tunde latera eius dum puer eſt, nequando obdureſcens non obediat tibi. Qui ergo filium ſuum monere, & caſtigare deſinit, idem filium ſuum odit. Docete itaque filios veſtros verbum Domini,* & verberibus, ac fuſtibus comprimite, & facite, vt ſint ſubiecti. Docete eos à pueritia litteras ſacras, & veſtras, & diuinas, omnemque diuinam ſcripturam eis tradite; neq; eis remiſſio ac relaxatio à vobis fiat, ne contingat, vt præter voluntatem veſtram, poteſtatem, & licentiam in vos ſumant. Ne permittatis eis conferre nummos in cõuiuium cum æqualibus, ſic enim ad immoderationem deflectent, & in ſcortationem decident: quæ quidem ſi incuria parentum euenerint, iidem erunt de animis filiorũ ſuorũ rei. Etenim ſi filij pigritia parentũ cum intemperãtibus conſuetudinẽ habent cùm deliquerint, non ipſi ſolùm punientur, ſed parentes quoq; propter eos iudicabuntur; idcirco date operam, vt tempore ad coniugium maturo eos matrimonio iungatis; ne in ipſo flore, ætate ferueſcente, iis moribus euadant, vt ſe dedant meretricibus, & à vobis ratio in die iudicij à Domino Deo repoſcatur.*

* In alio exemplari vetuſto erat πληγαῖς καὶ δαρμοῖς.

CAP. XI. De famulis, & dominis.

DE *famulis verò quid amplius dicamus, quàm quòd ſeruus habeat beneuolentiam erga dominum cum timore Dei, quamuis ſit impius, quamuis ſit improbus; non tamen cum eo de religione conſentiat. Item dominus ſeruum diligat, & quamuis præſtet ei, iudicet tamen eſſe æqualitatem, vel quatenus homo eſt. Qui autem habet dominum Chriſtianum, ſaluo dominatu, diligat eum, tum vt dominum, tum vt fidei conſortem, & vt patrem, non ſicut ſeruus ad oculum ſeruiens, ſed ſicut dominum amans; vt qui ſciat mercedem famulatus ſui à Deo ſibi ſoluendam eſſe.*

Similiter

*Similiter dominus qui Chriſtianum famulum habet, ſaluo famulatu, diligat eum tanquam filium, & tanquam fratrem propter fidei communionem.*

Cap. XII. In quibus oporteat ſubiectos eſſe poteſtatibus ſæcularibus.

Estote *ſubiecti omni regi, & poteſtati, in iis quæ Deo placent, tanquam miniſtris Dei, & impiorum vindicibus, & vltoribus; exhibete eis omnem metum debitum, omne vectigal, omne tributum, omnem honorem, dationem, cenſum; hæc enim eſt Dei lex, nemini quicquam debere præter amicitiæ fœdus, quod Deus per Chriſtum ſanxit.*

Cap. XIII. De virginibus.

De *virginitate verò mandatum non accepimus, quare hanc rem poteſtati cuiuſque voluntatis permittimus, vt* *1 *votum. illud modò monemus, ne quid facilè & leuiter promittatur; ſiquidem Salomon ait, melius eſſe, non feciſſe votum, quàm factum non reddere. Sit igitur hæc virgo ſancta corpore, & anima, vt templum Dei, vt domus Chriſti, vt ſpiritus ſancti domicilium. Debet enim quæ virginitatis votum fecit, exercendo quæ voto digna ſunt, demonſtrare veram eſſe promiſſionem ſuam ſtudio pietatis factam, & non ad vituperandum* *2 *coniugium. eſto præterea non vaga, non intempeſtiuè deambulans, non duplici animo, ſed honeſta, continens, temperata, pudica, & fugiens congreſſus multorum, & eorum maximè, qui ſunt inhoneſti.*

*1 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ vt promiſſionem vocauit lib. 3. ca. 1. loquens de viduis illis apud Paulũ 1. Tim. 5. quam idẽ Paul. fidem vocauerat; ſic hoc loco illã ipſam promiſſionem ſiue fidem vocat votum, contra Proteſtãtes, qui negant huiuſmodi votũ in nouo teſtamento. Sic enim ait Illyricus in defenſione Confeſſ. Antuerp. cap. 19. de cœlibatu contra Tiletanum: Scripturam ſanè nullam citare poteſt pro cœlibatu: nam quod dicit de viduis iunioribus 1. Tim. 5. nullo planè verbo fit ibi voti mentio. quaſi verò aliud ſit votum quàm fides Deo promiſſa, quod Illyricus naturam rei, & vim nominis ignorans non aduertit, qui in eodem cap. vt probaret, licuiſſe aliquando in nouo teſtamento ſacerdoti iam facto vxorem ducere, citauit epiſt. Leonis 87. in qua ſic legi finxit, dicente Apoſtolo, vt is epiſcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuiſſe, aut eſſe conſtaret; tam ſacra ſemper eſt hæc præceptio, vt iam de muliere ſacerdotis eligenda eadem intelligatur ſeruanda conditio. & ſubiungit Illyricus quaſi triumphans: En audis ſacerdoti deligendam eſſe in vxorem virginem, non viduam. & concludit, licet ergo iam ordinatis ſacerdotibus contrahere coniugium. hæc Illyricus. at in epiſt. non de muliere ſacerdotis eligenda, ſed de muliere ſacerdotis eligendi ſcriptum eſt. relegat, qui volet, ſic ſcriptum reperiet, & non vt iſte πλαςογράφος finxit. ad eligendum enim ſacerdotem in ordinationem, inquirendum erat iuxta canonem Apoſtol. 18. an vxor eius, qui ordinandus eſſet, à principio virgo, an vidua fuiſſet, vt ſi vidua, non poſſet eligi vir eius ad ſacerdotiũ, ſiue ad ordinationem. vtrum verò Illyricus malitioſè, & ex compoſito finxerit, an præiudicio opinionis ſuæ ita ſibi legiſſe viſus ſit, nihil affirmo, Dominus eum iudicabit, cùm venerit.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina, & conſtitutio eundem Illyricum cum ſuis conſortibus de mendacio planè condemnat; ait enim in eodem cap. de cœlibatu, condemnare catholicos coniugium tum immunditiei, tum carnalitatis. his enim verbis vtitur: At hæc Apoſtolica conſtitutio, quam omnes eccleſiæ catholicorum tenent, matrimonium vituperare prohibet, ſicut canon Apoſtol. 51. vt autem hoc mendacium ſuum probare videretur, finxit dicere Syritium Papam in epiſtola decretali, coniuges viuere in carne, & Deo placere non poſſe, & non exaudiri. Sed quid non audeat in cœlibatum, qui hoc auſus eſt fingere? Sic enim ſcripſit Syritius in epiſtola ad Himerium Tarracon. cap. 7. loquens de lege cœlibatus ad ſacerdotes, & Leuitas pertinente: Quarum ſanctionum ſacerdotes, & Leuitæ inſolubili lege conſtringimur, vt à die ordinationis noſtræ ſobrietati, & pudicitiæ, & corda noſtra mancipemus, & corpora, dummodo per omnia Deo noſtro in iis, quæ quotidie offerimus, ſacrificiis placeamus. qui autem in carne ſunt, dicente electionis vaſe, Deo placere non poſſunt, vos autem iam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu &c. Quod ad ſacerdotes, & leuitas Syritius retulit, quos dixerat teneri lege cœlibatus, ita vt ſi non ſeruarent cœlibatum, in carne, ſiue ſecundum carnem viuerent: hoc iſte peruersè ad omnes coniuges retuliſſe Syritium finxit. Præterea non intelligens, quid in hoc Apoſtoli loco eſſet illud, viuere in carne, & Deo placere non poſſe, exiſtimauit in omnes coniuges hoc conuenire; quod falſum eſt. Cui enim non eſt prohibitum vti coniuge ſua, vt laico libero: is ſi ſecundum legem Dei, & rationis ea vtitur, non eo dicitur viuere in carne, id eſt, ſecundum carnem; ſiquidem viuere ſecundum carnem, quæ dicitur in eodem loco epiſtolę ad Rom. prudentia carnis, quæ mors eſt, eſt vnici contra legem Dei, & rationis à paſſione aliqua carnali, & facere aliquod opus ex iis, quæ Apoſtolus in epiſt. ad Galatas numerat opera carnis.

# LIBER QVINTVS,

## De martyribus.

Cap. I. Quòd iis, qui propter Chriſtũ ab infidelibus affliguntur, iuſtum eſt, vt fideles præbeant, quæ opus ſunt ſecundum conſtitutionem Domini.

Siquis *Chriſtianus propter nomen Chriſti, & fidem in eum, ac charitatem, ad ludum, aut ad beſtias, aut ad metalla ab impiis damnetur, ne eum deſpiciatis; quin potiùs mittite ei ex labore ac ſudore veſtro ad victum, & ad ſoluendum mercedem militibus, vt ab eis alleuetur, & curetur; vt quantum in vobis ſit, beatus frater veſter non prematur. Qui enim propter nomen Domini Dei noſtri damnatus eſt, hic eſt ſanctus martyr, frater Domini, filius altiſſimi, receptaculum ſpiritus ſancti, per quem illuminationem gloriæ euangelij ſinguli fideles acceperunt, cùm digni habiti ſunt immortali corona, & teſtimonio paſſionum eius, ac ſocietate ſanguinis ipſius, vt conformarentur morti Chriſti in adoptionem.*

Ob *hanc igitur cauſſam omnes fideles ex iis bonis, quæ habetis, aut ex labore*



*miniſtrate ſanctis per epiſcopum veſtrum. Sin verò aliquis non habet,* *1 *ieiunet, & cibum eius diei partitus deſtinet ſanctis. Qui autem opulentus, & copioſus fuerit, plus etiam proportione facultatum ſuarum eiſdem ſuppeditet. Si verò poteſt rebus ſuis omnibus diuenditis, ex cuſtodia eripere, beatus & amicus Chriſti erit. Etenim ſi is, qui bona ſua indigentibus largitur, perfectus eſt poſt † cognitionem* *2 *de diuinis, erit profectò multò perfectior, qui pro redimendis martyribus hoc fecerit: huiuſmodi enim frater, qui ſe præbuit Deo dignum, ſatisfaciet voluntati eius ſuppeditando eis, qui illum confeſſi ſunt coram gentibus, & regibus, & filiis Iſraël, de quibus Dominus pronunciauit dicens: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in cælis eſt. Quòd ſi iſti tales ſunt, vt eis Chriſtus teſtimonium coram patre tribuat, non debet pudere vos ire ad eorum carceres, hoc enim ſi feceritis, vobis vice martyrij habebitur, quòd illi quidem re ipſa martyrium ſubierunt experiendo, vos verò aliter, nempe voluntate prompta, tanquam facti ſocij certaminis illorum. Talibus enim ait Dominus, venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: Eſuriui, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi potum; hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me, infirmus eram, & viſitaſtis me: in carcere eram, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt iuſti dicentes, Dominè quando te vidimus eſurientem, & pauimus, aut ſitientem, & potauimus; aut nudum, & operuimus, & in carcere, & venimus ad te? Tunc reſpondebit ei dicens, amen dico vobis, quatenus feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis; & ibunt hi in vitam æternam. tunc dicet & iis qui ſunt ad ſiniſtram, recedite à me in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius: Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui & non dediſtis mihi bibere: hoſpes eram, & non collegiſtis me: nudus eram, & non operuiſtis me: infirmus eram, & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt & ipſi dicentes, Domine quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi? Tunc reſpondebit & ipſis dicens, amen dico vobis, quatenus non feciſtis vni ex his minimis, neque mihi feciſtis: & ibunt hi in ſupplicium æternum.*

*1 De hoc ieiunio ait Hermes, beatus eſt qui ieiunat pro eo, vt det pauperi: huius ieiuniũ valde eſt Deo acceptum; hoc ieiunium Nicolaus Selneccerus Cõfeſſioniſta ponit inter genera ieiuniorum, quę numerat, ſed malè interpretat⁹ eſt Hermetem, quẽ citat; ſubiungit enim: hoc ieiuniũ tale eſt, cùm diuites ſuccurrunt inopiæ pauperũ, & non indulgent faſtui, & crapulis, ædificiis, ſuperbiæ, & deliciis, ſed cõparcunt, vt pauperi ſubueniant. Sic docet iſte Confeſſioniſta ieiunare diuites: & pauperes lege ieiunij ſoluit cõtra Apoſtolicam doctrinã, quę beatum pronunciat eũ pauperem, qui ieiunat, vt quod ſibi ſubducit, in Chriſtianos alendos collocet.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ Caluinũ redarguit; cùm ait in ſuis Inſt. ca. 4. de votis vitam monaſticam oppugnans, perperam à nobis accipi de perfectiore viuendi regula quod Domin⁹ dixit adoleſcenti, ſi vis perfectus eſſe, vade & c. quod ex eo probat, quod Apoſtolus ait, etſi diſ-
tribuerit quis omnia pauperibus, & charitatem non habeat, nihil eſſe eum. Qualis ergo eſt, inquit, iſta perfectio, quæ, ſi charitas abſit, in
nihilum redigatur? vnde quod, inquit, diuiti auaro Chriſtus iubet, relinquere omnia, quæ habet, perinde eſt, ac ſi ambitioſo omnibus
honoribus, voluptuario omnibus deliciis, impudico omnibus libidinis inſtrumentis renunciare iuberet; poſtremo loco fateri ſe ait, fuiſſe
hunc locum à quibuſdam patribus malè intellectum, atque hinc natam eſſe voluntariæ paupertatis affectationem: at hoc Apoſtolis, quo-
rum eſt hæc doctrina à Clemente Rom. eorum diſcipulo ſcripta, obiici non poteſt, quaſi malè intellexerint, quod Dominus adoleſcenti
dixit. negabunt potius Apoſtolorum eſſe hanc doctrinam, hoc enim perfugium negandi omnia, ad quæ reſpondere non poſſunt, ſibi hæ-
retici reliquerunt. Apoſtolica igitur doctrina explanat hic quemadmodum intelligendum ſit hoc conſilium Domini de perfectione re-
linquendi omnia, ſcilicet poſt obſeruationem ſpiritualem mandatorum Dei. Tunc igitur largiri bona ſua pauperibus ad perfectionem vi-
tæ pertinet, cùm accedit hoc tanquam corollarium ad mandatorum impletionem Deo placentem, id eſt, ad charitatem, quæ eſt plenitu-
do legis, ſicut illi adoleſcenti, poſtquã dixerat, hæc omnia ſeruaui à iuuẽtute mea, quid adhuc mihi deeſt? tunc ait illi Ieſus, ſi vis perfectus
eſſe, vade, vende omnia, &c. quod perinde eſt, quaſi diceret, ſi poſt impletionem mandatorum Dei vis adhuc perfectus eſſe, vade, vende
&c. cognitionem ergo de diuinis ſcilicet præceptis vocat hic Apoſtolica doctrina non illam, quæ in cognitione ſolùm verſatur, ſed quæ in
actione, hoc enim ſignificat aliquando in ſcripturis γνῶσις, vt Clemens quoque Alexandr. in lib. 2. ſtrom. notauit, ἐπιςήμη, inquit, σύμ-
φωνος τοῖς γιγνομένοις, id eſt, ſcientia, ſiue cognitio factis conſentiens ac conſonans. Sic accepit beatus Petrus 2. cap. 1. cùm ait, ſubmi-
niſtrate in virtute τὴν γνῶσιν, id eſt, ſcientiam ſiue cognitionem: non enim ſatis eſt facere mandatum Domini, niſi fiat vt Deo placet,
tunc enim fit cum ſcientia, ſiue cognitione, eſtque ſpiritualis operatio mandati. Sic quoque accepit Paul. 1. Cor. 8. non in omnibus, inquit,
eſt ſcientia. ſed de his hactenus; plura enim ſcripſimus pro monaſtica vita libro 2. de votis monaſticis contra eundem Caluinum.

Cap. II. Quòd fugienda ſit falſorum fratrum conſuetudo, dum in nequitia perſeuerant.

Siquis *verò, qui ſe alioqui fratrem eſſe dicit, à diabolo deceptus maleficium committat, ac conuictus capite damnetur vt adulter, aut homicida, vitate eum, vt inuiolati ſeruemini, & ne quis veſtrûm ſuſpectus ſit de communione, ac ſocietate flagitij, & infamiam aſpergat, quaſi omnes Chriſtiani ſceleribus & flagitiis delectentur: quamobrem procul ab eis recedite: Iis tamen, qui per calumniam, propter Chriſtum in carcerem incluſi ſunt, aut morti addicti, aut vinculis, aut exilio, ferte opem omni ſtudio, vt mẽbra veſtra ex manibus ſceleratorum eripiatis. Quòd*

*ſi quis*

*ſi quis cum eis compactus, comprehenſus fuerit, & verberetur, beatus eſt, quòd ſit factus ſocius martyrum, & imitator paſſionum Domini noſtri Ieſu Chriſti. etenim nos quoque ſæpius propter Chriſtum ſub Caipha, Alexandro, & Anna acceptis plagis exiuimus læti, quòd digni habiti eſſemus, qui illa propter Chriſtum pateremur, & vos gaudete qui iſta patimini.*

CAP. III. Quòd afflictis propter Chriſtũ oportet opẽ ferre, quãuis adſit periculum.

ATQVE *etiam eos, quos impij propter Chriſtum inſequuntur, quique, vt Dominus præcepit ex alia atque alia ciuitate fugiunt, recolligite & adiuuate, recipite vt martyres læti, & gaudentes, quòd facti fueritis ſocij perſecutionis eorum, quos ſcitis beatos à Domino prædicari. Ait enim, beati eſtis, cùm exprobrauerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum verbum aduerſus vos mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui ante vos fuerunt. & rurſus, ſi me perſecuti ſunt, et vos perſequẽtur. et in candẽ ſententiã: Si vos perſequãtur in vna ciuitate, fugite ad aliã, quia in mũdo preſſuram habetis: tradent enim vos in ſynagogas, et ad præſides, & ad reges ducemini propter me in teſtimonium ipſis; et qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. Quem enim propter fidẽ Chriſti inſecuti ſunt, et idem teſtimonium de Chriſto dixit, & patienter ſuſtinuit, hic eſt verè homo Dei.*

CAP. IIII. Quòd horrendum, & mortiferum ſit, negare Chriſtũ; & quòd imitandus ſit Chriſtus patiendo, & imitando patientiam eius.

QVI *verò ſe Chriſti eſſe negauerit, vt non ſit hominibus odio, qui magis animam ſuam, quàm Deum amarit, in cuius alioqui manu eius reſpiratio eſt, hic miſerabilis, & miſer eſt, vtpote impurus, & deteſtandus: qui amicus quidem hominum eſſe voluit, inimicus verò Dei; qui non iam partem cum ſanctis tulerit, ſed cum ſortitis maledictionẽ, qui pro regno eorum, qui benedictionem tulerunt, expetiuit ignem ſempiternum diabolo, & angelis eius præparatum, non iam hominibus inuiſus, ſed à Deo repulſus, & à facie eius proiectus. De hoc enim dixit Dominus: Qui negauerit me coram hominibus, & erubuerit nomen meum, & ego negabo eum, & erubeſcam coram patre meo, qui in cælis eſt. & rurſus nobis diſcipulis ſuis dixit, qui amat patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus; & qui non accipit crucem, & ſequitur me, non eſt me dignus: qui inuenit animam ſuam, perdet eam; & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam. Quid enim prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? & in eandem ſententiam, ne timeatis eos, qui occidunt corpus, animam verò occidere non poſſunt; timete verò potius eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.*

CAP. V. Quòd oportet, vt fidelis non ſe proiiciat in pericula propter infirmitatẽ ſuam, neque ſit meticuloſus propter mollicie͂, ſed fugiat propter metum Dei; & cùm inciderit in ea, decertet propter coronam reſeruatam.

QVICVNQVE *igitur artem quampiam diſcit, cùm videt magiſtrum ſuum opere & experientia artificium ſuum perficientem, idem quoque ſtudet opus iniunctum ſimile efficere; quod quidem ſi aſſequi non queat, non eſt in eo perfectus. & nos ergo cùm magiſtrum habeamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cur doctrinam eius non imitamur? quoniam ille à ſe repudiauit relaxationem, voluptatem, gloriam, diuitias, ſuperbiam, copias auxiliares, matrem & fratres, immò etiam vitam ſuam, idque tum propter pietatem erga Deum patrem, tum propter charitatem erga homines; perpeſſus non ſolùm perſecutionẽ & verbera, probra, & ludibria, ſed etiam cruci affigi, vt Iudæos, & Gentiles ad pœnitentiam*1 adductos ſeruaret. Si igitur ipſe propter nos requiem reſpuit, neque in ſubeunda cruce erubuit, neque mori inglorium exiſtimauit; quare nos paſſiones eius non imitamur, &*

*eius*

*1 Ecce Apoſtolica doctrina, quę ſalutem tribuit pœnitentiæ contra Confeſſioniſtas, qui illam ſoli fidei tribuunt. Sed reſpondet Illyricus in defenſ. Confeſſionis Antuerp. cap. 6. contra Tiletanum, eatenus tribui, quatenus, inquit, fides mendicans in ea, illud primarium, & quaſi cor eſt, ſicut ſuprà diximus, Chriſtum vocare Cananęæ, & Bartimæi ardentiſſimam flagitationem opis Chriſti fidem. Sic & publicani vox, eſto mihi peccatori propitius, quid tandem aliud quàm fides eſt? idem reſpondebit hic, nihil aliud eſſe, voluiſſe Chriſtum ſaluare Iudæos, & Gentiles adductos ad pœnitentiam, quàm voluiſſe ſaluare adductos ad fidem. rectè vtrumque, ſi de fide perfecta intelligat, quam doctrina Apoſtolica ſtatim



vocat ſynceram, id eſt, incorruptam. Paulus vocat non fictam. at huiuſmodi fides non adulterina, ſed perfecta, non eſt ſolitaria, ſed ſimul eſt cum charitate, ſine qua

*eius cauſſa ipſam etiam vitam noſtram, ipſo nobis tolerantiam præbente, non deſerimus? ille enim propter nos, nos verò propter noſipſos: neque enim ille*2 nobis indiget, ſed nos miſericordia ipſius indigemus. Tantummodo fidem noſtram requirit *3 ſynceram, & voluntariam; vt ait ſcriptura, ſi iuſtus es, quid dabis ei? aut quid ex manu tua accipiet? Viro tui ſimili impietas tua, & filio hominis iuſtitia tua.*

nihil valeret ſola fides, quamuis tanta eſſet, vt montes trãsferret; nec in huiuſmodi pœnitentia quæ ſaluat, quaſi primarium, & cor eſt fides ſola, vt iſte δοξισόφος ait, ſed charitas, quæ eſt finis, & forma fidei, vt Theologi tradunt, & ſicut Apoſtolus ait, plenitudo legis, & vinculum perfectionis, & maior quàm fides, & ſpes, quæ duæ virtutes docent contemnere terrena, vt ſanctus Diadochus in libello De perfectione ſpirituali cap. 5. ait: charitas verò, inquit, vnit cum Deo. Si igitur vnit cum Deo, ergo charitas apprehendit Chriſtum, & non fides ſola, vt iſti tradunt. idem cap. 20. πίστις, inquit, ἄεργος καὶ ἔργον ἄπιστον τὸν αὐτὸν τρόπον ἀποδοκιμασθήσονται, id eſt, fides ſine opere, & opus ſine fide eodem modo improbabuntur. & cap. 21. ἀγαπῶν τὸν θεὸν, καὶ πιστεύων γνησίως, καὶ τὰ ἔργα τῆς πίστεως ἐπιτελεῖ ὁσίως, id eſt, qui diligit Deum, & credit ſyncerè, & non adulterinè, ſanctè facit opera fidei. ante igitur quàm fides bene operetur opera fidei, oportet vt habeat ſecum charitatem. & ſubiungit: ὁ δὲ πιστεύων μόνον, καὶ μὴ ὢν ἐν τῇ ἀγάπῃ, οὐδὲ αὐτὴν τὴν πίστιν, ἣν ἔχει, δοκεῖ ἔχειν, id eſt, qui credit ſolum, & non eſt in charitate, nec ipſam fidem, quam habet, habere videtur. huiuſmodi eſt fides ſola Illyricianorum, & Philippicorum, quam à charitate ſeparant in iuſtificatione: aut ſi non ſeparant, cur ſolam vocant? aut ſi placet vocare ſolam, vt in quibuſdam patribus legerunt, cur nolunt dicere ſolam fidem perfectam iuſtificare, ſicut illi intellexerunt? concludit poſtea idem Diadochus Pauli ſententiam, inquiẽs, maxima virtutum eſt fides, quæ in actione per charitatem ponitur; paſſiuè enim omnino accipiendum eſt hic illud participium ἐνεργουμένη ratione Græcanicæ conſtructionis, vt in dogmatico de iuſtificatione multis exemplis ſcripturæ S. à me demonſtratum eſt. Denique, ſicut pœnitentia ex fide tanquam ex principio naſcitur, niſi enim quis credat offendi Deum peccatis, & peccata puniri, non pœnitebit, ita pœnitentia fundamentum eſt fidei perfectæ. perfecta enim fides in Iudæo, aut Gentili eſſe non poteſt, niſi prius ſit pœnitẽtia; vtrumque tradit & docet Clemens Alexan. in lib. 2. ſtrom. in quo multa feruntur, quæ doctrinam falſam Confeſſioniſtarum de fide & fiducia, magna auctoritate redarguunt.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ calumniam Confeſſioniſtarum redarguit, cùm tradunt, nos noſtra opera, virtutes, & merita addere Chriſto, quaſi debita menſura iuſtitiæ, ac pretium ſalutis noſtræ illis expleatur, ſic enim ad verbum ait confeſſio Antuerp. at nos non ſic dicimus, ſed quod Apoſtolica doctrina docet, profitemur, ſcilicet neceſſe eſſe, vt nos paſſiones Chriſti imitemur, non quia ille indigeat noſtris paſſionibus & operibus, ſed quia nos indigemus miſericordia eius, quam niſi compatiamur, & operemur, aſſequi non poſſumus. itaque non propter illius indigentiam, ſed propter noſtram vtilitatem patimur: in quo ita humiles nos eſſe oportet, vt quamuis multum pati, & operari videamur, ſemper tamen ipſi inutiles nobis eſſe videamur. Ac Paulus quidem cùm ait, adiutores Dei ſumus, non ſic ait, quaſi Deus adiutorio noſtro indigeat, ſed quia nos indigemus noſtra cooperatione. hic Illyricus cùm nihil Tiletano reſpondere poſſet, finxit, teſtari epiſtolam ad Hebr. ſi ad plenum nos ſeruare Chriſtus poſſit, non neceſſe eſſe nos noſtris operibus iuſtificari, & pro peccatis noſtris ſatisfacere, ſed quomodo teſtaretur, non auſus eſt probare, ne ſeipſum magis redargueret, quàm ſua defenderet.

*3 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ planè docet contra Confeſſioniſtas, cui fidei tribuenda ſit iuſtificatio, & cui non. non enim dixit, ſolum requirit à nobis fidem, ſed ſolum fidem ſynceram, id eſt, non adulterinam, quam Apoſtolus vocat non fictam, eſt igitur aliquando fides adulterina, & non ſyncera, ſicut eſt etiam fiducia adulterina, & ſpes, illa ſcilicet quæ non nititur in charitate, quæ eſt plenitudo legis, qualis eſt fides mortua, & fiducia vana, & inanis ſpes illorum qui in euangelio dicunt, Domine, Domine, qui non intrabunt in regnum cælorum; nec enim ſine fide, ac fiducia, & ſpe aliqua dicunt Domine Domine, ſed adulterinis. neque nos quod Paulus ait gratis per fidem iuſtificari, in ſynecdochem transformamus, vt Philippus fingit in reſp. ad art. Bauar. inquiſ. cap. 23. quaſi dicamus, vt ille ait, fide præparamur ad iuſtitiam, vt poſtea alia re, ſcilicet aliis virtutibus ſimus iuſti coram Deo; ſed potius quod Paulus dicit, per fidem nos gratis iuſtificari, per fidem non adulterinam intelligendum eſt. tunc autem eſt fides iſta non adulterina, quando quæ credimus, & cui credimus, ſimul ſpiritu charitatis, quæ eſt vinculum perfectionis, amplectimur, ad hoc enim datur nobis hoc ſpeculum fidei, vt quæ per eum videmus, ſpiritualiter amemus, quæ eſt charitas: alioqui fruſtra eſt in nobis hoc ſpeculum. Sic enim Apoſtolus vocat, quem ſecutus Proclus Conſt. vnus ex numero patrum, qui conc. Conſt. poſt primum Nicænum interfuerunt, in oratione de fide, ſpe, & charitate: fides, inquit, eſt ſpeculum charitatis, charitas firmamentum fidei. Credimus, quòd verbum incarnatum eſt ἀπαθῶς, & amamus eum, qui propter nos formam ſerui accepit. Hæc Proclus. Quid ergo prodeſt credere, niſi amemus? at amare vt proprium eſt charitatis, ita non eſt cuiuſcunque fidei, ſed eius quæ per charitatem tanquam per ſuam formam perfecta eſt: quam fidem, vt dixi, γνησίαν, id eſt, ſynceram, ſiue non adulterinam vocat Apoſtolica doctrina: Confeſſioniſtę verò dum ſuam fidem nudam & ſolam, cui iuſtificationem tribuunt, ornare volunt, tribuere ei ſolent, quæ propria ſunt charitatis, omnia confundentes, vt Illyricus facit in defenſione Confeſſ. Antuerpienſ. contra Tiletanum cap. 6. in ſumma, inquit, ſemper Chriſtus ardens votum ac flagitationem opis ſuæ vocat fidem, & nunquam illam ſomnolentam aut merè ſpeculatiuam ſophiſtarum notitiam, quæ nihil planè agnito bono, aut Meſſia afficitur. conſiſtit ergo noſtra deſcriptio, quòd ſit fides mendicus quidam affectus opem Chriſti precario quærens. & paulo ſuprà dixerat de eadem fide, hic nimirum eſt ille affectus ardor, aut metus, quo meretrices, aut publicani præcurrunt ſanctulos Phariſæos in regno cælorum. at iſte ardor proprius eſt charitatis, & non ſolius & nudæ fidei, quæ ſecundum naturam ſuam tota eſt in intellectu, cuius eſt proprium aſſentiri iis quæ credit, & cui credit. qui quidem ardor quando in fide eſt, iam fides iſta non adulterina eſt, quia eſt cum charitate, cuius operatio eſt illud ardens votum, & ardens flagitatio opis diuinæ, immò omnium mandatorum Dei obedientia. fidem verò ſine charitate non ſolùm nos ſomnolentam, vt Illyricus vocat, ſed mortuam vocamus ſecundùm ſcripturam, quæ cum lampade in euangelio comparatur, quæ ſi oleum non habeat, ardere non poteſt, nec eſſe vtilis ad lucendum: ſic niſi ad fidem accedat charitatis, & operum miſericordiæ oleum, extincta eſt, & ad lumen iuſtitiæ admittendum in animam inutilis. vt ergo iuſtificet fides, ex charitate Dei dono hoc habet, ſicut lampas vt ardeat, & luceat, ab oleo mutuatur. Verùm hæc ideò Confeſſioniſtæ non intelligunt ita eſſe, quia nolunt ea credere: ſcriptum eſt enim in Eſa. de iis myſteriis, quæ ad ſalutem pertinent, niſi credideritis, non intelligetis. illud præterea dicendum eſt hic, quòd vt ſcire poſſumus vtrum fidem habeamus eorum, quæ credenda ſunt nobis, ita vtrum fidem non adulterinam ſed perfectam habeamus, id eſt, charitatem ſimul cum fide, ſcire non poſſumus. immò non magis expedit nobis, poſſe hoc ſcire, quàm expedit ſcire diem aduentus Domini, idque vt ſemper vigilemus, & ſine intermiſſione bene operemur. Qui autem ſcire volunt ſe eſſe in gratia Dei, qui ſemper catholicis dubitationem quaſi carnificinam, vt ipſi loquuntur, obiiciunt, nolunt hi eſſe in metu huius diei, quia ipſi ſciunt, an in gratia ſint, in qua eſſe poſſunt, vt ſibi temerè perſuaſerunt, ſimul ac dixerint credentes tantùm, & fiduciam neſcio quam habentes, Domine propitius eſto mihi peccatori.

RELINQVAMVS *ergo parentes, cognatos, amicos, vxorem, liberos, poſſeſſiones, & res omnes vitæ huius, ſi quid horum nobis ad pietatem obſtabit; deprecandum enim nobis eſt, vt non ingrediamur in tentationem: Sin verò ad martyrium accerſiti fuerimus, precandum, vt fortiter, & conſtanter honoratum nomen confiteamur. etſi hac de cauſſa puniamur, & cruciemur, lætemur tanquam ad immortalitatem properantes. Neque nouum, & inauditum nobis videatur, cùm nos inſequuntur: neue huius ſæculi amore capiamur, neq; laudibus hominum,*

neque magiſtratuum gloria & honore, vt quibuſdam Iudæis euenit, qui cùm opera Domini admirarentur, non tamen in eum crediderunt metu principum ſacerdotum, ac reliquorum magiſtratuum; dilexerũt enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei. Cùm verò bonam confeſſionem confitemur, non ſolùm nosipſi ſeruamus, ſed etiam recentes Chriſtianos confirmamus; & catechumeni vt credant, facimus. Sin verò aliquid de confeſſione remiſerimus, negata religione Dei ob animi mollitiem, & metu breuiſſimi ſupplicij, non ſolùm nos æterna gloria priuamus, ſed aliorum quoque interfectores erimus, & pœnas duplas ſoluemus, quòd negatione noſtra ſuſpicionem dederimus, eſſe doctrinam erroris veritatem, quæ à nobis aliquando glorioſè prædicata fuerit. Quocirca neque prompti ſimus ad obiiciendum nos periculis, Dominus enim dixit, orate, ne intretis in tentationem; ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma; neque rurſus, ſi inciderimus, metu confeſſionem maculemus, ac dedecoremus: ſi enim qui ſpem ſuam negauit, quæ eſt Ieſus filius Dei, à breui morte liberetur, cras verò in lecto in morbum celerrimum incidat ventris, aut ſtomachi, aut capitis, vel in aliquam ægritudinem inſanabilem, vt tabi, vel cancri, vel apoſtematis, vel inteſtini, vel aquæ intercutis, vel coli, & celeriter extremum actum peragat, & ex vita migret, nónne huius vitæ bona amiſerit, & ex illis cæleſtibus deciderit? immò verò æternum ſupplicium ſubierit profectus ad tenebras exteriores, vbi gemitus, & ſtridor dentium. At verò qui martyrio habitus eſt dignus, is lætitiam in Domino percipiat, quòd tantam coronam adeptus ſit, & quòd propter confeſſionem ex hac vita exeat; etſi catechumenus ſit, recedat ad Deum lætus; cruciatus enim, quo eſt propter Deum affectus, erit ei verior baptiſmus, quòd is quidem experientia ipſa mortis commoritur Chriſto, reliqui verò myſtica repręſentatione. lætetur ergo, quòd magiſtrum imitatur, ſiquidem iuſſum eſt, vt ſit vnuſquiſque perfectus, ſicut magiſter ſuus, at magiſter propter nos verberatus eſt, blaſphemias, & probra magna tolerantia pertulit, ſputis aſperſus eſt, colaphis & alapis cæſus, & poſt verbera cruci affixus, aceto & felle potatus, & conſummatis omnibus quæ ſcripta erant, dixit Deo, & patri, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Quamobrem qui optat eſſe illius diſcipulus, æmuletur illius certamina, imitetur illius patientiam; vt qui ſciat, etſi igne ab hominibus torreatur, nihil ſe tamen incommodi paſſurum, ſicut illi tres pueri; aut ſi quid patiatur, mercedem, & immortalem requiem à Deo accepturum, cui credit vni, et ſoli vero Deo, & patri per Chriſtum magnum pontificem, & redemptorem animarum, & certaminum remuneratorem, cui gloria in ſæcula, Amen.

CAP. VI. De reſurrectione variæ demõſtrationes, & de Sibylla, & quid Stoici de Phœnice aue.

IPSE enim nos excitabit à mortuis Deus omnipotens per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium ſuum ſecundum promiſſionem ſuam certiſſimam: excitabit, inquam, nos cum cæteris omnibus, quicunque à primordio ſæculi mortui ſunt, tales, quales modò ſumus, & in hac ipſa forma, qua nunc conſiſtimus, ita vt nihil mutilum aut mancum habeamus, aut corruptum; ſiquidem incorrupti, et integri reſurgemus. Siue enim in mari interierimus, ſiue per terram diſperſi ac diſiecti, ſiue à beſtiis, vel auibus diſcerpti fuerimus, excitabit nos ſua potentia, quia vniuerſum manu Dei continetur; capillus, inquit, de capite veſtro non peribit. Quare his verbis nos admonet, in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. De reſurrectione verò mortuorum, & de præmio, ac remuneratione martyrum ait Gabriël Danieli, & multi defunctorum ex terræ tumulo reſurgent, partim quidem ad vitam æternam, partim verò ad probrum & dedecus immortale; & qui intellexerunt, ſplendebunt ſicut ſol, & ſicut firmamentum, & ſtellæ. Sanctus igitur Gabriel ſanctos prædixit futuros eſſe ſplendidos inſtar aſtrorum, illos enim teſtatus eſt



eſt veritatem intellexiſſe, *1 ſacrumque ipſius Dei nomen. Neque verò martyribus ſolùm reſurrectionem promiſit, ſed omnibus hominibus tum iuſtis, tum iniuſtis, piis, & impiis, vt quiſque pro meritis ſuis ſoluat: Adducet enim, inquit, Deus omne factum in iudicium in omni neglecto, ſiue bonum ſit, ſiue malum. Hanc verò reſurrectionem cùm Iudæi non crederent, aiebant olim, oſſa noſtra aruerunt, periit ſpes noſtra. Quibus Deus cùm reſponderet, ecce ego, inquit, aperio ſepulchra veſtra, & educo vos ex eis, & dabo ſpiritum meum in vobis, & viuetis, & cognoſcetis, quod ego locutus ſum, & faciam. & per Eſaiam ait, reſurgent mortui, et exaltabuntur qui ſunt in monumẽtis, et lætabuntur qui in terra iacent in ſilẽtio; quoniã ros tuus illis eſt ſanatio. Multa itaq; alia de reſurrectione dicta ſunt; & de iuſtorũ immortalitate gloriæ plena, ac rurſus de impiorũ ſupplicio ruina, auerſione, damnatione, dedecore, igne ſempiterno, & verme immortali. Quòd ſi voluiſſet eſſe omnes homines immortales, facere quidem potuiſſet. Demonſtrauit hoc in Enoch, et Elia, quos noluit mortẽ experiri. Quòd potuiſſet item, ſi voluiſſet, mortuos excitare ſæculis ſuis, tum per ſe, tũ per alios nobis patefecit, cùm filiũ viduæ per Eliã reuocauit ad vitam, et filiũ Sunnamitidis per Eliſeũ. Credimus verò mortẽ eſſe non mercedem ſupplicij: ſiquidem & ſancti mortem ſubierunt, immò & ipſe ſanctorum Dominus Chriſtus vita fidelium, & reſurrectio mortuorum. Idcirco igitur quaſi in ciuitate aliqua magna verſantibus poſt cuiuſque certamen interitum corporis ad breue tempus infert, vt poſtea à morte excitatos, aut damnatos pronunciet, aut corona donet. Qui enim corpus Adæ ex terra fabricatus eſt, idem & Adæ corpus, et cæterorum poſt diſſolutionem reſurgere faciet; quòd hoc naturæ hominum rationis participi debeatur, viuere ſcilicet in ſempiternum. Qui igitur mortem infert, idem eſt reſurrectionis auctor; & qui dixit, accepit Deus puluerem ex terra, & formauit hominem, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem; item qui poſt obiectam obedientiam ſubiunxit, Terra es, & in terram ibis, idem etiam in poſterum promiſit nobis reditum ad vitam. Audient enim, inquit, omnes qui in monumentis ſunt vocem filij Dei, & qui audient, viuent. Credimus præterea reſurrectionem futuram vel ex ipſa reſurrectione Domini; ipſe enim eſt, qui & Lazarum iam quarto die mortuum ſuſcitauit, & filium Iairi, ac filium viduæ. Et qui ſeipſe iuſſu patris poſt triduum excitauit, qui eſt arrhabo reſurrectionis noſtræ, ego enim, inquit, ſum reſurrectio & vita; qui Ionam ex ventre ceti poſt tres dies viuum nullo incommodo læſum, extraxit; item pueros illos tres ex fornace Babylonia, & Danielem ex ore leonis, non indigebit viribus ad ſuſcitandum nos. Quòd ſi hoc gentilibus ludibrio eſt, qui ſcripturis noſtris non credunt, faciat eis fidem eorum prophetiſſa Sibylla, quæ cum illis loquitur his ipſis verbis:

At poſtquam in cinerem fuerint mortalia verſa,
Extinctusque Deo fuerit, quem incenderit, ignis,
Oſſa hominum, cineremque Deus reparabit, & orbem;
Conſtituetque homines iterum, velut antè fuerunt;
Ac tunc iudicium, quo cernet cuncta, futurum eſt.
Terra teget quoſcunque malus damnauerit error;
Qui bene vixerunt, hi viuent rurſus in orbe;
Spiritus his, & vita Deo donabitur, vnà &
Gratia: & aſpicient ſeſe, cernentque viciſſim.

*1 Hoc eſt, quod Domin⁹ Moyſi dixit, nomen ſuum eſſe, quod quidem magis quàm quoduis aliud ſubſtantiã Dei ſignificat, vt ait Greg. Nazianz. lib. 2. de filio, quódque verè eſt proprium ei⁹, vt idẽ ait, quod nulli ante ipſum, neque poſt ipſum cõuenit. quàm verò ſacrum ſit nomẽ hoc, ſapiẽtiſſimi & vetuſtiſſimi Hebręorum teſtantur, qui, vt idem quoq; Greg. teſtatur, nihil aliud eiſdem litteris ſcribi paſſi ſunt. nihil autem abſurdũ eſt, inquit Dionyſ. tãquam ex obſcuris & tenuibus imaginibus aſcendentes ad illã cauſſam omniũ, omnia in ea oculis ſpiritualibus cõtemplari. quod qui facit, cognoſcet cuncta eſſe vana pręterquã Deum timere, & mandata eius ſeruare, ſicut ait Eccl. atque is quidem ſacrũ nomen Dei, id eſt, verũ ens, intelliget. de hoc quoq; nomine loquitur Apoſtolica doctrina lib. 6. c. 19. cùm ait de lege, in qua propriũ nomen ferebatur. Redarguit hic Apoſtolica doctrina Simonẽ Magum, qui aiebat Deũ eſſe ignotum & ſine nomine. ꝙ enim dixit Eſaias in perſona Dei, Iſraël me nõ nouit, & popul⁹ nõ intellexit; non hoc dixit, quaſi alius Deus eſſet præter Deũ cognitum: quin potius Deum cognitum ignotum dixit Eſaias, quia populus ignorans iuſtitiam Dei cogniti, peccabat, exiſtimabatq; ſe non eſſe à Deo bono iudicandum: idcirco ſubiungit Eſa. Væ genti peccatrici. Hæc beatus Petrus diſputans cũ Simone Mago introducente Deum ignotum, bonũ, & non iuſtum, quę ad verbum ex hiſtoria Clementis in Latinũ tranſtuli. vt igitur propter peccata dixit Eſaias populum Iſraël non cognouiſſe, nec intellexiſſe Deum, beato Petro interprete; ſic propter ſanctitatẽ Apoſtolica doctrina interprete dixit Gabriel intellexiſſe illos, quos dicit futuros eſſe ſplendidos, intellexiſſe, inquam, Deum, quod eſt intelligere veritatem, & ſacrum Dei nomen.

ITAQVE hæc vates reſurrectionem confitetur, & renaſci non negat, diſcernit autem pios ab impiis; temerè igitur non credunt noſtra. Atqui *2 aiunt, ſpecialem etiam reſurrectionem ſe demonſtrare, qui alioqui ſuæ narrationi nõ credunt.

NARRANT enim auem quandam eſſe vnigenam, quæ reſurrectionem affatim demonſtret; hanc dicunt non maritari, & vnicè, atque ſolitariè gigni; Phœnicem vocant: qui etiam narrant, quingenteſimo quoquo anno in Ægyptum ad aram ſolis, quam vocant, cum multo cinnamomo, & caſia, ac xylobalſamo volare, & ſtantem ad orientem ſolem, vt aiunt, precari, & ſponte incendi, atque in cinerem redigi: ex cinere autem vermem renaſci, atque ex eo tepefacto formari nouam phœnicem, & cùm facta eſt volucris, ferri in Arabiam, quæ eſt vltra tractum Ægypti. Si ergo, vt ipſi aiunt, in aue rationis experte reſurrectio apparet, quid noſtra inaniter calumniantur? cùm confitemur, qui potuit, quod non erat, efficere vt eſſet, poſſe eundem poſt diſſolutionem ſuſcitare. Quia enim compertum & exploratum hoc habemus, idcirco & verbera, & mortes, & perſecutiones ſuſtinemus: ſiquidem fruſtra iſta ſufferremus, niſi hæc nobis conſtarent, quorum præcones eſſe profitemur. Vt igitur Moyſi credimus, cùm ait, in principio creauit Deus cælum, & terram, ac ſcimus quidem non fuiſſe illi opus materia, ſed ſola voluntate effeciſſe, quæ Chriſtus † iuſſus eſt facere, cælum dico, terram, mare, lumen, noctem, diem, ſtellas, aſtra, volucres, piſces, quadrupedes, ſerpentes, arbores, herbas; ad eundem quoque modum cũctos ſola voluntate ſuſcitabit nullo adiutore indigens: ad eandem enim poteſtatem pertinet mundi effectio, & mortuorum ſuſcitatio. Ac tunc quidem hominem, cùm non eſſet, effecit ex diuerſis; cui animam ex nihilo factam indidit, nunc verò diſſoluta corpora iis ipſis animis reddet; excitatio enim eorum eſt, quæ ceciderunt, & iacent; non autem eorum, quæ non ſunt. itaque qui prima corpora ex nihilo effecit, & ex ipſis corporibus varia fabricatus eſt, idem mortuos reuiuiſcere faciet eos excitando: Qui enim ex modico ſemine genitali hominem in vtero format, & animam quæ antè non erat, in eo creat, ſicut ipſe ait Hieremiæ, antequam te formarem in vtero, noui te; & aliàs, ego Dominus firmans cælum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in ipſo, idem vniuerſos homines à mortuis excitabit: quippe qui ſint effecta eius, ſicut diuina ſcriptura teſtatur, cùm ait Deus filio ſuo, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum, maſculum & feminam fecit eos. & diuinus ille atque inſigni tolerantia Iob, de quo ait ſcriptura, ſcriptum eſſe, *3 ipſum rurſus ſuſcitandum eſſe cum iis, cum quibus Dominus reſurgit, ſic Deo loquitur: An non ſicut lac me mulſiſti, & coëgiſti tanquam caſeum? pellem, & carnem induxiſti mihi, oſſibus & neruis compegiſti me, vitam & miſericordiam poſuiſti apud me. Viſitatio autem tua cuſtodiuit ſpiritum meum. Cùm hæc in me habeam, ſcio te omnia poſſe, nihilque eſſe, quod à te fieri non poſſit. Quocirca noſter quoque Saluator, et magiſter Ieſus Chriſtus ait, quod impoſſibile eſt apud homines, poſſibile eſt apud Deum. Dauid verò inquit, manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me, tu cògnouiſti formationem noſtram. & deinceps: Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuã, admirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, cõfortata eſt, & non potero ad eam. & rurſus, imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur. Immò Eſaias quoque ait deprecans eum, nos lutum, & tu formator noſter. Si igitur homo eſt à Deo per Chriſtum effectus, profectò poſt mortem quoque per eum reſurget, aut pro rectè factis coronandus, aut pro delictis puniendus. Si enim iuſtitia iudicat vt legiſlator, ſicut Deus impios pœnis afficit, ſic rurſus fideles benignè ſeruat, ſanctoſque, qui propter eum cæſi ſunt et iugulati, partim

*2 Stoicos ſignificat, vt in vetere ſcholio Græco notatũ reperi, de quibus Origenes libr. 5. contra Celſum poſt multa de reſurrectione: atqui Stoici, inquit, corruptũ omnino corpus affirmant ad priorem ſui redituram naturam, quia pro eorum ſentẽtia res ipſæ quandoq; ſint per cæli cõuerſiones priorib⁹ illis futuræ perſimiles, & ad eundem ſtatum, ex quo reſolutæ iam ſint, reuerſuræ.

*3 Notauit Origenes in epiſt. ad Africanũ pro hiſtoria Suſannæ, non legi hęc in Iob apud Hebræos, ac proinde nec apud Aquilam Hebræos ſecutum; legi tamẽ apud 70. & Theodotionem. Olympiodor⁹ quoque in comm. Iob. c. 42. eodemq; extremo, ſic affirmat reperiſſe ſcriptum in omnibus exemplaribus Græcis, quamuis, inquit, nonnulli adſcripta eſſe ab aliis exiſtimarent. Sic etiam in noſtris hodie exemplaribus ſcriptũ habemus. cõfirmat demũ hanc lectionẽ Apoſtolica doctrina. ſanctus igitur Iob vnus eſt ex iis, quos euãgelium Matthæi narrat reſurrexiſſe, poſtquã Chriſt⁹ reſurrexit, & egreſſos ex monumẽtis intraſſe in ſanctã ciuitatẽ: ſic enim legẽdum eſt per hyperbaton, vt cùm alij, tum ſanctus Epiphani⁹ cõtra Aeriũ notauit: illud verò, rurſus, ſumptũ eſt ex alio exemplari Græco manuſcripto, & ſic legũt apud 70. omnes interpretes, & ipſe Origenes. Significat autem, nõ ſolum ſuſcitãdum eſſe Iob in illa nouiſſima & generali omniũ reſurrectione, ſed iterum, & quidem pri⁹ ſuſcitandum fuiſſe, cùm Chriſt⁹ reſurgeret.



partim quidem tanquã aſtra claros, partim verò tanquã luminaria ſplendidos efficiet, vt Gabriel Danieli aiebat. Itaque fideles, qui ſumus omnes diſcipuli Chriſti, promiſſis eiuſdem fidem habemus; non enim, inquit, mentitur qui promiſit, ait nanq; Propheta, fidelis Deus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Qui enim corpus ſibi fabricauit ex virgine, idem eſt & cæterorum hominum auctor, & qui ſe à mortuis ſuſcitauit, idem mortuos omnes ſuſcitabit. Qui facit vt frumentum ex vno grano copioſè è terra fuſum, & arbor exciſa renaſcatur in ſurculum, & fecit vt virga Aaron iam ſicca reuireſceret, hic nos ſuſcitabit in gloria. Qui paralytico ſalutem & incolumitatem reſtituit, & eum, cuius manus exſiccata erat, ſanauit, & qui nato cæco oculos ex terra, ac ſaliua reddidit, idem nobis quoque vitam reſtituet. Qui panibus quinque, & duobus piſcibus quinq; milia ſatiauit, & fecit vt duodecim cophini ſuperarent, & qui aquam in vinum vertit, & ex ore piſcis ſtaterem per me Petrum miſit iis qui cenſum exigebant, hic idem mortuos quoque excitabit. Hæc enim nos de eo teſtificamur, Prophetæ verò alia, nos, inquam, qui cum eo comedimus, & bibimus, & ſpectatores fuimus mirabilium eius, & vitæ, & conuerſationis, & ſermonum, & paſſionum, & mortis, ac reſurrectionis ex mortuis; & qui cum eo quadraginta diebus poſt reditum ad vitam verſati ſumus, quique mandatum ab eo accepimus, vt euangelium per vniuerſum mundum prædicaremus, doceremusq; omnes gentes, ac baptizaremus in mortem eius in auctoritate Dei, qui pater eius eſt, & in teſtimonio ſpiritus ſancti, qui eſt paracletus. Hæc omnia docemus vos, quæ poſtquàm conſtituit, ac ſanxit, in conſpectu noſtro, in cælum aſſumptus eſt ad eum qui ipſum miſerat, quæ ſi credideritis, beati eritis; ſin autem non credideritis, nos innocẽtes reperiemur, & mundi à veſtra infidelitate.

CAP. VII. De Iacobo fratre Domini, & Stephano protomartyre.

DE martyribus verò præcipimus vobis, vt in *1 omni honore ſint apud vos, vt apud nos fuerunt Iacobus epiſcopus, & condiaconus noſter Stephanus, hos enim & Deus beatos fecit, & viri ſancti honorarunt, & fuerunt puri omnis delicti, & neque ad peccatum flecti, neque à virtute detorqueri potuerunt, quorum non ſunt dubiæ laudes, de quibus Dauid aiebat, pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius; & Salomon, memoria, inquit, iuſtorum cum laudibus: de quibus propheta, viri, inquit, iuſti tolluntur.

*1 Ecce Apoſtolica conſtitutio, quæ præcipit, in omni honore habere martyres contra Proteſtantes, qui impiè negant colendos eſſe ſanctos: eóſque cum Iuliano apoſtata homines mortuos vocant. cur autem colendi ſint docet Apoſtolica doctrina, quia hos, inquit, beatos fecit Deus: ergo cultura ſanctorum ſecundum Apoſtolicam doctrinam ad Dei gloriam pertinet, ſiquidem ideò colendi ſunt, quia Deus fecit eos beatos: ac rurſus colendi ſunt, quia eos coluerunt, & honorarunt viri ſtudio diuini cultus dediti. Hos enim vocat Apoſtolica doctrina ὁσίους τοὺς περὶ τὰ θεῖα ἐσπουδακότας. Sic Photius Conſt. verbum in Lexico ſuo interpretatur. iudicarunt ergo huiuſmodi viri diuini cultus ſtudioſi, ad ſtudium pietatis erga Deum pertinere cultum ſanctorum. ſunt præterea colendi, quia, inquit, puri omnis delicti, & à virtute detorqueri non potuerunt: ergo cultus eorum benignitatem Dei commendat, qui eis ſanctitatem vitæ donauit. ſunt etiam colendi, quia non ſunt mortui, vt iſti eos vocant, ſed viuunt Deo. de iis enim ſcriptum eſt, pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius: vbi mortem vocat ſcriptura, vt Dionyſius in cæleſti Hier. cap. de communione interpretatur, conſummationem in ſanctitate. Si igitur in conſpectu Domini honorantur ſancti, & ei viuunt, Deus enim non eſt Deus mortuorum, ſed viuorum; Dominum igitur honorat, & colit, qui ſanctos colit, quos ille in conſpectu ſuo honorat: & contra hanc ſcripturam Apoſtolica doctrina interprete, faciunt, qui tradunt non eſſe ſanctos colendos. Præterea etiam, ſi Salomon de huiuſmodi ſanctis dixit eadem Apoſtolica doctrina interprete, memoria iuſtorum cum laudibus; ergo contra verbum Dei faciunt, qui ſanctorum memorias tradunt non eſſe cultu celebrandas, cultus enim ſanctorum laudatio eſt eorum ad gloriam Chriſti, qui eſt ſanctus ſanctorum pertinens. Denique ſi, de quibus propheta Eſa. cap. 57. dixit, viri iuſti tolluntur, id eſt, martyres, horum ait Salomon, habendam eſſe memoriam cum laudibus: ergo qui ſanctorum martyrum memorias docent non eſſe celebrandas, & colendas, contra verbum Dei docent. Ex his locis ſcripturæ ab Apoſtolica doctrina de honore & cultu ſanctorum citatis intelligere licet, cultum ſanctorum totum ſpectare ad religionem encomij, & laudis, non autem ad religionem latriæ, ſiue ſeruitutis, quæ ſoli Deo debetur: ad huiuſmodi cultum ſanctorum pertinet ſubſidij eorum inuocatio, cui teſtimonium perhibet verbum Dei; ſiquidem promittit beatus Petrus in epiſtola ſua 2. precaturum ſe poſt obitum ſuum pro iis ad quos ſcribit, vt in memoria habeant præcepta & monita ſua. quo enim alio modo, aut alia conditione daturus erat operam poſt obitum ſuum Petrus, vt ſuæ commonitionis meminiſſe haberent, id eſt, poſſent, (hoc enim ſignificat frequenter verbum Græcum ἔχειν) niſi precando Deum pro ipſis? Quomodo igitur non liceat precari à ſanctis poſt eorum obitum, quod ipſis licet polliceri, & præſtare nobis poſt mortem? aut ſi adhuc Confeſſioniſtæ orationes ſanctorum pro nobis in cælo negare pergant, explicent nobis, ſi poſſunt, qua alia via, aut ratione Petrus daturum ſe hanc operam poſt mortem polliceatur. Quod verò ait Philipp. in reſp. ad art. Bauar. inquiſit. 25. obſcurari teſtimonium diuinitatis per inuocationem ſanctorum, immò verò illuſtratur. etenim quia, ſicut ait propheta, pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius, & Deus eſt omnipotens, idcirco tribuit ſanctis ſuis, quos honorat, vt in diuinitate eius videant quicquid rerum noſtrarum, & voluntatum videre eos decet, & delectat, & nobis, & eccleſiæ vtile eſt; neque nos opera propria omnipotentiæ eis tribuimus, vt idem Philipp. impiè fingit. nec aliud eſt auxilium ab eis petere, quàm auxilium à Deo petere per ſubſidij eorum inuocationem, nec vnquam eccleſia aliter intellexit: neque nos in inuocatione ſanctorum interceſſionem ab auxilio, aut auxilium ab interceſſione, vt idem fingit, diſtinguimus. Sed hactenus ſcholion in locum Apoſtolicæ doctrinæ, quæ ſumma breuitate, & auctoritate omnes cauſſas cultus ſanctorum attigit.

Cap. viii.
De falſis martyribus.

Atqve hæc quidem dicta ſunt de veris Chriſti martyribus, non autem de falſis ac fictis, de quibus ait ſcriptura, nomen autem impiorum extinguitur, teſtis enim fidelis non mentitur; incendit autem mendacia teſtis iniuſtus. Qui enim in martyrio non fallaciter pro veritate exceſſit è vita, hic eſt verus teſtis, ac auctoritate dignus, in quibus ſanguine ſuo pro verbo pietatis decertauit.

Cap. ix.
Moralis admonitio, quòd oporteat fugere vanos & turpes ſermones, facetias, ebrietatem, laſciuiam, molitiem.

Monemvs autem vos fratres, & conſerui, vt fugiatis ſermonum vanitatem, & turpitudinem, facetias, ebrietates, laſciuias, fractos, & effeminatos motus, intemperatas ſaltationes cum dictis ſcurrilibus: ſiquidē neq; in Dominicis diebus, qui ſunt dies lætitiarum, permittimus vobis quicquam inhoneſtum aut loqui aut agere; ait enim in quodam loco ſcriptura, ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Oportet igitur, vt exultationes veſtræ cum metu, & tremore coniunctæ ſint; Chriſtianus enim idemque fidelis neque ethnicam cantilenam, neq; meretricium canticum eloqui debet, alioqui cōtinget ei, vt in cātilena diabolica *1 nomina idolorum memoret, & pro ſpiritu ſancto in eum ſubeat dæmon.

*1 Scribit Origenes lib. 1. & 5, contra Celſum, abſtinēdum eſſe ab omni vanitate nominum, & notionum, certandumque vſque ad mortem, nè Chriſtianus Deum appellet Iouem. Rurſus in homil. 20. in Ieſum Naue, ait, qui nobis cuſtodiendis præpoſiti ſunt, verbis ſcripturæ ſanctæ fieri ad adiuuandum nos fortiores, contra verò aduerſarias poteſtates, id eſt, dæmones debilitari. eadem ratione dicendum eſt, execrabilibus falſorum deorum nominibus adiuuari dæmones in nos. & Tertull. in libro de idololatria, licet nomina inania & conficta ſint, cùm tamen in ſuperſtitionem deducuntur, rapere ait ad ſe dæmonia, & omnem ſpiritum immundum per conſecrationis obligamentum, alioqui dæmonia nullum, inquit, nomen habent ſingulatim, ſed ibi nomina inueniunt, vbi & pignus. hinc intelligere licet, quòd quemadmodum canticum ethnicum in ſuperſtitionem deductum per conſecrationis obligamentum, vt ait Tertullianus, pignus efficitur diaboli, ſic cantilena hæretica licet ex verbis ſanctiſſimis ſcripturæ diuinæ compoſita ſit, ad hæreſim tamen deducta per hæreſis profeſſionem pignus diaboli efficitur, & dæmones potius quàm ſpiritum ſanctum conciliat. huiuſmodi eſt cantilena, in quam mutata eſt ab hæreticis, ſalue regina mater miſericordiæ, pro quo illi, ſalue rex æternæ miſericordiæ. Denique quicquid canunt hæretici, in quo Lutheri hæreſis memoretur, pignus diaboli eſt.

Cap. x.
Admonitio de fugiēdo ſcelere execrabili idololatriæ.

Interdictvm verò eſt iurare per ea, & eorum execrabilia nomina ore proferre, aut ea venerari, aut quaſi deos metuere; neque enim ſunt dij, ſed vel dæmones, vel opera per ludibrium facta. Ait enim Deus per Hieremiam de Iſraëlitis: Dereliquerunt me, & iurauerunt per eos qui non erant dij. & in eandem ſententiam: Auferam nomina idolorum ex ore eorum. & aliàs, ipſi me prouocauerunt in non diis, & irritauerunt in idolis eorum, ſunt autem hæc in omnibus ſcripturis à Domino Deo vetita.

Cap. xi.
Quòd nō liceat cantilenā ethnicam, aut meretriciam canere, aut per idolum iurare, impium enim eſſe hoc, & cognitioni Dei inimicum.

Neqve verò de idolis tantùm interdictum eſt, ſed etiam de luminaribus ſtatuentes, monent, nequis per ea iuret nec ea colat; ait enim, ne ſi videris ſolem, et lunam, & ſtellas, venerationem eis per errorem adhibeas. & alio loco, ſecundum vias gentium ne diſcatis, & à ſignis cæli ne metuatis: Aſtra enim & luminaria facta ſunt, vt luceant hominibus, non autem vt colantur; tametſi Iſraëlitæ prauitate morum pro creatore creaturam coluerunt, in quo auctorem rerum contumelia affecerunt, res verò ipſas pluſquàm debebant, admirati ſunt, nunc facientes vitulum, vt in eremo; nunc colentes Beelphegor, nunc Baal, & Thammus, & Aſtartem Sidoniam: & rurſus Moloch, & Chamos, aliquando ſolem, vt apud Ezechielem ſcriptum eſt, tum animantes ratione carentes, vt apud Ægyptios Apim, & hircum Mendeſium, & deos argenteos, atque aureos, vt in Iudæa. propter hæc omnia minabatur Dominus, cùm per Prophetam aiebat: Nunquid parum eſt hoc domui Iuda, facere execrabilia hæc, quæ fecerunt quia impleuerunt terram ſcelere, vt me irritarent? Ecce ipſi ſunt tanquam ſubſannantes: & ego faciam cum furore, non parcet oculus meus, neque ego miſerebor, cùm clamauerint in auribus meis voce magna, & non exaudiam eos. Videte chari fratres, quàm multa dicat Dominus aduerſus idolorum, & ſolis, & lunæ cultores: Quocirca oportet, vt homo Dei tanquam Chriſtianus neque per ſolem iuret, neque per lunam, neque per aſtra, neque per cælum, neque per terram, neque per vllum elementum, ſiue magnum, ſiue paruum. Etenim ſi magiſter noſter præcepit, vt neque per verū Deum iurare-



iuraremus, vt ſermo noſter firmior credibiliorque ipſo iureiurando haberetur, neque per cælum ipſum, quia id genus iurandi ad impietatem gentilium pertineat, neque per Hieruſalem, aut ſancta Dei, aut altare, aut donum, aut templi inaurationem, aut per ſuum caput, quòd ſit hæc Iudæorum corrupta conſuetudo, & idcirco interdicta: præcipit autem fidelibus, vt dicant, eſt eſt, non non, vt quod amplius his eſt, à malo eſſe dicat; quanto magis rei ſunt, qui iurant per mentita, & falſi nominis, tanquam iuriſiurandi religionem contineant, & qui ea, quæ *1 cogitatione ficta ſunt, pro veris honore & gloria afficiunt, quos tradidit Deus propter improbitatem flagitioſam in *2 prauum conſilium faciendi quæ non oportet.

*1 Ecce rurſus Apoſtolica doctrina in Confeſſioniſtas, qui ad præceptum de non habendis diis alienis cultum ſanctarum imaginum impia ignorantia pertinere tradunt. at Apoſtolica doctrina nunquam imagines nominat, cùm de falſo cultu vitando tradit, ne occaſio labendi in errorem ab vllo capiatur. Solum cultum deorum falſorum exagitat: & ne in verbo idoli calumniarentur hoſtes imaginum ſanctarum, vim verbi expreſſit, & quod Paulus dixit, idolum nihil eſſe in mundo, interpretatus eſt, cùm ait, reos eſſe, qui ea, quæ cogitatione ficta ſunt, pro veris colunt. huiuſmodi enim ſunt idola, quæ cogitatione finguntur eſſe, quæ non ſunt, quæ Apoſtolica doctrina vocat τὰ νομιζόμενα. at in imaginibus ſanctorum nihil fictum eſt: nam & ſancti veri ſunt, & propter ſanctitatem cultu laudis digni, & viuunt Deo, & imagines veræ ſunt eorum imagines, ac vera in eis ſanctorum repræſentatio. Vnde & earum cultus non ligni, aut chartæ eſt, aut picturæ, aut alterius materiæ, ſed ſanctorum cultus eſt, quia imago, & prototypum vnum ſunt, non quidem propriè, id eſt, natura, & re ipſa, ſed τῇ σχέσει, id eſt, habitudine, ſiue relatione.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina interpres loci Pauli in epiſtola ad Rom. propter quod tradidit illos Deus in reprobum ſenſum; quod Martinus Lutherus citat in art. 36. Reſol. ad negandum liberum arbitrium, quaſi non ſit in poteſtate iſtorum, qui traditi ſunt à Deo in reprobum ſenſum, non facere ea quæ faciūt. Sed redarguit Martinum idem Apoſtolus interprete Apoſtolica doctrina, quæ ἀδόκιμον νοῦν, quem Paulus dicit, id eſt, ſenſum reprobum, ſiue mentem reprobam, vocat ἀβουλίαν, id eſt, prauum conſilium, quod non poteſt eſſe, vbi non eſt voluntas libera: ſicut εὐβουλία, quæ contraria eſt ἀβουλίας, eſt ὀρθότης βουλῆς, vt ait Philoſophus, dicamus nos rectum conſilium: conſilium autem ſiue rectum, ſiue prauum, non cadit niſi in ea quæ ſunt in noſtra poteſtate, vt idem Philoſophus docet: nec eſſe poteſt, niſi in eo, qui conſultat; qui autem conſultat, quærit, & ratiocinatur, quæ non conueniunt niſi in eum, cui eſt poteſtas eligendi. Andronicus in libro περὶ παθῶν εὐβουλίαν definit ἐπιστήμην τῶν ἡμῖν συμφερόντων, id eſt, ſcientiam eorum, quæ nobis conducunt. Similiter licebit definire ἀβουλίαν, inconſultam & inconſideratam rationem eorum quæ nobis conducunt. in hanc traduntur homines aliquando vitio peruerſæ ſuæ voluntatis.

Cap. xii.
Catalogus dierū Domini feſtorum, quos obſeruare oportet: & quādo ſint celebrādi: & de Quadrageſima.

Dies feſtos agitate fratres, ac primum quidem diem Natalis, qui vigeſimoquinto die menſis noni celebretur. Poſt hunc dies Epiphaniæ in maximo honore ſit, in quo Dominus diuinitatem ſuam nobis patefecit; is verò dies ſit ſextus menſis decimi: poſt quos dies ſeruandum vobis eſt *1 ieiunium Quadrageſimæ, quod vitæ Chriſti, & legis latæ recordationem continet. Celebretur verò ieiunium hoc ante ieiunium Paſchæ, incipiens quidem à ſecunda feria, deſinens verò in ſextam. Deinde dimiſſo ieiunio, incipite ſanctam hebdomadam Paſchæ, ieiunateque omnes cum timore & tremore, facientes per eos dies precationem pro pereuntibus.

*1 Ecce Apoſtolica doctrina & conſtitutio de ieiunio Quadrageſimæ ſuſcipiendo, quod memoriam continet vitæ Chriſti, & euangelicæ legis lationis. prædicaturus enim euangelium Dominus, ieiunauit prius 40. diebus, & 40. noctibus: quod ieiunium qui negant nobis indictum eſſe, vt Proteſtantes, nolunt vitæ eius, & legis lationis memoriam habere; ſicuti non vult memoriam paſſionis Chriſti habere, qui non vult ſequi veſtigia eius, & compati, vt conglorificetur. vt enim Chriſtus paſſus eſt, vt ſequamur veſtigia eius, ſicut B. Petrus ait; ſic quoque 40. dieb⁹, & 40. noctibus ieiunauit, vt nos ieiunium eius imitaremur ieiunando, orando, abſtinendo ab omni opere malo, & omnibus ad exemplum vitę Chriſti benefaciendo. Vnde beatus Ignatius in epiſtola ad Philipp. Quadrageſimam, inquit, ne contemnatis, quia imitationem continet vitæ Chriſti. explanauit, quod Apoſtolica doctrina dixit, memoriam continere vitæ Chriſti ieiunium Quadrageſimæ, ſcilicet quia ad exemplum, & imitationem Chriſti totidem dies nos ieiunare, quicunque poſſumus, debemus; hoc enim eſt meminiſſe ἱστορῶς vitæ Chriſti, imitari illam. condemnat igitur Apoſtolica doctrina, & Ignatij apoſtolici auctoris interpretatio, quod Nicolaus Selneccerus Confeſſioniſta in Analecto ſuo tract. 3. de ieiunio ait, Chriſtus nobis exemplum non præbuit, quod imitari non poſſumus. immò ſic imitari poſſumus ieiunium eius, ſicut paſſionem, non enim ieiunamus, vt ille, qui erat Deus, & homo, ſed ſecundum conditionem naturæ noſtræ, vt quiſque ferre poteſt. moderationem legis ieiunij, quam hodie eccleſia catholica ſeruat, ſicut per Apoſtolicæ conſtitutionis traditionem accepit, ante annos propè mille ducentos elegantiſſimis verſibus Prudentius noſter in hymno poſt ieiunium deſcripſit; legant Proteſtantes cum ſuo Selneccero, vt erubeſcant.

Cap. xiii.
De paſſione Domini, & quid in ſingulis diebus actum eſt in paſſione, & de Iuda, & quòd non interfuit, cùm Dominus dedit diſcipulis myſteria.

Coepervnt enim conſultare contra Dominum feria ſecunda menſe primo, qui appellatur Xanthicos, & tertia feria durauit conſultatio, quarta verò decreuerunt cruce eum occidere.

Ac Iudas qui hoc intellexerat diu quidem antè deprauatus, ſed tunc à diabolo auaritia ictus, quamuis iamdiu cura crumenæ commiſſa ei erat, & quæ pauperum erant, furabatur, non eſt à Domino eiectus ob nimiam eius patientiam. quin potiùs nobis vnà cum eo accubantibus, cùm vellet eum corrigere, ac nos de ſua illius præcognitione erudire, dixit: Amen dico vobis, vnus ex vobis tradet me. & cùm ſinguli diceremus, nunquid ego? ſileretque Dominus, ſurrexi ego vnus ex duodecim, quem ille magis amabat, & recumbens in ſinum eius, rogabam ſuppliciter, vt diceret quis nam eſſet qui eum proditurus erat: & ne ſic quidem bonus


Domi-

*Dominus illius nomen dixit; Domino tamen ſigna proditoris dedit, alterum quidem cùm dixit, Qui intingit mecum manum in catino; alterum verò, cùm dixit, cui ego intinctum panem dedero. immò quamuis ipſe ille Iudas diceret, nunquid ego ſum Rabbi? non reſpondit Dominus, etiam; ſed illud, Tu dixiſti: & cùm vellet metum illi in ea re afferre, væ, inquit, homini illi, per quem filius hominis traditur: bonum illi eſſet, ſi natus non fuiſſet. His auditis digreſſus inde, dixit ſacerdotibus, Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? illi autem ſtatuerunt illi triginta argenteos, & impleta eſt ſcriptura, quæ dicit, & acceperunt argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Iſraël, et dederunt eos in domum figuli. Ac quinta feria cùm comediſſemus apud eum in Paſcha, & ille manum intinxiſſet in catino, & panem accepiſſet, egreſſusque eſſet nocte, dixit nobis Dominus, venit hora, vt diſpergamini, & me ſolum relinquatis. & cùm vnuſquiſque eorum aſſeueraret, ſe non eſſe relicturum, cumque ego Petrus cum eo etiam me eſſe moriturum promitterem, dixit, Amen dico tibi priuſquã gallus cantet, ter negabis noſſe me.*

CVM *autem tradidiſſet nobis † antypa myſteria pretioſi corporis, & ſanguinis ſui † abſente Iuda, egreſſus eſt in montem Oliueti prope torrentem Cedron, vbi erat hortus: eramus autem nos cum eo, & diximus hymnum, vt erat conſuetudo; ille verò à nobis remotus, prolixè precabatur his verbis: Pater transfer à me calicem, verumtamen non mea voluntas fiat, ſed tua. & hoc cùm feciſſet tertiò, nóſque præ triſtitia in ſomnum decidiſſemus, venit ad nos, & ait: Appropinquauit hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum; & ecce Iudas, ac cum ipſo turba multa impiorum, datque eis ſignum proditionis deoſculationem fraudulentam. illi verò accepto ſigno comprehenderunt Dominum, & duxerunt vinctum ad ædes † Caiphæ ſummi ſacerdotis, vbi non quidem populus coierat, ſed turba, vbi non erat ſacrum concilium, ſed cœtus ſceleratorum, & ſenatus impiorum. Ita verò multis contumeliis eum affecerunt, vt nullum genus contumeliæ prætermitterent, non ſputa, non dicta amarulenta, non verbera, non pugnos, non conuicia; tentabant; diuinationes loco prophetiæ requirebant, appellabant ſimulatorem, blaſphemum, Moyſis præuaricatorem, euerſorem templi, ſacrificiorum abrogatorem, hoſtem Romanorum, aduerſarium Cæſaris. & cùm ad hunc modum vſque ad poſteri diei primum diluculum in eum debacchati eſſent, tauri illi & canes ducunt eum ad Annam Caiphæ ſocerum, ibi cùm eiſdem modis illum accepiſſent, eſſetque ſexta feria, tradiderunt præſidi Romanorum Pilato, multis & grauibus criminibus illatis, ex quibus nullum demonſtrare poterant: Quæ cùm Pilatus moleſtè ferret, dixit, ſe nullam in eo culpam reperire. Duobus verò falſis teſtibus inductis, voluerunt calumniari Dominum, ſed cùm diſcreparent inter ſe, cauſſam referunt ad crimen maieſtatis imminutæ, aiebant enim dixiſſe ſe regem eſſe, & prohibuiſſe pendere tributa Cæſari; erantque iidem accuſatores & iudices, & licentiæ ferendi ſententiam vſurpatores, aientes, crucifige, crucifige eum, vt impleretur quod ſcriptum erat in prophetis, congregati ſunt ſuper me teſtes, & mentita eſt iniquitas ſibi; & rurſus, circumdederunt me canes multi, & ſynagoga malignantium circumdedit me; & aliàs, facta eſt hæreditas mea mihi, tanquam leo in ſilua, dedit ſuper me vocem ſuam. igitur Pilatus cùm poteſtatem ſuam timiditate dedecoraſſet, ſeipſe redarguit, & de malitia conuicit, qui maluit blandiri vulgò, quàm ius ſeruare; & cùm illi teſtimonium innocentiæ præbuiſſet, tanquam nocentem tamen, & capitis reum ſupplicio crucis addixit, tametſi leges Romanorum, ne quis niſi conuictus necaretur, vetabant. Carnifices verò cùm prehendiſſent Dominum gloriæ, ligno crucis hora quidem ſexta affixerunt, hora verò tertia ſententiam contra eum*

*pronun-*



*pronunciatam acceperunt. Dederunt deinde acetum cum felle ad bibendum, tum veſtium facta ſortitio, poſtea duos maleficos cum eo vtrinque in crucem egerũt, vt impleretur quod ſcriptum eſt, dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. & rurſus, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtitum meum miſerunt ſortes. & aliàs, cum iniquis deputatus ſum. Poſtea fuerunt tenebræ à ſexta vſque ad nonam, & rurſus lux veſpere, ſicut ſcriptum eſt, non dies, & non nox, & ad veſperam erit lux. Quæ omnia cùm ſpectaſſent ſceleſti illi, qui cum eo erant in crucem acti, alter quidem eorum conuiciabatur, quaſi propter infirmitatem non poſſet ſibi ſubſidio eſſe; alter verò illius ignorantiam reprehendebat, & ad Dominum conuerſus, vtpote ab eo illuminatus, & cognito, quis eſſet, qui pateretur, orabat, vt ſui poſtea in regno meminiſſet: Dominus autem donata ſtatim obliuione præteritorum, introduxit eum in † paradiſum, vbi ei myſticis bonis fruendum eſſet. Qui circa horam nonam emiſſo clamore, dixit patri, † Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? & paulò † poſt: Cùm clamaſſet magna voce, pater remitte illis, non enim ſciunt quid faciunt; & cùm ſubiunxiſſet, in manus tuas Domine cõmendo ſpiritum meum, emiſit ſpiritum, & ſepultus eſt ante occaſum ſolis in ſepulchro nouo; illuceſcente verò vna ſabbatorum, excitatus à mortuis perduxit ad effectum quæ ante mortem ſuam nobis prædixerat, cùm aiebat, oportere filium hominis eſſe tribus diebus, & totidem noctibus in corde terræ. ac poſtquàm ſuſcitatus fuiſſet à mortuis, primùm quidem apparuit Mariæ Magdalenæ, & Mariæ Iacobi, deinde Cleophæ in via, & poſtea nobis diſcipulis ſuis fugientibus quidem propter metum Iudæorum, clam verò curioſè de eo indagantibus. hæc autem in euangelio ſcripta ſunt.*

CAP. XIIII. De magna hebdomada, & quare quarta, & ſexta feria iubent ieiunare.

ITAQVE *præcepit nobis ieiunare his ſex diebus, propter impietatem & ſcelus Iudæorum, hortatus ad deflendum & lamentandum interitum eorum, ſiquidem & ipſe illacrymatus eſt illis, quòd ignoraſſent tempus viſitationis. Quarta verò feria, & ſexta iuſſit nobis ieiunare, illa quidem propter proditionem, hac verò propter paſſionem; ieiunium verò ſoluere præcepit ſeptima die poſt gallicantum, ipſo autem ſabbato ieiunare, non quidem quòd ieiunandum ſit ſabbato, quod eſt requies Domini à mundi opificio, ſed quia illo tantùm ieiunãdum eſt, quo ipſe auctor mundi adhuc erat ſub terra. in ipſo enim die ſuo feſto Dominum comprehenderunt, vt perduceretur ad exitum, quod ſcriptum eſt, poſuerunt ſigna ſua ſigna, & in medio ſolemnitatis ſuæ non cognouerunt. Oportet igitur nos lugere eos, quòd cùm veniſſet Dominus, non crediderunt ei, ſed potius doctrinam eius reiecerunt; ſeque indignos ſalute, & conſeruatione iudicarunt. Vos igitur beati, qui aliquando non populus, nunc autem gens ſancta liberata ab errore idolorum, ignorantia, & impietate, qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem conſecuti *1 propter obedientiam cordis veſtri: vobis enim qui eſtis ex gentibus, aperta eſt ianua vitæ, qui aliquando non † amati, nunc autem dilecti, populus in acquiſitionem Dei poſitus, vt enarretis virtutes eius, de quibus Dominus dixit, inuentus ſum ab iis, qui me non quærebant, apparui iis qui me non interrogabant; dixi, ecce adſum genti quæ nomen meum non appellauit. Cùm enim non quæſiſſetis eum, tunc ab eo inquiſiti eſtis; & credentes in eum obediſtis vocationi eius, inſanum multorum deorum cultum relinquentes, & ad vnum verum principem, Deum præpotentem per Chriſtum confugientes, facti plenitudo numeri eorum qui ſalui fiunt, Millia millium, & decies millia centena millium; vt ſcriptum eſt in Dauid, cadent à latere tuo millia, & decem millia à dextris tuis: Iſraëli verò infideli dicit, tota die extendi manus meas populo non obedienti, & contradicenti, ambulantibus in via non bona, immò populo ſectanti peccata, & me coram irritanti.*

*1 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ dogma Proteſtantium cõdemnat, ſola fide apprehendi miſericordiam Dei in iuſtificatione; ſic enim tradit Philipp. in reſponſ. ad art. Bauar. inquiſ. 23. & rurſus ibidẽ, hæc fides, inquit, ſola miſericordia nititur propter mediatorem promiſſa. at Apoſt. doct. de iuſtificatis, miſericordiã, inquit, conſecuti propter obediẽtiam cordis veſtri: miſericordia igitur Dei non ſola

VIDETE

fide apprehenditur, ſed obedientia fidei. non enim idem eſt fides ſola, & obedientia fidei; neque fides quæ in iuſtificatione nititur in ſola miſericordia Dei propter mediatorem, fides ſola & nuda eſt, ſed perfecta fides, id eſt, fides cum obedientia. nec enim omnes qui credunt, obediunt fidei. Quare falſum quoque eſt, quod idem quoque ait art. 22. perſona iuſta eſt ſola fide propter mediatorem, deinde, inquit, placet obedientia. ſicut enim obedientia ſine fide nihil valet: ita fides ſine obedientia. fides enim ſine obedientia fides eſt, quæ nondum per dilectionem in actione eſt. huiuſmodi autem fides, vt Apoſtolus teſtatur, nihil valet.

**Cap. XV.** Enumeratio prędictionum Propheticarum de Chriſto, quas cũ Iudæi ad exitum alioqui perductas vidiſſent, tamen propter malum animum non crediderunt eſſe Chriſtum Dei; atque ita Dominum gloriæ ad crucem damnarunt.

VIDETE quemadmodum populus irritauit Dominum non credendo ei, idcirco ait, irritauerunt ſpiritum ſanctum, & conuerſus eſt eis in inimicitiam. cæcitate enim affecti ſunt propter malum animum ſuum; qui cùm Ieſum viderent, non crediderunt eſſe eum Chriſtum Dei ex ipſo natum ante omnia ſæcula, vnigenitum filium, verbum Deum, quem propter infidelitatem neq; ex factis eius, neque ex prophetiis de eo ſcriptis agnouerunt: Quòd enim ex virgine generandus eſſet, legebant illud, ecce virgo in vtero accipiet, et pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel. Quoniam puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius principatus ſuper humerum eius, & vocatur nomen eius magni conſilij angelus, admirabilis conſiliarius, Deus fortis, habens poteſtatem, princeps pacis, pater futuri ſæculi: Quòd verò futurum erat, vt propter nimiam malitiam non parerent ei, ait, Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? & in eandem ſententiam: Auditu audietis, & non intelligetis; videntes videbitis, & non ſcietis: incraſſatum eſt cor populi huius, quamobrem priuati ſunt cognitione, quia cùm aſpexiſſent, deſpexerunt, & cùm audiſſent, non obedierunt: Vobis verò ex gentibus oriundis datum eſt regnum, quoniam cùm non cognoſceretis Deum, per fidem prædicationis cognouiſtis, immò verò cogniti eſtis ab eo per Ieſum Saluatorem, & redemptorem eorum qui in eo ſpem ſuam collocant: Traducti enim à vana conſuetudine vitæ ſuperioris, & ſpretis idolis inanimis, ipſisque dæmonibus, qui in tenebris ſunt, abiectis, poſtquàm accurriſtis ad verum lumen, et per eum, vnum & ſolum verum Deum, & patrem agnouiſtis, facti eſtis hæredes regni eius. Baptizati enim in mortem Domini, & in reſurrectionem eius, tanquam infantes modò geniti debetis nulli peccato operam dare. non enim veſtri eſtis, ſed eius qui vos ſanguine ſuo emit. De illo enim quondam Iſraële, quia credere nolebat, aiebat Dominus, auferetur ei regnum, & dabitur genti facienti fructus eius; vobis ſcilicet, qui creditis, qui eratis aliquando longè ab eo alieni ac remoti, dedit regnum; & expectat grati animi fructus: Vos enim eſtis, qui aliquando miſſi eſtis ad vineam, & non obtemperaſtis, illi verò obtemperarunt; ſed vos poſtquàm pœnituit repugnaſſe, in ea nunc laboratis, illi verò pactiones ſuas moleſtè ferentes non ſolùm vineam incultam reliquerunt, ſed etiam procuratores Domini vineæ interfecerunt, alium quidem lapidibus, alium verò gladio; item alium ſecuerunt, alium in loco ſacro inter templum & altare occiderunt; poſtremò hæredem ipſum ex vinea eiectum necarunt; à quibus quidem tanquam lapis inutilis proiectus eſt, à vobis verò tanquam angularis ſuſceptus; idcirco de vobis dicit, populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.

**Cap. XVI.** Quomodo oporteat Paſcha celebrare.

OPORTET ergo fratres, vt qui pretioſo Chriſti ſanguine redempti eſtis, dies feſtos Paſchæ accuratè, & omni diligentia poſt æquinoctium celebretis; vt neque vnius paſſionis bis per annum memoriam renouetis, ſed potius ſemel quotannis, memoriam mortui item ſemel celebretis: neque amplius cum Iudæis tempus celebrandi Paſcha obſeruetis, nulla enim nobis nunc cum eis communitas eſt. falluntur nanque in ipſo etiam calculo, & ratiocinatione, quam exiſtimant ſe abſoluere, vt ex omni parte à veritate abſtracti ſint: Vos verò obſeruate diligenter conuerſionem verni æquinoctij, quæ incidit in vigeſimum † ſecundum diem menſis duodecimi, qui appellatur Dyſtros, & notate vſque ad vigeſimam primam lunam, ne in aliam hebdo-



hebdomadam incidat luna quartadecima, & per errorem bis vnoquoque anno Paſcha agitemus; aut diem reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti alio die, præter quàm Dominico tantùm, celebremus.

**Cap. XVII.** Conſtitutio de magna hebdomada Paſchæ.

IEIVNATE igitur diebus Paſchæ, incipientes à ſecunda feria vſque ad ſextam, & ſabbatum ſex diebus *1 pane tantùm, ſale, oleribus, & aqua menſæ adhibitis: Abſtinete his diebus vino, & carne, dies quippe luctus, & non feſti ſunt; ſexta tamen feria, & ſabbato ex toto manete ieiuni, qui ita firmis viribus eſtis, vt ferre poſſitis, nihil prorſus guſtantes vſque ad nocturnum gallicantum. Siquis verò propter imbecillitatem vtrumque diem coniungere non potuerit, ſaltem ſabbatum ſeruet, ait enim Dominus de ſe, quando ablatus fuerit eis ſponſus, tum ieiunabunt in diebus illis. His itaque diebus ablatus fuit nobis Dominus à Iudæis, quos ſic falſo vocant, & in crucem actus, & cum maleficis deputatus.

*1 Ecce Apoſtolica conſtitutio, quæ dogma Proteſtantium condemnat, cùm tradunt ieiunia non alligare cõſciẽtiam ad certum tempus, neque eſſe in eis delectum ciborum, ſed abſtinentiam à cibo. at hæc Apoſt. conſt. ieiunium magnæ hebdomadæ in pane tantùm, ſale, oleribus, & aqua proponit iis qui ferre poſſunt; ſuaſio enim eſt potius quàm lex. quod genus ieiunij vt facilius, ita & frequentius eſt in eccleſiis orientis vſque in hodiernum diem, etſi in eccleſiis quoque occidentis permulti in pane tantùm & aqua, his præſertim diebus, ieiunant: ſed his diebus à vino & carne abſtinere præcipit ſecundum conſuetudinem illis eccleſiis traditam; quæ conſuetudo à vino & carne in ieiuniis abſtinendi ibi primum cœpit, vnde prædicatio euangelij exiuit. vnde Cyrill. Hieroſol. deſcribens in 3. catecheſi ieiunium eccleſiæ Hieroſol. traditum, & rationem ieiunij explicans, cùm ieiunio, inquit, ſtudemus, à vino & carne nos abſtinemus, non quòd auerſemur, & abhorreamus, ſed quòd mercedem inde expectemus, vt contemnendo quæ ad ſenſus pertinent, ſpirituali menſa fruamur, & ſeminando nunc in lacrymis, futuro ſæculo in exultatione metamus. hinc licet intelligere, quòd Timotheus à vino, quamuis noceret, abſtinebat, ad religionem ieiunij ſancti pertinebat, & qua prudentia ſpirituali eum Apoſtolus monuit, vt vteretur modico vino propter ſtomachum, & frequentes infirmitates, eadem & nos ab iis, quibus noſtri cura eſt, ieiunio prohibemur, cùm nocet. falſo itaque Proteſtantium magiſtri ſcripturas contra delectum ciborum in ieiuniis ad decipiendos populos citant, quaſi nos aut tanquam ſuperſtitioſi, aut inhumani à cibis abſtineamus, ac non potius vt pij in Deum, & à S. Apoſtolis inſtituti: aut ſi nos contra ſcripturam facimus in delectu ciborum in ieiuniis, contra ſcripturam quoque faciebat Timotheus Pauli diſcipulus in delectu potus: & monendus erat, vt vteretur modico vino, non propter ſtomachum, ſed propter ſcripturam.

**Cap. XVIII.** De peruigilatione magni ſabbati, & de die reſurrectionis.

QVAMOBREM monemus vos, vt his diebus ieiuni maneatis vſque ad veſperam, ſicut & nos ieiuni manſimus, cùm ablatus fuit nobis; reliquis verò diebus ante ſextam feriam, edite hora *1 nona, aut veſpere, aut pro ratione virium, vt quis poteſt: ſabbato autem vſque ad gallicantum ieiunium producite, & illuceſcente vna ſabbatorum, qui eſt dies Dominicus, deſinite. peruigilantes à veſpera vſque ad gallicantum, & in eccleſia in vnum congregati, preces & ſupplicationes Deo in pernoctatione veſtra adhibentes: Item legẽ, prophetas, et pſalmos vſq; ad gallicantũ legentes, et catechumenos baptizantes; ac lecto euangelio in timore et tremore, et habito ad populum ſermone de iis quæ ad ſalutem pertinent, deponite luctum, & deprecamini Deum, vt conuertatur Iſraël, & locum pœnitentiæ accipiat, & veniam impietatis. Quoniam iudex quidem alienigena cùm manus lauaſſet, innocens, inquit, ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis; Iſraël verò inclamauit, inquiens, ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros: ac etiam cùm dixiſſet Pilatus, regem veſtrum crucifigam? ipſi inclamarunt non habere ſe regem niſi Cæſarem: & rurſus clamore edito, crucifige, inquiunt, crucifige eum; omnis enim qui ſe facit regem, contradicit Cæſari; & ſi hunc dimiſeris, non es amicus Cæſari. & Pilatus præſes, ac Herodes rex iuſſerunt in crucem tolli; perductumque eſt ad exitum, quod ſcriptum erat, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, et aduerſus Chriſtum eius; et proiecerunt dilectum inſtar cadaueris abominati, & ſexta feria in crucem acto, & luceſcente Dominico die à mortuis excitato, completa eſt ſcriptura, quæ aiebat, Reſurge Deus, & iudica terram, quoniam tu eris hæres in omnibus gentibus. & rurſus: nunc exurgam, dicit Dominus, ponam in ſalutari, cum fiducia agam in eo; & tu Domine miſerere mei, & ſuſcita me, & retribuam eis. idcirco igitur & vos excitato Domino à mortuis, facite *2 ſacrificium veſtrum, de quo vobis per nos conſtituit, inquiens, Hoc facite in meam commemorationem. Ac poſtea deponite ieiunium lætantes, & diem feſtum agentes, quoniam ſuſcitatus eſt à mortuis Ieſus Chriſtus pignus noſtræ reſurrectionis: & ſit hoc vobis le-

*1 Ecce præſcriptio certæ horæ ad ſumendum cibum in die ieiunij cõtra Proteſtãtes, qui ad laqueos conſcientię & ſeruitutem, aut ad ſuperſtitionem referunt, vt ex omni parte, & loco ieiunia noſtra, & eorum rationem & modum oppugnẽt: in quo bellũ quoq; cum maiorib9 ſuis, & primis gẽtis ſuæ eruditoribus gerũt.

*2 Ecce Apoſtolica conſtitutio, quæ Illyricũ redarguit, cùm in defenſione Confeſſ. Antuerp. ca. 15. de Miſſa reprehendens Tilet. quòd ſacrificium

*bis legitimum ſempiternum vſque ad conſummationem ſæculi, donec veniat Dominus. Dominus enim adhuc mortuus eſt Iudæis, Chriſtianis verò ſuſcitatus; illis quidem mortuus propter infidelitatem, his verò ſuſcitatus, quia certum exploratumque habent, quòd ſpes in eum collocata vita eſt immortalis, & ſempiterna. Poſt dies verò octo celebrate rurſus honore octauum diem, in quo me Thomam fecit nihil habere dubitationis, oſtenſis mihi veſtigiis clauorum, & vulnere lateris ex cuſpide lanceæ. Atque etiam rurſus numeratis quadraginta diebus à primo Dominico die, celebrate diem feſtum Aſſumptionis Domini, quo die abſoluta omni diſpenſatione, ac conſtitutione, aſcendit ad Deum, eundemque patrem ſuum, à quo miſſus fuerat; ad cuius dexteram virtutis ſedet expectãs, quoad inimici eius ſub pedibus eius poſiti ſint: Quique in conſummatione ſæculi veniet cum poteſtate, & gloria multa ad iudicandum viuos & mortuos, & ad retribuendum omnibus pro cuiuſque eorum factis; & tunc videbunt dilectum Dei filium, quem pupugerunt, & agnoſcentes eum plangent ſuper ſeipſos, tribus ad tribum, & mulieres eorum ſeorſum.*

probaret illis verbis, hoc facite in meam commemorationem, vnde, inquit, id probas, mi Tiletáne, aut quis tandem euãgeliſta id affirmat? reſpondeamus ergo ei pro Tiletano: en Apoſtolica doct. hoc affirmat, quæ ait, facite ſacrificium veſtrum; & ne interpretari poſſet Philipp. aut Illyric⁹ de orationibus adiunctis cœnæ, explicauit, quod ſacrificiũ diceret, ſubiungens in perſona Apoſtolorum, de quo vobis per nos conſtituit, inquiens, hoc facite in meam commemorationem, facite inquam ſacrificium veſtrum, de quo ſcilicet ſacrificio conſtituit vobis Dominus per nos, inquiens, hoc ſcilicet ſacrificium facite, &c. nõ potuit conſtitutio Apoſt. clariùs affirmaré, quod Illyricus quærebat rogando, quis tandem euangeliſta hoc affirmaret. Deinde quod ait Apoſtolica doct. de quo vobis per nos conſtituit, hoc dixit Apoſtol. ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. quod perinde eſt, quaſi diceret: hoc Dominus vobis per me, qui ab eo accepi, conſtituit. Deinde poſtquàm de hoc, quod à Domino accepit, Corinthios docuerat, & quemadmodum dignè communicare deberent, & quid ad hoc facere oporteret, cætera, inquit, cùm venero, diſponam. eodem verbo Græco vſus eſt, quo hic Apoſtol. conſtit. διατάξομαι. ſignificat enim totam diſpoſitionem, ſiue conſtitutionem celebrationis huius myſterij, quæ Miſſa dicitur. Præterea irridet Illyricus rationem Tiletani pro ſacrificio, quòd ſicut agnus Paſchalis non ſolum comeſus eſt, ſed etiam oblatus; ſic & nouum agnum offerri oportuit. at Apoſtolica doct. ſignificans agnum illum veterem figuram fuiſſe agni huius myſtici, qui in altari immolatur, & intuẽs in illud, quod in Exo. ſcriptum eſt c. 12. ſeruabitis hoc legitimum tibi, & filiis tuis vſque in ſæculum; ſimiliter dicit hic de agno altaris noſtri, & ſit hoc vobis legitimum ſempiternum vſque ad conſummationem ſæculi, donec veniat. hoc enim eſt quod Apoſtolus à Domino dictum accepit, quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. figura ergo agni veteris non ſolum impleta eſt, vt Illyricus cum reliquis Confeſſioniſtis falſo docet, in ſacrificio crucis, ſicut ait Ioan. vt ſcriptura impleretur, os non comminuetis ex eo; ſed in ſacrificio cœnæ. vnum enim, & idem ſacrificium eſt in cruce quidem per effuſionem ſanguinis factum; in cœna verò ſine effuſione. idcirco non potuit impleri figura in paſſione, quin ſimul impleretur in cœna: quod ſatis docet Apoſtolus cùm ait 1. Cor. 5. etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: quod inſipienter Illyricus de paſſione interpretatur, Paſcha enim lætabile eſt, & non lamentabile; Chriſtus autem non eſt immolatus cum lætitia Chriſtianorum in cruce, ſed in cœna. quare non dicit Apoſtolus, Paſcha noſtrũ immolatus eſt Chriſtus, de immolatione cruenta, & flebili in cruce facta, ſed de illa, quæ feſtiuè facta eſt in cœna ſub ſpecie azymi, de quo opportunè ibidem meminit idem Apoſt. cùm hortans ad dignè celebrandum hoc myſticum Paſcha myſticè immolatum, ſubiungit: itaque epulemur in azymis ſinceritatis, & veritatis. rem verbo Græco ἑορτάζωμεν ſubiectam expreſſit vetus interpres, ſiquidem ad agitationem feſti Paſchalis pertinet epulum ex agno myſtico, id eſt, ſacra communio. Sed quo magis credat Illyricus, niſi decreuit in errore ſuo obſtinatè perſeuerare, non ego primus locum Apoſtoli ſic intellexi, aut interpretatus ſum, ſed ante me beatus Chryſoſt. ſic enim ait in homilia de ieiunio primi Paſchæ: Paſcha non eſt ieiunium, ſed ἡ θυσία ἡ καθ' ἑκάστην γινομένη σύναξιν, id eſt, ſed ſacrificium, quod fit in vnaquaque ſynaxe: conuentum fidelium ad Miſſam vocat ſynaxim. deinde ſubiungit, ſicut Apoſt. ait, Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, & paulo pòſt, eadem, inquit, eſt hæc oblatio, quæ à nobis fit, atque illa quæ facta eſt à Chriſto in illo feſto. καὶ οὐδὲν ἐκείνη θυσία ταύτης σεμνοτέρα, οὐδ' αὕτη ἐκείνης εὐτελεστέρα, ἀλλὰ μία καὶ ἡ αὐτὴ ὁμοίως φρικτὴ, καὶ σωτήριος, id eſt, & nec illud ſacrificium hoc venerabilius, nec hoc illo vilius: quin potiùs vnum, & idem ſimiliter metuendum, & ſimiliter ſalutare. Scilicet eruditior eſt in ſcripturis S. Illyricus, aut in vita ſanctior quàm Chryſoſtomus, vt ei potius credendum ſit.

CAP. XIX. Prædictiones Propheticæ de Chriſto Ieſu.

*SIQVIDEM & nunc decimo die menſis noni, quem Gorpiæum vocant, Iudæi in vnum locũ congregati lamentationes Hieremiæ legunt, in quibus ſcriptum eſt, ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus: comprehenſus eſt in corruptionibus eorum. item Baruch, in quo ſcriptum eſt: Hic Deus noſter, non reputabitur alius ad eum, inuenit omnem viam ſcientiæ, et dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſibi. Poſt hoc, in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Ac cùm legunt, lamentantur cum plangore, opinione quidem ſua deuaſtationem à Nabuchodonoſor factam, veritate tamen exordium faciunt nolentes luctus & fletus futuri. Poſt decimum verò diem ab aſcenſione, qui eſt Pentecoſte, id eſt, à prima Dominica quinquageſimus, ſit vobis maximè feſtus; tunc enim hora tertia miſit nobis Dominus donum ſpiritus ſancti, & repleti ſumus eius operatione, & nouis linguis locuti ſumus, vt ille nobis aſpirabat; & prædicauimus Iudæis, ac gentibus, illum eſſe Chriſtum Dei, decretum ab eo iudicem viuorum, ac mortuorum. Hoc Moyſes teſtabatur, cùm aiebat, accepit Dominus à Domino ignem, & ſulfur, & pluit. Hunc vidit Iacob tanquam hominem, cùm dixit, vidi Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Hunc Abraham hoſpitio exceptum iudicem, ac Dominum ſuum confitebatur. Hunc in rubo vidit Moyſes, de hoc aiebat in Deuteronomio,*



*Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus ex fratribus veſtris tanquam me, ipſum audietis in omnibus, quæcunque vobis loquatur; & erit, omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, delebitur de populo ſuo. Hunc vidit Ieſus filius Naue ducem exercitus Domini armatum, ſubſidio venientem in bellum Hierichuntinum, quem humi ſtratus, vt ſeruus dominum veneratus eſt. Hunc cùm vidiſſet Samuel Chriſtum Dei, ſacerdotes, & reges Chriſtos appellauit. Hunc vidit Dauid, cùm canticum de eo cecinit, quod inſcripſit, Canticum pro dilecto; in quo ad eius perſonam refert, quod ait: Accinge gladium tuum ſuper femur tuum potentiſſime, ſpecie tua, & pulchritudine tua: et intende, & proſperè procede, & regna propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam; & deducet te mirabiliter dextera tua: Sagittæ tuæ acutæ potentiſſime, populi ſub te cadent in corde inimicorum Regis: propterea vnxit te Deus oleo exultationis præ participibus tuis. De eo etiam aiebat Salomon tanquam ex perſona ipſius Chriſti; Dominus creauit me principium viarum ſuarum in opera ſua: ante ſæculum fundauit me in principio, antequam terram faceret, antequam prodirent fontes aquarum, antequã montes firmarentur, ante omnes colles genuerat me. et rurſus, ſapientia, inquit, ædificauit ſibi domum. De eo aiebat Eſaias, egredietur virga ex radice Ieſſe; & flos ex radice aſcendet, & erit radix Ieſſe; & qui reſurget, vt ſit princeps gentium, in eo gentes ſperabunt. Item Zacharias, ecce Rex tuus venit iuſtus, ſaluans, ipſe mitis, & ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis. Hunc item Daniel dicit, eſſe filium hominis venientem ad patrem, & omnem iudicij poteſtatem, & omnem honorem ab eo accipientem, item lapidem ex monte ſine manibus exciſum, & factum ingentem montem, qui cunctam terram repleuit, dominatum multorum regum, & multitudinem deorum confringentem, vnum Deum prædicantem, & Romanorum* [*1] *monarchiam* † *eligentem. De hoc quoque Hieremias cùm vaticinaretur, aiebat: Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus comprehẽſus eſt in corruptionibus eorum, in cuius vmbra, diximus, viuemus in gentibus. & Ezechiel, ac reliqui deinceps Prophetæ vbique hunc eſſe Chriſtum Dominum, regem, iudicem, legiſlatorem, nuncium patris, vnigenitum Deum. Hunc igitur & nos prædicamus, & euangelizamus Deum verbum* † *miniſtrantem Deo ſuo, eidemque patri in rerum omnium creatione. ſi hoc credideritis, viuetis; ſin verò non credideritis, pœnas dabitis: qui enim non credit Deo, non videbit vitam, & ira Dei manebit ſuper eum.*



*1 Ecce Apoſtolica doctrina, quę interpretatur ad conuincendos Proteſtantes, quando, & quomodo impletũ eſt quod angelus dixit virgini de Ieſu, Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius. hoc enim promiſerat Deus Dauid regi de filio Salomone, inquiens, & firmabo regnum eius, & ſtabiliam thronum eius vſque in ſempiternum. impletum eſt ergo hoc in regno eccleſiæ; hoc enim eſt regnum Chriſti non temporale, ſed ſpirituale; quia huius regni non ſolum in corpora eſt poteſtas, ſed in animas, quę eſt poteſtas de cælo data, ſicut ipſe Dominus Pilato dixit, regnum meum non eſt de hoc mundo. Hoc, inquam, eſt regnum, quod Chriſtus regnat in terris de cælo ſecundum humanitatem, in quod tranſtulit regnum Dauid terrenum. Hæc eſt monarchia Romanorum, id eſt, eccleſiæ catholicæ Romanæ, cuius fides, vt Apoſtolus teſtatus eſt, annunciatur in vniuerſo mundo: quam monarchiam elegit Chriſtus, vt hic Apoſt. doct. ait. Quòd ſi eccleſia catholica eſt monarchia Chriſti, quæ viſibilis eſt; ergo elegit Chriſtus in ea monarcham, qui eſſet quoque viſibilis: natura enim ipſa docet nos, quòd ſiquis in loco aliquo regnare vult, vbi non eſt per ſe verſaturus, neceſſe eſt, vt aliquem conſtituat, in quo, & per quem viſibiliter regnet. Chriſtus igitur quia noluit regnare viſibiliter in hoc regno, quia neque decebat, neceſſe fuit, vt eligeret, qui loco inuiſibilis monarchæ monarchiam viſibilem viſibiliter gereret: qui fuit primus beatus Petrus, cui commiſit, vt vniuerſas mundi oues paſceret, cùm ei dixit, paſce oues meas. Sic enim omnes interpretes & doctores ſancti, Græci & Latini, ſemper intellexerunt, & interpretati ſunt. nec vllũ vnquam veterem auctorem catholicum, qui aliter intelligeret, aut interpretaretur, Proteſtantiũ magiſtri & ſcriptores producere potuerunt, nec vnquam poterunt. Cura itaque omnium ouium, & poteſtas in eas monarchia eſt, & dicitur: & monarcha, qui huic curæ præeſt, & hanc poteſtatẽ à Chriſto monarcha inuiſibili & omnipotẽte accepit: quẽ qui negãt, hi quidem completã eſſe promiſſionem Dei factam Dauid regi, & per angelum virgini nunciatam, & denuo confirmatam de ſpirituali regno Chriſti in terra perpetuando, & in cælum tandem in æternum transferendo oſtendere non poſſunt, quia Chriſtum monarcham nunc non videmus in carne. Hinc beatus Epiphanius in hæreſi 29. contra Nazorços præclarè de hoc regno Chriſti differens, ad extremum, ſedet, inquit, ſuper thronum Dauid, cuius regnum tranſtulit, & ipſum vnà cum ſummo ſacerdotio ſeruis ſuis ſummis pontificibus eccleſiæ catholicæ largitus eſt. Quòd ſi de ſingulis epiſcopis interpretari volunt Proteſtantes, & hos vocari hîc ſummos pontifices, ac ſummos ſacerdotes, vt interdum vocari ſolent, nec ſic quidem poſſunt monarchiam ſubterfugere, etenim ſi quiſque epiſcopus in ſua diœceſi monarcha eſt, & tot ſunt monarchiæ, quot epiſcopatus, & epiſcopus Romanus aut non habet in eccleſias aliorum epiſcoporum poteſtatem, aut habet in ſingulas, ſed non in omnes ſimul, id eſt, non in vniuerſam eccleſiam, quæ ex ſingulis omnibus conſtat, non debuit dicere Apoſtolica doctr. elegiſſe Chriſtum monarchiam Romanorum, ſed polyarchiam: at non ſic dixit, ſed potius polyarchiam ait fregiſſe; & monarchiam conſtituiſſe. vbi enim non eſt monarchia, quid eſt aliud polyarchia, quàm corpus, vel potius monſtrum multorum capitum? Hinc quoque beatus Ambroſius lib. 2. de vocatione gentium cap. 6. ſic ait de hac monarchia eccleſiæ catholicæ Romanæ comparans eam cum monarchia illa terrena, & ethnica Romanorum, quam Deus non elegit: quamuis, inquit, gratia Chriſtiana non contenta ſit eoſdem limites habere, quos Roma, multoſq; e iam populorum ſceptro crucis Chriſti illa ſubdiderit, quos armis ſuis iſta non domuit. Deinde ſubiungit, quæ tamen Roma ſcilicet per

*eum. Itaque poſt celebratam Pentecoſten celebrate *2 hebdomadam vnam, & poſt illam ieiunate item vnam; æquum enim eſt tum lætitiam de dono Dei capere, tum poſt relaxationem corporis rurſus ieiunare; ſiquidem & Moyſes, & Elias quadraginta diebus ieiunarunt, & Daniel tribus hebdomadis dierum panem deſideriorum non comedit, & *3 caro ac vinum non ingreſſa ſunt in os eius. & beata Anna cum à Deo peteret Samuelem, vinum, inquit, & temetum non bibi, & effundam animam meam coram Domino. Item Niniuitæ facto ieiunio trium dierum, & totidem noctium impendens diuinæ iræ periculum effugerunt. Item Eſther & Mardochæus, & Iudith ieiunio facto malum, quod impij Holofernes, & Aman Iudæis moliebantur, declinarunt. & Dauid ait: Genua mea infirmata ſunt à ieiunio, & caro mea immutata eſt propter oleum. Igitur & vos quæ à Deo petitis, ieiunando petite. Poſt totam verò iſtam ieiunij hebdomadam præcipimus vobis quartis, & *4 ſextis feriis ieiunare; & quæ ex ieiunio vobis redundant, egentibus largiri. omni autem *5 ſabbato præter vnum, & cunctis Dominicis diebus conuentus eccleſiaſticos celebrantes, lætitia fruimini; reus enim peccati erit, qui Dominico die ieiunauerit, cùm ſit dies reſurrectionis; aut qui Pentecoſten; aut denique vllum diem Domini feſtum in mæſtitia egerit: lætari enim his diebus oportet, non autem lugere.*

Apoſtolici ſacerdotij principatũ amplior facta eſt arce religionis, quam ſolio poteſtatis. quã Apoſtolica doctrina vocat monarchiã Romanorum, & à Chriſto electã dicit: Ambroſi⁹ vocat principatũ Apoſtolici ſacerdotij, quo Romam dicit magis eſſe amplificatam ſecũdum religionem, quã ſecundum potẽtiam ſæculi. Tertullian⁹ quoque in libro ad Scapulũ, imperium Chriſtianorum, id eſt, monarchiam eccleſiæ catholicæ Romanę vocat imperiũ Romanum, quod tãdiu, inquit, ſtabit, quandiu ſæculum ſtabit. blaſphema ergo eſt Antuerpiẽſis Confeſſio, quæ cùm ait cap. 21. de magiſtratu, execrari ſe, quòd Papa omnes principes, reges, ac monarchas Chriſtianos ſibi ſubiecerit, non in Papam, ſed in Chriſtum blaſphemiam iacit, qui monarchiam Papæ in Petro elegit, cui primo eam dedit, & deinceps ſucceſſoribus eius. Cùm igitur eccleſiæ monarcha ſit Pont. Romanus à Chriſto electus, iure potuit velle, ſicut decebat, vt cauſſæ eccleſiaſticorum ad magiſtratus ſæculares non pertinerent, quod hæretici ad tyrannidem blaſphemè referunt. Vnde ſynodus Mileuitana cap. 19. meritò ſtatuit, vt quicunque clericus ab imperatore cognitionem iudiciorum publicorum peteret, honore priuaretur. ad quod decretum à Tiletano in Confeſſionem Antuerpienſem obiectum cùm Illyricus auctor, & patronus Confeſſionis reſpondere non poſſet, interpretatus eſt in ſua apologia ca. 21. publicum iudicium ſignificare controuerſiam de religione. quod eſt commentum ridiculum ſtudio elabendi confictum. vocat enim ſynodus cognitionem publicorum iudiciorum cognitionem iudicum ſæcularium. vt autem ſuum commentum probaret, addidit aliud: ſicut, inquit, paulò antè cap. 16. vult peti iudices, & executores ab imperatore. quod eſt merum mendacium. ſic enim ait ſynodus: placuit etiam, vt petatur à glorioſiſſimis imperatoribus, vt iubeant iudicibus dare petitos defenſores ſcholaſticos, qui in actu ſint, vel in officio defenſionum cauſſarum eccleſiaſticarum more ſacerdotum: aduocatos igitur peritos, & exercitatos in cauſſis eccleſiaſticis petit, non iudices, nec executores. erat enim tunc in eccleſiis Africanis huiuſmodi defenſorum, & aduocatorum inopia. Sic igitur iſte bellus plaſtographus ex aduocatis, & defenſoribus iudices, & executores fecit, vt quoquo modo poſſet, deciperet.

*2 Conſtitutio de celebranda vna hebdomade poſt diem Pentecoſtes, id eſt quinquageſimum, & de ieiunando altera proxima, de numero traditionum eſt, quas S. Epiphanius in epitome fidei catholicæ in deſcriptione characteris eccleſiæ catholicæ vocat traditiones non ex præcepto, ſed ex ſuſceptione voluntaria, quæ non ſunt in commune traditæ, vt ſynodus Gangrenſis dicit cap. 19. de ieiuniis, in commune traditis, id eſt, quæ ab omnibus ſunt ſeruanda.

*3 En ieiunium Apoſtolicæ conſtitutionis cum delectu ciborum, & præſcriptione temporis ad exemplum Danielis à vino, & carne abſtinentis tribus hebdomadis contra falſam doctrinam Proteſtantium, qui vtrumque negant, fingentes ad ſeruitutem legis pertinere, & cum libertate euangelij vtrumque pugnare. tradit etiam hic Apoſt. doct. valere ieiunium ad impetrandum à Deo iuſto optata, cùm ſubiungit: igitur & vos quę à Deo petitis, ieiunando petite. redarguit igitur hæc Apoſtolica doct. quod ait Illyricus in defenſ. Antuerp. Confeſſionis cap. 6. Niniuitarum quoque ille externus luctus, & ieiunium non meruit remiſſionem peccatorum, ſed indicium, inquit, fuit conuerſionis illorum: at Niniuitæ ideò ieiunarunt, vt peccata ſua vindicarent, & vindicando miſericordiam Dei conſequi mererentur, ſicut ſcriptum eſt; quòd ſi nos ipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. vt enim ait S. Epiphanius auctor in ſcripturis diuinis, & in Apoſtolicis traditionibus eruditiſſ. in epitome fidei eccleſiæ catholicæ, αἱ νηστεῖαι ὑπὲρ τῶν ἡμῶν ἁμαρτημάτων ἡμῖν ἐλλόγισοι θεῷ γίνονται, id eſt, habetur adeò bona ratio ieiuniorum pro peccatis noſtris, quomodo ſunt ἐλλόγισοι νηστεῖαι pro peccatis noſtris, id eſt, quomodo bene computantur nobis ieiunia pro peccatis noſtris à Deo, niſi quia propter ea remittit peccata Deus nobis? hic etiam conuincitur de falſitate, quod iidem Proteſtantium, & Confeſſioniſtarum magiſtri tradunt, non eſſe ieiunium ſuſcipiendum cum opinione cultus. ſic enim loquuntur: ieiunare enim pro peccatis noſtris, vt miſericordiam Dei exemplo Dauid obtineamus, ad cultum Dei facit, qui fide, & bonis operibus à nobis colendus, & honorandus eſt; hoc autem de ieiunio non ſuſcipiendo cum opinione cultus, quod poſtea ad omnia, quæ non ſunt verbo Dei mandata, pertinere voluerunt, ex canone 18. ſynodi Gangrenſis prauè intellecto hauſerunt, prohibet enim canon abſtinere à carne, quod fit in ieiunio, διὰ νομιζομένην ἄσκησιν, id eſt, propter exiſtimatam exercitationem. hoc autem Confeſſioniſtæ perinde eſſe putauerunt propter imperitiam ſermonis Græci, vt ſi diceret canon, propter opinionem cultus, cùm potius ſignificet, immò ſtatuat, licere quidem abſtinere à carne δι' ἄσκησιν, id eſt propter exercitationem, ſcilicet abſtinentiæ, ſicut canon Apoſtolorum L v. ſanxit: non tamen licere διὰ νομιζομένην ἄσκησιν, id eſt, propter exiſtimatam exercitationem, hæc enim ſimulata eſt, quæ putatur exercitatio abſtinentiæ, cùm non ſit; non enim propter abſtinentiam à carne abſtinet, aut ieiunat, qui ſic abſtinet & ieiunat, ſed quia carnem abominatur, quod canon Apoſt. L v. dixit, διὰ βδελυγίαν abſtinere, id eſt, propter abominationem.

*4 Ecce ieiunium feriæ ſextæ ab Apoſtolis in commune traditum omnibus eccleſiis, & ex præcepto vbique ſuſceptum, ieiunium dico imperfectum ſiue inchoatum, quo ſolùm abſtinemus à carne. Sic enim diſtinxit Ioannes Damaſc. duplex ieiunium in libro de ieiuniis ad Cometam: perfectũ verò ieiuniũ ſextæ feriæ liberum eſt. condemnat igitur hæc Apoſtolica traditio Lutheranos, qui ſexta feria non abſtinent à carne, vt eorum maiores. ſecundum diſciplinam Apoſtolicæ traditionis ſemper abſtinuerunt. ieiunium quartæ feriæ imperfectum, quo die cœpit Chriſti paſſio, quia eo die pactum fecit Iudas cum Iudæis de tradendo Chriſto, in eccleſiis orientis ex præcepto ſuſceptum eſt, in noſtris verò non eſt, etſi permulti voluntate ex deuotione ſua libera à carne abſtinent. verùm pro eo ieiunio ſimile ieiunium imperfectum ſiue inchoatum per abſtinentiam ab eſu carnis die ſabbati ex præcepto traditionis Apoſtolicæ in eccleſiis occidentis ſeruatur; ita enim viſum eſt à principio, vt illæ eccleſiæ initium paſſionis ieiunio quartæ feriæ, nos ſepulturam Domini ieiunio ſabbati pro noſtris peccatis honoraremus: ex qua varietate decorus in eccleſia Dei cultus exiſtit, & mutua in Domino gloriatio, & gratulatio, ſicut ſcriptum eſt, ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.

*5 Vt cultus ieiunandi ſabbatis abſtinendo tantùm à carne non eſt traditus εἰς τὸ κοινὸν iuxta canonem 19. ſynodi Gangrenſis, id eſt, in commune, vt ab omnibus tam in oriente, quàm in occidente, & vbique aliàs ſeruetur; ita neque cultus non ieiunandi ſabbatis, vno magnæ hebdomadæ excepto, traditus eſt à ſanctis Apoſtolis εἰς τὸ κοινὸν, id eſt, in commune, ſed eccleſiis orientis. quem ritum, & cultum defendit



defendit etiam beatus Auguſt. in epiſtola ad Caſſulanum contra Vrbicum eccleſias orientis accuſantem; quæ ſabbato non quidem Iudaicè, ſed alia ratione pia & religioſa à ieiunio abſtinent. defendit quoque Tertull. in Apologetico cap. 16. eundem ritum. traditus verò eſt hic ritus eccleſiis orientis tum propter Simonianos inde ortos, qui mundum, à cuius creatione ſabbato Deus requieuit, opus eius eſſe negabant: tum quia per ſpiritum iam tunc præcognoſcerent, futuros quoque eſſe in illis locis & regionibus hæreticos, alios Manichæos, Euſtathianos, Marcioniſtas, Lampetianos, & Meſſalianos, qui in Paphlagonia apparuerunt. hos enim ſcribit S. Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus, ſolitos ſecũdum dogma ſuum ſabbato, & Dominico die ieiunare διὰ νομιζομένην ἄσκησιν, quod ſynodus Gangrenſis c. 18. prohibet, id eſt, propter ſimulatam exercitationem abſtinentiæ; ieiunabant enim illis diebus ſimulatè in contumeliam reſurrectionis Chriſti, cui reſurrectioni à veſpera ſabbati, vt ait magnus Leo Pont. in epiſt. 81. ca. 1. initium conſtat aſcribi. Vnde in honorem reſurrectionis, quam à veſpera ſabbati eccleſiæ orientis celebrare incipiunt, traditionem acceperunt non ieiunandi ſabbato, non autem non laborandi. hanc vacationem à ieiunio ſabbatis in eccleſiis illis beatus quoque Ignatius in epiſt. ad Philipp. ad honorem, & cultum reſurrectionis Domini refert, vocat enim interfectorem Chriſti, qui ſabbato, & Dominico ieiunat; propter eandem cauſſam, id eſt, propter honorem reſurrectionis, ait beatus Damaſcenus in ſabbatis Quadrageſimæ ſolui legem pleni ieiunij, ſiue perfecti; ſolum enim abſtinetur in eccleſiis orientis à carne in illis ſabbatis.

# LIBER SEXTVS,

## De ſchiſmatibus, & hæreſibus.

**Cap. I.** Qui nã ſchiſma cùm feciſſent, ſupplicium non effugerunt.

*PRIMVM omnium cauete epiſcopi hæreſes, quæ horrendæ, & difficiles, & à Deo maximè auerſæ ſunt, eaſque fugite vt ignem, qui appropinquantes vrit. deinde fugite etiam ſchiſmata, nec enim fas eſt declinare mentem ad ſceleratas hæreſes, neque ab iis qui *1 vnum atque idem ſentiunt, ambitionis cauſſa ſeiungi atque diſtrahi. Hæc enim ſchiſmata cùm quidam olim tentare auſi eſſent, non tulerunt impune: nam Dathan, & Abiron, quia ſe Moyſi oppoſuerunt, demerſi ſunt; Core autem, & quinquaginta cum eo, quia ſeditionem in Aaron concitarunt, igne arſerunt. Maria, quia intulit Moyſi probrum, eiecta fuit ex caſtris diebus ſeptem, aiebat enim duxiſſe Moyſem vxorem Æthiopiſſam: immò & Ozias, qui Azarias quoque dictus eſt, Rex Iuda, quia auſus eſt in ſacerdotium, voluitque incendere thymiama, quod eum minimè decebat, cùm ab Azaria ſacerdote, & ab aliis octoginta ſacerdotibus arceretur, neque tamen pareret, facta eſt ei frons leproſa; egreſſuſque eſt præproperè, quòd eum Dominus detexiſſet.*

*1 Ecce doctrina Apoſt. quæ Proteſtantes de manifeſto ſchiſmate conuincit & condemnat, ipſi enim ſunt, qui ab iis, qui vnũ, & idem in eccleſia catholica inter ſe, & cum patrib⁹ eorum ſentiebant, & ſemper ſenſerũt, & adhuc ſentiunt, ſe diuulſerunt, menſam ritu nouo, & profano contra altare ſacrum, & apoſtolicum erigentes. nec hic ſubſtiterunt, ſed hæreſes in ſynodis ſanctorum patrum iam olim damnatas renouarunt, & ad ſchiſma adiunxerunt. excuſat Philippus in fine reſponſionis ad art. Bauar. inquiſit. ſchiſmatis crimen, quod eis catholici obiiciunt, terribile eſt, inquit, nomen ſchiſmatis: ſed huic crimini opponenda eſt hæc vera & neceſſaria, & firma conſolatio, mandatum Dei, fugite idola, anteferendum eſt publicæ concordiæ. quibus verbis à ſe ipſe redarguitur. mandatum enim Dei eſt, non eſſe faciendum in eccleſia ſchiſma. de quo mandato nec vllus dubitat, nec ipſi diſceptant: imagines verò noſtras ipſi ſoli idola eſſe contendunt, nos non habere eas vt deos, ac proinde non eſſe idola, teſtamur, & profitemur, ſed habere eas in honore & cultu, quo ſemper eccleſia catholica habuit, & habet, & eorum maiores ſemper habuerunt propter earum ſcilicet prototypa in conſpectu Dei viuentia, quæ Deus honorat. Philippus ergo, & reliqui Proteſtantes cum duce ſuo Martino Luthero contra mandatum Dei manifeſtum, de quo nulla erat controuerſia, ſchiſma fecerunt propter opinationem ſuam, quam opinationem etiam ſi de ſcripturis proferre poſſent, ne ſic quidem licebat eis ſchiſma facere, ſed potius beati Cypriani exemplum ſequi oportebat, & non Luciferianos imitari; quibus crimen ſchiſmatis his verbis obiicit beatus Hieronymus in dialogo quem contra eos ſcripſit: quòd ſi de ſcripturis, inquit, ea proferre voluerint, quæ B. Cyprianus ob hæreticos rebaptizandos in epiſtolis ſuis reliquit, ſciant illum hæc non cum anathemate illorum, qui ſequi noluerunt, edidiſſe; ſiquidem in communione eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contraierant. addit Philippus ad illam ſuam conſolationem, quæ eum in inferno cruciat, & conſortes eius, qui ſuperſunt, cruciatura eſt; adiungenda eſt, inquit, & hæc vox terribilis, qui dixerit blaſphemiam in ſpiritum S. non remittetur ei. et hoc illum magis redarguit, qui propter peccatum in ſpiritum S. quod Proteſtantes contendunt, & catholici negant, putauit licere dirupto vinculo pacis, & concordiæ diuinæ, ſchiſma facere, quod eſt, planè blaſphemum eſſe in ſpiritum S. planè enim eum oppugnat, qui pacem eccleſiæ, quam Chriſtus per ſpiritum ſuum ei dedit, ſcindit. Nos, quantum in nobis eſt, inquit Cyprianus in epiſt. ad Iubaianum de hæreticis rebaptizandis, propter hæreticos cum collegis, & coëpiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus diuinam concordiam, & Dominicam pacem tenemus, maximè cùm Apoſt. dicat, ſiquis voluerit contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſia Dei. ſeruatur à nobis patienter, & leniter charitas animi, collegij honor, vinculum fidei, concordia ſacerdotij. Hæc idem beatus Hieron. contra Luciferianos, qui ſchiſma fecerant, repetiuit: quæ nos in eadem cauſſa contra Proteſtantes repetimus, qui omnia violarunt vt ſchiſma facerent, quæ beatus Cyprianus integra conſeruauit, ne faceret.

**Cap. II.** Quòd neq; cõtra regnũ, neq. contra ſacerdotium fas ſit inſurgere.

*CONSIDEREMVS igitur chari fratres, quæ eorum gloria qui ſchiſma fecerunt, & quæ in eos Domini ſententia. Etenim ſi is qui contra reges ſeditiones facit, ſupplicio dignus eſt, licet filius, licet amicus ſit, quanto magis erit, qui aduerſus ſacerdotes facit? Quanto enim *1 ſacerdotium regno præſtat, vtpote pro anima certans, tanto grauiores pœnas debet, qui audet vel nutu oculorum aduerſari: atqui nullus, qui regi reſiſtat, inultus euadit. Non enim Abſalon, & Abedada, qui & Seba dictus eſt, impuniti remanſerunt; neque Core, & Dathan: ex quibus illi quidem aduerſus Dauid ſeditionem de regno mouerunt, hi verò certantes aduerſus*

*1 Ecce iterũ teſtimoniũ Apoſtolicæ doctr. contra Proteſtantes de ſacerdotio externo, & viſibili, quod eſt aliud à ſacerdotio

aduerſus Moyſen, de primis partibus contenderunt: vtrique verò maledicta iaciebant; Abſalon quidem patrem vt iniquum iudicem inſimulabat, ſingulis dictitans, ſermones tui boni ſunt, & non eſt qui te audiat, neque qui tibi ius reddat. Quis me faciet præeſſe? & Abedadam non eſt, inquit, mihi pars in Dauid, neque hæreditas in filio Ieſſe. ſcilicet moleſtè ferebat imperium & dominatum Dauid, de quo dixerat Deus, Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſecundum cor meum. Dathan verò, & Abironis hæc erant maledicta, & probra: An parum eſt, inquiunt, quòd nos eduxiſti è terra Ægypti lacte et melle manante? cur oculos nobis eruiſti? & tu præes nobis? & coëgerunt magnum cœtum aduerſus eum. ac Coritæ, nunquid Moyſi tantùm locutus eſt Deus? cur ſoli Aaron dedit pontificatum? an non omnis cœtus Domini ſanctus eſt? cur ſolus Aaron fungitur ſacerdotio? & ante hos alius quidam dixerat: Quis te conſtituit principem, & iudicem ſuper nos?

communi Chriſtianorum. Chriſtiani enim quatenus in baptiſmo à Chriſto vncti æquè reges & ſacerdotes ſpirituales fiunt, in quibus æquale eſt eiuſmodi regnum ſacerdotio, & ſacerdotium regno: ſacerdotium igitur, quod regno excellentius eſſe Apoſtolica doctrina dicit, neceſſe eſt vt externum ſit & viſibile, ſicut regnum quoque, cum quo illud comparat, externum eſt & viſibile. quod quidem vt non cuique conuenit, ſed ei tantùm cui ſecundum legem ſæculi debetur, ſic etiam ſacerdotium externum non conuenit, neque conuenire poteſt niſi ei, qui à Deo ſecundum legem diuinam ad illud vocatur, quod fit per impoſitionem manus epiſcopi tanquam legem à Deo ſancitam.

CAP. III.
De virtute Moyſis, & de incredulitate gẽtis Iudæorum, & quæ miracula propter eos Deus fecerit.

ET deſciuerunt à Moyſe Dei miniſtro omnium leniſſimo, ac fideli, & tantum virum ingratiſſimi homines inhonorarunt; illum dico legiſlatorem, cuſtodem, pontificem, regem, illum diuinorum myſteriorum magiſtrum, illum, qui quaſi quidam † conditor conditoris opera ediderat; illum mitiſſimum, modeſtiſſimum, ſummè tolerantem, illum ſumma erga homines charitate præditum, qui multis periculis eum liberarat, & ex multiplici genere mortis ſua ſanctitate eripuerat; qui tot ſigna diuina, & prodigia populo deſignarat; qui præclara & mirabilia opera beneficij dandi cauſſa patrarat; qui Ægyptiis decem illas plagas fecerat; qui mare rubrum diuiſerat, & ex vtraque parte vndas inſtar muri diremerat, populum tanquam per ſiccum, & deſertum locum traiecerat, & Pharaonem, atque Ægyptios, cæteroſque omnes, quos ſecum ducebat, cum eis in altum demerſerat: qui fontem iniecto ligno dulcem illi populo effecerat, & ex dura rupe aquam ſitientibus elicuerat; qui manna è cælo eis dederat, & ex aëre carnem collegerat; qui de nocte columnam igneam ad illuminandum, & demonſtrandam viam, item columnam nubis de die vmbraculi cauſſa propter ardorem ſolis tribuerat; qui Dei legem ex ore, manu, & ſcriptione Dei in tabulas lapideas inciſam numero perfecto decalogi contentam præbuerat; cum quo Deus coram, vt amicus cum amico ſolet, loquebatur; de quo dixerat Deus, non ſurrexit Propheta vt Moyſes; ab hoc inquam deſciuerunt Coritæ, & Rubenitæ, & lapides in eum iaculati ſunt his verbis precantem, ne attendas ſacrificium eorum. & gloria Dei quæ apparuit, alios quidem in terram deiecit, alios combuſſit. atque ita principes quidem illius erroris ſchiſmatis, qui dixerant, eligamus nobis principem ac ducem, terra debiſcens, tum eos tum eorum tabernacula, ac ſupellectilem deuorauit, deſcenderuntque in infernum viuentes; Coritas verò ignis conſumpſit.

CAP. IIII.
Quòd ſchiſma facit, non qui ſeparat ſe ab impiis, ſed qui ſeparat ſe à piis.

SI ergo Deus iis, qui cupiditate principatus defecerunt, continuò ſupplicium inflixit, quanto grauius impiorum hæreſum principibus, & auctoribus inferet? an non vehementiùs puniet eos, qui in ipſius Dei prouidentiam, vel creationem mundi blaſphemi ſunt? verùm vos fratres, de exemplis ſcripturæ ſanctæ eruditi, cauete, ne non idem ſentiatis, *1 neue vnionem veſtram diſcindatis; quoniam qui opinionis nefariæ auctores fiunt, hi populos ad interitum dirigunt: ac ſimiliter vos laici

*1 Hæc Apoſtolica doct. planè Proteſtantes redarguit, iſti enim ſunt, qui nec idem ſentiunt cum catholicis, neque pacem & concordiam eccleſiæ cum eis ſeruant, ſed potius eam ſciderunt, immò & à ſeipſis inter ſe de præcipuis articulis fidei, & de ſacramentis ipſis diſſident, vt Staphylus in libro de concordia eorum docet, teſtimonio etiam confeſſionis eorum. atque etiam qui auctor fuit ſectæ Lutheranæ Martinus dux fuit ad interitum iis qui eum ſequi voluerunt. Quis verò exitus eos maneat ex locis ſcripturæ de huiuſmodi ſchiſmate facto in hac doctrina citatis intelligere licet.



laici ne accedatis ad eos qui tradunt contraria Dei, neque impietatis eorum participes ſitis: ait enim; recedite de medio horum virorum; ne vnà cum eis pereatis. & iterum, exite è medio eorum, & ſeparamini, ait Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos.

CAP. V.
Quare reiectus eſt falſo nomine vocatus Iſraël; demonſtratio ex propheticis prædictionibus.

VERE enim fugiendi ſunt, qui ſunt blaſphemi in Deum; ſiquidem maxima impiorum pars Deum ignorat. at hi *1 malæ mentis morbo laborant tanquam Dei oppugnatores; ex malitia enim hæreticorum profluxit labes in vniuerſam terram, vt ait Hieremias Propheta: quia enim Deus improbam ſynagogam repudiauit, & domum abiecit, vt in quodam loco ait, dereliqui domum meam, dimiſi vineã meam. & rurſus Eſaias, deſeram vineam meam & non putabitur, & non fodietur, & aſcendet in eam tanquam in ſolum incultum, et inaratum ſpina, et mandabo nubibus, ne pluant in eam pluuiam, quia populum, inquam, dereliquit inſtar tabernaculi in vinea, aut tugurij in cucumerario, & inſtar ciuitatis obſeſſæ, & ſpiritum ſanctum, atque propheticum imbrem eis ademit, & eccleſiam ſuam ſpirituali gratia ad inſtar fluuij Ægypti in diebus nouorum inundantis repleuit, & in excelſo collocauit tanquam domum in monte ædificatam, aut tanquam montem excelſum, tanquam montem coagulatum, montem pinguem, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo; etenim Dominus habitabit in finem: & in Hieremia ait: Thronus gloriæ in ſublimi poſitus ſanctuarium noſtrum. et Eſaias: Erit in nouiſſimis diebus manifeſtus mons Domini, & domus Dei ſuper verticem montium, & extolletur ſuper colles, quia populum dico, deſeruit, & templum dimiſit vaſtum, & ſolum, velo templi diſciſſo, & ſpiritu ſancto ablato. Ecce enim, inquit, relinquitur domus veſtra deſerta, & vobis, qui eſtis ex gentibus, gratiam ſpiritualem tribuit; ſicut ait apud Ioëlem Prophetam: Et erit poſt hæc, dicit Deus, & effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. omnẽ enim vim verbi, et energiam, & huiuſmodi viſitationem eripuit illi populo Deus, et ad vos qui ex gentilibus eſtis, traduxit: quia hæc, inquam, facta ſunt, idcirco diabolus, cùm eccleſiæ Dei inuideret, ad vos ſe tranſtulit, ſuſcitando afflictiones, perſecutiones, motus ſeditioſos, blaſphemias, ſchiſmata, hæreſes. illum enim populum, occidendo Chriſtum, ſibi conciliauit; vos verò, qui ab eius vanitate defeciſtis, diuerſis modis, diuerſis temporibus tentat, vt beatum illum Iob: ſiquidem Ieſu filio Ioſedec magno ſacerdoti exiguo tempore aduerſabatur, & nos ſæpenumerò expetiuit, vt inſtar aquæ dilaberemur, quo fides noſtra deficeret. verùm Dominus noſter, idemque magiſter, qui illum in iudicio ſiſtens aiebat, increpet in te Dominus diabole, & increpet Dominus in te, qui elegit Hieruſalem, nónne ecce hic ereptus, vt torris? & qui dixit tunc iis, qui ſummo illi ſacerdoti aſſiſtebant, detrahite illi veſtes ſordidas, & ſubiunxit, en deleui peccata tua, hic dicet & nunc, ſicut & antea nobis in vnum congregatis de nobis aiebat, Rogaui ne deficiat fides † veſtra.

*1 Hinc intelligi poteſt quare hæretici ſint ſubuerſi, ſicut Apoſtolus ait, & proprio iudicio condemnati: quia hi ſcilicet veritatẽ, quã defendere, & à qua viciſſim defendi debebãt, oppugnant, idq; non tam ob ignorantiã, ſatis enim erat illis, ſcire quod maiores eorũ catholici ſciebant, & à catholicis teneri non ignorabant, quàm ob malum animũ, & malam mentem in catholicos. indicium autem inſigne malianimi, & odij atque inuidiæ hæreticorũ eſt perpetua eorum maledicentia, qua libros & aures populi quotidie implent: qui in nulla re maius ſtudium ponũt, quàm in maledictis, & contumeliis ac criminationib9 falſis. declarat etiam hæc Apoſtolica doctrina vnde ortus hæreſum exiſtat, ſcilicet ex inuidia primũ diaboli ſuperſeminantis zizania iuxta parabolã euangelij, & negligentia, ac maleuolentia eorũ qui ſementem talem excipiunt. inuidit ergo diabol9 Germanicæ nationi, quæ bene à principio religionis ſuæ in ſtudio diſciplinæ Chriſtianæ, & fide dogmatum eccleſiaſticorum, quæ ab eccleſia Romana per ſanctum Bonifacium Germaniæ Apoſtolum acceperant, cucurrerat, donec eam, vt cum Apoſtolo dicam, diabolus faſcinauit non parere veritati.

CAP. VI.
Quòd variarum ſectarũ doctrina Deo odioſa extitit apud Iudæos.

HABEBAT igitur illud vulgus Iudaicum hæreſes malas, inde enim ſunt Sadducæi, qui non confitentur mortuorum reſurrectionem; Phariſæi, qui errata hominum fortunæ ac fato aſſignant; Masbothæi, qui tollentes prouidentiam, tradunt conſtare omnia ex fortuito fluxu, & animæ amputant immortalitatem; Hemerobaptiſtæ, qui niſi quotidie lauent, non comedunt; immò & lectos, & patinas vel crateras, & pocula, ac ſedilia niſi aqua lauent, non vtuntur eis; & qui nunc noſtro tempore exorti ſunt Hebionæi, qui filium Dei diuinitate nudum faciunt ex voluptate viri, & ex coniunctione Ioſeph, ac Mariæ natum. Ab his omnibus ſe-

gregarunt ſe Eſſæi, qui patrios ritus ſeruant. Atque hæc quidem in priore populo. Nunc verò diabolus, callidus nocendi artifex, et omnis boni, quodcunq; eſt, †ignarus, quoſdam è noſtris extruſit, & in eis hæreſes, & ſchiſmata operatus eſt.

CAP. VII. Vnde ortæ ſunt ſectę, & quis fuit dux impietatis earum.

INITIVM verò nouarum hæreſum hoc extitit: Fuit quidam Simon cognomine Githeus à pago ſic dicto, Samaritanus, qui artem magiæ profitebatur, hoc ſe diabolus induit, & miniſtrum ſuæ peruerſæ voluntatis fecit: Quando verò Philippus †coapoſtolus noſter Dei munere, & ſpiritus ſancti operatione miracula ſanitatum in Samaria faciebat, ita vt Samaritani admiratione commoti ad fidem Dei, & filij eius venirent, eiuſque nomine baptizarentur, quo tempore Simon ipſe ſigna illa, & prodigia ſine vllis magicis præſtigiis fieri vidit, & demiratus fuit, ac credidit, fuitque baptizatus, & in ieiunio, & precatione perſeuerabat, tunc nos, † qui gratiam Dei Samaritanis per Philippi miniſterium tributam audieramus, profecti ſumus ad eos, & ſermonem doctrinæ non mediocriter promouentes, imponenteſque manus omnibus baptizatis, gratiam ſpiritus ſancti precando largiebamur. Cùm autem videret Simon, quòd per impoſitionem manuum noſtrarum dabatur credentibus ſpiritus ſanctus oblata nobis pecunia, date, inquit, & mihi hanc poteſtatem, vt cui ego quoque manus impoſuero, ſpiritum ſanctum accipiat. Scilicet conſilium, & voluntas diaboli erat, vt ipſum Adam poſt deguſtatum cibum interdictum, promiſſa immortalitate priuauerat: ſic nos pecunia delinitos & captos, dono Dei priuaret, ſi hac permutatione facta donum ſpiritus ſancti, quod æſtimationem ſuperat, nummis ipſi addiceremus. Cùm verò hoc nos omnes commouiſſet, ego Petrus intuens in maleficum ſerpentem, qui in eo erat, dixi Simoni, Argentum tuum ſit tecum in perditionem, quoniam exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri: non eſt tibi pars in ſermone hoc, neque ſors in fide *1 hac; cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age de hac nequitia tua, & ora Deum ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui; in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. Atqui Simon quidem tunc timore perterritus oro, inquit, vos, precamini pro me Dominum, vt nihil mihi eueniat eorum quæ dixiſtis.

*1 Ecce fides Simonis Magi, quæ quia ſola, id eſt, ſine pœnitentia peccati cōmiſſi, non iuſtificabat eū teſtimonio Apoſtolicæ doctrinæ, quæ tamen ſecundum naturā, & eſſentiam fidei eadem erat in Simone, poſtquam gratiam ſpiritus S. emere voluit, quæ erat antea, cùm, vt narrat Lucas, credidit Philippo euangelizanti, & baptizatus eſt, & adhærebat Philippo: videns etiam ſigna, & virtutes maximas fieri ſtupens admirabatur, perſeuerabatque, vt Apoſt. doctrina teſtatur, in oratione, & obſecratione. quibus verbis declarant Lucas, & Apoſtolica doctr. perfectam tum fuiſſe fidem Simonis; per peccatum autem amiſit non quidem fidem, vt Apoſtolica doctrina hic teſtatur, alioqui non dixiſſet ei Petrus, non eſt tibi ſors in fide hac, ſed amiſit fidei perfectionem, quæ aliunde exiſtit nempe ex dilectione, quæ pertinet ad voluntatem, & non ad intellectum. quare cùm fides ſit perfectio intellectus, illud per ſe ad fidem pertinet, quod pertinet ad intellectum: quod autem ad voluntatem pertinet, non per ſe pertinet ad fidem. hæc S. Thom. 2. 2. q. 4. ar. 3. qui ſpiritualia, quæ naturas ſuas habent, mirabili ingenij diuini perſpicacia contemplatus, & perſecutus eſt. ergo fides Simonis fides quidem erat, adhuc enim credebat, adhuc ſperabat, adhuc fiduciam habebat: nec enim hæc omnia amiſerat, cum verbis beati Petri perterritus, qui ei dixerat, pecunia tua tecum ſit in perditionem, & quæ ſequuntur; reſpondit, precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis: tamen hæc fides, ſpes, & fiducia omnia erant in eo mortua, & ſpiritu charitatis carentia, cùm ei dixit Petrus, pœnitentiam itaque age ab hac nequitia, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis, in felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. huiuſmodi eſt fides ſola, quam iactant Proteſtantes, quæ nihil prodeſt eis qui illam habent, donec pœnitentiam agant ex corde: non enim ſatis eſt dicere, pœnitet me cum iſta fide ſola, vt tradi ſolet in eorum catechiſmis, ſed cum charitate de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.

CAP. VIII. Qui nam fuerūt ſucceſſores impietatis Simonis, & quas hæreſes tradere cœperunt.

CVM verò prodiuimus in mundum ad prædicandum gentibus verbum vitæ, tunc diabolus hoc in populo operatus eſt, vt Pſeudoapoſtolos ad contaminandum verbum poſt nos mitteret: ac præmiſerunt Cleobium quendam, quem Simoni adiunxerunt, fuerunt autem hi diſcipuli cuiuſdam Doſithei, quem improbarunt, & ex principatu magiſterij deiecerunt: Deinde alij aliorum dogmatum abſurdorum auctores extiterunt, Querintus, Marcus, Menander, Baſilides, & Satornillus; ex quibus alij quidem plures deos ponunt, alij verò tres aduerſos, principio carentes, qui ſemper vnà ſint: alij infinitos, & ignotos: item alij nuptias improbant, quòd opinentur non eſſe eas opus Dei; alij quædam genera ciborum tanquam execrabilia eiiciunt; alij omni verecundia, & pudore ſublato ſcortantur, vt ij qui nunc



nunc falſo nomine Nicolaitæ vocantur. At Simon cùm me primum conueniſſet in Cæſarea Stratonis, vbi Cornelius gentilis meo miniſterio in Dominum Ieſum credidit, dabat operam, vt verbum Dei perverteret, cùm erant mecum ſancti filij Zachæus, qui fuerat antea publicanus, & Barnabas. deinde Nicetas, & Aquila fratres Clementis Romani epiſcopi, & ciuis, ac diſcipuli Pauli coapoſtoli, & adiutoris noſtri in euangelio. & cùm ter coram eis cum eo diſſeruiſſem de propheta, & de vno Deo, ac Domino, viciſſemque eum virtute Domini, & vt nihil reſpondere, aut loqui poſſet, effeciſſem, coëgi, vt in Italiam profugeret.

CAP. IX. Quomodo Simō quibuſdam præſtigiis cùm volare voluiſſet, precibus Petri ex alto deorſum præcipitatus, fregit extremos digitos pedum.

CVM verò Romam veniſſet, eccleſiam magnopere vexabat multos ſubuertendo, & ſibi conciliando, gentilibus autem magicæ artis vſu, & exercitatione, admirationem mouēdo, ita vt aliquando cùm in theatrum meridie prodiiſſet, iuſſiſſetq; populo, vt me quoque in theatrum raperent; promittebat ſe per aërem volaturum: Cùm verò cuncti promiſſi huius expectatione ſuſpenſi eſſent, ego apud me precabar, iamque à dæmonibus in altum ſublatus, volabat ſublimis per aërem, dicens ſe in cælum aſcendere, vt inde bona ipſis ſuppeditaret; cunctis verò illum tanquā Deum concelebrantibus, ego manus in cælum pariter cum mente tendens, Deo ſupplicabam, vt illam peſtem per filium ſuum Dominum noſtrum rumperet, & vires dæmonum, quibus illi ad fallendum, & perdendum homines vtebantur, amputaret; ita tamen illum rumperet, vt non occideret, ſed confringeret. Itaque reſpondens ad illud, quod de aſcenſu in cælum pollicebatur, & intuens in eum dixi: Si ego homo Dei ſum, & verus apoſtolus Ieſu Chriſti, ac doctor pietatis in Deum, & non ſeductor, vt tu Simon, iubeo malis poteſtatibus diaboli apoſtatæ, quæ Simonem Magum vehunt, vt eum dimittant, vt ex alto præceps feratur cum riſu eorum, quos decepit. Hæc cùm dixiſſem, Simon Magus à poteſtatibus dimiſſus cum magno fragore & ſonitu decidit, & vehementer eliſus coxam, & extremos digitos pedum fregit; & multitudo vulgi, vnus tantùm verus Deus; inquit, quem Petrus iuſtè prædicat. ac multi quidem defecerunt ab eo, nonnulli verò illius interitu digni, in doctrina eius nefaria perſeuerarūt: atq. ita eſt conflata Romæ prima hæreſis impiiſſima Simonianorum. Atque etiam per reliquos pſeudoapoſtolos diabolus operabatur.

CAP. X. Quomodo hæreſes & à ſe & à veritate diſſentiunt.

ERAT autem his omnibus vnum atque idem propoſitum impietatis, Deum omnipotentem blaſphemiis afficere, ſentire †ignotum eſſe, & non eſſe patrem Chriſti, neque mundi effectorem, immò neque eſſe effabilem, neque pronunciabilem, neque nominabilem, eſſeque è ſe natum; & neque lege, neque Prophetis vtendum eſſe; item prouidentiam tollere, reſurrectionem non credere, iudicium ac remunerationem negare; non eſſe animam immortalem, ſola voluptate lætandum eſſe; & ad omnem religionem ſine vllo diſcrimine deflectere licere: alij enim ex eis plures deos faciunt; alij tres ſine initio; alij duos ingenitos; alij infinita ſæcula. item partim eorum docent, non eſſe nubendum, eſſeque à carne abſtinendum, & vino; *1 execrabilia enim eſſe nubere, & procreare liberos, & cibos capere, vt tanquam venerandi quidam ſententiam ſuam peruerſam quaſi auctoritate dignam approbari faciant: partim verò eorum legem ſanciunt de abſtinendo à carne animantium non tanquam ratione carentium, ſed tanquam rationem habentium, ita vt qui eas mactare audeat, ab eo cædis pœna exigenda ſit; partim aiebant, abſtinendum eſſe ſuilla, puris autem ſecundū legem cibis veſcendum; item circumcidendum ex lege Moyſis, credendumque eſſe in Ieſum tanquam in virum ſanctum, & prophetam; alij docebant ſine vllo pudore ſcortandum, & carne abutendum, & omne flagitium ſuſcipiendum, quod hac ſolum ratione anima effugeret principes mundi huius: Hi verò omnes diaboli ſunt inſtrumenta, & filij iræ.

*1 Ecce Apoſtolica doctr. quæ Lutheranos, & Caluiniſtas de errore, & mendacio conuincit, cū tradunt, prohibitum eſſe ab Apoſtolo in epiſt. ad Tim. 1. c. 4. delectū ciborū, quo in omnibus per cunctum orbem eccleſiis ſecundum Apoſtolicam traditionem in ieiuniis ſanctè, & religiosè catholici ſemper vſi ſunt. de quibus enim illic

Apoſtolus dicit, attendentes ſpiritibus erroris & doctrinis dæmoniorũ in hypocriſi loquentes, prohibere nuptias, & cibos; de eiſdem hæreticis dicit hic Apoſt. doct. prohibere hæc eadem tanquam execrabilia, vt cùm ipſi à nuptiis, & cibis abſtineant, per hanc falſam ſpeciem abſtinentiæ, quam Paulus hypocriſim vocat, venerabiles quidam appareant, vt ait Apoſtolica doctrina, & ſic tanquam auctoritate, & fide digni ſententiam ſuam prauam & hæreticam de nuptiis, & cibis vitandis velut abominandis aliis ſuadeant. Quis autem, niſi dæmonium, quod ſe in Lutherum ducem Proteſtantium primum induit, fingere potuiſſet, ad noſtrum ſacrum cælibatum, & ad delectum ciborum in ſanctis ieiuniis illum locum Pauli pertinere? quaſi nos etiam, vt illi, propter abominationem per ſimulationem abſtinentiæ à cibis, & nuptiis abſtineamus, aut quaſi nos fingamus fabulas ineptas, & aniles, quas Paulus in illis notat, & Clemens in hac Apoſtolica doctrina tanquam Pauli interpres explicat. aiebãt enim illi habere animantes animas ratione præditas, quare abſtinendum eſſe ab earum mactatione; ac etiam propter huiuſmodi abſtinentiam ab eſu carnis, & nuptiis fingebant ſuſcitandos ſe eſſe non homines in carne, ſed dæmonia carnis expertia, vt in hoc eodem lib. 6. ca. 26. de illis teſtatur Apoſtolica doctrina. Vnde Paulus doctrinam dæmoniorum vocauit hanc de abominatione eſus carnis, & nuptiarum. Sed dicent fortaſſe Proteſtantes non de illis prædixiſſe hæc Paulum, quia dicit, in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam &c. immò verò ſua tempora appellat nouiſſima, & iam tunc hæreſiarchæ iſti venerant, quorum doctrinam manifeſtè dicebat ſpiritus ſecuturos eſſe quoſdam. Sic etiam beatus Ioann. filioli, inquit, nouiſſima hora eſt: & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit: nunc Antichriſti multi facti ſunt, vnde ſcimus, quia nouiſſima hora eſt.

Cap. XI. Expoſitio Apoſtolicæ prædicationis.

Nos *autem filij Dei, ac filij pacis, quique ſacram atque rectam doctrinam religionis Dei prædicamus, vnum tantùm Deum profitemur legis, & prophetarum Dominum, effectorem vniuerſitatis rerum; Chriſti patrem, non auctorem ſui, neque à ſe editum, vt illi opinantur, ſed ſempiternum, & origine carentem, lumen inacceſſum habitantem: non ſecundum, non tertium, non multiplicem, ſed ſolum æternè, non ignotum, aut non effabilem, ſed à lege, & prophetis prædicatum; omnipotentem, omnium poteſtatem habentem, Deum, & patrem vnigeniti, eiuſdemque primogeniti omnis creaturæ: vnum Deum, vnius filij patrem, ac non plurium; † vnius paracleti per Chriſtum; aliorum ordinum effectorem; vnum mundi architectum, diuerſarum creaturarum opificem per Chriſtum, eundemque procuratorem, & legiſlatorem per ipſum, tum reſurrectionis, & iudicij, ac remunerationis, quæ per ipſum fiunt, auctorem.* Hunc *ipſum quoque filium prædicamus voluiſſe fieri hominem, & ſine peccato in vita verſatum, paſſum, & mortuum, & à mortuis ſuſcitatum, & aſcendiſſe in cælum ad eum, à quo miſſus fuerat. Atque omnem creaturam Dei bonam eſſe dicimus, & nihil eſſe eiiciendum vt malum: immò id omne quod ad ſuſtentandum corpus* [*1] *iuſtè ſumitur, optimum eſſe; cuncta enim, ait ſcriptura, erant valde bona:* [*2] *legitimum coniugium, & generationem filiorum honorata & munda eſſe credimus; ad augendum enim genus hominum formata eſt in Adam, & Eua figuræ diuerſitas. Animam in nobis confitemur expertem corporis, & immortalitate præditam, neque interitu deleri, vt corpora, ſed immortalem eſſe, vtpote rationis participem, & ſui compotem. Omnem coniunctionem corporum contra legem, & eam qua nonnulli contra naturam vtuntur, tanquam nefariam, & ſceleratam deteſtamur. Iuſtos, & iniuſtos à mortuis excitandos, & mercedem eis ſoluendam confitemur. Chriſtum fatemur non eſſe nudum hominem, ſed Deum verbum, & hominem Dei, & hominum mediatorem, pontificem patris. Neque verò iam cum Iudæis circumcidimur, qui ſciamus aduenìſſe eum cui repoſitum erat, & propter quem ſeruabantur generationes, qui erat expectatio gentium Ieſus Chriſtus, qui ortum duxit ex Iuda, filius ex germine, flos ex Ieſſe, cuius principatus ſuper humerum.*

*1 Ecce iterum Apoſtolica doctrina, quæ dogma Proteſtantium, quod cõtra delectum ciborum tradunt, redarguit; & quod Apoſtolus ait, nihil eſſe reiiciendum, quod cũm gratiarũ actione percipitur; interpretatur, ne, vt à Proteſtantibus, factum eſt, prauè intelligatur: ille enim cibus cũ gratiarũ actione percipi poteſt, qui iuſtè percipitur: & ille rurſus iuſtè percipitur, quẽ lex, vel præceptum, vel conſuetudo eccleſię Dei non prohibet; quòd ſi prohibeat aliqui ex ſe bonum, vtpote à Deo creatum, iam in vſu eiuſmodi cibi iniuſtitia eſt: vbi autem iniuſtitia eſt, ibi iuſta gratiarum actio eſſe non poteſt: quia malum, inquit, Apoſt. conſtitutio, non eſt in bono. Cùm igitur dixit Apoſtolus nihil reiiciendum eſſe, quod cum gratiarum actione percipitur, perinde eſt, vt ſi diceret ſecundum Apoſtolicam doctrinam nihil reiiciendum eſſe, quod iuſtè percipitur. Si enim nihil cibi eſſe poterat, quin iuſtè percipi poſſet, ac proinde cum gratiarum actione, & cum iuſta ſanctificatione per verbum, & orationem; ſatis erat dicere, nihil reiiciendum eſſe, nec opus erat addere conditionem, ſiue reſtrictionem actionis gratiarum. Poteſt igitur aliquando iniuſtè percipi, id eſt, non in nomine Domini, ſiue cum iuſta gratiarum actione. Siquidem cibus lege prohibitus, non iuſtè ſanctificatur per verbum, & orationem.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ dogma Confeſſioniſtarum, & Caluiniſtarum redarguit, qui omnibus concedunt nuptias. Sic enim Illyricus in defenſione Antuerp. Confeſſ. c. 19. clarum autem, inquit, habemus Dei mandatum, vt qui ſe ad coniugium idoneos agnoſcunt, contrahãt; creſcite, & multiplicamini: at ſecundũ Apoſtolicam doct. non ſic dicendũ erat, ſed qui ſe idoneos ad legitimum cõiugium agnoſcunt. illud autẽ eſt legitimũ coniugium, quod iuſtè contrahitur: ſicut doct. Apoſt. in eodẽ lib. 6. c. 26. illam coniunctionem viri & vxoris quæ cum iuſtitia fit, ait probari Deo: ergo eſt aliquod coniugium iniuſtum, & à Deo improbatum, vt eius qui quod melius eſt, id eſt, caſtum eſſe, prius Deo promiſit, qui dedit gratiam ad promittendum, cui non ſeruare promiſſum, iniuſtitia ſacrilega eſt: & ſacrorum miniſtrorum, quibus Paulus præcipit, caſtos & continentes eſſe. Subiungit poſtea idem Illyricus: idem Paulus docet, inquiens, melius eſt nubere quàm vri. Sanè quidem melius eſt nubere iuſtè ſcilicet, quàm vri: ſed qui dixit ad remedium, melius eſt nubere ſcilicet iuſtè, & legitimè, quàm vri, an non dixit etiam, igitur, & qui matrimonio iungit virginem ſuam, benefacit? & qui non iungit, melius facit? Quomodo ergo pater, qui virginem ſuam ſeruat, ſcit quòd filia ſua capax eſt vitæ caſtæ in cælibatu? hoc enim in ore ferunt Proteſtantes, Do-

Sed



minum teſtari, non omnes eſſe capaces cælibatus; cùm alioqui idem dicat, & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. at quomodo iſti ſciunt ſe eſſe capaces cælibatus, niſi quia volunt eſſe, Domino adiuuante? nõ enim iſti natura, ſed voluntate Eunuchi fiunt. quod vt difficilius & excellentius eſt, ita omnibus eſt liberum, iuſtè tamen, & legitimè, id eſt, niſi neceſſitatem Eunuchiſmi vel ex voto, vel ex conſecratione ordinis eccleſiaſtici ſibi impoſuerint.

Cap. XII. Cõtra Confitẽtes, volẽtes alioqui iudaizare: & de decreto Apoſtolorum.

Sed *quia tunc hæc hæreſis viſa eſt ad decipiendum validior, & cuncta eccleſia in diſcrimen adducebatur, nos duodecim Hieroſolymis cõgregati, (loco enim Iudæ proditoris Matthias electus eſt, vt eſſet nobiſcum Apoſtolus locum Iudæ ſortitus, ſicut ſcriptum eſt, epiſcopatum eius accipiat alter) conſultabamus de ea re cum † Iacobo fratre Domini; viſumque eſt illi, ac ſenioribus, vt haberetur ſermo doctrinæ ad populum: Quidam enim qui à Iudæa deſcenderant Antiochiam, docebant fratres, qui ibi aderant, quòd niſi ritu Moyſis circumciderentur, & alia quæ ab illo deſcripta, ac ſancita erant, ſeruarent, ſalui eſſe non poſſent. Cùm igitur diſſenſio eſſet, & non parua quæſtio haberetur, Antiochenſes fratres vbi cognouerunt nos ad huius quæſtionis diſquiſitionem conueniſſe, miſerunt ad nos viros fideles, & ſcripturæ ſanctæ peritos, vt de hac quæſtione intelligerent. qui cùm Hieroſolymam perueniſſent, nunciauerunt nobis ea de quibus quærebatur etiam in Antiochenſi eccleſia, quòd nonnulli aiebant, oportere circumcidi, & omnes alias purificationes ſeruare: de quo cùm alij aliud dicerent, ſurrexi ego Petrus, & dixi: Viri fratres, vos ſcitis, quia ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meum audire* [*1] *gentes verbum euangelij, & credere; & qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit ipſis: Cornelio enim antea Romani exercitus Cẽturioni apparuit angelus, & dixit ei, vt me accerſeret, & ex me verbum vitæ audiret; ille verò accerſiuit me ex Ioppe in Cæſaream Stratonis: cùm verò egreſſurus eram, volui cibum capere, & dum parabatur, cùm facerem in cœnaculo precationem, ecce video cælum apertum, & vas quoddam quatuor initiis alligatum, velut linteum ſplendidum, & dimiſſum in terram, in quo erant omnes quadrupedes, & ſerpentes terræ, & volucres cæli: et edita eſt vox è cælo, quæ aiebat, ſurge Petre, macta, et manduca; Reſpondi ego, nequaquam Domine, quia nunquam manducaui omne commune, & immũdum. ac rurſus edita eſt vox è cælo, quæ aiebat, quæ Deus mundauit, tu ne communia dixeris. Hoc autem factum eſt ter, & receptum eſt vas in cælum. Dum autem dubitarem quid hoc viſum eſſet, dixit mihi ſpiritus: ecce viri quærunt te, ſed ſurge, proficiſcere cum eis, nihil hæſitans, quia ego miſi eos. erant autem ij, quos Centurio miſerat. Atque ita mecum, quod acciderat, reuoluens, intellexi verbum Domini, quod ſcriptum erat, omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit; & rurſus, recordabuntur, & conuertentur ad Dominum omnes fines terræ, & adorabunt coram eo omnes familiæ gentium. Ac cùm vbique de vocatione gentium ſcriptum eſſe conſideraſſem, ſurrexi, & iui cum eis, & ingreſſus ſum domum viri illius, & cùm adhuc ſermonem exponerem, cecidit ſpiritus ſanctus in eum, & in omnes qui cum eo erant, ſicut & in nos in principio, nihilque diſtinxit inter nos,*

&

*1 Quia cõ cuaſura erat Illyrici ſiue rabioſa contentio, ſiue fatua ignorantia, vt quia Iacob⁹, Petrus, & Ioannes dextras dederũt ſocietatis Paulo, & Barnabæ, vt illi in circumciſionẽ, hi in Gentes irent, diceret, conſtituiſſe Deum Petrũ apoſtolum epiſcopum, vel papam Iudæorum, & Paulũ Gẽtium; & rurſus Petrum tum de facto, tum de iure diuino, & humano, Iudæorum, nõ Gentilium apoſtolum per totam vitã fuiſſe. ex quo hęc illius inſana, & à dæmonio fabricata concluſio, Quid igitur, ĩquit, ad nos illi⁹ apoſtolatus, qui ſumus ex Gentibus conuerſi? hęc ille in veriſſima legenda, vt vocat, quam de S. Petri epiſcopatu, ſiue papatu ſcripſit, & defenſioni Antuerp. Confeſſionis adiunxit. idcirco prouidens in ſpiritu B. Petrus hanc Illyrici legendã, ſic de apoſtolatu ſuo in illo concilio Hieroſolymitano dicit: viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis elegit per os meum audire gentes verbum euangelij, & credere. ergo Petri apoſtolatus ad Illyricos pertinet, qui ex gentibus conuerſi ſunt: & non legenda veriſſima, ſed fabula mendaciſſima eſt, Petrum Iudæorum, non Gentilium apoſtolum per totam vitam fuiſſe: ſi enim Iudæorum, & non Gentium fuit apoſtolus, quorſum illi oſtenſum eſt linteum illud de cælo dimiſſum plenum omni genere animantium, & iuſſum, vt mactaret, & nihil commune duceret, & primitias Gentium in Cornelio obtulit Deo? ac rurſus, ſi Paulus Gentilium tantùm apoſtolus erat, quomodò Antiochiæ Piſidiæ contradicentibus Iudæis iis quæ à Paulo dicebantur, tum, inquit, conſtanter Paulus, & Barnabas dixerant, vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quia indignos vos iudicaſtis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes; ſic enim præcepit nobis Dominus: fuerunt igitur Petrus, & Paulus, & reliqui, apoſtoli Iudæorum primum, & Gentium, ſicut Dominus ad Iudæos primùm miſſus eſt ſecundum veritatem promiſſionis factæ patribus; ad Gentes verò ſecundum miſericordiam, ſicut Apoſtolus ait in epiſtola ad Rom. Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones patrum: Gentes autem, ſuper miſericordia honorare Deum. quòd autem Iacobus, Petrus, & Ioannes dextras dederunt ſocietatis Paulo, & Barnabæ, vt hi in Gentes, illi in circumciſionem irent, œconomia fuit, & ratio conſilij ab ſpiritu S. dictata, vt Paulus eo maiore auctoritate gentibus ſine vlla obſeruatione legis gratiam euangelij ſuaderet, quo acrior defenſor legis, & oppugnator euangelij prius fuerat: & ita euenit; ſiquidem, vt ipſe ad Rom. ſcripſit, ab Hieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum in obedientiam Gentium repleuit euangelium. Petrus verò interim in Syria, quæ plena erat Iudæis, inter Iudæos prædicabat non ſine aliqua legis obſeruatione in initiis ſecundum œconomiam ſpiritus S. neceſſaria, ne conuerſi ex Iudæis alienarentur.

BIBLIOTECA UNIV

*& illos, fide purificante corda illorum: Atque ita comperi, quòd non eſt acceptor perſonarum Deus, ſed in omni gente, qui *2 timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt ei. Hoc autem demirati ſunt etiam ij, qui ex Iudæis crediderant. Nunc igitur quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus, ſed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari ſicut & illi: Soluit enim nos Dominus vinculis, & onus noſtrum leue effecit; ac iugum graue lenitate à nobis excuſſit. Cùm verò hæc dixiſſem, conticuit omnis multitudo: Reſpondit autem Iacobus frater Domini: Viri fratres, audite me, Simon narrauit, quemadmodum primùm Deus viſitauit ſumere ex gentibus populum nomini ſuo. & his cōcordant verba prophetarum, ſicut ſcriptum eſt, poſthac reuertar, et reædificabo tabernaculū Dauid, quod decidit, et diruta eius reædificabo, & erigam illud, vt requirant reliqui hominum Dominum, & omnes gētes, ſuper quas inuocatum eſt nomen meum ſuper eos, dicit Dominus faciens hæc; nota ſunt à ſæculo Deo omnia opera ſua. Propter quod ego iudico, non inquietare eos qui ex gentibus conuertuntur ad Deum, ſed ſcribere ad eos, vt abſtineant ſe à contaminationibus gentium, idolothyto, & † ſanguine, *3 & ſuffocato, & fornicatione; quæ quidem etiam antiquis ſancita fuerant, qui ante legem ſecundum naturam viuebant, vt Enos, Enoch, Melchiſedec, Iob, & ſiquis alius eiuſmodi fuit. Tunc viſum eſt nobis Apoſtolis, & Iacobo epiſcopo, & ſenioribus cum tota eccleſia, mittere viros ex nobis electos cum Barnaba, & Paulo Tarſenſi gentium Apoſtolo, & Iuda cognomento Barſaba, et Sila viris præcipuis in fratribus, & ſcribere per manus eorum: Apoſtoli, & ſeniores, & fratres iis, qui ſunt Antiochiæ, & in Syria, ac Cilicia fratribus ex gentibus ſalutem. Quoniam audiuimus, quòd quidam ex nobis turbauerunt vos verbis, euertentes animas veſtras, quibus non mandauimus, placuit nobis collectis in vnum eligere viros, & mittere ad vos cum chariſſimis noſtris Barnaba, & Paulo hominibus, qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuper iis, de quibus ſcripſiſtis: Miſimus cum ipſis Iudam, & Silam, qui et ipſi verbo referent eadem. Viſum eſt enim ſpiritui ſancto, et nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab idolothytis, & ſanguine, & ſuffocato, ac fornicatione, à quibus cuſtodientes vos bene agetis. Valete. His igitur litteris miſſis remanſimus nos pluribus diebus Hieroſolymis *4 conquirentes vnà, quæ in communem vtilitatem ad correctionem ſpectabant.*

*2 Vel hic ſolus locus ſcripturæ ſatis coarguit vanitatis dogma Proteſtantiū de ſolâ fide iuſtificāte; non enim dixit Petr⁹, in omni gēte, qui fidem ſolam habet, accept⁹ eſt ei: neque rurſus verū eſt, quòd qui fidem ſolam habet, is timeat Deum, & operetur iuſtitiam, quod neceſſe eſt, vt ſit Deo acceptus. quòd ſi timor Dei, & iuſtitiæ operatio in eo eſſe debet, qui Deo acceptus eſt, id eſt, qui à Deo iuſtificatur, igitur non ſola fides iuſtificat.

*3 Ecce Apoſtolica doctr. interpres apoſtolici decreti de ſanguine, & ſuffocato prohibitis, quatenus ſcilicet erant immolaticia apud omnes gentes idolorum cultrices, inter quas Chriſtiani verſabantur. eâ enim ratione iis quoque, qui ante legem ſecundū naturam viuebāt, naturali lege ſancitū erat, vt ab his abſtinerent, ſicut Apoſt. doctrina teſtatur. prohiberi autē hæc, quatenus erant, vt dixi, immolaticia, & ad idolorū, quib⁹ conſecrata erāt, culturam pertinentia, ſatis etiā ipſius decreti verba declarāt: non enim dixit, vt abſtineāt à contaminatione idolothyti, ſed à contaminationibus idolothyti, & ſanguinis, & ſuffocati. hęc enim omnia erant contaminationes, quia omnis ſanguis habebatur diis conſecratus, & omne item ſuffocatum propter ſanguinem retentum. in illo autem quod ſequitur, & à fornicatione, repetendum eſt verbum abſtineant, non referendo fornicationem ad contaminationes, quas dixerat; fornicatio enim etſi crimen graue eſt, non tamen ad contaminationem cultus idolorum pertinet. eſſe autem ſanguinem, & ſuffocatum in hoc decreto prohibita, immolaticia, teſtes, & auctores ſunt Tertull. in apologetico, Cyrillus Hieroſ. in catecheſi 4. Iuſtinus martyr in quæſt. 45. Greg. Naz. in ſermone in ſanctum Paſcha, Origenes lib. 8. contra Celſum, & Magnetes antiquiſſ. auctor lib. 3. apologiæ pro euangelio contra Theoſthenem euangelia calumniantem. hic igitur Illyricus in defenſione Antuerp. Confeſſ. c. 22. de cærimoniis negat contra Tiletanum & veritatem ritus vniuerſales eſſe obſeruandos; quin cur, inquit, obſeruandi ſunt, non ſeruatur abſtinere à ſanguine, & ſuffocato ab Apoſtolis decretum, & toti eccleſiæ iniunctum? immò verò ſeruandū eſt, & ſeruatur, vbicunque inter gentes, quæ idola adorant, immolaticia ſunt.

*4 Hic locus Apoſtolicæ doctrinæ Proteſtantes, & eorum centuriatores redarguit, qui canones Apoſtolorum negant, teſtatur enim hic Apoſtolica doctrina poſt quæſtionem illam de legalibus multis diebus remanſiſſe Hieroſ. S. apoſtolos conquirentes vnà, quæ ad communem vtilitatem eccleſiæ, & correctionem ſpectarent. Si ita eſſe, & Clemens Pauli diſcipulus, qui hæc ſcripſit, & ratio ipſa probabilis ſatis per ſe conuincit, ſcilicet conquiſiſſe illos tunc congregatos de multis aliis, quæ ad communem vtilitatem, & correctionem pertinerent, dicant, qui canones negant, vbi ſunt iſta tunc conquiſita, & correcta ad vtilitatem communem, ſi apoſtolorum canones, qui iſta continent, non ſunt Apoſtolorum? aut doceant, quæ ſunt in his canonibus, quos eccleſia catholica tenet, & per cunctum orientem, & occidentem Apoſtolorum eſſe profitetur, quæ non pertineant ad communem vtilitatem, & eccleſiaſticæ correctionis diſciplinam; ad ea enim quæ Magdeburgenſes in eoſdem canones obiecerunt, ſi non putant affatim reſponſum eſſe, redarguant, ſi poſſunt.

**CAP. XIII.** Quomodo oporteat ſeparari ab hæreticis.

POST *verò multos dies viſitauimus fratres, & confirmauimus eos verbo veritatis obteſtantes, vt ab eis fugerent, qui nomine Chriſti, et Moyſis Chriſtum, & Moyſem oppugnarent, et pelle ouis lupum tegerent. Hi enim ſunt Pſeudochriſti, pſeudoapoſtoli, & pſeudoprophetæ, ſeductores et corruptores, partes *1 vulpium, & vinearum, quæ vites depreſſas, et in terram ſparſas habent, deuaſtatores, quorum opera & ſtudio multorum charitas refrigeſcet. Qui verò vſque ad extremum*



*ſuſtinuerit, non deflectens de via recta, hic ſaluus erit. de his præmuniendi cauſſa ſic nos Dominus admonebat: venient, inquit, ad vos homines in indumētis ouium, intus verò ſunt lupi rapaces, à fructibus enim eorum cognoſcetis eos; cauete ab eis, ſurgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ; & decipient multos.*

*1 Dæmones vocat vulpes propter eorum aſtutias & dolos, quib⁹ ad decipiendum vtūtur, quos hæretici imitantur, vt ſolēt filij patres, vnde eos vocat Apoſt. doctr. partes vulpium, id eſt, dæmonum; ſunt enim filij pars patris; ſunt item partes vulpium, quia facti ſunt eorum præda, & ſors. dicit præterea hæreticos deuaſtatores eſſe vinearum, non quæ vites habent erectas & fultas, ſed humi iacentes, quæ ſunt infirmæ. Vnde beatus Petrus deſcribens hæreticos in epiſt. ſua 2. cap. 2. de eis dicit pellicientes animas inſtabiles: Græcè eſt, ἀστηρίκτους, id eſt, infirmas. Hinc factum eſt, vt in vtraque Germania, & aliis prouinciis illas vineas, id eſt, eccleſias non potuerint hæretici partes vulpium deuaſtare, quæ huiuſmodi vites non affixas terræ, ſed ſurſum tendentes, & fultas habebant, in quibus permanſit, quod ab initio audierunt iuxta præceptum beati Ioannis.

**CAP. XIIII.** Qui prædicarūt catholicam doctrinam, & quæ eius præcepta.

PROPTER *quæ & ipſi nunc in vnum congregati, Petrus, Andreas, Iacobus; & Ioannes filij Zebedæi; Philippus, Bartholomæus, Thomas, et Matthæus, Iacobus Alphæi, & Lebbæus cognomento Thadæus, Simon Cananæus, et Matthias, qui loco Iudæ in numerum noſtrum electus eſt; & Iacobus frater Domini, idemque Hieroſolymitanus epiſcopus, item Paulus doctor Gentium, ac vas electionis, omnes, inquam, in vnum congregati ſcripſimus vobis catholicam hanc doctrinam ad fulciendum, ac confirmandum vos, quibus † *1 vniuerſalis epiſcopatus creditus eſt. In qua doctrina hæc vobis exponimus: Deum omnipotentem vnum tantùm eſſe, ac præter hunc neminem alium eſſe, oportereque hunc ſolummodò colere ac venerari per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum in ſancto ſpiritu: item vti vt ſcripturis ſacris lege, & prophetis; honorare parentes; omnem actionem prauam fugere; reſurrectionem, & iudicium credere; remunerationem expectare; omnes creaturas ciborum cum gratiarum actione, vtpote à Deo factas, & quibus in earum natura nihil vitij ineſt, vxorem ducere legitimè; huiuſmodi enim nuptiæ reprehenſione carent; quoniam à Domino aptatur vxor viro; & Dominus ait, qui fecit à principio, maſculum, & feminam, fecit eos; & dixit, propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam. Itaque vxorem non ream poſt matrimonium eiicere fas ne ſit: cuſtodies, inquit, ſpiritui tuo, & vxorem adoleſcentiæ tuæ ne derelinque, quoniam ipſa particeps vitæ tuæ, & reliquiæ ſpiritus tui; & ego feci, & non alius: ait enim Dominus, Quæ Deus coniunxit, homo non ſeparet: vxor enim conſors vitæ eſt ex duobus in vnum corpus à Deo copulata: qui autem vnum rurſus in *2 duo dirimit, inimicus eſt operis Dei, et prouidentiæ eius aduerſarius. ſimiliter qui retinet eam, quæ legem naturæ violauit, legis violator eſt, ſicut ſcriptum eſt, qui adulteram retinet, ſtultus, et impius. Abſcinde eam, inquit, à carnibus tuis, quia non eſt auxiliatrix, ſed inſidiatrix, quæ mentem ad alium declinauit: Neque carnem circumcidere, ſed ſatis eſſe fidelibus circumciſionem cordis in ſpiritu; circumcidimini, inquit, Deo veſtro; et circumcidite præputium cordis veſtri.*

*1 Ecce Apoſtolica doctrina in Proteſtantes, qui negant eſſe vnum epiſcopum vniuerſalē in terra. Etenim ſi vn⁹ eſt epiſcopat⁹ vniuerſalis, qui credit⁹ eſt epiſcopis, vnicuique ſcilicet ſua huius epiſcopatus vniuerſalis portio, conſequens neceſſariò eſt, vt ſicut portio particularis ſuum particularem epiſcopū & paſtorē habet, ſic epiſcopatus iſte vniuerſalis, quem Apoſtolica doctrina dicit, parem habeat epiſcopū & paſtorem, id eſt, vniuerſalem, vt fiat, ſicut Dominus dixit, vnū ouile, ſiue vnus grex, & vnus paſtor. Hūc vnū gregem, cuius eſt vnus paſtor ſecundū euāgelium, vocat nūc Apoſtolica doctrina vniuerſalem epiſcopatum. vnde beatus Cyprianus eādem veritatem ſequens, & tenens in libro de vnitate eccleſiæ, hunc epiſcopatum vniuerſalem epiſcopatum vnum & indiuiſum vocat, cuius pars, inquit, à ſingulis inſolidum tenetur, quia ſcilicet vnuſquiſque, vt idem ait, portionem gregis, ſiue epiſcopatus ſibi adſcriptam gubernat, rationē ſui actus Domino redditurus. probat autem Cyprianus auctoritate euangelij quod dixit, epiſcopatum vnum & indiuiſum eſſe, ſicut Dominus, inquit, monet in euangelio ſuo, & docet dicens, & erit vnus grex, & vnus paſtor. eccleſia enim ait, vna eſt, & caput vnum, & origo vna. Paulo autem ſuprà probat idem Cyprianus auctoritate quoque euangelij aduerſus auctores ſchiſmatum, diſpoſuiſſe Dominum auctoritate ſua, vt origo huius vnitatis eccleſiæ à Petro eius capite duceretur. probatio, inquit, eſt ad fidem facilis compendio veritatis. loquitur Dominus ad Petrum, ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi, &c. reliqua, quæ ad hunc locum Apoſtolicæ doctrinæ pertinent, in annotationem defenſoriam contulimus, vnde petenda ſunt.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina interpres Matthæi euangeliſtæ de non diſſoluendo matrimonio propter fornicationem, quæ doct. Apoſt. Caluiniſtas, & Lutheranos condemnat, qui contradicunt, & parti innocenti ius nuptiarum tribuunt, quos Apoſt. doct. aduerſarios diuini operis, & prouidentiæ eſſe pronunciat. Deus enim facit in matrimonio ex duobus vnum, iſti verò diſſoluendo matrimonium, & alteram ducendo, faciunt ex vno duo, quia remanent duo diuiſi ſine vnione coniugali duorum in vnum. Sed de hoc copioſiùs diſſeruimus aduerſus Magdeburgenſes lib. 5. defenſionis epiſtolarum pontificum apoſtolicorum cap. 10.

**CAP. XV.** Quòd oporteat non rebaptizare, neque ab impiis baptiſmum recipere.

SIMILITER *docemus oportere contentos eſſe vno baptiſmo, qui in mortem Domini datus eſt, non illo baptiſmo, qui ab hæreticis infamibus, ſed qui à probatis ſacerdotibus tribuitur in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: Itaque neque illorum † impiorum baptiſmus vobis probetur, neque horum ſanctorum baptiſmus*

per

per ſecundum irritus fiat. vt enim vnus Deus, vnus Chriſtus, vnus item paracletus, vna verò etiam mors Domini in corpore; ſic item vnum ſit baptiſma, quod in eam datur: Qui autem ab illis impiis accipiunt inquinamentum, erunt quoque participes animi eorum; non enim illi ſacerdotes ſunt, ſicut Dominus de ipſis ait: Quoniam eieciſti cognitionem, & ego eiiciam te, ne fungaris mihi ſacerdotio. Quare qui ab iſtis baptizati ſunt, non baptiſmo † initiati, ſed inquinati ſunt, qui non veniam peccatorum, ſed vinculum iniquitatis accipiunt. Neque hoc ſolùm, immò qui myſterio baptiſmi initiatos, iterum baptizare aggrediuntur, iterum agunt in crucem Dominum, iterumque eum interficiunt, irrident diuina, ludibrio habent ſancta, contumelia afficiunt ſpiritum ſanctum, & ſanguinem illum ſanctum vt communem paruipendunt; impij ſunt in eum, qui miſit; in eum, qui paſſus eſt; in eum, qui teſtimonium præbuit: Quin potiùs qui baptiſmum propter contemptum recuſauerit, tanquam infidelis condemnabitur; & ei vt ingrato, & immemori exprobrabitur quod ait Dominus: Niſi quis baptizatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non ingredietur in regnum cælorum. & rurſus: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur. Qui verò ait, cùm moriar, accipiam baptiſmum, ne peccem, & baptiſmum inquinem; hic quidem Deum ignorat, & naturæ ſuæ oblitus eſt: Ne differas, inquit, conuerti ad Dominum, non enim ſcis quid pariet poſterus dies. Baptizate autem veſtros pueros *1 infantes, & educate eos in diſciplina, & monitione Dei: Sinite enim, ait Dominus, pueros venire ad me, & ne prohibete eos.

*1 Ecce Apoſtolicę doct. teſtimoniũ in Anabaptiſtas, qui negãt prodeſſe paruulis baptiſmũ, cũ tamẽ Dominus dixerit, ſinite paruulos ad me venire, talium eſt enim regnũ cælorũ: quod quidem Apoſtolica doctrina de paruulis baptizandis interpretatur.

CAP. XVI.
De libris falſo inſcriptis.

HAEC omnia ſcripſimus vobis, vt ſcire poſſitis, qualis ſit noſtra ſcientia, & ne libros, quos impij noſtri nominis inſcriptione munierunt, approbetis; neque enim nomina apoſtolorum attendere debetis, ſed naturam rerum, & ſententiam nunquam à recto deflexam. Scimus enim Simonem, & Cleobium venenatos libros nomine Chriſti & diſcipulorum eius compoſuiſſe, quos ad decipiendum eos, qui Chriſtum & nos ſeruos eius dilexerunt, circumferunt. Atque etiam priſcis temporibus quidam libros apocryphos ſcripſerunt Moyſis, Enoch, Adam, Eſaiæ, Dauid, Eliæ, & trium patriarcharum; libros dico peſtiferos, et veritatis inimicos: Tales nunc libros ediderunt infames hæretici, quibus calumniantur creationem mundi, nuptias, prouidentiam, procreationem liberorum, legem, prophetas: ſcribuntque in his ipſis nomina quædam barbara, vt illi quidem aiunt, angelorum, vt autem verum fateamur, dæmonum potius, quorum inſtinctu & afflatu iſta ſcripſerunt. fugite ergo horum doctrinam, ne ſupplicij eorum, qui iſta ad fallendum fideles & probos Domini Ieſu diſcipulos ſcripſerunt, participes efficiamini.

CAP. XVII.
Coniugalia præcepta de clericis.

EPISCOPVM, & presbyterum, ac diaconum ordinari præcipimus, qui ſint monogami, id eſt, vnius vxoris viri, ſiue vxores eorum ſuperſtites ſint, ſiue non: poſt ordinationem tamen, ſi vxores non habent, præcipimus, vt non liceat amplius ducere; aut ſi antea duxerant, non aliàs in matrimonium accipere; ſed potius, quòd cùm *1 haberent, ad ordinationem venerunt, †contentos eſſe: Item miniſtros, cantores, lectores, et ianitores monogamos, id eſt, vnũquemq; eorũ vnius vxoris virum eſſe præcipimus, ſin verò ante coniugiũ ad clerũ acceſſerint, permittimus eis, vt vxores ducant; ſi eis cordi eſt: ne cũ deliquerint, pœnas pendant. Iubemus verò, vt nullus ex clero in matrimoniũ accipiat meretricem, aut ancillam, aut viduã, aut repudiatam, ſicut etiam lex ſancit; Diaconiſſa verò eligatur virgo pudica: Sin autẽ non fuerit virgo, ſit ſaltem vidua, quæ vni nupſerit, & fidelis, atque honorata ſit.

*1 Ecce teſtimonium Apoſt. doctr. de cælibatu ſacrorũ miniſtrorũ aduerſus Lutheranos, & Caluiniſtas. Quis enim tam tard⁹ eſt, aut tam contentioſus, cùm Apoſtolica doct. iubet miniſtris ſacris, qui vxores habent, vt contenti ſint, quod habentes vxores, ad ordinationem venerunt: quis non intelligat, iubere, vt deinceps ab vxore abſtineant. etenim ſi, vt prius, ſic poſtea vti eis licet, quid noui, aut contrarij Apoſtolica conſtitutio ſancit, vt dicat, ſed contentos eſſe, quod habentes ad ordinationem venerunt. ſed reliqua huius ſcholij ex annotatione defenſoria petantur, ſiquis ea deſiderat.

POENI-



CAP. XVIII.
Admonitio de fugienda hęreticorum communione.

POENITENTES ſuſcipite, hæc eſt enim Dei voluntas in Chriſto. Poſt tradita catechumenis elementa Chriſtianæ religionis baptizate eos. Impios hæreticos non pœnitentes diſcludite, & ſemouete à fidelibus, & eis eccleſiam Dei interdicite: vt omnibus modis ab eis declinent, neque vlla cum eis ſit ſermonis, aut precationis communitas; hi enim ſunt aduerſarij, & inſidiatores eccleſiæ, qui corrũpunt gregem, & fœdant hæreditatem, ſapientiæ ſimulatores, & toti improbi, de quibus aiebat Salomon: Qui impij ſunt, ſimulant ſe pios eſſe; eſt enim, inquit, via quæ quibuſdam videtur recta, extrema verò eius ſpectant ad profundum inferni. Hi ſunt de quibus Dominus acerbè & rigidè pronunciauit eſſe pſeudochriſtos, & falſos magiſtros, qui in ſpiritum *1 gratiæ blaſphemi fuerunt: et donum eius poſt gratiam contumelioſè aſpernati ſunt: quibus neque in hoc ſæculo, neq; in futuro remittetur. qui magis impij ſunt, quàm Iudæi, & magis ſine Deo, quàm gentiles, qui ſummum Deum vniuerſi præſidem blaſphemiis inſectantur, & filium eius conculcant, ac in doctrinam ſpiritus ſancti deſpuunt, qui ſermones Dei negant, aut approbare ſe ſimulant in contumeliam Dei, & ad decipiendum eos qui ipſos adeunt; quique ſcripturis ſanctis contumeliam inferunt, & quid nam ſit iuſtitia, ignorant; qui eccleſiam deuaſtant, vt paruæ vulpes vineam; quas vt deuitetis hortamur, ne animis veſtris laqueos iniiciatis. Qui ambulat, inquit, cum ſapientibus, ſapiens erit; qui verò ambulat cum inſipientibus, cognoſcetur: neque enim licet cum fure currere, neque cum adultero portionem ponere; ſiquidem & ſanctus Dauid ait, odientes te oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam; perfecto odio oderam illos, inimici facti ſunt mihi. Atque etiam Deus exprobrabat Ioſaphat, quòd eſſet amicus, atque auxiliator Acham, & Ochoziæ; ſic enim ait per Iehu prophetam: tibi cum peccatore amicitia eſt, vel ei auxilium fers, quem Deus odit? propter hoc repentè ira Domini concitata fuiſſet in te, niſi cor tuum inuentum eſſet perfectum erga Dominum; idcirco pepercit tibi Dominus, excepto, quòd opera tua interrupta ſunt, & confractæ naues tuæ. Fugite ergo communionem hæreticorum, & ne ſit vobis pax cum eis, de ipſis enim pronũciauit Propheta, Non eſt ſaluere impiis, ait Dominus: Hi enim ſunt lupi occulti, canes muti, non valentes latrare; qui nunc quidem pauci ſunt, proceſſu verò temporis, & cum propè erit extremum ſæculi huius plures difficilioresq; erũt. De quibus Dominus aiebat, Nunquid cùm venerit filius hominis, inueniet fidem in terra? & quia multiplicabitur iniquitas, refrigeſcet charitas multorum; & venient pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna in cælo, vt ſi fieri poſſit, etiam electi inducantur in errorem: à quorum fraude eripiet vos Dominus Deus per Ieſum Chriſtum, qui eſt ſpes noſtra. Etenim & nos cùm pergeremus per gentes, & eccleſias confirmaremus; alios quidem multa admonitione, & ſermonis medicina ſanauimus, & iam propè fraude perituros, reuocauimus; alios verò, quorum ægritudo non poterat recipere curationem, extruſimus ex grege, ne eorum ſcabies cum teneris agnis ſanis contagione communicaretur, quin potiùs puri, mundi, ſani, ac ſine macula Domino Deo ſeruarentur. Atque hæc quidem vbique terrarum per ciuitates fecimus, vobiſque epiſcopis, & reliquis ſacerdotibus hanc doctrinam catholicam meritò & iuſtè reliquimus, vt memineritis fulcire ac roborare eos qui Deo crediderunt. Quam quidem doctrinam miſimus vobis per comminiſtrum noſtrum Clementem fideliſſimum, ac chariſſimum filium noſtrum vnà cum Barnaba, & Timotheo filio optatiſſimo, & cum ſincero Marco, cum quibus notos vobis eſſe

*1 Quia Philippus Mel. in extremo reſponſionis ad art. Bauar. inquiſit. in nos torquet quod Dominus ait in euangelio, qui dixerit blaſphemiã in ſpiritum S. nõ remittetur ei nec in hoc ſeculo, nec in futuro, & hãc vocẽ terribilem ait adiungendam eſſe ad cõſolationem in terribili, vt inquit, crimine ſchiſmatis, quod Proteſtantibus obiicimus, obſeruare oportet, quẽadmodum Apoſt. doctrina eos hic mẽdacij cõuincit, eoſdẽque planè de blaſphemia in ſpiritum S. condemnat: non enim nos gratiam fidei, quam accepimus, & patres, ac maiores noſtri ſemper in eccleſia coluerunt, reliquim⁹, ſed ipſi: ipſi præterea ſermones Dei negant, non nos: Lutherus enim & Zuingli⁹ libros Sapiētię, Eccleſiaſtici; Tobiæ, Eſther, Iudith, Machabęos, Baruch, & partẽ Danielis negarunt, & ex nouo teſtamento epiſtolam Pauli ad Heb. Iacobi, Iudæ, ſecũdam Petri, & ſecũdam, & tertiã Ioannis; iſti præterea ſunt, qui, vt de hæreticis dicit Apoſt. doctr. ſimulant ſe approbare ſcripturas in contumeliam Dei ad decipiendum. Cùm enim ſcripturę non in legendo, ſed in intelligendo conſiſtant, vt Hier. in dialogo contra Luciferianos ait, & iſti non ſecũdum ſenſum Apoſtolicæ traditionis, quẽ eccleſia catholica vbique profitetur, ſed potius ſecundũ ſenſum proprij ſpiritus interpretẽtur, quid aliud faciunt, quàm ſimulare ſe approbare ſcripturas, cùm potius ſpiritum ſuum approbant, in Dei contumeliam, & ad decipiendum. iſti etiam ſunt, qui omnes editiones, quibus eccleſia catholica ſemper hactenus vſa eſt, mendoſas eſſe dicunt, & deprauatas; quod eſt in ſanctas ſcripturas, & in earum auctorem, & conſeruatorem Deum contumelioſum, quaſi noluerit, aut non potuerit dare eccleſiæ ſponſæ ſuæ veras

H volumus

*volumus Titum, Lucam, Iaſonem, Lucium, Soſipatrum. per quos hortamur vos, vt abſtineatis à vetere conſuetudine, vanis vinculis, ſeparationibus, obſeruationibus, ciborum* *2 *differentia, ac baptiſmatibus quotidianis: vetera enim tranſierunt, ecce facta ſunt omnia noua.*

ſcripturarũ editiones, aut datas conſeruare. multa huc pertinentia ſcripſit beatus Aug. lib. 33. cõtra Fauſtum, qui ſcripturas quoque Apoſtolorum corruptas eſſe aiebat. Illud autem magis adhuc ad contumeliam ſcripturæ pertinet, quod Lutherus auſus eſt in tranſlatione noui teſtamenti Germanica addendo, detrahendo, & mutando. Locos notauit non paucos ex infinitis Staphylus in ſecunda parte ſuæ Apologiæ, & cauſas corrumpendi, & deprauandi ſagaciter deprehendit, & indicauit; vt illud 1. Cor. 9. nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi? Lutherus vertit, ſororem in vxorem, vel pro vxore circumducendi. & Col. 2. videte nequis vos decipiat ſecundum elementa mundi; Lutherus vertit, ſecundum mundi leges, & conſtitutiones. Similia ſunt reliqua, quæ ille ad ſua dogmata hæretica deprauando ſcripturam accommodabat. apud catholicos verò ſemper fuit capitale aliquid ſimile tentare. Lutheranos igitur, qui hæc committunt, quæ in hæreticis Apoſt. doct. notauit, conuincimus teſtimonio eiuſdem Apoſtolicæ doctrinæ hæreticos eſſe, & blaſphemiam in ſpiritum S. dicere: quod nec in hoc ſæculo, nec in futuro eis remittetur.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ delectum ciborum Iudaicum prohibet, ſicut paulò ante c. 12. delectum ciborum hæreticum: at catholici delectum ciborum habent in ieiuniis non Iudaicè, id eſt, non propter legem veterem; vetera enim tranſierunt, & facta ſunt noua omnia: nec hæreticè, quaſi natura mali ſint cibi, cùm ſcriptum ſit, vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: ſed δι' ἄσκησιν, id eſt, ad exercitationem abſtinentiæ.

CAP. XIX. Contra vituperantes legem.

DEVM *enim per Ieſum Chriſtum cognouimus, omnemque eius diſpenſationem à principio factam, quemadmodum legem dederit ſimplicem legis naturalis* *1 *adiutricem, puram, ſalutarem, ſanctam, in qua proprium nomen ferebatur; perfectam, ex nulla parte deficientem, continentem decalogum, plenam, omni macula carentem, animas conuertentem. Cuius quidem oblitos Hebræos admonet Dominus per Malachiam prophetam, cùm ait: Mementote legis Moyſis hominis Dei, qui præcepit vobis præcepta, & iuſtificationes. Quæ vſque adeò ſancta & iuſta eſt, vt Saluator noſter cùm aliquando vnum leproſum, & rurſus † nouem curaſſet, primo dixerit, Abi, oſtende te ſummo ſacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis; ac rurſus illis item nouem, Ite, inquit, oſtendite vos ſacerdotibus. Non enim legem ſoluit, vt opinatur Simon, immò impleuit; ait enim: Iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant: non enim inquit, veni ſoluere legem, ſed adimplere. ſiquidem Moyſes idem legiſlator ſimul, & princeps ſacerdotum, & propheta, ac rex; item Elias ille prophetarum zelotes interfuerunt transfigurationi Domini in monte † teſtes aſſumptæ humanitatis Chriſti, & paſſionum eius, tãquam amici Chriſti, & familiares, non autem inimici, et alieni. Quæ quidem ſatis demonſtrant legem eſſe bonam & ſanctam, & item Prophetas.*

*1 Cõdemnat hæc Apoſtolica doctr. Lutherum, qui aliquando docuit, legem nec ante iuſtificationem eſſe neceſſariam, vt in lib. Saxonicæ eccleſiæ contra Georgium Maiorẽ: poſtea verò contra Antinomos docuit, ante iuſtificationẽ quidem legem eſſe vtilẽ ad cognitionem peccati, poſt iuſtificationem verò inutilem eſſe. quod vt auctoritate ſcripturæ ſanctæ ſuaderet, locum epiſtolæ ad Rom. c. 3. ſua Germanica tranſlatione corrupit: pro eo enim quod eſt Græcè, & Latinè, per legem cognitio peccati, tranſtulit plaſtographus hæreſiarcha, per legem non niſi cognitio peccati. fuit hæc enim Pelagij hæreſis, nihil valere legem niſi ad cognitionem peccati; ex quo etiam concludit Lutherus, pios non teneri vlla lege: quæ fuit quoque Manichæi hæreſis. at Apoſtolica doct. legis naturalis adiutricem eſſe dicit legem decalogi, ſicut ait Eſ. c. 8. legem dedit in adiutorium, & conuertere animas, ſicut ait Dauid pſalm. 18. Eſt igitur lex decalogi ſemper, & omnibus vtilis ac neceſſaria, vtpote adiutrix legis naturalis ad conuertendas animas.

CAP. XX. Quæ ſit lex naturalis, & quæ inducta, & quare fuit inducta.

LEX *verò eſt decalogus, quemadmodum illis clara voce ſanxit, antequam populus Apim illum Ægyptium facto vitulo coleret. Hæc autem lex iuſta eſt, vnde nomos dicitur, quòd natura fiant iuſtè iudicia, quam Simõ vituperat, quòd exiſtimet, ſi ab* *1 *ea non iudicetur, ex pœnis ſe euaſurum. Hæc eſt lex bona & ſancta,* *2 *non coacta. Si feceris, inquit, mihi aram, ex terra facies: non dixit, fac, ſed ſi feceris; non impoſuit neceſſitatem, ſed poteſtati vtpote liberæ permiſit: non enim eget Deus victimis, qui natura nullius rei eſt indigens. Quin immò cùm ſciret iam antea Abelem illum Dei amantem, & ſtudioſum, et* Noë, *atque Abraham, item alios deinceps non*

*1 Simon Magus legem vituperabat, quòd exiſtimaret, ſicut ait Apoſtolica doctr. euaſurum ſe ex pœnis, ſi ab ea non eſſet iudicãdus. ſimiliter magiſtri Cõfeſſioniſtæ licet legem non vituperent clarè, omnia tamen opera legis excludunt in euangelio à iuſtitia, quam Illyricus in defenſ. Confeſſ. Antuerp. c. 9. non in virtutum perfectione, ſed in ſola remiſſione peccatorum collocari ait: hoc autem faciunt iſti, quòd exiſtiment, non eſſe ab eis repoſcendam rationem operum in altero ſæculo, in quo ſecundum euangelium iudicandi ſunt, ſi negent pertinere iuſtitiam operũ legis ad euangelium. At Apoſt. doct. legem naturalem ait paulò poſt c. 23. confirmatam eſſe à Chriſto in euangelio: legis autem naturalis eſt decalogi lex adiutrix. quare ſicut in lege requirebat Deus dilectionẽ ſui ex toto corde, & ex totis viribus, ac tota mente; ſic etiã in euangelio, quia cunctis hominibus eſt lex naturæ inſita, vt paulò poſt Apoſt. doct. tradit. quòd ſi ex hac dilectione Dei ſpirituali, quæ non poteſt eſſe ſine fide, homo in lege iuſtificabatur, multo magis in euangelio iuſtificatur: iuſtitia ergo operis ex fide ac dilectione ad euangelium pertinet contra Proteſtantes, & Confeſſioniſtas.

*2 Hinc intelligi poteſt quæ ſit lex libertatis, ad quam, ſicut Apoſt. ait, vocati ſumus: quod quia Lutherus ignorauit, leges eccleſiaſticas tanquam contrarias, vt putabat, legis libertatis ſuſtulit. at lex Moſaici decalogi, ſi ea vtamur legitimè, vt Paulus ait, id eſt, non coactè, tunc enim eſt lex non coacta, vt Apoſt. doctr. vocat; ſi, inquam, non timore ſeruili mortis præſentis, vt in lege vetere, ſed ex fide, ac dilectione ei obediamus, iã deſinit eſſe lex ſeruitutis, & efficitur lex libertatis: eſtq; decalogus non Moſaicus, ſed euãgelicus, cuius iuſtitia ſuperat iuſtitiam Scribarum, & Pharisæorum, qui erant non ex fide, ſed ex lege; id eſt, qui timore coacti, & non fide, & dilectione adducti, ſub lege operabantur. Hæc lex libertatis poſita eſt iuſtis: non illa ſeruitutis, ac timoris.



*3 *non iuſſos, ſed lege naturæ excitatos vltrò grato animo Deo ſacrificaſſe, idem poſtea Hebræis quoque ſacrificare permiſit, non quidem ſacrificare iubens, ſed ſi liberet, concedens; ſacrificia quoque approbans, ſi recto animo fierent. Idcirco ait, ſi ſacrificare cupis, ſacrifica mihi alioqui non indigenti, nulla enim re mihi opus eſt: meus eſt enim orbis terræ, et plenitudo eius. Poſtquam verò obliuio horum populum cepit, & pro Deo vitulum appellauit Deum, eidemque cauſſam egreſſionis ex Ægypto aſſignauit, dicens, hi Dei tui Iſraël, qui te eduxerunt ex terra Ægypti, & cultu Dei ad figuram vituli comedentis fœnum impiè traducto, Deum negauit; qui Hebræos ipſos, cùm in Ægypto premerentur, per Moyſem viſitauerat; qui ſigna in virga, & manu ediderat; qui Ægyptios plagis decem affecerat; qui mare rubrum in diuiſiones aquarum diuiſerat; qui in medio vndæ eos, vt equum in campo, traiecerat; qui inimicos, & inſidiatores demerſerat; qui amarum fontem in Marra in dulcem verterat; qui ex duro ſaxo aquam vſque ad ſatietatem elicuerat; qui propter nimium æſtum columna ex nube facta vmbram eis fecerat; eoſdemque columna ignis illuminauerat, & neſcientibus quà eundum eſſet viam oſtenderat; qui manna è cælo, & ex mari carnem dederat; qui ex monte legem eis tulerat; qui eos honore audiendi vocem ſuam dignatus fuerat, hunc negarunt, cùm Aaroni dixerũt, fac nobis deos qui præibunt nobis: & fecerunt vitulum conflatilem, & ſacrificauerunt idolo. Tunc Deus iratus, quòd ingrati, & immemores beneficiorum eſſent, conſtrinxit eos vinculis, quæ diſſolui non poſſent, & compreſſione oneris, & aſperitate iugi conſtrinxit; neque amplius dixit, ſi feceris, ſed fac aram, & ſacrifica aſſiduè; obliuioſus enim es & ingratus. Fac igitur continenter ſacrificium holocauſti, vt ſis memor mei. Quia enim libera poteſtate malè abuſus es, impono tibi deinceps neceſſitatem; interdico tibi huiuſmodi qualitates, & genera ciborum; propono diſtinctiones animalium, quæ munda, & quæ immunda; cùm alioqui omne animal bonum ſit, vtpote à me effectum. Item iubeo tibi tales quaſdam ſeparationes, purgationes, crebras lauationes, aſperſiones, purificationes, vacationes varias: et in ſingulis horum, niſi parueris, ſupplicium tibi vt ſeruo non obedienti decerno, vt preſſus, & collo obtorto, à falſa religione deorum multorum recedas; & illud iam prætermittens, Hi ſunt dij tui Iſraël, illud potius memineris, Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Dominus vnus eſt; ad illamq; legem recurras, quæ eſt à me cunctis hominibus* *4 *natura inſita ſcilicet de vno tantùm Deo in cælo, & in terra, deque eo amando toto corde, totis viribus, tota mente, neque alio præter eum metuendo; de non cogitandis aliorum deorum nominibus, neque ore & linguis proferendis. Propter duritiã enim cordis alligauit eos Dominus, vt illi ſacrificãdo, feriando, purificãdo, et talia quędam obſeruando, Dei veniret in mentem, à quo hæc ipſis deſcripta ac conſtituta eſſent.*

*3 Hic loc9 Apoſt. doctr. planè Illyricum redarguit, cũ in defenſione Cõfeſſionis Antuerp. ca. 15. bellum gerẽs impium cũ Miſſa, primum, inquit, argumentum fuit, quod omnis cult9 carens mãdato & inſtitutione Dei, ſit impius: deinde ſubiũgit reſpondens Tiletano: contra, iſte profert ſacrificium Abel, & votum Iacob, de quibus illi nullum mãdatum habuerint. Verùm neq. probat, inquit, Illyric9, neque probare vnquã poterit, nullũ planè mãdatũ tũc tẽporis fuiſſe à Deo datũ de talibus cultib9. En igitur Apoſt. doct. quę probat, quod Illyricus nunquã probari poſſe, impia & cæca temeritate affirmauit. teſtatur enim Apoſt. doctr. non iuſſu Dei, ſed lege naturali excitatos ſponte ſua ex grato animo illos ſacrificaſſe. hũc locum S. Anacletus epiſt. 2. ſecutus, ac diſtinguẽs ſacerdotes legis naturę à ſacerdotib9 legis Moſaicæ, in eandẽ ſententiã ſcribit, Melchiſedec, Abraham, Iſaac, & Iacob ſpõtanea volũtate, non ſacerdotali auctoritate ſacrificaſſe; ſcilicet ſignificat fuiſſe illos ſacerdotes ἀχειροτονήτους, id eſt, non ex ordinatione, vt poſtea fuerunt in vetere lege ſacerdotes ex ordinatione Moſaica, quæ fuit figura ordinationis ſacerdotalis in nouo teſtamento.

*4 En teſtimonium Apoſt. doctr. in Confeſſ. qui tradunt, hanc legem de Deo ex toto corde diligendo, & totis viribus, & tota mente non poſſe impleri, pertinereque putant ad veterem legem, quam Confeſſio Antuerp. c. 9. de diſcrimine legis, & euang. ob hanc cauſſam dicit, ad deſperationem adduxiſſe, & veluti interfeciſſe, & ad inferos deduxiſſe; quæ ſanè ad vituperationem legis magis quàm laudem pertinent, vt non longè à Simone Mago legis vituperatore abeſſe videantur, cùm clarè dicat Apoſt. lex bona eſt, ſiquis ea legitimè vtatur, & Apoſtolica doctr. naturæ inſitum eſſe tradit diligere Deũ toto corde, totis viribus, ac tota mente. eſt ergo præſto Deus, vt, quod naturæ inſitum eſſe voluit, niſi nos reſiſtamus, benignè adiuuet, vt perficiatur. & paulò ſuprà c. 19. legem decalogi datam laudans Apoſt. doctr. legis naturalis adiutricem vocat, puram, ſalutarem, ſanctam, ex nulla parte deficientem, omni macula carentem, animas conuertentem. quas laudes ex pſalm. 18. ſumpſit.

CAP. XXI. Quòd ſum9 ſub gratia, & nõ ſub ſeruitute legis inductæ, qui in Chriſtum credimus.

VESTRI *verò, qui in vnum Deum nõ neceſſitate credidiſtis, ſed arbitrio ſano vocanti paruiſtis, beati oculi, quia vident, & beatæ aures, quia audiunt; ſoluti enim eſtis à vinculis, & liberati à ſeruitute.* Non *iam dico vos ſeruos, ſed amicos, quoniam cuncta, quæ audiui ex patre meo, nota feci vobis: illis verò, qui noluerunt videre, neque audire, nõ quia priuati eſſent facultate partium animi, ſed quia nimia erat eorum peruerſitas ac malitia, illis, inquam, dedi præcepta non bona, & iuſti-*



*fications,*

*ficationes, in quibus non viuent in ipſis ; non bona dico, illorum ſcilicet propoſito (ferrum enim ad vrendum, & ſcalpellum, ac medicamenta inimica ſunt non valentibus) non ſunt autem ſeruata propter eorum contemptum obediendi; ex quo fit, vt non ſeruata mortem eis afferant.*

CAP. XXII. Quòd lex de ſacrificiis erat lex inducta quam Chriſt⁹ ſuſtulit.

*VOS igitur beati, qui*[*1] *maledicto ſoluti eſtis : Chriſtus enim Dei filius cùm venit,*[*2] *legem habuit ratam, & impleuit; aſcita verò abrogauit, tametſi non omnia, ſed grauiora ; qui illam quidem confirmauit, hæc verò ſilere fecit. rurſuſque arbitrij poteſtatem à neceſſitate liberam hominibus dimiſit, non breui morte mulctans, ſed in altero ſæculo rationem repoſcens. Vnde ait, ſiquis vult venire poſt me, veniat; & rurſus, nunquid & vos vultis abire ? iam verò etiam ante aduentum ſuum ſacrificia ipſa populi ſæpe reſpuebat, quòd in Deum peccare pergeret; eumque ſacrificando, ac non potius pœnitendo propitium fieri exiſtimaret. Sic enim ait: Quid mihi thus ex Saba fers, & cinnamomum ex terra longinqua? Holocauſta veſtra non ſunt accepta, & ſacrificia veſtra non fuerunt mihi iucunda. Et deinceps, Holocauſta veſtra congregate cum ſacrificiis veſtris, & comedite carnes, quoniam non præcepi vobis de holocauſtomatibus, & ſacrificiis, quando eduxi vos ex terra Ægypti. & per Eſaiam ait : Quid mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum ? ait Dominus, plenus ſum, holocauſtomata arietum, & adipem agnorum ſanguinemque taurorum, atque hircorum nolo : neque ſi veniatis, vt appareatis coram me; quis enim requiſiuit hæc de manibus veſtris ? Atrium meum terere non addetis amplius. Si obtuleritis ſiliginem, vanum eſt, thymiama abominatio eſt mihi. Neomenias veſtras, & ſabbata, & diem magnum non feram : ieiunium, & vacationem et feſtos dies odit anima mea. Facti eſtis mihi in ſatietatem. Et per alium Prophetam ait, Recede à me : Sonitum canticorum tuorum, & pſalmum organorum tuorum non audiam. Et Samuel Sauli, qui ſe ſacrificaſſe putabat, Bona, inquit, obedientia ſupra ſacrificium, & auditio ſupra adipem arietum. Ecce enim non vult Dominus ſacrificium, ſicut vult, vt eum audiamus. & per Dauid ait, Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Si eſuriero non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ, et plenitudo eius. Nunquid manducabo carnem taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo ? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Ad hunc modum in omnibus ſcripturis ſacrificia illorum renuit ac repudiat, quòd in peccatis aduerſus eum perſeuerarent. ſacrificia enim impiorum execratio apud Dominum, etenim præter legem illa faciunt. Et rurſus, ſacrificium eorum, vt panis luctus ipſis, omnes enim eis veſcentes contaminabuntur. Si igitur & ante aduentum ſuum cor mundum, & ſpiritum contritum magis quàm ſacrificia requirebat Deus, multo magis poſt aduentum ceſſare ea fecit ſacrificia, inquam, cruenta : finem verò illis impoſuit implendo illa prius. Nam & circumciſus eſt, et aſperſus, fecitque ſacrificia & holocauſtomata, aliiſque conſuetudinibus legis vſus eſt; ac factus eſt ipſe legiſlator plenitudo legis, non quidem lege naturali ſublata, ſed illis abrogatis, quæ per Deuteroſim aſcita fuerant, tametſi non omnibus.*

*1 Non dixit, ſoluti eſtis lege, ſed maledicto; niſi enim legem pro nobis impleuiſſet, adhuc ſub maledicto eſſemus, ſicut ſcriptum eſt, maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. ſimiliter paulò ſuprà, non dixit Apoſt. doctr. liberati eſtis à lege, lex enim eſt decalogus, vt paulò antè dixit, ſed liberati eſtis à vinculis, id eſt, ab illis, quæ Apoſt. doctr. vocare ſolet ἐπεισάκτα, id eſt, aſcita, quæ ad cærimonias, & iudicialia pertinebant, & liberati à ſeruitute, hoc eſt, à coactu ſeruili legis. nō enim lex decalogi per timorem ſupplicij cogit in euangelio iram operans, & morte afficiens ſine miſeratione tranſgreſſorem, ſicut ſub Moyſe. condemnat igitur Apoſt. doct. Lutheranos, qui tradūt non teneri homines in euangelio lege diligēdi Deum toto corde, totis viribus, tota mente, ſed ab ea liberatos eſſe : confugiendumq́; eſſe ad Chriſtum, qui pro nobis legem Dei impleuit. Sic enim ſcribit vnus ex iſtis Lucas Loſſius in prima parte quæſtionum ſui catechiſmi, vbi quærit, quis ſit vſus decalogi, ſiue legis. at ſcriptura, mandatum, inquit, nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos: ipſe verò perfectè dilexit, & ſicut dilexit, mandatū dat, vt diligamus inuicem ; qui enim diligit proximum, ait Apoſtolus, legem impleuit: ergo non ſic impleuit Chriſtus legem dilectionis pro nobis, vt nos non teneamur lege diligendi perfectè, quatenus, adiuuante Deo, naturæ noſtræ cōuenit; ſed potius voluit, vt nos dilectionē eius imitemur. Vnde Apoſtolus in epiſt. ad Hebr. c. 5. didicit, inquit, ex iis, quæ paſſus eſt obedientiam, & conſummatus, factus eſt omnibus obedientibus cauſſa ſalutis æternæ. ſicut igitur ipſe legi dilectionis Dei patris perfectè obediuit, ſic etiam vult nos legi dilectionis obedire perfectè, vt naturæ noſtræ conuenit ſecūdum menſuram donationis eius; ita vt ſi non obediamus, nihil nobis mors eius proficiat, ſiquidem factus eſt per paſſionem cauſſa ſalutis æternæ: quibus nam ? obedientibus, inquit Apoſt. & Ioannes in epiſt. prima, qui ſeruat, inquit, verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. Rurſus idem Lucas inculcans eundem errorem, quòd non teneamur lege diligendi perfectè, ſed ab ea per Chriſtum ſoluti ſimus, obiicit ſibi: Chriſtus dixit de lege, hoc fac, & viues, ergo vita eſt ex lege. Reſponſio: nego, inquit, conſequentiam, quia dictum Chriſti eſt conditionale, ſi hoc feceris, viues, ſed nemo in hac corruptione naturæ implet legem, ergo opus eſt gratuita condonatione per Chriſtum mediatorem, quæ fide accipienda eſt: at ſcriptura, vt paulò antè dixi, planè teſtatur, poſſe à nobis impleri legem dilectionis, ergo ex lege eſt vita, ex lege, dico, quæ per dilectionem impletur, non autem ex lege, quę per timorem, & coactum, de qua illud ad Galatas intelligendum eſt, quod Lutherani non intelligentes quæ loquuntur, obiicere ſolēt: ſi enim lex data eſſet, quę viuificare poſſet, verè ex lege eſſet iuſtitia, de lege enim dicit iram operante, & morte afficiente tranſgreſſorem, quam Apoſtolica doctrina vocat legem coactam, ſcriptura legem ſeruituris; non autem de lege libertatis, quæ ex dilectione impletur, qualis fuit lex decalogi à principio data, vt Apoſt. doctr. dicit, ante ſcilicet quàm pœna, & ſupplicio mortis propter duritiam Hebræorum ſanciretur; quę quidem lex viuificat, vnde ſalutarem eam vocat Propheta pſalm. 18. & Paulus, lex, inquit, bona eſt, ſiquis ea legitimè vtatur; vtitur autem legitimè, qui eam implet ex dilectione, & non ex timore ſupplicij tantùm; tunc, inquit, bona eſt, quia ſcilicet viuificat, & iuſtificat. Rurſus obiicit ſibi iſte Lucas Loſſius contra dilectionem, cuius iuſtitiam odio habet; dilectio implet legem, ergo non fides, ſed dilectio iuſtificat. Reſponſio: nego, inquit, conſequentiam, quia antecedens loquitur de idea, ſeu perfecta dilectione, qualem lex præcipit, ſed dilectio, quam etiam ſancti præſtant, eſt imperfecta, ergo dilectio non iuſtificat, ſed fides, quæ apprehendit gratuitam remiſſionem. rectè iſte neſciens quid diceret, ideam appellauit dilectionem iſtam perfectam, quam fingit, vt ideas Plato : qui cùm ait dilectionem, quam etiam ſancti præſtant, imperfectam eſſe, mendacem facit Ioannem, qui ait, qui ſeruat verbum eius, verè in hoc dilectio Dei perfecta eſt. & rurſus ca. 4. epiſt. 1. perfecta dilectio foras mittit timorem. iterum obiicit ſibi contra iuſtitiam ex dilectione, maxima virtus iuſtificat, dilectio eſt maxima virtus, non fides, 1. Corint. 13. ergo dilectio iuſtificat, non fides. reſpondeo, inquit, ad maiorem per diſtinctionem, eſt maxima virtus coram hominibus, quia pluribus benefacit; ſed fides eſt præcipua virtus, ſeu cultus, qua cum Deo agimus; nam fides apprehendit promiſſam miſericordiam Dei, & agnoſcit Deum veracem. Sic iſte bellus dialecticus poſtquàm ſe bene irretiuit, & nodo inſolubili implicauit & conſtrinxit, non curat vtrum nodum ſoluat, & ſe ex laqueo, quem ſibi iniecit, expediat. quid enim magis fatuum eſſe poteſt, quàm dicere, non eſſe dilectionem maximam virtutem coram Deo, ſed coram hominibus? dilectionem dico ſpiritualem, quæ maximè ſimilem Dei facit & cum eo vnit, quæ ita ſumma eſt coram Deo, vt audeat beatus Ioannes dicere, qui non diligit, non nouit Deum, quamuis cognitione fidei cognoſcat : item quæ eſt vinculum perfectionis, & fidem ipſam ex parte voluntatis perficit, ſine qua cætera omnia dicit Apoſtolus nihil prodeſſe homini, non quidem coram hominibus, ſed nihil prodeſſe coram Deo; immò comparans ibidem dilectionem cum fide & ſpe, nunc autem, inquit, manent fides, ſpes, charitas; tria hæc, maior autē horū eſt charitas, ſiue dilectio, ſcilicet coram Deo maior, ſicut magnæ ſunt coram Deo, fides & ſpes; dilectio enim nunquā ceſſabit: dilectio, inquit, nunquā excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Magn⁹ verò Athanaſius ſic in dialogo orthodoxi, & Macedoniani interpretatur, maior, inquit, eſt dilectio ſpe & fide, ὡς τῆς τῶν ἄλλων ἀρετῶν ἐπιδόσεως αἰτία οὖσα, id eſt, tanquam cauſſa incrementi aliarum virtutum: & ſubiungit, diligentes enim credimus, & credentes ſperamus: fides igitur & ſpes dilectione augentur; & ſola fides ſine dilectione incremento caret. denique Paul. ait in epiſt. ad Eph. ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in dilectione, non dixit, in cōſpectu hominum, ſed in conſpectu eius; hæc eſt igitur maxima virtus coram Deo dilectio ſpiritualis : illa verò dilectio, quæ maxima virtus eſt coram hominibus tantùm, dilectio naturalis eſt, non autem ſpiritualis. vtrumque diſtinxit S. Diadochus in libro de perfectione ſpirituali cap. 74. ſed hæretici nihil diſtinguunt, & omnia confundunt. huiuſmodi ergo ineptiis, & repugnātiis abſurdiſſimis refertæ ſunt reſpōſiones Loſſij ad rationes quas ſibi obiicit, id eſt, quibus ſe conuincit ignorans. huius ergo dilectionis, quæ maxima virtus eſt coram Deo, vt confiteri cogitur Loſſius, ac proinde vita iuſtitiæ ex ea exiſtit, vt argumento ſuo idem concludit, legem in euangelio Chriſtus renouauit, & impleuit : & nobis implere iuſſit, vt eſſemus perfecti; ſicut pater noſter cęleſtis, perfectus eſt.

*2 En Apoſto. doct. quæ diſcrimen legis, & euangelij docet contra Confeſſ. qui ſic legem ab euangelio diſcernunt, vt omnia opera legis in euangelio à iuſtitia excludant. at Apoſt. doctrina legem decalogi confirmatam eſſe ait in euangelio, ſicut Dominus quoque in euang. Matth. docuit; hoc intereſt, quòd in vetere teſtamento, qui irritam faciebant hanc legem, ſine miſeratione duobus aut tribus teſtibus, ſicut Apoſt. ait, moriebatur, in euangelio autem nullus metu mortis in pręſenti cogitur ad facienda mādata huius legis; non enim euangelium per vim & metum exigit tanquam à ſeruis opera legis naturalis, cuius adiutrix erat lex decalogi data, ſed tanquam à filiis liberis ex fide, ac dilectione ea requirit: eaque ad iuſtitiam reputat, ſicut Paul. in epiſt. ad Tim. priore affirmat, cùm ait, ſuperabundaſſe gratiam Domini noſtri cum fide, & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu; gratiam dicit iuſtitiæ ſuperabūdaſſe cum fide, & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Præterea illa quæ in lege erant, non quidem inſita naturæ, ſed aſcita, quæ ad cærimonias, & iudicia pertinebant, & valde grauia, ac moleſta, & multiplicia erant, & ad iugum illud pertinētia, de quo B. Petrus in Act. apoſt. dixit, nūc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque patres, neq. nos portare potuimus. illa, inquā, abſtulit in euāgelio. En igitur diſcrimen legis, & euāgelij in Apoſtolica doctr. traditum. Cōfeſſioniſtæ verò ſic diſcernunt, vt nulla opera legis, quæ eſt decalogus, cum fide, & dilectione ad iuſtitiā euangelij pertinere hęretico errore tradant. quaſi apoſtol⁹ diceret, ſuperabundaſſe gratiā Domini noſtri ſine perfectione virtutum in ſola remiſſione peccatorum, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Sic enim ait Illyric. in defenſione Antuer. Conf. c. 9. de diſcrimine legis, & euāg. iuſtitiam cōſiſtere non in perfectione virtutum, ſed in remiſſione peccatorū ſola. illa ergo rectè Tertull. in libro de pudicitia, onera enim, inquit, legis vſq; ad Ioannē. nō remedia. Onerum iuga reiecta ſunt, non diſciplinarum. libertas in Chriſto non fecit innocētię iniuriā, manet lex tota pietatis, ſanctitatis, humanitatis, caſtitatis, iuſtitiæ, miſericordię, beneuolentiæ, pudicitię, in qua lege beatus vir, qui meditabitur die ac nocte. de qua idē Dauid rurſus, lex Domini inuituperabilis, conuertens animā; iura Domini directā, oblectantia corda. & quæ ſequuntur.



CAP. XXIII. Quomodo impleuit legē Chriſtus, & quæ ex lege abrogauit, aut mutauit, vel tranſtulit in alia.

*LEGEM enim*[*1] *naturalem non ſuſtulit, ſed confirmauit : ſiquidem qui in lege dixerat, Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt, idem in euangelio ait, vt cognoſcant te ſolum verum Deum. & qui dixit, diliges proximum tuum, idem in euangelio ait, renouandi gratia, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. & qui tunc iram interdixit, nunc etiam iram temerè concitatam : Qui tunc adulterium, nunc prauam quoque cupiditatem : Qui tunc furtum, nunc potius beatum prædicat eum, qui ex ſuis laboribus ſuppeditat egentibus: Qui tunc odium vetuit, nunc etiam inimicos amare iuſſit : Qui tunc vltionem prohibuit, nunc tolerantiam ſanxit, non quòd iniuſta vltio, ſed quòd præſtantior ſit tolerantia. Neq; verò legem ſanxit de extirpandis perturbationibus naturalibus, ſed de earum im-*

H 3 *moderatio-*

*1 En Apoſt. doct. quæ Illyricū rurſus mēdacij redarguit, cùm in defenſione Confeſſ. Antuerp. ca. 9. de diſcrimine legis & euāgelij legē ait flagitare exactiſſimā obedientiam, adeò, inquit, vt minores cordis motus in contrarium condemnet, idque dicit aſſerere Chriſtum Matth. 5. neſciens ergo quid loquatur, neq; de quo affirmet, legi tribuit, quod Chriſtus, in loco quem citat, euangelio ſuo tribuit, ſicut hic Apoſt. doct. eum ſecuta tribuit, cùm ait, & qui tunc adulterium, nunc etiam prauam cupiditatem : & prius, qui tunc cædem interdixit, nunc iram quoque temerè concitatam. hæc autem ideò tribuit legi Illyricus cum ſua Antuerpienſi Confeſſione peſtifera, vt ſuis ſectatoribus perſuadeat, iuſtitiam euangelij non in virtutum perfectione, ſed in remiſſione ſola peccatorum conſiſtere. ſic enim Illyricus ait, & Antuerpienſ. Confeſſ. c. 9. contra, inquit, euangelium medicum offert, & medicinam eius præſentiſſimam, nempe Chriſtum cum ſuis meritis, ac beneficiis, iuſtitia, reconciliatione, adoptione, regeneratione, ac vita æterna. at Paulus non ſic docet, ſed potius, quòd euangeliū offert medicū & medicinam eius præſentiſſimā, nempe Chriſtum cum meritis ſuis, & beneficiis, iuſtitia, recōciliatione, & reliquis. ſed quibus offert, & quomodo? cū fide, inquit Apoſtolus, & dilectione, quę eſt in Chriſto Ieſu, cum his enim ait ſuperabundaſſe in euangelio gratiā Domini noſtri; gratiam dicit iuſtitiæ: hac enim gratia iuſtificati ſumus, ſicut idem Apoſt. ad Titum ſcribit. at Confeſſ. Antuerp. hæc tacet, quia Illyricus vnus ex Antuerpienſium prophetis, & auctoribus Confeſſionis, vt paulò antè dixi, non in perfectione virtutum, ſed in remiſſione peccatorum tradit

cōſiſtere iuſtitiam; ſic enim ait in deſenſ. Confeſſ. ca. 9. contra Apoſtolum: ergo vult iſte pſeudopropheta, ſuperabundare gratiam medicinę, id eſt, iuſtitiæ Chriſti ſaluatoris noſtri ſine opere fidei, ac dilectionis noſtræ adiuncto & adhibito in Chriſto Ieſu, vt falſum ſit quod Apoſtol⁹ ait 1. Tim. 1. ſuperabundaſſe gratiā Domini noſtri cum fide, & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & verum, quod tradit Illyricus. ô miſeros homines, qui talem magiſtrū patiūtur!

*moderatione. Item qui iuſſit honorare parentes, idem ipſis ſubiectus fuit; qui tunc iuſſit lege, vt quiete & vacatione ſabbatum celebrarent ad meditandum legem, nunc iuſſit, vt quotidie legem creationis & prouidentiæ conſiderando gratias Deo ageremus. circumciſionem ſuſtulit, quam in ſe impleuit, ipſe enim erat, cui reſeruata erat expectatio gentium. Item qui tunc legem tulerat de ſanctè & religioſè iurando, & peierare vetuerat, idem præcepit nunc non iurare prorſus. Iam baptiſma, ſacrificium, ſacerdotium, cultum loco circumſcriptum aliter mutauit; pro baptiſmis enim quotidianis vnum tantùm dedit, qui fit in mortem eius. Pro vna tribu ſacerdotali iuſſit ex vnaquaque gente optimos quoſque ad *2 ſacerdotium eligere, neque corporum vitia contemplari, ſed religionem, & vitam. Pro ſacrificio cruento rationale, & incruentum, ac illud myſticum *3 ſacrificium corporis, & ſanguinis Domini, quod in ſymbolum mortis eius celebratur: Pro cultu circumſcriptione loci definito, ab oriente vſque ad occidentem in omni loco dominationis eius eundem laudibus celebrare præcepit, & iuſtum eſſe ſtatuit. Non igitur ſuſtulit nobis legem, ſed vincula. De lege verò Moyſes quoque ait, Meditaberis verbum, quod ego præcipio tibi ſedens domi, et ſurgens, & deambulans in via: & Dauid, in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte; in omnibus enim pſalmis vult, vt ſimus ſeruatores legis, & non violatores. Beati, inquit, immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirent eum. & rurſus: Beati ſumus Iſraël, quoniam quæ placita ſunt Deo, nota ſunt nobis. & Dominus ait, ſi hæc ſcitis, beati eſtis, ſi feceritis ea.*

*2 Ecce ſacerdotiū ſpeciale, externū, & viſibile ſecūdum Apoſt. doctrinam contra dogma Proteſtantium Lutheranorum, & contra Caluiniſtas à ſacerdotio ſpirituali, & cōmuni Chriſtianorum neceſſariò diſtinctum; ad illud enim eligendus eſt optimus quiſque iam Chriſtianus: ad hoc verò eligitur catechumenus, cùm fit Chriſtianus.

*3 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ rationale & incruentum ſacrificium ab alio ſacrificio myſtico corporis, & ſanguinis Domini, item incruento planè diſtinguit. poſtquàm enim dixit ſine articulo Græco pro cruento ſacrificio rationale, & incruentum, ſubiungit ſtatim cum articulo & illud myſticum ſacrificium, vt ab antecedente diſtingueret. rationale ergo, & incruentum ſacrificium eſt verbi gratia eleëmoſyna, ſicut Paulus vocauit ea, quæ ab Epaphrodito accepit à Philippenſ. miſſa. at eleëmoſyna non eſt myſterium, nec huiuſmodi ſacrificium fit in ſymbolum mortis Chriſti, vt illud myſticum; immò omne genus beneficentiæ propter charitatem Dei ſacrificium eſt, & dicitur: vt cùm ait Apoſt. in epiſt. ad Heb. beneficentiæ nolite obliuiſci, talibus enim hoſtiis, ſiue ſacrificiis promeretur Deus. item orationes in ſpiritu, & veritate adhibitæ hoſtiæ ſunt ſpirituales. & Apoſt. ipſa etiam corpora noſtra præcipit exhibere hoſtiam viuentem, Deo placentem. verùm hæc non fiunt myſteria, nec ad commemorationem ſacrificij in cruce facti adhibentur, vt ſacrificia myſtica ſint, & dicantur. Præterea licet quis cauillando contenderet, huiuſmodi ſacrificia vtcunque myſtica vocanda eſſe, at ſaltem myſtica ſacrificia corporis, & ſanguinis Domini quomodo eſſe dicet? & illud, quod adiunctum eſt, celebrari illud ſacrificium myſticum in ſymbolum mortis eius: pro quibus Paulus dixit, ſicut à Domino accepit, hoc facite in meam commemorationem: quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. reſtat igitur, vt Apoſtolica doctrina myſticum ſacrificium corporis, & ſanguinis Domini ſacram Euchariſtiam dicat, contra Proteſtantes, & Confeſſioniſtas omnes.

CAP. XXIIII. Quòd voluit Dominus, vt per Romanos quoque lex iuſtitiæ declararetur, & quòd De⁹ propter impietatem in Chriſtum Iudæos fecit captiuos eſſe, & tributum pēdere.

*NEQVE verò vult, vt per nos tantùm lex iuſtitiæ eniteat, ſed voluit, vt per † Romanos quoque luceret ac ſplenderet; nam & ipſi poſtquàm in Dominum Ieſum credidere, à deorum multitudine, atque iniuſtitia deſciuerunt, bonoſque probant, & prauos puniunt; Iudæos verò cogunt conferre tributum, & eos legibus ſuis vti non ſinunt, quippe qui ſeruitutem vltrò ſibi tunc attraxerunt, cùm dixerunt, non habemus regem, niſi Cæſarem; et niſi interfecerimus, inquiunt, Chriſtum, omnes in eum credent, & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.*

*ATQVE ita factum eſt, vt nolentes prophetauerint: Siquidem & gentes in eum crediderunt, & eos ipſos Romani; poteſtate, & cultura legis Moſaicæ priuauerunt, qui neque occidere poſſunt quos ipſi vellent, neque ſacrificare quando vellent; ex quo fit, vt ſint maledicti, vt qui ea, quæ deſcripta ac conſtituta ſunt, facere non poſſint: Maledictus enim, inquit, omnis, qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. Nullo enim modo poſſunt, qui inter gentes diſperſi ſunt, omnia perficere, quæ lex iubet: Siquidem vetat eos Moyſes aram extra Hieruſalem collocare, & legem extra terminos Iudææ legere. Chriſtum igitur ſequamur, vt benedictionis eius hæredes ſcribamur. Cum lege, & Prophetis conuenienter euangelio conſentiamus. Vitemus eos, qui multitudinem deorum introducunt. Vitemus quoque interfectores Chriſti, & prophetarum, & infames,*

atque



*atque impios et ſine Deo hæreticos. Pareamus Chriſto, vt regi, et vt poteſtatem habenti mutandi varias ſanctiones, & in quo ſit vt in legiſlatore ſapientia ad alia atque alia ſanciendum, & ordinandum: illis vbique fixè, & immutabiliter conſeruatis, quæ natura inſita ſunt.*

CAP. XXV. Quòd oporteat fugere ab hæreticis, vt animarū interfectoribus.

*CAVETE igitur epiſcopi, & laici ab omnibus hæreticis, qui legem, & prophetas improbant: hi enim Deo omnipotenti, cui ſunt inimici, repugnant, & non confitentur eſſe filium Dei Chriſtum, negant enim generationem eius ſecundum carnem, pudetque eos crucis, paſſum, & mortuum fuiſſe, inglorium, & inhonoratum putant; excitatum eſſe à mortuis ignorant; tollunt genitum eſſe ante ſæcula: Nonnulli eorum alio modo ſunt impij, qui Chriſtum hominem tantùm eſſe cogitant ex corpore, & anima conſtantem: partim ex eis ſuſpicantur eundem eſſe Ieſum Deum vniuerſi, eundemque ſuiipſius patrem, & eundem filium ac paracletum; quo quid eſſe poteſt execrabilius? Alij rurſus cibos quoſdam vt malos abiiciunt, & nuptias cum generatione filiorum item malas eſſe, & à diabolo excogitatas dicunt; ac ſua malitia impij nolunt à mortuis ſuſcitari, idcirco reſurrectionem criminantur, aientes veneratione nos dignos, qui edere, & bibere nolumus; cogitatione verò fingunt ſe dæmones incorporeos à mortuis ſuſcitādos: ſed hi ad ignem ſempiternum damnabuntur. Cauete ergo ab eis, ne cum eorum impietatibus pariter intereatis.*

CAP. XXVI. De obſeruationibus Iudaicis, & Ethnicis.

*SI qui verò ſunt qui Iudaicos ritus obſeruant, vt fluxus ſeminis, per ſomnium pollutiones, coniunctiones corporum ſecundum legem; reſpondeant nobis, an caueant diebus, & horis, quibus hæc eis accidunt, ne precationes faciant, aut librum tangant? quòd ſi aſſentiantur, liquet eos ſpiritu ſancto, qui ſemper adeſt fidelibus, vacuos eſſe. De ſanctis enim ait Salomon, vt ſe quiſque præparet, vt cùm cubarit, cuſtodiat eum; cùm excitatus fuerit à ſomno, colloquatur cum eo. Etenim ſi tu mulier exiſtimas diebus ſeptem menſtruæ fluxionis te eſſe ſpiritu ſancto vacuam, ergo ſi repentè è vita excedas, excedes ſine ſpiritu ſancto, nulla in Deum ſpe confiſa; cùm habeas alioqui ſpiritum ſanctum prorſus à te non ſeparatum, quippe qui non eſt loco definitus; opus verò tibi eſt precatione, & aduentu ſpiritus ſancti, cùm nihil in hoc peccaueris. Neque enim legitimus concubitus, neque partus, neque ſanguinis fluxio, neque genitalis ſeminis per ſomnium excretio naturam hominis polluere poſſunt, aut ſpiritum ſanctum ſeparare, præterquam ſola impietas, & actio à lege interdicta. Sanctus enim ſpiritus ſemper apud eos permanet, qui eum receperunt, quàndiu ſe dignos eo præſtant; & à quibus ſeparatus eſt, hos ſuo præſidio priuat, & malo ſpiritui addicit: Quiſque enim aut ſpiritu ſancto plenus eſt, aut ſpiritu immundo; neque vtrumque horum caueri poteſt, quin alterum eorum accidere neceſſe ſit: Paracletus enim omne genus mendacij odit, contrà verò diabolus omne genus veritatis. Omnis verò ſecundùm veritatem baptizatus, à ſpiritu quidem diabolico ſeparatus eſt, intra ſanctum verò ſpiritum conſiſtit; & in eo quidem, qui *1 honeſtis actionibus ſtudet, permanet ſpiritus ſanctus, eumque ſapientia, & intellectu implet; neque malum ſpiritum ſinit propè accedere, cuius incurſus, & aggreſſiones obſeruat. Ergo tu mulier, ſi, vt ais, vacua ſpiritu ſancto es, conſequens eſt, vt ſis ſpiritu immundo plena; quippe quem vel nolentem accerſis non precando, neque legendo: diligit enim ille quidem, ſiquis alius, ingratos, ignauos, negligentes, ſomniculoſos; quia & ipſe propter maleuolentiæ morbum ex ingrata memoria profectum ſpoliatus eſt à Deo dignitate, maluitque ex archangelo effici diabolus. Quocirca abſtine mulier à vanis futilibuſque ſermonibus; memor ſis ſemper auctoris tui, & eum deprecare, ipſe enim eſt tuus, & vniuerſitatis dominus. Meditare eius leges, nihil obſeruans, non munditiam naturalem, non coniunctionē corporum legitimam,*

*1 Si ſpiritus S. manet in eo, qui bene operatur, & in eo, qui non, non manet; igitur ex fide ſola ſine operibus, cū mortua ſit, non viuit homo, id eſt, nō iuſtificatur; quod enim iuſtificat, promiſſionem habet vitæ quę nūc eſt, ſicut Apoſt. ait, & futurę. 1. Tim. 4.



*non*

*non partum, aut abortionem, non vitium corporis: huiuſmodi enim obſeruationes inuenta ſunt fatuorum hominum vana, & ſenſu ac ſignificatione carentia. Non enim funus, non oſſa mortui, non ſepulchrum, neque tale quoddam genus cibi, neque fluxus ſeminis per ſomnium, animam hominis inquinare poſſunt, præterquam ſola in Deum impietas, & legis violatio, & iniuſtitia aduerſus proximum, furtum, inquam, & violentia, aut ſiquid iuſtitiæ Dei contrarium eſt, vt adulterium, aut ſcortatio. Eiicite ergo, & fugite chariſſimi huiuſmodi obſeruationes, ad gentiles enim pertinent iſta. neque enim cadauer abominationi habemus, vt illi; quippe qui illud reuiuiſcere ſperamus: Neque legitimum coitum vt malum damnamus, ipſorum enim moris eſt huiuſmodi genus impietatis: Dei enim voluntate fit illa coniunctio maris, & feminæ,* [*2] *quæ iuſta eſt. Siquidem qui fecit hominem à principio, marem, & feminam fecit eos, & dixit, Creſcite, & multiplicate, & replete terram. Etenim ſi diuerſitas figuræ ad propagationẽ multitudinis effecta eſt, igitur voluntate eius mas, & femina miſcentur.*

*2 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ illud Dei præceptum interpretatur, quod Lutherani ſemper in ore ferũt, ad negandum cœlibatum miniſtrorum eccleſiæ, & monachorum. illam enim multiplicationem ſancit, & approbat Deus, quæ iuſtè fit. illis, inquam, voluit dictum eſſe, creſcite, & multiplicamini, quibus cum iuſtitia conueniret, cuiuſmodi non ſunt qui Deo vouerunt cælibatum, & qui ordinari in miniſterio ſacro voluerunt; iuſtum enim eſt ſoluere Deo votum factum: & iniuſtum ac ſacrilegum, iniuſtum item, vt qui fieri voluerunt miniſtri ordinis ſacri, & operas ſuas aſſiduas miniſterio ſacræ eccleſiæ addicere, cogitent amplius, quæ mundi ſunt, quomodo placeant vxoribus, & diuiſi ſint. quod neceſſe eſt euenire, ſi hi miniſtri eccleſiæ ducerent vxores, vel antè ductis deinceps quoq; vterẽtur.

CAP. XXVII.
De amore puerorum, adulterio, fornicatione.

*AT verò non eſt voluntate Dei facta illa contra naturam nefaria coniunctio, aut illa contra legem, quæ inimica Deo eſt; contra naturam enim eſt illa Sodomitarum, & corpus cum beſtiis miſcentium flagitioſa libido; contra legem verò adulterium, & ſcortatio, ex quibus libidinibus, in illis quidem impietas eſt, in his verò iniuſtitia, & denique peccatum: neutrum verò genus euadit impunitum ſecundum propriam diſpoſitionem. Primi enim interitum mundi machinantur, qui quod à natura eſt, contra naturam facere conantur; ſecundi verò iniuriam aliis faciunt, cùm aliena matrimonia violant, & quod à Deo factum eſt vnum, in duo diuidunt, ac liberos faciunt ſuſpectos, et legitimum maritum inſidiis exponunt. ac ſcortatio corruptio eſt proprij corporis, quæ non adhibetur ad generationem filiorum, ſed tota ad voluptatem ſpectat, quod eſt indicium incontinentiæ, non autem virtutis ſignum. Hæc verò omnia legibus vetita ſunt; ſic enim ait ſcriptura: Non cubabis cum mare concubitu muliebri; maledictus eſt enim huiuſmodi, & lapidibus obruite eum, quia abominationem fecerunt. omnem concubentem cum iumento occidite, ſcelus fecit in populo: Et ſiquis mulierem nuptam viro polluerit, interficite vtrumque, ſcelus commiſerunt, rei ſunt, moriantur. Et deinceps: Non erit, inquit, fornicator in filiis Iſraël, & non erit fornicatrix ex filiabus Iſraël. Non offeres mercedem proſtibuli Domino Deo tuo ſuper altare, neque pretium canis; non enim caſtæ ſunt preces ex mercede meretricia. Hæc quidem leges diuinæ vetuerunt; nuptias verò honorarunt, cùm eas benedictas appellauerunt: Benedixit nanque eis Deus, qui feminam cum mare copulauit. ait autem Salomon, à Domino aptatur mulier viro. & Dauid ait, vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ; filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum. Nuptiæ igitur honoratæ & honeſtæ ſunt, & generatio filiorum pura; nihil enim mali ineſt in bono. Ergo neque naturalis purgatio offenſionem Deo mouet, qui vt ea mulieribus interuallo triginta dierum cauſſa firmitatis, & bonæ valetudinis accideret, ſapienter fecit, cùm minus moueantur; quippe quæ plus domi ſedent. immò etiam Dominus in euangelio, cùm illa, quæ ex fluxione ſanguinis laborabat, fimbriam eius ſalutarem tetigiſſet, non duxit graue & moleſtum; neque eam accuſauit, ſed contrà potius ſanauit, illud addens, fides tua te ſaluam fecit. cùm naturalis purgatio cernitur in vxoribus, ne ſe cum eis commiſceant mariti, vt proli*



*proli conſulatur, id enim lex prohibuit, cùm ait, Ad eam, quæ patitur menſtrua, non accedes: neque cum grauidis rem habeant, qui enim habent, non liberis, ſed voluptati operam dant; qui autẽ ſtudioſus Dei eſt, nõ debet eſſe ſtudioſus voluptatis.*

CAP. XXVIII.
Quomodo oporteat vxores ſubiectas eſſe maritis ſuis, & maritos diligere vxores ſuas.

*QVAE maritos habetis, eſtote eis ſubiectæ, eoſque honorate, ac cum timore, & charitate eis ſeruite, vt Sara femina ſancta honorem habebat Abrahæ, quem ne nomine quidem ſuo appellare audebat, ſed dominum vocabat, cùm aiebat, Dominus autem meus ſenex eſt. Similiter qui vxores habetis diligite eas tanquam membra veſtra, ac tanquam ſocias vitæ, & ad liberos ſuſcipiendos* [*1] *adiutrices. Lætare, inquit, ſimul cum vxore ex adoleſcentia tua: cerua amicitiæ, & pullus gratiarum tuarum conuerſetur tecum; tua præeat tibi, & ſit tecum omni tempore; ſi enim in amicitia ipſius circumferris, eris multus. Amate igitur coniuges vt membra veſtra, & vt corpora veſtra: Scriptum eſt enim, Dominus teſtatus eſt inter te, & vxorem adoleſcentiæ tuæ, & ipſa conſors tua, & non alius fecit, & reliquiæ ſpiritus tui, & cuſtodite ſpiritu veſtro, & vxorem adoleſcentiæ tuæ ne derelinquas. Viri igitur cùm in matrimonio legitimo corpora commiſcent, & mutuam coniunctionem corporum dimittunt, precentur ſine obſeruatione; & ſi enim non lauerint, puri ſunt. Qui verò alienam vxorem ſtupro violarit, ac polluerit, aut ſe cum meretrice commacularit, neque ſi ſe inde ſurgens toto mari & omnibus fluuiis abluerit, purus eſſe poterit.*

*1 En Apoſtolica doctrina, quæ Illyricum cœlibatũ cum Proteſtantibus, & Cõfeſſioniſtis impiè tollẽtem refellit, & coarguit. ſic enim ille ſcribit ca. 19. apolog. Confeſſiõis Antuerp. Clarum autẽ habemus Dei mandatum, vt qui ſe idoneos ad coniugiũ agnoſcũt, contrahant, dicente creatore, nõ eſt bonum hominẽ eſſe ſolũ (at Papa contendit eſſe optimũ) & creſcite, & multiplicamini. hactenus ille. Sed quorſum illud ſpectaret, quod Dominus Deus dixit, nõ eſt bonum hominem eſſe ſolum, & quod ſubiungit, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, quod Illyricus ignorauit, interpretata eſt hic Apoſtolica doctrina, cùm ait, qui vxores habetis, diligite eas tanquam membra veſtra, ac tanquam ſocias vitæ, & ad liberos generandos adiutrices. ad illud ergo aſſequendum, quod prius ſcriptura dixerat, creſcite, & multiplicamini, quæ erat lex futura non viris, & feminis matrimonio ſolutis, ſed coniugio copulandis, non erat bonum hominem eſſe ſolum; qui enim cum ſua coniuge eſt, non iam ſolus eſt, ſed ex vno duo factus. Sapientiſſimè enim, vt ait Procopius Gazæus, ex vno duo fecit Dominus Deus, vt rurſus ex duobus fieret vnũ. idcirco ſubiungit ſcriptura, faciamusq; ei adiutorium ſimile ſibi: adiutorium enim dicit ad generandos filios, & ad ſocietatem vitæ. Spiritus igitur Dei, qui dixit, non eſt bonum hominem eſſe ſolum, ſcilicet ad ſocietatem vitæ in omni ſolicitudine, & ad filiorum procreationem, idem dixit per apoſtolum Paulum, exiſtimo bonum eſſe hoc propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe: alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem: ſolutus es ab vxore, noli quærere vxorem: ecce, non Papa contendit, optimum eſſe hominem eſſe ſolum, vt Illyricus fingit, immò Spiritus S. per Paulum. quare autem ſit optimum ſine vxore eſſe, expoſuit idem Apoſtolus, cùm ait, tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi: ego autem vobis parco. & paulò poſt, volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe, qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Vt autem locum Salomonis hic in Apoſtolica doctrina citatum obiter explicemus, vxorem comparat cum cerua, quia ceruam imitari debet ſuauitate morum, ſimplicitate & caſtitate; narrant enim qui de hiſtoria animalium ſcripſerunt, ceruam eſſe animal placidum & ſimplex, ac poſt conceptum à mare ſeparari: eiuſmodi vxor ſuauis, ſimplex, & caſta virum ſuum diligit, ita fit, quod de huiuſmodi vxore ait B. Petrus in laudem pudicitiæ, veluti locum Salomonis explicans, vt Clemens ſcripſit, ἡ σώφρων γυνὴ ἀνδρὶ πεινῶντι συμπεινᾷ, ἀποδημοῦντι συναποδημεῖ, πενομένου ἀνδρὸς τὴν πενίαν φέρει, id eſt, vxor pudica cum viro eſuriente eſurit, cum peregrinante peregrinatur: ſi vir pauper eſt, ſuffert paupertatem. Sic efficitur, vt maritus eius in hunc modum multus exiſtat: quia cùm dolet, non ſolus dolet, ſed cum vxore condolente dolet: ſi laborat, cum collaborante laborat, ſimiliter in cæteris. ſic, inquam, fit πολλός, vt ait Salomon, id eſt, multus, ſiue multiplex, dum ab vxore diligitur.

Petrus apud Clementẽ in altera editione Recognitionum.

CAP. XXIX.
Quòd Iudæis, & Gẽtilibus cõſuetudo ſit obſeruare naturales purgationes, & mortuorũ reliquias auerſari.

*NE ergo obſeruetis quæ in lege obſeruantur, aut quæ naturalia ſunt, quaſi inquinent; neque requiratis Iudaicas ſeparationes, aut crebras lauationes, aut expiationes de cadauere tacto. Sine vlla verò huiuſmodi obſeruatione conuenite in cœmeteriis ad legendum ſacros libros, & canendum pſalmos pro mortuis* [*1] *martyribus, & ſanctis omnibus, qui ſunt à ſæculo defuncti, ac pro fratribus veſtris, qui in Domino* [*2] *mortui ſunt, et Euchariſtiã Deo acceptã* [*3] *antitypon, id eſt, ſacramẽtum regalis*

*1 Ecce Apoſtolica doct. quæ cùm præcipit offerre Euchariſtiam pro martyribus, ſcilicet in gratiarum actionem Deo, qui eos fecit ſanctos, & vt per eorum preces exaudiantur noſtræ, & eorum gloriæ participes efficiamur, calumniam hæreticorum redarguit, qui fingunt offerre nos Miſſas ſanctis; at Apoſt. doct. quam eccleſia catholica profitetur, non præcipit offerre martyribus, ſed pro martyribus. dicuntur autem Miſſæ martyrum, aut aliorum ſanctorum, quia propter eos offeruntur Deo. eſt enim familiare, & vſitatum, vt quod propter nos aliis datur, nos illa accipere dicamur: non enim omnia noſtris manibus accipere ſolemus, ſed interdum per alienas. ſic ſancti accipiunt hæc dona Miſſarum, quia propter eos offeruntur Deo: vt enim hoc fit propter charitatem in Deum, ita illud propter charitatem in ſanctos. Etenim quia eos vehementer diligimus, noſtra reputamus eorum bona; gratulamurque eis, ac pro eorum gloria gratias agimus Deo: immò non ob eam cauſſam tantùm hæc dona Miſſarum ſancti accipiunt, quia propter noſtram in eos charitatem fit hæc oblatio Deo, ſed quia hoc etiam eſt eis in primis optabile, & gratum, quòd propter eos gratiarum actiones & laudes à nobis accipiat Deus. Hæc ad verbum tranſtuli ex libro Simeonis Theſſal. archiep. de myſteriis Miſſæ c. 45. ſic doctiſſimus auctor rationem Miſſas pro ſanctis offerendi exponit, quod hæretici Proteſtantes, & Confeſſioniſtæ criminantur, non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ Philippum, & Illyricum mendacij blaſphemi conuincit: ille enim, ait in reſponſ. ad art. Bauar. inquiſ. art. 17. ac vetus eccleſia propinqua temporibus Apoſt. neq; purgatorium, neque ſacrificia pro mortuis nouit. at Apoſt. doctr. à Clem. Romano deſcripta pro mortuis offerre præcipit. hic verò in defenſione Confeſſ. Antuerp. c. 15. ſic reſpondet Tiletano: proponit ſe velle excuſare memoriam defunctorum ex Auguſt. reſpondeo, inquit Illyricus: non agitur de ſimplici aliqua memoria defunctorum, ſed de Miſſis pro mortuis, quas tempore Auguſt. probet, ſi poteſt, vel audet. En igitur ſuo teſtimonio, & auctoritate probat Apoſt. doctrina plusquàm à Tiletano Illyricus poſtulat, iubet enim à temporibus Apoſtolorum offerre pro mortuis ſanctam Euchariſtiam. quod in Miſſa fit. Sub-

*regalis corporis Chriſti* *4 *offerte in eccleſiis veſtris, & in cœmeteriis; atque etiam cùm excedunt è vita proſequimini cantu pſalmorum, ſi fuerint fideles; pretioſa enim in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. & aliàs, memoria, inquit, iuſti cum laudatione, & iuſtorum animæ in manu Domini. Qui enim Deo crediderunt, quamuis iaceant in ſepulchro, non ſunt mortui; ait enim Dominus Sadducæis: De reſurrectione mortuorum non legiſtis quod ſcriptum eſt, ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob? non eſt igitur Deus mortuorum, ſed viuorum Deus, omnes enim ei viuunt. ergo eorum, qui apud Deum viuunt, ne reliquiæ quidem corporum ſunt inhonoratæ: ſiquidem Eliſeus propheta poſtquàm defunctus eſt, mortuum ſuſcitauit à piratis Syriæ occiſum, attigit enim corpus eius corpus Eliſei, & excitatus reuixit; quod quidem nunquàm accidiſſet, niſi corpus Eliſei ſanctum eſſet. Et caſtus Ioſeph Iacob patrem iam defunctum in lecto iacentem amplexus eſt; item Moyſes, & Ieſus filius Naue reliquias corporis Ioſeph ferebant, neque ſe tamen cadauere contaminari putauerunt. Quocirca & vos epiſcopi, ac reliqui, ne exiſtimate pollui, ſi mortuos contingere & tractare non caueatis: neque eorum reliquias auerſemini, eiectis huiuſmodi obſeruationibus ſtultis; ornateque vos ſanctitate, & pudicitia, vt immortalitatis, ac regni Dei participes efficiamini, & promiſſum Dei obtineatis requieſcentes per Chriſtum Saluatorem in ſempiternum. Ei ergo, qui poteſt aperire aures cordis veſtri ad amplectenda verba Dei miniſtrata per euangelium, & per doctrinam Ieſu Chriſti Nazareni, qui ſub Pontio Pilato, & Herode in crucem ſublatus eſt, & mortuus, atque à mortuis excitatus, & iterum in conſummatione ſæculi adfuturus cum gloria, & poteſtate magna, qui mortuos quidem ad vitam reuocat, mundo verò finem affert, & vnicuique pro dignitate, ac meritis, retribuit; qui ſeipſum pignus reſurrectionis nobis dedit, & in cælum per poteſtatem Dei patris aſſumptus eſt ante oculos noſtros, qui cum eo comedimus, & bibimus diebus quadraginta, poſtquàm à mortuis ſuſcitatus eſt, & qui ſedet à dexteris throni magnificētiæ omnipotentis Dei ſuper Cherubin, qui audiuit, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum; quem vidit beatiſſimus Stephanus ſtantem à dextris virtutis, & dixit cum clamore, ecce video cælos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris Dei tanquam pontificē omnium ordinum ratione vtentium; ei inquam, & per eum veneratio, & magnificentia, ac gloria omnipotenti Deo, & nunc, & in ſæcula, Amen.*

iungit deinde Illyric⁹: nam quòd veteres intercommunicandum recitarũt nomina martyrũ, aliorũque piè mortuorum, & tunc ſe mutuo ad eorum imitationem excitarunt, tum etiam Deo de eorum pia obdormitione gratias egerunt, longè alia res fuit, ac in infinitũ à Miſſa differēs. Pro eo quod hic confitetur Illyricus ſolitos veteres communicare recitatis nominibus martyrum, & aliorũ piè mortuorum, Apoſt. doctr. non communicare, ſed offerre dixit, & præcepit. addit præterea aliud mendacium Illyr. ad decipiendum ſimplices, ſic enim ait de beato Baſilio, & Chryſoſtomo, quorũ Miſſas illi obiecerat Tiletanus, neuter eorum ex Græcâ Miſſa facit ſacrificium propitiatoriũ, neq; per eā vult animas ex purgatorio redimere; at in Miſſa Baſilij ſacerdos hoſtiam in altari ante ſe poſitā ſe ait precari ὑπὲρ ἀναπαύσεως καὶ ἀφέσεως τῆς ψυχῆς τοῦ δούλου σου, id eſt, pro requie, & remiſſione animæ ſerui tui: & ſequitur ἐν τόπῳ φωτεινῷ ἔνθα ἀπέδρα λύπη καὶ στεναγμός, ἀνάπαυσον αὐτοὺς ὁ θεὸς ἡμῶν, id eſt, in loco lucenti, vbi abeſt dolor, & gemitus, requieſcere eas fac Deus. idem fit in Miſſa Chryſoſtomi. quòd ſi his duobus antiquis, & magnis auctoribus non credit Illyricus, & adhuc antiquiorũ teſtimonia requirit, & verbũ ipſum propitiationis, credat Cyrillo Hieroſolymitano eius ciuitatis epiſcopo, vnde Apoſt. prædicatio egreſſa eſt, ſicut ſcriptum eſt in Eſa. propheta, ex Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem. Is igitur in catecheſi 5. myſtagogica, & nos, inquit, pro defunctis preces ei offerētes quãuis peccatores ſint, non coronam teximus ad offerendum ſcilicet, ſed ipſum Chriſtum, inquit, pro noſtris peccatis immolatum offerimus ἐξιλεούμεθα ὑπὲρ αὐτῶν καὶ ἡμῶν τὸν φιλάνθρωπον, id eſt, ſacrificium propitiationis pro illis, & pro nobis offerentes. ſic enim paulò antè vocauit ſanctam Euchariſtiam θυσίαν ἱλασμοῦ, id eſt, ſacrificium propitiationis. quòd ſi adhuc Illyricus nomen Miſſæ pro mortuis oblatæ requirit, habet in epiſtolis ad S. Bonifacium apoſtolum Germaniæ, à quo fidem populi vtriuſque Germaniæ ante annos propè octingentos acceperunt; ſic enim ad eum ſcripſit Bugabilis monialis: ſimiliter depoſco, vt oblationes Miſſarum offerre digneris pro anima mei propinqui. idem rogat in alia epiſtola Leobguda. quid hic reperiet ad ſubterfugiendum veritatem Illyricus heri natus, & Lutheri apoſtatæ diſcipulus, melior ſcilicet, & doctior quam S. Bonifacius.

*3 Redarguit hæc Apoſt. doctrina ſacramentarios, ſiquidem non typum corporis dixit, ſed antitypon corporis; ſi enim eſſet typus corporis, non eſſet verum corpus, quia imago, vel figura rei non eſt res ipſa propriè. ſignificat ergo antitypon corporis eſſe verum corpus; ſicut beatus Petrus baptiſma, quod eſt vera arca ſalutaris, per quam verè ſalui facti ſumus, vocat antitypon arcæ illius, quæ erat typus & figura baptiſmi. *Sic* etiam loquitur Cyrill. Hieroſ. in catecheſi 5. guſtãtes, inquit, non panem guſtatis, ſed antitypon corporis Chriſti. idem ſurſus in ſuperiori catecheſi 4. dixit in typo panis datum eſſe corpus, & in typo vini ſanguinem, pro eo quod nos dicimus, in ſpecie panis, & vini; quod igitur eſt ſub typo panis, antitypon corporis eſt, & dicitur. redarguit igitur Apoſt. doctr. Caluini dogma, qui negat ore corporis manducari corpus Domini, ſed tantùm fide, & ſpiritualiter. Etenim ſi per conſecrationem non efficitur, vt ſit in altari verum corpus Chriſti, typus corporis Chriſti, & non antitypon corporis Chriſti dicendum erat hic ſecundum Caluinum Apoſt. doctr. correctorem.

*4 En Apoſtolica doctrina, quæ Philippum de impietate condemnat, cùm in reſponſ. ad art. Bauar. inquiſit. art. 28. an venerationem imaginum, & ſtatuarum, & oſſium diuorum approbent, reſpondet impius magiſter, omnia hæc impia ſunt, & cultus idolorum, alloqui ſtatuas, aut oſſa. immò impius Philippus in Deum, & in ſcripturas ſanctas, qui dum impios nos vocat, quòd oſſa ſanctorum honoramus, non in nos, ſed in Deum blaſphemiam iacit, qui oſſa ſanctorum mirabilium virtutum operationibus ad noſtram vtilitatem, & ædificationem honorare ſolet. an dicet, impium fuiſſe Deum, & cultum idolorum docuiſſe, quia ita corpus mortuum Eliſei honorauit, vt eo tacto mortuum ſuſcitari voluerit? aut ſi Deus ſic honorauit oſſa Eliſei, erimus nos impij, ſi honoremus, quæ Deus honorauit? et ſi Ioſeph corpus mortuum Iacob amplexus eſt, quod ad honorem corporis, in quo anima iuſti habitauerat, & quod ei ſeruierat, ſecundum Apoſtolicam doctrinam pertinebat, erimus nos impij, & idololatræ, ſi reliquias ſanctorum oſculemur? ſi ad idolorum cultum hoc pertinet; ergo



net; ergo crimen idololatriæ commiſit Ioſeph ſecundum Philippum. idem dicendum eſt de Moyſe, & Ieſu Naue, quos Apoſtolica doctrina ad exemplum imitationis commemorat, qui reliquias Ioſeph honorarunt ferendo eas in terram promiſſionis. Cyrillus Hieroſolymitanus epiſcopus ante annos amplius mille ducentos ſecundum traditionem Apoſtolicæ doctrinæ, quæ ex Hieruſalem, vbi fuit epiſcopus, iuxta prophetiam Eſaiæ exiuit, ſic in catecheſi 18. ſcripſit de Eliſeo, reddens rationem, cur tacto corpore mortuo Eliſei ſuſcitatus eſt alter mortuus, & non potius ſurrexit Eliſeus, vt viuus mortuum ſuſcitaret, ſicut ſuſcitauerat filium illius mulieris de vxoribus prophetarum; ne, inquit, animæ tantùm Eliſei aſcriberetur opus ſuſcitationis; quin potiùs doceremur, etiam abſente anima, virtutem quandam in corpore ſanctorum eſſe propter animam iuſtam, quæ tot annis in illo habitauit, & cui illud ipſum corpus ſeruiuit; καὶ ἵνα μὴ ἀπιστῶμεν ὡς νήπιοι γεγενημένου τούτου, id eſt, & ne non credamus tanquã paruuli, poſtquàm hoc factum eſt. Sic fecit Philippus, tanquam paruulus, id eſt, paruam habens fidem, immò nullam, noluit credere quod omnes catholici credunt, ſicut ſcripturæ ſanctæ, & tot quotidie miracula credere docuerunt. Subiungit deinde Cyrillus: ſi enim ſudaria, & ſemicinctia, quæ extra corpus ſunt, tacta ab ægrotis ſanant, quanto magis corpus prophetæ ſuſcitaret mortuum? item Magnetes auctor grauiſſ. ante annos propè mille ducentos lib. 4. contra Theoſthenem Gentilem euangelia reprehendentem, oſſa, inquit, prophetarum non ſunt oſſa mortuorum, quia Deus non eſt niſi viuorum: de his ſcriptum eſt, conſeruat Dominus omnia oſſa eorum. manifeſtum itaque eſt, quòd oſſa ſanctorum non ſunt mortua, ſed potius plena virtute. Si enim fimbria propter illum, qui ferebat eam, credenti dedit virtutem ſanitatis, & ſolo tactu curationem fecit; πῶς οὐ φῶμεν τοὺς ἁγίους κρασπέδων ἀψύχων τιμιωτέρους ὑπάρχοντας ἰσχύειν τοῖς πιστεύουσιν ἀνενδοιάστῳ γνώμῃ παρέχειν τὰ κρείττονα, οἷς καὶ ζῶντας ἐν σώματι ὡς ἱμάτιον ὁ Χριστὸς ἀνεβάλλετο, καὶ μετὰ θάνατον ὡς πορφύραν τιμήσας τῆς ἀξίας βασιλικῆς πεποίηκε. id eſt, quomodo, inquit, non dicamus ſanctos fimbriis inanimis honorariores non poſſe iis, qui ſine vlla dubitatione credunt, tribuere meliora? quibus Chriſtus, dum in corpore viuebant, tanquam veſte induebatur, & poſt mortem tanquam purpuram honore dignitatis regalis affecit. idem paulò antè ait fuiſſe hæreſim Manichæi, & Marcionis, eſſe corpora martyrum βδελυκτά, id eſt, eſſe in abominatione, & horrore, neque differre à ſepulchris ſceleratorum; at pretioſa, inquit ſcriptura, in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. quòd ſi pretioſa, inquit hic auctor, & honorabilis apud Deum, quomodo non eſſe apud homines ab impoſtoribus audiemus? impoſtor igitur fuit Philippus, & Manichæorum hæreſim magiſter eius Martinus Lutherus renouauit.

# LIBER SEPTIMVS,

## De vita Chriſtiana, & gratiarum actione, & de Catecheſi ante baptiſmum.

CAP. I. Quòd duæ ſint viæ, vna vitæ, quæ naturalis via eſt; altera mortis, quæ eſt via aſcita; & inducta: & quòd illa eſt de Deo, hæc ex prauitate ſecũdum inſidias inimici.

CVM *Moyſes legiſlator dixiſſet Iſraëlitis, Ecce dedi ante faciem veſtram viam vitæ, & viam mortis, & deinde ſubiungeret, Elige vitam, vt viuas; & Elias propheta populo, Quouſque tandem claudicabitis vtroque poplite veſtro; Si Deus eſt Dominus, ſequimini eum: conſentaneum fuit, vt etiam Dominus Ieſus diceret, Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vni adhærebit, & alterum contemnet. Quocirca nos quoque Chriſtum magiſtrum noſtrum ſecuti, qui eſt ſaluator omnium, & maximè fidelium, omnino dicimus, duas eſſe vias, alteram vitæ, alteram mortis, quarum nulla ſit conuenientia propter magnam inter ſe diſcrepantiam, immò omnibus modis diſiunctæ ſunt; ac via quidem vitæ ſecundum naturam eſt, via verò mortis aſcita; quòd mors non ex voluntate Dei, ſed ex inſidiis alieni ſpiritus extitit.*

CAP. II. Morales admonitiones præceptorũ Domini conſentiētes cũ vetere præceptione legum diuinarum.

PRIMA *ergo eſt via vitæ, quæ illa quidem eſt, quam lex ſancit iubendo, vt toto corde, & totamente Dominum Deum diligamus, qui eſt vnus, & ſolus, præter quem alius non eſt; & proximos, vt noſipſos item diligamus: & vt quicquid non vis tibi fieri, alteri ne facias. Benedicite iis, qui vobis maledicunt, orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: Diligite inimicos veſtros; quæ enim vobis gratia, ſi diligitis eos, qui vos diligunt? hoc enim & Ethnici faciunt: vos autem diligite eos, qui vos oderunt. Neminem habebitis inimicum: Ne oderis, inquit, omnem hominem, non Ægyptium, non Idumæum, omnes enim ſunt à Deo effecti. fugite ergo non quidem naturas, ſed voluntates, & animos improborum. Abſtine à carnis, & mundi cupiditatibus. Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi alteram; non quidem quòd malum ſit factam iniuriam à te propulſare, ſed quòd præſtet tolerare, & perpeti: ait enim Dauid, ſi reddidi retribuētibus mihi mala. Si quis te angariauerit mille paſſus, vade cum illo & alia duo; & ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte & pallium; & qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas: Petenti à te da ei, & volenti mutuari à te, ne auerſus, manum claudas; iuſtus enim vir miſeretur, et cōmodat; pater enim cæleſtis, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, vult vt omnibus tribuamus. æquum ergo eſt largiri omnibus ex propriis*

priis

*priis laboribus: ait enim ſcriptura, honora Dominum ex tuis iuſtis laboribus. in primis verò largiendum eſt ſanctis.*

CAP. III.
Vetatio homicidij, adulterij, maſculę veneris, ſcortationis, furti.

NON *occides, id eſt, ne hominem, qui tui ſimilis eſt, morte afficias, diſſoluis enim quæ rectè effecta ſunt; non quidem quòd omnis cædes improbanda ſit, ſed innocentis ſolummodo: quæ autem iuſta cædes eſt, ſolis magiſtratibus reſeruata eſt. Non adulterabis, diuidis enim vnam carnem in duo; ait nanque ſcriptura, erunt duo in carnem vnam: ſunt enim maritus & vxor † vnum* *1 *natura, conſpiratione, vnione, affectione, vita, more; distincti verò ſunt figura corporis, & numero. Neque pueros vitiabis, præter naturam enim eſt eiuſmodi libido, nata ex Sodomorum ciuitate, quæ igne à Deo miſſo conſumpta & deleta eſt: maledictus enim qui huiuſmodi eſt; & dicet omnis populus, fiat. Non ſcortaberis, non enim, inquit, erit ſcortator in filiis Iſraël. Non furaberis; Achar enim propter furtum, quod in populo Iſraëlitico in Hiericho fecit, lapidatione interfectus eſt: Item Giezi poſt factum furtum, & dictum mendacium, hæreditatem lepræ Naaman cepit; & Iudas, qui pecuniam pauperum auertebat, Dominum gloriæ Iudæis prodidit, ac pœnitentia ductus laqueo ſe ſuſpendit, crepuitque medius, & effuſa ſunt omnia viſcera eius: Ananias, & Sapphira vxor eius, quia ſuorum bonorum* *2 *furtum fecerunt, & ſpiritum Domini tentarunt, ſtatim ſententia Petri coapoſtoli noſtri interfecti ſunt.*

*1 Si eſſe virum & vxorem duo in carnem vnã, ſacramentum magnum eſt in Chriſto, & in eccleſia, vt Paulus per ſpiritum Dei in epiſt. ad Eph. interpretatus eſt, profectò totidẽ vnitates in cõiugio Chriſti, & eccleſiæ perfectiſſimo eſſe debebãt, quot in coniugio humano, viri & vxoris perfecto: vt iam vbi nã eccleſia ſit, quæ cũ Chriſto in matrimoniũ copulata eſt, ex iſta ſextuplici vnitate à S. Apoſtolis tradita, planè diſcerni & dignoſci queat; vt ſi aliqua deficiat, ibi Chriſtus eccleſiam non habeat ſponſam coniugio corporali & ſpirituali perfectiſſimè copulatam, vt habere neceſſe eſt, ſi eccleſia eſt: in coniugio autem humano non ſic euenit, vt ſi aliqua ex iſta multiplici vnitate deficiat, continuò non ſit coniugium. poteſt enim eſſe coniugium, quamuis non ſit ex omni parte perfectum, & ſanctum. erit enim coniugium verum, ſi fuerit ſola vnitas carnis per matrimonij nexum: ſic vocat Tertull. in libro de velandis virginibus. hanc vnitatem operatur mutuus conſenſus legitimè contrahentium. Eſt igitur prima vnitas naturalis in coniugio Chriſti, & eccleſiæ; ſicut ſcriptum eſt, Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus. quia enim, inquit Apoſt. pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem: ſed quia caro rurſus, ſicut Dominus dixit, non prodeſt quicquam, & ſpiritus eſt qui viuificat, idcirco carnem ſuam virtute diuinitatis vnitæ viuificam eccleſiæ dedit, vt per eſum eius in ſacramento Euchariſtiæ vnione vera corporali & ſpirituali vniretur cum Chriſto ſponſo. hanc vnitatem, naturalem vocat beatus Hilarius libro 8. de trinitate, & beatus Cyrill. libro 10. in Ioann. c. 6. id eſt, veram vnionem corporalem, & non ſpiritualem tantùm per fidẽ, vt Caluinus hęreſiarcha docuit. hac vnione efficitur eccleſia concorporalis Chriſto, ſicut Apoſt. in epiſt. ad Eph. vocat, vt idem quoque Cyrillus interpretatur. Proteſtãtes igitur eccleſiam Chriſti ſponſam non habent, quia cùm ſacerdotes, qui ſecundum inſtitutionem Domini à S. Apoſtolis traditam, ab epiſcopis ordinandi ſint, non habeant, neque communionem carnis Chriſti viuificæ habere poſſunt, qua efficiantur concorporales Chriſto non participatione ſolùm humanæ carnis, quæ extrinſecus cernitur, caro enim non prodeſt quicquam, ſed communione carnis, & ſpiritus, quod eſt fieri conſortes diuinæ naturæ, vt beatus Petrus eos, qui ſunt eccleſia Dei, in epiſtola ſua ſecundâ vocat. Conſortem quoque, & participem viri vocat vxorem Malachias proph. Alia vnitas eſt cõſpirationis, & concordiæ eccleſiæ cum ſpõſo ſuo Chriſto, ad defendenda ſcilicet antiqua fidei dogmata, & eorum fidem continuandam: quæ conſpiratio vbi reſtincta eſt, ibi eccleſia deſita eſt, vt apud Proteſtantes, qui à conſenſu eccleſiæ patrum, & maiorum ſuorum deſciuerunt. Alia vnitas eſt vnionis, vbi enim ſchiſma eſt, ibi aut omnino eccleſia non eſt, vt apud Proteſtantes, qui nullos penitus eccleſiæ miniſtros habent: aut eccleſia ſchiſmatica eſt, vt eccleſia Græcorum, quæ epiſcopos, & reliquos miniſtros habet: ſed horum eccleſia vnionem cũ Chriſto non habet, qui beato Petro, ſuper quem eccleſiam ſponſam ſuã ædificauit, non adhæret. Alia eſt vnitas affectus. non enim ſatis eſt non eſſe eccleſiam ſciſſam, vt ſpõſa Chriſti ſit, ſed oportet ei obedire in omnibus: quod cùm in eccleſia Proteſtantium, quã ipſi vocant, non ſiat, conſequens eſt, vt non ſit ibi eccleſia Chriſti ſponſa. non enim eſt ſubiecta Chriſto, quę fidei Petri non eſt ſubiecta; neque Chriſtus eam diligit; ex ſubiectione enim eccleſiæ, & ex dilectione ſpõſi Chriſti exiſtit iſta vnitas τῆς ἀγαθότητος, id eſt, affectus. Alia eſt vnitas vitæ in coniugio, cùm ſimul habitant coniuges. Vnde apud Proteſtãtes non eſt eccleſia, quæ ſit ſponſa Chriſti, quia non habet Chriſtum ſecũ habitantem; iſti enim tradunt, non eſſe Chriſtũ in domo Dei, quæ eſt eccleſia, extra vſum Euchariſtiæ; cùm Apoſtolus dicat, habentes viam nouam, & viuentem per velamen, id eſt, carnem ſuam, & ſacerdotem magnum ſuper domum Dei, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei. Et Ezech. proph. ca. 37. ponam, inquit, ſancta mea in medio ipſorum in perpetuum. Sic enim eſt apud Lxx. ſancta ſua vocat Chriſtus carnem ſuam glorioſam, ſicut Paul. locum Eſ. c. 55. in actis Apoſt. c. 13. interpretatus eſt, quòd autem ſuſcitauit eum à mortuis amplius iam non reuerſurum in corruptionem, ita dixit, quia dabo vobis ſancta Dauid fidelia. ideoque & aliàs dicit, non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. ita quoque ſacerdos in orationibus, quæ in Miſſa poſt communionem aliquando recitantur, corpus, & ſanguinem, quæ ſumpſit, vocare ſolet ſcripturam imitatus, ſancta tua, inquiens. ergo Proteſtantes quamuis in vſu Euchariſtiæ Chriſtum haberent, quia extra vſum in eccleſia eſſe negant, eccleſiam Chriſti ſponſam non habent; quia Chriſtus extra vſum in eccleſia, & cum eccleſia habitat: nunc autem nec in vſu, nec extra vſum Euchariſtiam habent nec habere poſſunt, donec ſacerdotes ab epiſcopo ordinatos habeant. de qua re libros duos de hierarchicis ordinationibus miniſtrorum eccleſiæ iampridem ſcripſi, & alteros duos poſtea, quos de eccleſia, & iure vocandi miniſtros eccleſiæ, inſcripſi. Alia, & poſtrema eſt vnitas moris in Chriſto, & in eccleſia ſponſa eius, quam vnitatem moris non ſolum non habet eccleſia Proteſtantium, ſed damnat; & ideò eccleſia Chriſti non eſt, ſed Satanæ. iſti enim ſunt, qui execrantur vitam communem monachorum, & religioſorum à S. Apoſtolis ad illorum exemplum inſtitutam, de quibus ſcriptum eſt, Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna; neque quiſquam eorum, qui poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia. de his prophetauit Dauid inquiens, qui habitare facit vnius moris in domo. non poteſt igitur ea eccleſia Chriſti ſponſa eſſe, quæ mores, quos ſponſus per apoſtolos eccleſiæ ſuæ tradidit, damnat & exagitat, vota dico continentiæ, paupertatis, & obedientiæ, quæ eccleſia catholica Chriſti ſponſa ſemper coluit. hæc enim ſunt, quæ in primis, eſſe vnius moris in domo, diuinè faciunt.

*2 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ Confeſſionem doctrinæ Saxonicarum eccleſiarum de ſacrilegio condemnat, cap. 11. de vita monaſtica ſic ait: ad tales vſus pios, ad alendos paſtores, pauperes, & ſcholaſticos, ad conſtituendas ſcholas, ad iuuanda hoſpitalia magna pars redituum in monaſteriis in his regionibus Dei beneficio tranſlata eſt. Etenim ſi Ananias & Sapphira vxor, quia de ſuis rebus, quas antè poſſederant, furtum fecerunt, ſententia beati Petri ſtatim interierunt; quod ſupplicium eos manet, qui ea quæ nec antea poſſederunt, nec eis donata fuerunt, ſed monaſteriis, id eſt, Deo, per vim rapiunt. quòd enim iactant tranſtuliſſe illa ad vſus pauperum, honora, inquit ſcriptura, Dominum de iuſtis laboribus tuis. non eſt autem iuſtum, ſed iniquum rapere alienum, immò ſacrilegum, rapere quæ Domini ſunt, vt pauperes, & hoſpitalia de ſacrilegio alantur. nec æquum erat, vt quibus creditæ erant animæ monachorum, quæ precioſiores ſunt, non eſſent eis credita bona monaſteriorum, vt à quo animarum ratio repoſcenda erat, id eſt à Deo, ab eo eſſet repoſcenda ratio bonorum.



bonorum: quòd ſi bonis monaſteriorum in fraudem, & iniuriam pauperum abutebantur, ad epiſcopos diœceſeon erat referendum, quos Proteſtantes quoque ſuſtulerunt: & ſimili ſacrilegio eccleſiarum bona, quæ illis vnà cum animis fidelium commiſſa erant, magiſtratus in quos vſus viſum eſt eis, tranſtulerunt. vt cum Anania & Sapphira iudicentur, immò grauius: quia illi ex parte fraudarunt in iis, quæ prius ſua fuerant; iſti ex toto fraudant in iis, quæ nunquam.

CAP. IIII.
Vetatio magiæ, interfectionis filiorum, periurij, falſi teſtimonij.

NON *eris magus, neque veneficus; veneficos enim, inquit, non ſinetis ſuperſtites eſſe. Non facies cædem filij tui, neque conceptum perimes: omnis enim fœtus figuratus ac formatus, qui iam animam à Deo accepit, ſi occidatur, vindicabitur, tanquam iniuſtè occiſus. Non concupiſces res proximi tui, vt vxorem, ſeruum, bouem, aut agrum. Non peierabis, dictum eſt enim, non iurabis omnino; ſin minus, ſaltem iura verum, quia laudabitur omnis qui iurat in eo. Non falſum teſtimonium dices, quia qui calumniatur pauperem, irritat eum à quo effectus eſt.*

CAP. V.
Vetatio maledicentiæ, iræ reſidẽtis, moris doloſi, otioſi ſermonis, mendacij, circũuentionis, ſimulationis.

NON *maledices, ait enim, ne delecteris maledicendo, ne extirperis: neq; eris memor iniuriarũ, vię enim eorum, qui iniuriarum memores ſunt, ad mortem ducunt. Non eris duplici ſententia, neque duplici lingua, laqueus enim fortis viro propria labia, & vir linguoſus non dirigetur in terra: ſermo tuus non erit vanus, de omni nanque otioſo verbo rationem reddetis. Non mentieris, perdes enim, inquit, omnes qui loquuntur mendacium. Non eris circumuentor, neque rapax; væ enim, inquit, ei qui proximum circumuentione mala circumuenit.*

CAP. VI
Vetatio peruerſitatis, acceptionis perſonarum, irę, odij, inuidię.

NON *eris hypocrita, ne partem tuam cum hypocritis ponas. Non eris prauus, neque ſuperbus, ſuperbis enim reſiſtit Dominus. Non accipies perſonam in iudicio, quia Domini eſt iudicium. Non odio habebis quemquam hominum, fratrem tuum argues, & non propter eum peccatum ſuſcipies. Reprehende ſapientem, & diliget te: Fuge omne malum, & quicquid ſpeciem, & ſimilitudinem mali habet: Abſtine enim, inquit, ab iniquo, & tremor non appropinquabit tibi. Ne ſis iracundus, neque inuidus, neque æmulator, neque furioſus, neque audax, ne eueniat tibi, vt Caino, & Sauli, ac Ioab: Nam Cain fratrem ſuum Abelem occidit, quia fuit apud Deum honore antelatus, et ſacrificium eius antepoſitum. Saul Dauid ſanctum virum inſectabatur, poſtquàm Goliat Philiſthæum deuicit, quia laudibus, quas ſaltatrices canebant, inuidit: Ioab verò duos duces exercitus interfecit, Abner ducem Iſraël, & Abſalonem ducem Iudæ.*

CAP. VII.
De cantione augurali.

NE *ſis augur, auguratio enim ad cultum idolorum ducit: Augurium, inquit Samuel, peccatum eſt; & non erit auguratio in Iacob, neque vaticinatio in Iſraël. Non eris incantator, neque filium tuum luſtrabis, neque diuinabis, neque augurium ages, neque volatus auium obſeruabis, neque diſces prauas diſciplinas, hæc enim lege etiam vetita ſunt. Ne ſis deditus concupiſcendis malis, ad nimia enim peccata traheris. Non eris turpiloquus, neque iniector oculorum, neque vinolentus, hinc enim ſcortationes, & adulteria oriuntur. Ne ſis auarus, vt non ſeruias mamonæ vti Deo. Ne ſis auidus inanis gloriæ, neque elato animo, neq. alta ſapiens; ex his enim omnibus exiſtunt arrogantiæ. Memẽto eius, qui dixit, Domine, Non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me; ſi non humiliter ſentiebam.*

CAP. VIII.
Vetatio obtrectationis, cõtumacię, ſuperbię, & audaciæ.

NE *ſis obtrectator, memor ſupplicij de iis ſumpti qui Moyſi obtrectauerunt; ne contumax, ne malitioſus, ne duro et inflexibili corde; ne ſis iracũdia efferueſcens, neque prauo animo, hæc enim omnia ad blaſphemiam ducunt; ſis mitis, vt Dauid, quia mites poſſidebunt terram.*

CAP. IX.
De longanimitate, innocentia, manſuetudine, tolerantia.

SIS *longanimis, quoniam qui talis eſt, multa prudentia præditus eſt; rurſus verò, qui paruo, & anguſto animo eſt, inſigniter imprudens eſt. Sis miſericors, beati enim miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Sis innocens, quietus, bonus, & tremens ad ſermones Dei. Non te extolles, vt Phariſæus;*

I quoniam

*quoniam omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & quod altum eſt in hominibus, abominatio apud Deum: Non permittas animæ tuæ audaciam, quia vir audax incidet in mala. Non verſaberis cum inſipientibus, ſed cum ſapientibus, & iuſtis; qui enim verſatur cum ſapientibus, ſapiens erit; qui verò cum inſipientibus, cognoſcetur. Quæ acciderint aduerſa, fer æquo animo, & calamitates fer indolenter. Sciens ſoluendam eſſe tibi mercedem à Deo, vt Iob, & Lazaro.*

CAP X. Quòd oporteat eos, qui ſunt magiſtri doctrinæ Christi, pluris eſſe quàm parẽtes. illi enim præſtant, vt bene ſit, hi ſolũ hoc, vt ſimus.

HONORABIS *eum qui ſermonem Dei loquitur tibi; memor eris eius die & nocte; honorem autem habebis non tanquam ortus tui auctori, ſed tanquam effectori tui boni ſtatus. vbi enim eſt doctrina de Deo, ibi adeſt Deus; exquires quotidie ſanctorum faciem, vt eorum ſermonibus acquieſcas.*

CAP. XI. Quòd nõ oporteat diſceſſionẽ facere à Chriſtianis, ſed potius pacificare diſſidentes, & iudicare iuſtè, & non accipere perſonas.

NE *facias* *1 *ſchiſma aduerſus ſanctos, memor Coritarum. Conciliabis pacem inter diſſidentes, in gratiam eos reconcilians exemplo Moyſis. Iudicabis iuſtè, Dei enim eſt iudicium. Non accipias perſonam; argue de delicto, vt Elias, & Michæas Acham; Abdemelech Æthiops Sedeciam; & Nathan Dauid; & Ioannes Herodem.*

*1 Ecce Apoſtolica doctrina, quę Proteſtantes condemnat tanquam auctores ſchiſmatis contra Apoſtolicum præceptum. non enim negat Philippus in fine reſpõſionis ad art. Bauar. inquiſit. feciſſe Lutheranos ſchiſma, ſed negat, eſſe illis ſchiſmatis crimen obiiciendum, qui iuſtas cauſſas ſchiſmatis habuiſſent. ſic enim ait: neceſſe eſt nos demonſtrare ſchiſmatis cauſſas, in quo illi culpandi ſunt (nos dicit) qui manifeſta idola colunt, & coli præcipiunt, & vt ea ſtabiliant, crudelitatem ſine fine exercent. deinde ſubiungit: à talibus nos diſſentire neceſſè eſt iuxta dictum, non communices peccatis alienis. ipſe Philippus verbis ſuis ſe refellit, & ignorantiæ, ac criminis, quod repellere excuſando nititur, coarguit, qui exiſtimauit, idem eſſe diſſentire ab eccleſia, & ſchiſma facere. Si enim Luthero & diſcipulis eius diſſentiẽdum eſſe videbatur, cur ſalua vnione nõ eſt diſſenſum? Si nos manifeſta idola colimus, vt iſti impiè & blaſphemè mentiuntur, an neceſſe erat eis idola etiam colere, ſi in noſtras eccleſias ingreſſi eſſent, & nobiſcum communionem, & eccleſiaſticam ſocietatem habuiſſent? qui hoc metuebant, cur non imitati ſunt principem militiæ regis Syriæ Naaman, qui poſtquàm dixit Eliſeo, non faciet vltrà ſeruus tuus holocauſtum, aut victimam diis alienis, niſi Domino. hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſeruo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remmon, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adorauero in templo Remmon adorante eo in eodem loco, vt ignoſcat mihi dominus ſeruo tuo pro hac re: qui dixit ei, vade in pace. conceſſit ergo Eliſeus, ne Naaman à domino ſuo diſcedere cogeretur, vt ingreſſus in templum idoli cum domino ſuo, ibi non idolum, ſed Deum verum adoraret. Quis Lutheranos in noſtras eccleſias ingredientes coëgiſſet non adorare Deum verum, vt Naaman Syrus in templo idoli, propheta approbante, adorabat? cur potius facto aduerſus fratres ſuos ſchiſmate, à domino ſuo diſcedere maluerunt? cur epiſcopos, cur ſacerdotes, & reliquos miniſtros ab epiſcopis ordinatos eiecerunt, & repudiarunt? quid hierarchia ſacrorum ordinum à Chriſto inſtituta commeruit? cur antiquis aris euerſis, nouas menſas patribus & maioribus ſuis ignotas & inauditas introduxerunt? cur ſacra omnia in laica & profana mutarunt? cur beatum Cyprianum martyrem glorioſum imitari noluerunt, qui cùm multa, quæ in epiſtolis ſuis ſcripta reliquit, ob rebaptizandos hæreticos, vt beatus Hier. in libro contra Luciferianos ait, de ſcripturis ſanctis protuliſſet, in communione tamen, inquit, eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contraierant. par ergo eſt, vt qui contra præceptum Domini, quod per ſanctos Apoſtolos eccleſiæ ſuæ tradidit, ſchiſma aduerſus ſanctos fecerunt, ſanctos enim vocat hic Apoſt. doctr. fideles per baptiſmum ſanctificatos, & ablutos, vt quæ Coritæ, quos ſequi voluerunt, paſſi ſunt, & ipſi patiantur: vt deſcendant, inquam, in infernum tanquam blaſphemi in Dominum, & ſchiſmatis aduerſus Chriſtianos auctores.

CAP. XII. De eo, qui eſt duplex animo, id eſt, puſilla fide.

NE *ſis in precatione tua duplici animo, ambigenti, vtrum ſit futurum, an non; mihi enim Petro dixit Dominus in mari: Modicæ fidei, quare dubitaſti? ne ad accipiendum facilè manum porrigas, ad largiendum verò contrahas.*

CAP. XIII. De beneficẽtia.

SI *habes, da tuis manibus, vt peccatis tuis redimendis operam des: Eleemoſynis enim, inquit, & fide eluuntur peccata. Ne dubita largiri pauperi, neque largiendo murmures, cognoſces enim quis ſit remunerator. Qui miſeretur, inquit, pauperis, fœneratur Deo: quantum autem fuerit ab eo datum, tanta fiet ei remuneratio. Ne repellas indigentem, qui enim, inquit, aures obturat, ne audiat opem rogantem, ipſe implorabit auxilium, & non erit qui exaudiat eum. Habe omnia cum fratre tuo communia; & ne dixeris propria eſſe; omnibus fuit inſtructa à Deo* *1 *communis participatio. Ne remoueas manum tuam à filio tuo, aut filia tua, ſed potius doce eos timere Deum à pueritia; caſtiga, inquit, filium tuum, ſic enim erit tibi bona de eo ſpes.*

*1 En teſtimoniũ Apoſt. doctrinę in Magdeburgenſes Centuriatores, qui vitam communem in epiſtola Clementis quinta reprehenderunt, quam nunc religioſi colunt ad exemplum illius multitudinis credentium, qui in actis Apoſt. habebant omnia communia. quam communitatem rerum qui reprehendunt & vituperant, in Deum blaſphemi ſunt. ſiquidem Deus teſtimonio huius Apoſt. doctr. à principio omnibus hominibus ſcilicet ante peccatum Adæ communem participationem rerum inſtruxit. Ad exemplum igitur, & imitationem naturæ integræ à Deo creatæ, & ad communem rerum participationem diuinitùs inſtitutæ refertur inſtitutum Apoſtolicum vitæ communis religioſorum: quod qui accuſant, aut contemnunt, Deum accuſant, & contemnunt.

CAP. XIIII. Quales ſe oporteat præbere dominos famulis, & quomodo oporteat famulos ſubiectos eſſe dominis.

NE *amaro animo iubeas famulo tuo aut ancillæ eidem Deo confidentibus, ne aliquando gemant aduerſus te, & iraſcatur tibi Deus. et vos ſerui dominis veſtris*

tanquam



*tanquam Deum repræſentantibus ſubditi eſtote cum ſedulitate & metu, tanquam Domino, & non tanquam hominibus.*

CAP. XV. De hypocriſi, & ſtudio legũ diuinarum, & de confeſſionibus.

HABEBIS *odio omnem ſimulationem, & facies quicquid Domino placet; ne deſeras mandata Domini, ſeruabis autem quæ ab eo accepiſti, nihil ad ea addẽs, aut eis detrahens. non addes, inquit, ſermonibus eius, ne coarguat te, & fias mendax. Confitere Domino Deo tuo peccata tua, neque pergas amplius peccare, vt bene ſit tibi à Domino Deo tuo, qui non vult mortem peccatoris, ſed pœnitentiam.*

CAP. XVI. De cultu parentum.

COLES *patrem tuum, & matrẽ tuam, vt ortus tui auctores: vt fias longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi: fratres tuos, & cognatos tuos ne deſpicias; non deſpicies, inquit, eos, qui ſunt ſeminis tui.*

CAP. XVII. Quòd oporteat ſubditos eſſe regi, & magiſtratibus.

TIMEBIS *regem, ſcis enim Domini eſſe electionẽ; magiſtratus eius honorabis, vt Dei miniſtros; ſunt enim vindices omnis iniuriæ. & ſoluite eis animo non ingrato vectigal, & tributum, omnemque penſionem.*

CAP. XVIII. De munda conſciẽtia precãtiũ.

NON *accedas ad precationẽ in die malitiæ tuæ, priuſquã amarum animum deponas; hæc eſt via vitæ: Vtinam vos intra eam reperiamini per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.*

CAP. XIX. Quòd via, quæ ex inſidiis diaboli aſcita eſt, impietate, & legũ violatione plena eſt.

VIA *verò mortis in prauis actionibus cernitur, in ipſa eſt enim ignorantia Dei, & introductio multorum malorum, & caliginum mentis, & turbarum, vnde cædes, adulteria, ſcortationes, periuria, prauæ cupiditates, furta, idolorum cultus, magiæ, veneficia, rapinæ, falſa teſtimonia, ſimulationes, corda duplicia, fraudulentia, ſuperbia, malitia, contumacia, auaritia, verborum obſcenitas, æmulatio, audacia, elatio mentis, arrogantia, vacuitas metus, inſectatio bonorum, inimicitia cum veritate, mendacij amor, ignorantia iuſtitiæ. Qui enim hæc faciunt, non adhæreſcunt bono, neque iuſto iudicio; vigilant non vt quod honeſtum eſt, capeſſant, ſed quod turpe, à quibus procul abeſt manſuetudo, & patientia: Delectantur inanibus, captant, & conſectantur retributionem; non commouentur pauperum miſericordia: non dolent vicem afflicti: non agnoſcunt auctorem ſuum: filios occidunt. quod à Deo formatum eſt, perimunt; repellunt indigentem: premunt calamitoſum: conſolantur diuites: contemnunt pauperes: in omne genus peccatorum ſe effundunt. vtinam filij ab his omnibus liberemini.*

CAP. XX. Quòd nõ oporteat à pietate deflectere ſiue ad dextram, ſiue ad ſiniſtram.

CAVE, *ne quis te à pietate in errorem abducat; ne, inquit, ab ea declines, ſiue ad dextram, ſiue ad ſiniſtram, vt in omnibus, quæcunque feceris, ſis intelligens: non enim impius eris, niſi à via recta deflexus.*

CAP. XXI. Quòd nõ oporteat vllum genus cibi cõmodi vituperare, ſed potius cum gratiarum actione, & ordinatè ſumere.

DE *cibis* *1 *verò ait Dominus, bona terræ comedite, & omnem carnem edite, vt olera herbæ, ſanguinem verò effundes; neque enim quæ in os intrant, inquinant hominem, ſed quæ exeunt, illa inquinant hominem, blaſphemiæ ſcilicet, & obtrectationes, & quæ ſunt huiuſmodi: Tu verò comede medullam terræ cum iuſtitia, quoniam ſi quid pulchri, bonique eſt, omnia ipſius ſunt, & ipſi gratias age: Frumentum adoleſcentibus, & odoratum vinum virginibus. Quis enim edit, aut bibit ſine eo? hortatur autem Eſdras, Ambulate, inquiens, & comedite pinguedines, & bibite dulcedines, & ne ſitis mæſti.*

*1 En Apoſtolica doctrina de vſu ciborum cum doctrina à Paulo apoſtolo ſcripta conſentiens quæ non damnat delectum ciborum, vt Proteſtantes hæreticè damnant contra ſcripturam, cui nihil licet addere, neque detrahere. immò ex locis ſcripturæ ſanctæ hic citatis docet Apoſt. doctr. habendam eſſe in cibo & potu rationem ſalubritatis, iuſtitiæ & temperantiæ, cùm alioqui omne genus cibi & potus bonum ſit natura, vtpote creatura Dei. Veſcimini, inquit Geneſis, omni carne tanquam oleribus herbæ, id eſt, ita vt ſicut in oleribus quod commodum, & ſalubre eſt, ab eo, quod non eſt, ſeparamus, ſic in carne fiat; ſic enim beatus Baſilius interpretatus eſt reſpondens ad quæſtionem ab Encratitis hæreticis poſitam, quare nos ab aliquo genere carnis abſtineamus, qui eos accuſamus, quòd ab omni abſtineant? Ergo vt nullus, inquit Baſilius, hyoſcyamo veſcitur, neque cicutâ, quæ olera ſunt; ita neque vulturina, neque canina, niſi ingens vis neceſſitatis cogat. hæc Baſilius. Encratitæ igitur omne genus carnis interdicebant non abſtinentiæ gratia nec honeſtæ vitæ, ait S. Epiphanius in Panario, tomo I. hæreſi XLVII. ſed quia timebant, inquit, ne propter eſum animantium condemnarentur. natura igitur nullum genus cibi, quod per os ingreditur, inquinat hominem; quia nec eſt in natura malum: ſed mala, quæ ex corde exeunt, inquinant, quæ eſſe incipiunt, quatenus ea vult qui ea facit, & ideò ex corde exeunt. alius locus ſcripturæ in Apoſt. doctrina citatus eſt, tu verò comedes medullam terræ cum iuſtitia; ſic enim legit Clemens in editione LXX. quam ipſe habuit, ſiue in Gen. c. 45. ſiue in alio loco. probat hic locus, nullum genus cibi

terreni eſſe hominibus datum, quo non liceat vti ex ſe niſi iuſtitia vetet. quòd ſi omnibus cibis humanis vtendum eſt cum iuſtitia, poteſt ergo aliquando eſſe iniuſtitia in vtendo omnibus: ex quo rurſus ſequitur, vt ſecundum ſcripturam iuſtitia poſſit eſſe in delectu ciborum, vt in ieiuniis, ac proinde referri ad Dei cultum, qui omni virtute colitur. coarguit igitur ſcriptura, & Apoſtolica doctr. Proteſtantes, qui tradunt, delectum ciborum ſiue iuſſum, ſiue voluntarium qui ad ieiunium pertinet, cum opinione cultus Dei ad idololatriam pertinere. quin potiùs ipſi blaſphemi ſunt in Deum, & ſcripturam eius, qui immolare, & offerre Deo mortificationẽ carnis in ieiuniis, & delectu ciborum idololatriã eſſe dicunt: quaſi Apoſtolus ad idololatriã nos hortetur, cùm hortatur vt exhibeamus noſmetipſos tanquam Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in carceribus, in ſeditionibus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, & quæ ſequuntur. hortatur enim vt in his, in quibus ieiunia numerat, ſeruiamus Deo, quod Græcè dicitur λατρεύειν, quod ſignificat ſeruiendo colere, ſiue colendo ſeruire. Sic Anna prophetiſſa non diſcedebat à templo, inquit euang. Lucæ, ieiuniis, & obſecrationibus ſeruiens Deo nocte, ac die. Seruiens, inquit, Deo ieiuniis, Græcè eſt λατρεύουσα, id eſt, cultum Deo adhibens. Anna igitur ſecundum euangelium cum opinione cultus Dei ieiunabat: niſi fortè ſecundum Proteſtantes idololatriam faciebat Anna. eſt itaque ieiunium ſacrificij genus, quod Deo fit. Vnde Tertull. in libro de cultu mulierum, quidam, inquit, ipſam Dei creaturam cibi interdicunt abſtinentes à vino, & animalibus exulantes, quorum, inquit, fructus nulli periculo aut ſolicitudini adiacẽt, ſed humilitatem animæ ſuæ in victus quoque caſtigatione Deo immolant. hactenus Tertull. immolationem vocauit ieiunium in quo eſt delectus ciborum, quia ab eſu carnis abſtinetur, & interdam etiam à vino. & in libro de reſurr. carnis, nam & ſacrificia, inquit, Deo grata, conflictationes dico animæ, ieiunia, & ſeras, & aridas eſcas. Alius locus ſcripturæ ab Apoſtolica doctr. citatus eſt Zach. prophetæ, quia ſi quid, inquit, pulchrum, aut bonum, eius: frumentum iuuenibus, & vinum odoratum virginibus. probat etiam hic locus, omnem eſcam eſſe natura bonam, ſicut panis, & vinum; quia creatura Dei eſt, vt ex parte totum intelligatur. tribuit autem propheticus ſermo frumentum iuuenibus, quòd iuuenibus conueniat, robur, & vires alere, & augere; quod in primis facit panis ex frumento: vinum autem virginibus, propter futuros hæreticos Encratitas qui dicturi erant, vinum eſſe diabolicum, & ideò non eſſe bibendum, vt ſcribit S. Epiphanius, & propter alios apud Platonẽ lib. 2. de legibus, qui vinũ vituperaturi erant, dicentes eſſe datũ hominibus ad vltionẽ, vt inſaniant. Significare ergo voluit propheta, munus Dei eſſe vinum, vtendumque eo cum temperantia, & pudore, vt virgines ſolent. fortaſſe Plato, vt ſolet multa alia ex ſcriptura ad ſermones ſuos transferre, illud quoque ex hoc prophetico loco tranſtulit, quod lib. 2. de legibus ait, cùm leges de choreis, & compotationibus ſcribit: ne igitur, inquit, Liberi patris munus vituperemus, quaſi malum ſit, neque dignum vt in ciuitate recipiatur. & paulò pòſt vinum ait remedium & medicinam eſſe, vt animus quidem pudorem, corpus autem ſanitatem, & vires adipiſcatur. pudorem vocat, & verecundiam timorem diuinum, vt idem paulò ſuprà interpretatus eſt: nullos autem magis decet pudor quàm virgines. & paulò pòſt iterum ait vtendum eſſe vino gratia exercitationis cuiuſdam ad temperantiam. diuinè itaque propheta admonuit cum ſobrietate, & pudore quodam virginali adhibendum eſſe vinum: id eſt, ita vt timeamus, ne menti noceat, & Deus offendatur. libenter huius loci prophetici interpretationem attigi, quòd eum Apoſt. doctr. ſecundum ſenſum verbis ſubiectum, quem litteralem vocant, citauerit, & non ſecundum ſpiritualem ac myſticum, quem omnes interpretes Græci & Latini, quos ego quidem legerim, ſecuti ſunt, credo, quia non videbatur eis poſſe ſecundum litteram accipi de vino virginibus bibendo. Alius locus eſt Eccleſ. c. 2. Quis enim comedit, aut bibit abſque eo? Significat, prouidentia diuina datos eſſe homini cibos ad naturæ neceſſitatem, non autem vt carnis curam faciamus in deſideriis, vt Apoſt. ait, ſicut illi, quorum vanitatem proximè notauerat, qui dicunt, non eſt bonum homini. & quæ ſequuntur. igitur nec hi loci, neque ſi qui alij ſunt de cibis in ſcriptura ſancta, delectum ciborum prohibent ad cultum Dei referre per temperantiam ieiunij.

Cap. XXII. Quòd non ſit veſcẽdum idolothytis.

*Cavete verò ab idolothytis, hæc enim immolant, vt dæmones honorent, vt ſcilicet Deo contumeliam faciant: cauete, inquã, ne participes dæmonum efficiamini.*

Cap. XXIII. Conſtitutio Domini, quomodo ſit baptizãdum, & in cuius mortem.

*De baptiſmo autem epiſcope, aut presbyter, iam antè conſtituimus, ac nunc rurſus dicimus, ſic baptizandum eſſe, vt Dominus conſtituit, cùm dixit, euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque præcepi vobis, in nomine, inquam, patris, qui filium miſit, & Chriſti, qui venit, & ſpiritus ſancti, qui teſtimonium tribuit. Vnges autem prius oleo ſancto, deinde baptizabis aqua, poſtremò ſignabis* *1 *vnguento chriſmatis, vt ſit oleũ vnctionis participatio ſpiritus: aqua ſymbolum mortis, vnguentum chriſmatis ſigillum pactionum. Sin autem non fuerit oleum, neq; vnguentum chriſmatis, ſatis eſt aqua tum ad vnctionem, tum ad ſigillum, & ad confeſſionem morientis, ſiue commorientis. Ieiunet autem ante baptiſmum is qui baptizatur; ſiquidem Dominus, à Ioanne primùm baptizatus, & poſtea in ſolitudine commoratus, quadraginta diebus, & totidem noctibus ieiunauit, non quidem quod opus eſſet ei vllas ſordes eluere, aut opus vllo ieiunio, aut vlla purgatione, qui eſt naturâ mundus, & ſanctus; ſed vt tum Ioanni veritatem † atteſtaretur, tum*

*1 En Apoſtolica doctrina, quæ eccleſiam catholicorum aduerſus Proteſtãtes in oleo baptiſmi, & in chriſmate defendit: Proteſtantes verò de profana nouitate, & blaſphema ac mendaci accuſatione condemnat. tradunt enim veram eccleſiã Chriſti non habere, nec agnoſcere aliud chriſma, niſi ipſum ſpiritum S. Sic enim ſcripſit vnus ex eis Confeſſioniſta Selneccerus in ſuo Analecto tractatu 2. c. 7. fingit præterea honorem Chriſti oleo aſcribi, & ſpiritum S. ad chriſma alligari. & quia epiſcopus tantùm dare poteſt ſpiritum S. per chriſma, epiſcopum ait ſeipſum conſtituere Deum. Solius enim Dei eſſe hoc opus, id eſt, dare ſpiritum S. Sic iſte infelix in iis, quæ ignorat, blaſphemat, vt beatus Petrus de aliis ſimilibus dixit. quòd ſi nihil eſſet in oleo ſanctificato, quod in baptiſmo adhibetur, præterquam ſymbolum, & typum tantùm eſſe ſpiritus S. ſpiritualiſque baptiſmi, & in chriſmate, quod ex oleo, & balſamo odorato compoſitum eſt, ſimiliter nihil aliud eſſet, niſi ſolùm eſſe ſymbolum ſigilli pactionum, quæ cum Chriſto in baptiſmo factæ ſunt, vt nos cum Chriſto omnis boni odoris virtutum auctore coniungant, conſepulti enim, inquit, ſumus cum illo per baptiſmum in mortem, vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriã patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: ſi enim complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus, hoc ſcientes, quòd vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato: Si, inquam, nihil aliud eſſet in his, præterquam admoneri ſolùm ſymbolis iſtis myſticis de iis quæ dixi, tamen vtilitate & quidem magna non carerent, eſſetque pia, & Deo grata huiuſmodi admonitio, & myſticæ ſignificationis recordatio: nunc autem vt aqua baptiſmi non eſt ſolùm aqua nuda, neque eſt ſymbolum tantùm mortis, ſed per inuocationem ſanctiſſimę trinitatis virtutem diuinæ operationis in animã ſpiritualiter penetrantis accipit, caro enim abluitur, ait Tertull. in libro de reſurrectione carnis, vt anima emaculetur; ſic oleum in baptiſmo μετ' ἐπικλήσεως, id eſt, cum inuocatione, vt S. Cyrillus Hieroſol. in 3. Catecheſi myſtagogica ait, non eſt amplius nudum, & communẽ oleum, ſed donum Chriſti, & ſpiritus S. per præſentiam diuinitatis eius operandi vim habens, ſicut idem Tertull. ibidem ait, caro vngitur, vt anima conſecretur; caro ſignatur, vt anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, vt anima ſpiritu illuminetur: Caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, vt anima de Deo ſaginetur. vngi dixit de oleo quod ad baptiſmum adhibetur. Signari autem de chriſmate,



*tum nobis normam et* *3 *regulam præberet. Itaque Dominus* *2 *nõ eſt baptizatus in paſſionem ſuam, aut in mortem, aut in reſurrectionem, nondum enim quicquam horum factum fuerat, ſed ad aliorum inſtitutionẽ. Quocirca auctoritate ſua tanquam Dominus Ioannis ieiunat poſt baptiſmum. Qui verò in mortem eius baptizatur, debet prius ieiunare, deinde baptizari: non enim æquum eſt, vt qui conſepultus eſt, & conſurrexit, in ipſo tempore reſurrectionis lugeat, mortuuſque ſit: Non enim homo conſtitutionis Chriſti dominus eſt, ſiquidem ille eſt Dominus, hic verò Domino ſubiectus.*

quo caro poſt baptiſmum ſignatur, vt anima muniatur, vnde ſacramẽtum Cõfirmationis eſt, & dicitur, & qui illud miniſtrat epiſcop⁹, Signo te, inquit, ſigno crucis, & cõfirmo te chriſmate ſalutis. Carnem itaque, vtpote animæ cooperariã, & ad ferendam ſuæ cooperationis remunerationem ſuſcitãdam, veſtiri ait Tertull. ſacramentis, quibus eam Proteſtãtes nudare volunt, vt non veſtiti, ſicut Apoſtolus optabat, ſed nudi inueniantur. reſpondeat nobis iſte Selneccerus, vnde oleum, & chriſma didicit eccleſia Africana, in qua natus eſt Tertull. & vbi de quibus in ea didicerat, eruditiſſimè aduerſus hæreticos ante annos mille trecentos ſcripſit? Vnde item didicit eccleſia Hieroſolymitana, ex qua exiuit Apoſtolica prædicatio iuxta prophetiam Eſaiæ, de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem; vnde, inquam, didicit, quæ de oleo in baptiſmo, & de chriſmate poſt baptiſmum Cyrillus Hieroſolymitanus, id eſt, eius eccleſiæ epiſcopus ante annos mille ducentos ſcripſit? Præterea vnde eccleſia Græcorum didicit oleum in baptiſmo, & chriſma poſt eum, quorum rationes, & theorias, & ſpirituales operationes Simeon Theſſal. archiepiſc. in libro de myſteriis eccl. ca. 3. doctiſſimè explicat. poſtremò, vt ad eccleſiam occidentis veniam, vnde didicit adhibere oleum, & chriſma eo ordine, quo hic Apoſt. doctrina tradit. oleo enim ante baptiſmum vngit. Sacramento autem chriſmatis poſt baptiſmum ſignat, ac confirmat. Sicut dixit Apoſt. doctr. lib. 3. cap. 17. chriſma eſſe confirmationem cõfeſſionis. aliud enim eſt præparari ingreſſurum in certamen vitæ Chriſtianæ, quod facit illud oleum vnctionis, per inuocationem Dei, & orationem: aliud, iam ingreſſum poſtea confirmari, quod facit illud chriſma, quod vice apoſtolicæ impoſitionis manuum ab epiſcopis, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, miniſtratur. ergo cùm iſte ſcriptor confeſſioniſta ait, vera eccleſia Chriſti non agnoſcit chriſma, de eccleſia Proteſtantium, id eſt, malignantium loquitur, in qua ipſe natus eſt, & qui aliam eccleſiam non nouit, ſi poſt Martinum Lutherum natus eſt. Sed interroget patres & maiores ſuos, & dicent ei. Si ſcire poteſt auos, atauos, & tritauos percontetur eos, an eorum eccleſia agnouerit oleum, & chriſma? & vnde acceperit. iam quod ait, epiſcopum ſe facere Deum, quia per chriſma dat ſpiritum S. Si epiſcopus ſe facit Deum, quia ſignando baptizatum chriſmate, accipitur ſpiritus S. hoc enim eſt dare ſpiritum S. ergo apoſtoli faciebant quoque ſeipſos deos, quia ſcriptum eſt de illis, Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum S. & Paulus Deũ ſe faciebat, cùm ſcripſit Romanis, Deſidero enim videre vos, vt aliquid impartiar vobis gratiæ ſpiritualis. hoc enim op⁹ Dei eſt, vt dare ſpiritum S. Deinde quod ait iſte, honorem Chriſti adhiberi oleo, ignorat miſer, non eſſe oleum iſtud ψιλὸν καὶ κοινὸν, vt dixit Cyrill. Hieroſ. id eſt, nudum & commune, ſed iunctum cum verbo Dei, & oratione; vnde honor, qui ei tribuitur, quia propter Chriſtum tribuitur, eidem ipſi Chriſto tribuitur. vtinam quæ iſte ignorat, & impiè, atque ignoranter blaſphemat, diſcere vellet: & quæ non intelligit, credere. Scriptum eſt enim in Eſa. proph. niſi credideritis, non intelligetis.

*2 En Apoſtolica doctrina, quæ doctrinam falſam, & hæreticam Caluini coarguit, cùm tradit in ſuis peruerſis & hæreticis inſtitutionibus c. 17. art. 22. baptiſmum Ioannis fuiſſe baptiſmum noui teſtamenti: & non fuiſſe à baptiſmo Apoſtolorum differentem. quam doctrinam etſi ſatis lib. 3. de dogmaticis characteribus verbi Dei confutauimus, confutemus adhuc amplius huius Apoſtolicæ doctrinæ auctoritate. etenim ſi baptiſmus quo Dominus ante paſſionem ſuam baptizatus eſt à Ioanne, non fuit factus in mortem, & reſurrectionem Chriſti, quia nondum paſſus, mortuus, & ſuſcitatus erat, ergo propter eandem rationem neque baptiſmus, quo alij baptizabantur ab eodem Ioanne, in mortem, & reſurectionem Chriſti fiebat, ex quo rurſus fit, vt nõ eſſet baptiſmus Ioannis baptiſmus noui teſtamenti. baptiſmus enim noui teſtamenti, de quo Dominus poſt mortem, & reſurrectionem ſuam præceptum S. Apoſtolis dedit, in mortem Chriſti fit, ſicut Apoſtolus ait, quicunque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus. baptiſmus igitur Ioannis eo tantùm pertinebat, vt ad eum venientes pœnitentiam agerent confitentes peccata ſua: quod ipſum vt maiore auctoritate & fructu, ac frequentia fieret, Chriſtus etiam ab eo in Iordane baptizari voluit, vt ſic baptiſmum Ioannis πιστοποιήσηται, vt beatus Ignatius in epiſt. ad Epheſ. ait, id eſt, vt ſic baptiſmum Ioannis ſuaderet, ad id ſcilicet quod agebatur, vt ad pœnitentiam, inquam, & confeſſionem peccatorum plures, & ſtudioſiùs venirent: tum etiam ad aliorum inſtitutionem, vt ait Apoſt. doctr. id eſt, noſtram, vt enim propter nos homines factus eſt homo, vt illius in carne aduentus facti participes, gratiæ eius participes efficeremur, ſic, vt ait beatus Cyrill. Hier. in tertia catecheſi, propter nos baptizatus eſt, vt nos quoque baptizati, cum ſalute dignitatem per eum accipiamus. plures alias cauſſas baptiſmi eius exponit Gregor. Theol. in oratione in lumina, & in oratione in ſanctum baptiſma.

*3 En Apoſtolica doctrina, quæ Confeſſioniſtas condemnat, cùm tradunt, ieiunium Chriſti non fuiſſe ab eo ſuſceptum XL. diebus, & totidem noctibus, vt eſſet exemplum nobis propoſitum ieiunij quadrageſimæ, quod à ſanctis apoſtolis traditum eſt. Sic enim ſcribit idem Selneccerus Confeſſioniſta in Analecto tractatu 2. de eccleſia c. 31. de ieiuniis: De ieiunio autem quadrageſimali, vt vocant, hæc teneamus: Chriſtus nobis exemplum non præbuit, quod imitari non poſſumus; neque ieiuniorum leges nobis perſcripſit, neque tempus ieiunandi conſtituit. At Apoſt. doctr. Chriſtum dicit baptizatum fuiſſe, & ieiunaſſe; non quia opus ei eſſet baptiſmo, aut ieiunio, ſed vt veritatem quoque teſtimonij Ioannis confirmaret. Ioannes enim qui venit, ſicut Dominus dixit, neque manducans, neque bibens, id eſt, qui venit ieiunans, & quidem in delectu ciborum aduerſus Proteſtantes, qui tale ieiunium non recipiunt; erat enim eius eſca, vt ait Matthæus, locuſtæ, herbæ genus, auctore Athanaſio, vt mel ſilueſtre; & qui in aqua baptizabat, hoc teſtimonium de Chriſto dixit, qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, ipſe vos baptizabit ſpiritu S. & igni. in vtroq; ergo atteſtatus eſt Chriſtus, ſe eſſe fortiorẽ Ioanne, vt Ioannes dixerat, & quòd XL. diebus, & totidem noctibus nihil guſtans ieiunauit, cùm Ioannes alioqui ieiunans, locuſtis & melle vteretur, quod erat in Ioanne veluti non comedere: & quòd in baptiſmo eius ſpiritus S. deſcendit ſuper eum, vt ſignificaret virtutem baptiſmi, quo eramus poſt mortem eius baptizandi. hæc fuit vna cauſſa, cur baptizatus eſt, & ieiunauit. altera, vt præberet nobis regulam exemplo ſuo in vtroque horum, id eſt, vt in aqua baptizaremur ea forma, qua ipſe inſtituit, ſicut ipſe in aqua Ioannis baptizatus eſt: & vt XL. diebus ieiunaremus, non quidem ſicut ipſe ieiunauit, qui poſt XL. dies, & totidem noctes eſuriit; ſed vt natura noſtra, & quidem facilè ferre poteſt.

Cap. XXIIII. Quibus diebus hebdomadæ ieiunandum ſit, & quibus non: & quare.

*† Ieivnia verò veſtra ne ſint cum hypocritis communia, ieiunant enim ſecunda hebdomadis feria, & quinta; at vos aut quinque diebus ieiunate, aut quarta, & ſexta feria: Quoniam quarta quidem iudicium in Dominum pronunciatum eſt, poſtquàm Iudas proditionem pecunia promiſerat: Sexta verò mortem in cruce ſub Pontio Pilato paſſus eſt. † Sabbatum tamen, & Dominicum feſtos dies agitate, quòd ille quidem dies recordatio ſit fabricationis mundi, hic verò reſurrectionis. Vnum verò tantummodo ſabbatum nobis toto anno obſeruandum eſt, ſabbatum ſcilicet ſepulturæ Chriſti: quo quidem ieiunare deceat, non autem*

*celebrare feſtum. Dum enim auctor mundi ſub terra eſt, ſuperat luctus mortis, lætitiam effectionis vniuerſi; quòd ipſe effector præſtantior ſit natura, & dignitate rebus à ſe effectis.*

CAP. XXV. Quales eſſe oporteat orantes orationem Dominicam.

*1 Hic quoque Apoſtolica doctrina doctrinã Cõfeſſioniſtarũ hæreticam eſſe conuincit, cùm tradunt, non poſſe orationem aſtringi numero, & tẽpore, at non ſic numero, & tẽpore aſtringitur, quin ſæpius, & aliis tẽporibus orare liceat, cũ alioqui poſſit cum ratione præſcribi numerus & tempus; nec ex eo ſequitur, non eſſe liberam orationem noſtram, vt hæretici inuidioſè fingunt. Ergo qui non poſſunt, aut nolunt ſæpius, ter ſaltem interdiu orandum eſſe Apoſt. doctr. tradit, credo, ad exemplum Danielis, qui cùm alioqui captiuus eſſet, & in alieno & hoſtili ſolo, tribus tamen temporibus, ſicut ſcriptum eſt, flectebat genua, & adorabat, & confitebatur coram Deo ſuo. teſtis autem huius Apoſtolicæ doctrinæ à S. apoſtolis traditæ eſt conſuetudo Romanæ eccleſiæ, & plurimarum in occidente eccleſiarum, in quibus vſque in hodiernum diem ter ſignum orandi populo datur, mane, meridie, & principio noctis, numero trium ad honorem & cultum ſanctiſſimæ Trinitatis pertinente. in 8. autem libro, in quo de miniſtris eccleſiæ, & eorum ordinationibus, & eccleſiaſticis canonibus agitur, ſeptem tempora orandi ad exemplum Dauid, vt puto, non populo, vt hic, ſed miniſtris eccleſiæ, Apoſtolica doctr. & conſtitutio tradit, vt poſtea loco proprio notabimus: eſt autem hæc conſtitutio ſuaſio populo, potius quàm lex in commune lata; vt pleræque aliæ conſtitutiones.

CVM *autem precationem facitis, ne ſitis quales ſunt hypocritæ, ſed potius, vt Dominus in euangelio conſtituit, ſic preces adhibete: Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie; & dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Quoniam tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Ad hunc modum precamini* *1 *ter* † *ſingulis diebus, ita ad precationem præparati, vt præſtetis vos dignos adoptione paterna: ne ſi indignè eum appelletis patrem, exprobretur vobis, vt Iſraëli (qui antea audierat; primogenitus Iſraël) exprobratum eſt illud, quòd ſi pater ego ſum, vbi gloria mea? & ſi dominus ſum, vbi eſt timor meus? Gloria enim patrum ſanctitas filiorum, & metus miniſtrorum honor eſt dominorum: ſicut è contrario, filiorum nequitia patrum infamia eſt: & miniſtros non timere, eſt non habere imperium dominos. propter vos, inquit, blaſphematur nomen meum in gentibus.*

CAP. XXVI. Gratiarum actio pro ſancta Euchariſtia.

*1 Nunquã Apoſtolica doctr. ſanctã Euchariſtiã typum corporis & ſanguinis Chriſti vocat, ſed antitypa, quod verbũ hæretici ſacramẽtarij in veritatẽ corporis, & ſanguinis obiiciunt, quia vim eius non intelligunt: intelligerent autem fortaſſe; ſi vſum verbi apud veteres patres obſeruaſſent, aut ſi rationem ipſius verbi conſideraſſent, quod tantum abeſt, vt typum, ſiue figuram ſignificet, vt potius contrarium typi declaret, vbi enim typus rei eſt, non eſt res ipſa; at in antitypo alicuius rei, res ipſa, & ipſa veritas eſt, licet velata & tecta, & non in propria ſpecie. Sic Cyrill. Hieroſ. in 2. catecheſi myſtagogica baptiſmum vocat antitypon paſſionum Chriſti, quia paſſio, & mors Chriſti non typicè, vt erat in victimis, & in aſperſionibus veteris teſtamenti, ſed verè eſt in baptiſmo: & qui baptizatur, licet non verè, ſed ſimilitudine commoriatur Chriſto, Chriſto tamen verè mortuo, & verè ſuſcitato commoritur, & conreſuſcitatur. chriſma quoque vocat idem auctor in 3. catecheſi antitypon eius, quo Chriſtus vnctus eſt, id eſt, ſpiritus ſancti. itaque non eſt chriſma typus ſpiritus ſancti, ſed antitypon; quia etſi eſt vbique ſpiritus S. non tamen vbique eſt ad operandum hoc, quod per chriſma operatur in eo, cui chriſma adhibetur. Sic igitur ſancta Euchariſtia dicitur, & eſt non typus corporis & ſanguinis: abſit, nec vnquam ſic à patribus dicta eſt, ſed antitypon corporis, & ſanguinis Chriſti, quia ibi eſt verè corpus, & ſanguis Chriſti, & ſi tectè & velatè. hoc ergo dicitur, & eſt antitypon, quod dicitur, & eſt ſacramentum. & vt ſacramentũ corporis, & ſanguinis eſt ipſum corpus, & ſanguis ſub typo, ſiue figura, vel ſpecie, vt nunc loquimur, panis; ſic antitypon ſiue antitypa corporis, & ſanguinis ſunt ipſum corpus, & ſanguis ſub typo panis, & vini; ſic enim vocat Cyrillus Hier. in 4. catecheſi myſtagogica, quod nos dicimus ſpeciem panis, & vini. Sic B. Petrus baptiſmum vocat antitypon arcæ Noë, in qua octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam; quia quod illis typicè, & in figura contigit, nobis non typicè, ſed verè cõtigit, qui veram ſalutem per ipſum baptiſmũ adepti ſumus. baptiſmum itaq; vocat Petrus antitypon arcæ, quia non eſt typus tantùm, ſiue ſignum ipſius rei, id eſt, veræ ſalutis, ſicut erat illa arca, ſed in illo eſt, cùm rite adhibetur, res ipſa, id eſt, vera purgatio peccatorum, vera ſalus, & adoptio filiorum Dei. Vnde non ſatis bene interpretantur antitypa, qui è Græco vertentes, alioqui catholici, & eruditi, ſigna transferunt, cùm potius transferre debeant ſacramenta, quæ nemo niſi hæreticus ſigna tantùm eſſe dicit, aut putat: aut ſi malunt verbum ipſum antitypon relinquere, & vſu facere tritum pro Latino.

ESTOTE *verò præſto omni tempore ad agendas gratias tanquam fideles, & grati ſerui: ac pro Euchariſtia quidẽ in hunc modum: Gratias agimus tibi pater noſter pro vita, quam nobis per Ieſum filium oſtendiſti: per quem vniuerſa feciſti, & omnium rerum procurationem habes, quem miſiſti vt ad ſalutem, & conſeruationem noſtram fieret homo: quem pati & mori permiſiſti, quem etiam à mortuis ſuſcitaſti, & ſuſcitatum glorificare voluiſti, & ad dextram tuam ſeſſum recepiſti: per quem etiam reſurrectionem mortuorum promiſiſti. Tu igitur Domine omnipotens æterne Deus, vt erat hoc diſperſum, & poſtquam eſt congregatum, factus eſt vnus panis, ſic congrega eccleſiam tuam ex finibus terræ in regnum tuum. Adhuc agimus tibi gratias pater noſter pro ſanguine pretioſo Ieſu Chriſti pro nobis effuſo, ac pro pretioſo corpore, cuius hæc* *1 *antitypa celebramus, qui nobis conſtituit, vt mortem eius denunciaremus: per ipſum enim tibi gloria in ſæcula, Amen.* Nemo *igitur non baptizatus ex eis edat: ſed ij tantùm, qui ſunt in mortem Chriſti baptizati.*



*2 Si, vt Caluinus hæreſiarcha tradit ſuis, corpus, & ſanguis Domini non corporali modo, ſed ſpirituali tãtùm per fidẽ percipiuntur, qui ſine fide illum panem accipit, qui foris offertur à miniſtro, vt ipſi Caluiniſtæ loquuntur, nullo modo corpus Chriſti accipit, igitur non iudicium manducat is, neque reus eſt corporis, quod non ſumpſit. at hic Apoſt. doctr. cùm, qui ſine fide corpus Domini participat, iudicium ait manducare, ſicut Apoſt. ait; corpus igitur ſumit, cuius reus eſt, quia indignè ſumit corporaliter. repugnat ergo veritati Apoſtolicæ doctrinæ hæreticum Caluini dogma.

*3 En rurſus teſtimonium Apoſtolicæ doctrinæ in dogma hæreticum Caluini: etenim ſi is, qui non per ſimulationem, ac ſe celando, vt ille ſuperior, ſed imprudens, ac per ignorantiam ſacramentum corporis Domini accepit, citò baptizandus eſt ſecundum Apoſtolicam doctrinam, ne in contemptum ſacramenti dicat poſtea accepiſſe ſe, cùm Chriſtianus non eſſet, quod Chriſtiani non accipiunt. igitur ſine fide etiam corpus Chriſti accipitur; quod quidem fieri non poteſt, niſi corporaliter, id eſt, ore accipiatur, vt Berengarius confeſſus eſt in condemnationem Caluiniſtarum, qui in Confeſſione, & expoſitione doctrinæ miniſtrorum Heluetiæ ca. 21. aiunt ſe Confeſſionem illam Berengarij improbare, & ſint proprio iudicio condemnati. ad hanc Apoſtolicam doctrinam pertinet reſponſio canonica Timothei epiſcopi Alexandrini ex numero nonaginta patrum concilij Conſtant. Quæſtio, ſi puer catechumenus annorum 7. aut maturæ ętatis homo in ipſo tempore myſticæ conſecrationis adueniat imprudens, & ſacræ communionis particeps efficiatur, quid de eo ſtatuendum eſt? Reſponſio, baptizari, inquit, eum oportet, à Domino enim vocatus eſt.

*Sin verò aliquis non baptizatus ſeipſum celauerit & ea participet,* *2 *iudicium æternum manducabit; quòd cùm alienus à Chriſti fide eſſet, quæ fas non erat, ad ſupplicium participauit: Si quis autem per* *3 *ignorantiam ſumpſerit, eſt ille quidem citò elementis Chriſtianæ religionis inſtituendus, ac baptizandus, ne exeat contemptor.*

CAP. XXVII. Gratiarũ actio poſt ſumptionẽ ſanctæ Euchariſtiæ.

*1 En Apoſtolica doctrina, quæ Caluinũ redarguit, qui in ſuis nefariis & blaſphemis de cœna inſtitutionibus impiè tradit, Chriſtum non aliter in nobis quã per ſpiritum ſuũ habitare, cùm hic Apoſtolica doctrina clarè dicat habitare in nobis per ſanctum corp⁹ ſuum: id eſt, habitare in nobis Chriſtum per ſeipſum nõ reuelata facie, ſed in myſterio ſacræ cõmunionis. Ne quis verò hic cauillari audeat in verbo Græco ὀνόματος, quod erat in vetuſtiore exemplari Cretenſi, quod nos, vt ad conſuetudinem ſermonis noſtri transferremus, corpus interpretati ſumus, ſciat corpora, ſiue perſonas ſolere à Græcis dici ὀνόματα, id eſt, nomina. teſtatur Lucas, cùm in Act. c. 1. ait, erat autem turba nominum ſimul fere centum viginti, Græcè eſt ὀνομάτων. in altero exemplari Calabro item vetuſto erat ὑπὲρ τοῦ ἁγίου, vt ſit precatio poſt communionem, gratias agimus tibi Deus pro ſancto, quod in nobis habitare feciſti. ſic vocauit Dauid inquiens, non dabis ſanctum tuum videre corruptionem, quod Paul. in Act. c. 13. de corpore Chriſti interpretatus eſt; Græcè eſt τὸ ἅγιον. vtraque ergo lectio Caluinum, & omnes ſacramentarios condemnat. habitare enim non eſt propriè nominis, neque ſpiritus carnem, & oſſa non habentis, ſicut habet Chriſtus.

POST *communionem ſic eſt gratiarum actio adhibenda: Gratias agimus tibi Deus, & pater Ieſu ſaluatoris noſtri pro ſancto* *1 *corpore tuo, quod in nobis habitare feciſti, & pro cognitione, & fide, & charitate, & immortalitate, quæ dediſti nobis per Ieſum filium tuum. Tu Domine omnipotens, Deus vniuerſi, mundum, & quæ in eo continentur, per eum condidiſti, & legem in animis noſtris inſeruiſti, & quæ ad veſcendum opus erant, hominibus præparaſti. Deus patrum noſtrorum ſanctorum & reprehenſione carentium, Abraham, Iſaac, & Iacob, ſeruorum tuorum fidelium, Deus potens, fidelis, ac verax, & in promiſſis ſeruandis conſtans, qui Ieſum Chriſtum tuum in terram miſiſti, vt cum hominibus conuerſaretur vt homo, idem Deus verbum, & homo, & vt errorem radicitùs euelleret, & nunc ipſe memento per eum huius ſanctæ eccleſiæ tuæ, quam ſanguine pretioſo Chriſti tui acquiſiuiſti: eamque ab omni malo eripe, ac eam in tua charitate, & tua veritate perfice, noſque omnes in regnum tuum, quod præparaſti congrega. hoc* † *Maranatha. Oſanna filio Dauid. Benedictus, qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, qui apparuit nobis in carne. Si quis ſanctus eſt, accedat: Si quis non eſt, curet vt fiat per pœnitentiam. Committite autem presbyteris veſtris, vt Euchariſtiam offerant.*

CAP. XXVIII. Gratiarũ actio pro vnguenti chriſmatis myſterio, ſiue ſacramento.

*1 Vt aqua baptiſmi, ſi nec oleum vnctionis, neque chriſma ſit, ſufficit regeneratis, vt Apoſt. doctr. c. 24. dixit; ita ſi chriſmatis ſacramentum per contemptum repudietur, Theologia quoque vnguẽti chriſmatis ſacri ſymbolica ſimul repudiatur, vt à Lutheranis fit. Vnctio enim chriſmatis, ſicut ait diuinus Dionyſ. ſpiritum ſanctũ donat, quod, vt idem Dionyſ. ait, ſignificat, ſpiritum S. quo ſecundum humanitatem Chriſtus ſupercæleſte vnguentum, quod beatorum mentes diuinis odoribus replet, ſanctificatus eſt, ex ſubſtantia eius procedere. Qui igitur vnguentum ſacri chriſmatis reiicit, is quidem non verè agit gratias, quamuis agere videatur pro ſpirituali odore ſpiritualis vnguenti, id eſt, pro aduentu ſpiritus ſancti ad nos per Chriſtum, à quo procedit: per ſpiritum enim ſanctum afflauit Chriſtus nobis odorem notitiæ veritatis. hæc eſt enim vnctio, quam habemus, ſicut ait beatus Ioan. quæ docet nos de omnibus: neque verè agit gratias pro vita immortali, quam hoc ſupercæleſte, & ſuperſubſtantiale vnguentum, quod eſt Chriſtus, nobis per baptiſmum cum ipſo commortuis, & conreſuſcitatis donauit; & qui in hac doctrina non manet, quam Chriſtus per ſpiritum S. & ſanctos apoſtolos eccleſię catholicæ tradidit, neque ſecundùm eam gratias pro hoc myſterio ſacri chriſmatis agit, hic Deum non habet, ſicut beatus Ioan. ait, filium enim in carne veniſſe negat, qui vnctionem ſpiritus S. quo ſecundum humanitatem ſuperſubſtantialiter ſanctificatus eſt Chriſtus, negat; negat autem, cùm ſacrum chriſma à Chriſto inſtitutum, & donatum de eccleſia tollit. meritò igitur Satanas, qui Lutheranos decepit, & vt à doctrina eccleſiæ catholicæ recederent, perſuaſit, ſimul perſuaſit, vt chriſma exploderent: & magicum blaſphemè appellarent. repugnabat enim, vt qui confeſſionem fidei catholicæ relinquebant, ſacramentum confirmationis eius retinerent.

PRO *vnguento chriſmatis ſic gratias agite: Gratias agimus tibi Deus vniuerſi conditor pro ſuauitate vnguenti chriſmatis, & pro immortali ſæculo, quod nobis per Ieſum filium tuum pateſeciſti; quia tua eſt gloria, & poteſtas in ſæcula, Amen. Qui venerit, & ſic* *1 *gratias egerit, recipite illum vt Chriſti diſcipulum: Sin verò aliam doctrinam prædicauerit præter eam, quam vobis Chriſtus per nos tradidit, huic ne permittatis Euchariſtiam offerre: qui enim talis eſt, is contumelia potius Deum afficit quàm honorat.*

CAP. XXIX. Quòd nõ oporteat omnes ſine diſcrimine ad communionem admittere.

QVISQVIS *ad vos venerit, vbi probatus fuerit, admittite: intelligentes enim eſtis, & poteſtis dextram vel ſiniſtram cognoſcere, ac falſos doctores à doctoribus diſcernere. Ac doctori ea quæ ſunt vitæ neceſſaria ſuppeditate ex animo: Falſo autem doctori præbete quæ opus ſunt: eius verò errorem ne recipite, neque vnà cum eo precationem facite, vt non cum eo inquinemini. Omnis propheta verus, aut doctor, qui ad vos venit, dignus eſt alimento, vt operarius ſermonis iuſtitiæ.*

CAP. XXX. Conſtitutio de oblationib' primitiarum, & decimarum.

DABIS *ſacerdotibus omnes primitias torcularis, & areæ, vindemiæ, & meſſis, boum, atque ouium: vt apothecæ cellarum tuarum penuariarum, & fructus agri tui benedictione afficiantur, vt firmeris in frumento, & vino atque oleo, augeanturque armenta boum tuorum, & tuarum ouium greges: Dabis omnem decimam* *1 *pupillo, & viduæ, pauperi, & proſelyto: Dabis etiam ſacerdotibus omnes primitias panum recentium, vini ex dolio, olei, mellis, pomorum ſiue baccarum, vuæ, aut aliorum fructuum: primitias verò argenti, aut indumenti, cæterarumque rerum, quas poſſides, tribues pupillo, & viduæ.*

*1 Populo præcipit hic Apoſt. doct. dare decimas pupillo, viduæ, & pauperi, ac proſelytis, cùm tamẽ antè lib. 2. ca. 25. & 27. præceperit dare eas epiſcopo, vt ſciat populus, quò libentius & largius det, dare ſe ſimul pupillis, viduis, & omnibus egentibus, cùm epiſcopo dat. Siquidem epiſcopo dat, vt ipſe iſtis det. ex quo fit, vt quæ neceſſitati epiſcopi, & familiæ eius ſuperſunt, iſtorum omnium ſint, ad quorum neceſſitatem ea populus epiſcopo iuſtè diſpenſanda & diſtribuenda dat.

CAP. XXXI. Quomodo oporteat congregatos diem Dominicum celebrare.

DIE *reſurrectionis Domini, quem Dominicum dicimus, conuenite ſine vlla conuentus intermiſſione ad agendum gratias Deo, & profitendum beneficia, quibus nos Deus per Chriſtum affecit, cùm liberauit nos ignorantia, errore, vinculis: vt ſic ſacrificium veſtrum reprehenſione careat: ſitque Deo acceptum, & gratum: qui de eccleſia ſua œcumenica dixit: In omni loco offeretur mihi thymiama, &* *1 *ſacrificium mundum, quia ego ſum Rex magnus, Dominus omnipotens, & nomen meum admirabile in gentibus.*

*1 Ecce Apoſtolica doct. interpres loci Malachiæ prophetæ de ſacrificio incruento ſanctæ Euchariſtiæ. cùm enim de conueniendo in eccleſiam ad Miſſam die Dominico præceptum dediſſet, meminiſſetque de ſacrificio, quod in ea offertur, citauit locum Malachiæ de ſacrificio mundo, quod in eccleſiis per cunctum orbem offertur.

CAP. XXXII. Quales eſſe oporteat, qui eliguntur ad miniſterium eccleſiæ.

ELIGITE *1 *epiſcopos dignos Domino, item presbyteros, & diaconos viros pios, iuſtos, manſuetos, non cupidos habendi, veraces, probatos, ſanctos, liberos à vitio acceptionis perſonæ, idoneos ad docendum verbum pietatis, & qui Domini dogmata rectè tractent. Vos verò habete his honorem, vt patribus, vt dominis, vt beneficis, vt auctoribus boni ſtatus veſtri. Præterea reprehendite inter vos mutuò non iratè, ſed magna cum tolerantia, cum benignitate, & pace: Seruate omnia præcepta Domini vobis data. Vigilate pro vita veſtra. ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes: & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum quando veniet, veſpere an mane, an ad gallicantum, an media nocte; qua enim hora non expectant, veniet Dominus, etſi ei aperuerint, beati ſerui illi, quia inuenti ſunt vigilantes. Quia ſcilicet præcinget ſe, & faciet eos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Sobrij igitur eſtote, ac vigilantes; & orate, ne dormiatis in mortem; neque enim iuuabunt vos ſuperiora rectè facta, ſi ad extremum vitæ veſtræ à fide vera aberrabitis.*

*1 En Apoſtolica doctr. quę quid laici poſſint in miniſtris eccleſiæ, vno verbo planè docet contra Proteſtãtes. non enim dicit laicis, quibus nunc loquitur, χειροτονεῖτε, id eſt, ordinate, neque καθιστᾶτε, id eſt, conſtituite epiſcopos, presbyteros, diaconos, ſed προχειρίσασθε. eſt enim προχειρίζειν, πρὸ τῆς χειροτονίας ἤτοι καταστάσεως ἐκλέγειν, id eſt, eligere ante ordinationem; quod poteſt conuenire laicis non quidem propriè, & canonicè, quia non poteſt eis conuenire poteſtas ſpiritualis, qualis eſt poteſtas eligendi miniſtros eccleſiæ, qui ſunt miniſtri ſpirituales, vt quidem poteſt conuenire clericis: ordinationes verò epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, & aliorum miniſtrorum ad epiſcopos, quibus Proteſtantes carent, pertinent. de quibus ordinationibus ſigillatim poſtea lib. 8. Apoſt. doctr. leges deſcribit. Quare cùm Proteſtantes epiſcopos non habeant, conſequens eſt, vt nullas χειροτονίας, id eſt, ordinationes miniſtrorum habeant, præterquam laicas προχειρίσεις, id eſt nudas electiones ſine ordinationibus.

CAP. XXXIII. Prædictio futurorum.

VLTIMIS *enim diebus multiplicabuntur falſi prophetæ, & corruptores verbi, & mutabuntur oues in lupos, & charitas in odium: abundante enim iniquitate frigeſcet charitas multorum, erit enim hominum mutuum in ſe odium, inſectatio, & proditio. Ac tunc prodibit deceptor orbis, & inimicus veritatis, mendacijque defenſor; quem Dominus ſpiritu oris ſui interficiet, qui labiis impium delet; ac multi in eo ſcandalum incurrent; qui verò perſeuerauerint vſque in finem, hi ſalui*



*hi ſalui erunt; & tunc apparebit ſignum filij hominis in cælo: deinde vox tubæ inflante archangelo, & interea mortuorum ſuſcitatio, ac tunc veniet Dominus in terræmotu cum omnibus ſanctis ſuis ſuper nubes, comitatus angelis virtutis ſuæ in ſolio regni ad iudicãdum diabolum mundi deceptorem, et ad retribuendum cuiq; pro meritis: Tunc abibunt ſcelerati in æternum ſupplicium, iuſti verò proficiſcentur ad vitam immortalem, & ea poſſidebunt, quæ oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus eum; & gaudebunt in regno Dei gaudio, ſupra quàm dici poteſt, magno in Chriſto Ieſu. Tot igitur ac tantis bonis ab eo dignati eundem ſupplices crebris precibus imploremus dicentes:*

CAP. XXXIIII. Oratio variam Dei prouidentiam prædicans.

ÆTERNE *Saluator noſter rex deorum, qui ſolus es omnipotens, & Dominus omnium, idemque Deus ſanctorum, & laudatorum patrum noſtrorum, noſtrorumque maiorum, Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, qui es miſericors, & commiſerator, longanimis, & multa miſericordia; cui omne cor patet, nudumque eſt, & omnis occulta cogitatio aperta: ad te clamãt animæ iuſtorum, in te ſunt collocatæ ſpes ſanctorum, qui es pater reprehenſione carentium, & eorum, qui te rectè inuocant, auditor, qui tacitas etiam ſermocinationes percipis, ſiquidem in viſcera vſque humana prouidentia tua peruadit, & per conſcientiam voluntatem cuiuſque ſcrutaris. Tibi per omnes partes orbis habitabilis thymiama precationis, & ſermonum adhibetur, qui hoc præſens ſæculum, curriculum iuſtitiæ inſtituiſti, omnibuſque ianuam miſericordiæ aperuiſti, ac ſingulos homines cognitione quadam nobis inſita, & naturali iudicio, ac tacita quadam legis naturæ voce docuiſti, opum quidem non eſſe perpetuam poſſeſſionem; venuſtatis verò pulchritudinem non eſſe perennem; firmitatem virium fragilem; eſſeque vniuerſa vaporem, & vanitatem; ſolam verò conſcientiam fidei non fictæ per medios cælos peruadere cum veritate aſcendentem, &* *1 *dexteram futuri cibi recipere, ſimul etiam antequam promiſſum reuiuiſcendi præſtetur, ipſa anima ſpe exultans, lætitia perfunditur. Abraham enim progenitorem noſtrum* *2 *viam veritatis ex ipſa* † *naturæ facultate capeſcentem, cùm ei appareres, tanquam dux deduxiſti; eumque, quid tandem eſſet hoc ſæculum,*

*1 Ad illud reſpicit Luc. 22. & ego diſpono vobis, vt edatis, & bibatis in regno meo. & ad illud Matth. 25. & tunc dicet iis, qui à dextris erunt, venite benedicti, &c. & in pſal. 15. delectationes in dextera tua vſque in finem. eſt itaque recipere dextram futuri cibi reportare præmium æternæ vitæ ex dextera maieſtatis Dei excelſi, quam reportaturi ſunt ij qui ſecundum euangelium erunt à dextris, quia hi ambulauerunt vias, quæ à dextris ſunt; has enim nouit Dominus, ſicut Salomon ait.

*2 En opera ſecundum innatam cognitionem, & iudicium rationis naturalis ſine fide ab Abraham facta, quæ bona erant, quippe quæ ad viam veritatis naturæ inſitam pertinebant, quamuis nondum ad iuſtitiam valebant, antequam Deus tanquam dux illum deduceret ſcilicet per fidem; hæc enim eſt dux ad ambulandum, vt Deo placeat, in via mandatorum. redarguit igitur hic locus Apoſtolicæ doctrinæ Illyricum, qui in defenſione Antuerp. Confeſſionis c. 6. contra Tiletan. negat eſſe ſine fide vlla opera bona, vt ſubſtineat, non quidem aliqua bona opera, ſed omnia excludi à iuſtitia. Sic enim ait, quæ verò poſſunt eſſe illa bona opera ſine fide facta? Sanè fuerunt bella opera, vt ea valde neceſſe fuerit à iuſtitia excludere. Sanè quidem neceſſe fuit excludere, quia etſi ſunt bona, tamen carent fide, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Dicit præterea, non poſſe probari vllo certo teſtimonio, Paulum excludere à iuſtitia tantùm opera ſine gratia, & ante fidem naturalibus viribus facta, quaſi Paulo, inquit, fuiſſet difficile, iſtud expreſſe dicere, ſi ſic dicendum eſſe cenſuiſſet. hæc ille, quaſi verò cætera, quæ in Paulo obſcura ſunt, & difficilia ad intelligendum, vt beatus Petrus teſtatur, difficile fuiſſet Paulo apertè, & vt iſte dicit, expreſſe dicere, ſi ſic dicendum eſſe cenſuiſſet. Sed vt iſtius audacia, & inſcitia redarguatur, doceamus nos rurſus expreſſe hoc, quod negat Paulum dixiſſe, excluſiſſe dico à iuſtitia opera ſine gratia, & ante fidem viribus naturalibus facta. Cùm enim dixiſſet, vbi eſt ergo gloriatio tua? excluſa eſt; per quam legem? factorum? non: ſed per legem fidei. Deinde ſubiungit, arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. & paulò pòſt, quid ergo dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? hyperbaton eſt, ſic enim accipienda eſt orationis conſtructio. quid enim dicemus Abraham patrem noſtrum inueniſſe ſecundum carnem, nec enim eſt pater noſter ſecundum carnem, ſed ſecundum fidem, ſicut ſcriptum eſt, quia patrem multarum gentium conſtitui te. quid ergo dicemus inueniſſe Abraham ſecundum carnem, id eſt, ex viribus naturalibus, hæ enim ſunt vires carnis, id eſt, naturæ humanæ à Deo creatæ. Subiungit quæſtioni, ſi enim ex operibus ſcilicet ſecundum carnem, repetendum enim eſt hoc ἀπὸ κοινοῦ, id eſt, à communi, ſiue per zeugma, quæ eſt figura frequentiſſ. in ſcripturis ſanctis? Si, inquam, ſecundum carnem iuſtificatus eſt, id eſt, ex operibus virium naturalium, habet gloriam; ſed non apud Deum. Si igitur habuit gloriam Abraham ex operibus carnis, id eſt, naturæ apud homines, licet non apud Deum, vt Apoſtolus teſtatur, igitur opera illa ante fidem bona erant, licet non eſſent perfecta, neque Deo εὐάρεστα, id eſt, beneplacentia, vt Apoſt. loquitur: qui enim mala opera facit, non habet gloriam apud homines. En Illyrice opera bona Abrahæ ante fidem expreſſe excluſa à iuſtitia, cuius gloria eſt apud Deum. Alterum genus operum bonorum eſt, quod Paulus expreſſe quoque à iuſtitia excluſit, illa dico opera, quæ fiunt quidem cum fide, ſed propter timorem tantùm iræ, quam operabatur lex: non enim, inquit, per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei. Si enim qui ex lege ſcilicet iram operante hæredes ſunt, exinanita eſt fides, abolita eſt promiſſio, lex enim, inquit, iram operatur. de lege ergo loquitur, quæ iniuſtis, & non ſubditis poſita eſt, vt in epiſt. ad Tim. ſcripſit, quæ duros, & non obedientes terroribus, & ſuppliciorum minis ad bene viuendum impellit, cuiuſmodi eſt, ſi hoc feceris, aut illud non feceris, has, aut illas pœnas dabis. opera igitur legis iram operantis, quæ eſt & dicitur lex ſeruitutis, à

*culum, docuiſti, ac fidem eius antegreſſa eſt cognitio, cognitioni verò *3 conſequens fuit fides, fidem autem inſecuta pactio: dixiſti enim, faciam ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris. Quin etiam docuiſti, filium eius Iſaac, quem ei dediſti; quem cùm vidiſſes moribus patri ſimilem, appellatus es Deus eius, dicens, Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Atque etiam cùm pater noſter Iacob in Meſopotamiam profectus eſſet, oſtendiſſeſque Chriſtum per eum, item dixiſti: Ecce ego tecum ſum, & augebo te, & multiplicabo te valde. Sic item dixiſti Moyſi famulo tuo fideli ac ſancto in illo viſo rubi: Ego ſum qui ſum, hoc mihi nomen æternum, & monimentum generationibus generationum: propugnator generis Abraham benedictus es in ſæcula.*

iuſtitia excludit Apoſtolus. relinquit ergo opera legis nō operantis iram: illa dico, quæ nō timore tantùm fiunt, licet cum fide, ſed ex fide ſimul & dilectione. quæ quidē non excludi à iuſtitia, expreſsè dixit Apoſtol⁹ in eadem epiſt. ad Tim. cùm ait, ſcimus autem, quia bona eſt lex, ſiquis ea legitimè vtatur, id eſt, ſiquis opera legis faciat non metu pœnæ tantùm, hoc enim ſeruile eſt: & huiuſmodi lex, quæ metu ſupplicij cogit, vt ſtatim ait, non eſt iuſto poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis. deinde paucis per parentheſim interiectis, declarat quæ illa opera ſint, ex quibus exiſtit iuſtitia fidei, ſiquidem non exiſtit ex operibus legis poſitæ iniuſtis, & non ſubditis, id eſt, timore tantùm ſupplicij factis; hæc enim iuſtitia ſcribarum, & Phariſæorum erat: noſtra autem iuſtitia abundare debet pluſquam ſcribarum, & Phariſæorum, vt Dominus dixit. Vnde Apoſt. reſpiciens ad illud quod Dominus dixit, poſt illam, quam dixi, parentheſim ſubiungit, ſuperabundauit autem gratia Domini noſtri cum fide, & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu. hæc eſt gratia iuſtitiæ fidei, quæ illam iuſtitiam, quæ eſt ex operibus legis, licet cum fide, timore tamen ſolum ſupplicij factis, quæ erat, vt dixi, iuſtitia ſcribarum, & Phariſæorum, longè ſuperat, & laudem ac gloriam habet apud Deum, & non apud homines tantùm, vt illa. ſi hæc Illyricus refellere tentauerit, aut ad ea reſpondere, ſeipſe magis, ac magis redarguet, & nouis erroribus implicabit.

*3 En Apoſtolica doctr. quæ fidem, quam Illyricus cum reliquis Confeſſioniſtis tradit reputari ad iuſtitiam, diuinè redarguit exemplo fidei Abrahæ, quæ reputata eſt ei ad iuſtitiam. ſic enim ait in defenſione Confeſſionis Antuerp. c. 5. ſola fide velut quadam mendica manu oblata per promiſſiones bona apprehendente homines iuſtificari, regenerari, & ſaluari. idem tradit Philipp. in reſponſ. ad articulos Bauar. inquiſ. c. 23. ſola miſericordia homines in hac vita per mediatorem iuſtos eſſe: & hæc miſericordia, inquit, apprehenditur ſola fide, qua audientes promiſſionem reconciliationis Dei, & intuentes filium Dei mediatorem ſuſtentamus nos: & rurſus, & hæc fides ſcilicet iuſtificans nititur in ſola miſericordia propter mediatorem promiſſa. itaque per fidem apprehendentem promiſſiones volunt Proteſtantes iuſtificari hominem, cùm tamen ſecundum Apoſtolicam doctrinam fidem iuſtificantem, quæ antecedit, promiſſiones inſequantur; ſicut in Abraham, cuius iuſtificatio ex fide noſtræ iuſtificationis exemplum, & forma ſit, ſicut Apoſtolus teſtatur: fide ergo, inquit Apoſt. qui vocatur Abraham obediuit exire in eum locū quem accepturus erat in hæreditatem: & exiuit neſciens quò iret. En fides Abrahæ ab Apoſtolo laudata de exeundo ex terra ſua, & cognatione. hanc fidem, quæ reputata quoque eſt Abrahæ ad iuſtitiam, alioqui non eſſet ab Apoſtolo, vt dixi, laudata, & ad exemplum & imitationem propoſita, inſecutæ ſunt promiſſiones ei factæ cùm dictum eſt ei in terra Chanaan, aſpice in cælum, & numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum. hoc loco ſcriptura, vt Magnetes auctor eccleſiaſticus, & peruetuſtus in Apologia euangeliorum contra Theoſthenem gentilem notauit, vt demonſtraret, per fidem protuliſſe Abraham bonorum operum ſplendorem, credidit, inquit, Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam. ſeruabat enim Abraham ante fidem magiſtra natura, vt ait idem auctor, æquitatem in vita communi: eratque vtilis proximis, & à dolo, & fraude alienus, egentibus benignè faciens. Denique ſecundum carnem habebat gloriam apud homines, vt Apoſt. teſtatur, etſi non apud Deum, quia nondum credebat: poſtquam verò ſic duce cognitione naturali bene operanti dedit Deus fidem, qua credidit, & iubenti exire ex terra ſua obediuit, tunc illa bona opera priora, quæ ſecundum ſolam rationem naturæ inſitam ſine fide faciebat, facta ſunt ei opera fidei Deo accepta, & ad iuſtitiam reputata, vt ait idem auctor. Sic ergo iam credenti Abrahæ, & per fidem obedienti, & operanti factæ ſunt promiſſiones, quibus etiam credidit, & earum fides rurſus ad iuſtitiam reputata. Vnde Apoſt. non enim, inquit, per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius, vt hæres eſſet mundi, ſed per iuſtitiam fidei. prius igitur eſt iuſtitia fidei, & huic conſequens promiſſio: & rurſus ait, ex fide ſcilicet iuſtitia, vt ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolùm, ſed ei qui ex fide eſt Abrahæ, qui pater eſt omnium noſtrûm. quòd ſi ideò iuſtitia eſt ex fide, quæ poteſt eſſe omnium, & non ex lege, iram operante, quæ Iudæorum tantùm erat, vt promiſſio ſalutis ex iuſtitia fidei poſſit pertinere ad omnes ſiue ex circumciſione, ſiue ex præputio, ergo prius eſt iuſtitia fidei, & huic conſequens promiſſio. igitur ad exemplum Abrahæ patris noſtri, prius oportet nos Deo, & mandatis eius per fidem obedire, & hoc nobis ad iuſtitiam reputari, vt ſic credentibus, & per fidem Chriſti, & mandatorum eius obedientiā iuſtificatis fiant firmæ promiſſiones ſalutis æternæ, quæ eſt finis fidei noſtræ, ſicut beatus Petrus ait, reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum. Confeſſioniſtæ igitur nolunt habere patrem Abraham, ſiquidem nolunt habere iuſtitiam ex fide ad imitationem eius. Abraham enim prius credidit Deo, & obediuit, & ex fide ſua iuſtificatus eſt: & credenti, ac iuſtificato facta eſt promiſſio æternæ ſalutis, & gloriæ, cùm dictum eſt ei, ſuſpice in cælum, & numera ſtellas ſi potes, ſic erit ſemen tuum. non enim carnalis, ſed ſpiritualis fuit hæc promiſſio, vt eccleſia ſancta profitetur, quæ cùm pro mortuis precatur, ſic ait: vt ſignifer ſanctus Michaël repræſentet eas in lucem ſanctam, quā olim Abrahę promiſiſti, & ſemini eius. & prophetia Danielis, qui ad iuſtitiam, inquit, erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. hæc igitur fuit pactio & promiſſio Dei, cui etiam credidit Abraham, ſtatim enim ſequitur, credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam: quæ quidem pactio & promiſſio fidem eiuſdem Abrahæ antegreſſam inſecuta eſt, vt hic Apoſtolica doctrina tradit; & vt Paulus in epiſt. ad Hebræos teſtatur, cùm ait, vt paulò antè notatum eſt, fidei, qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit, neſciens quò iret. Oportet igitur, vt qui voluerit cum Abraham ex fide iuſtificari, eum imitetur tanquam patrem in negotio iuſtificationis. idcirco enim dixit hic Apoſtolus, fide qui vocatur Abraham, & quæ ſequuntur, vt de interpretatione nominis Abraham, quam in epiſtola ad Rom. poſuit, admoneret, ſignificat enim patrem multarum gentium: in Abraham autem fides antegreſſa eſt; & pactio, ſiue promiſſio ſecuta. At Confeſſioniſtæ tunc homines iuſtificari tradunt, cùm audientes promiſſionem reconciliationis per mediatorem, eam per fidem apprehendunt: tradunt enim proprium eſſe fidei apprehendere promiſſiones Dei; cùm tamen promiſſiones fidem, & iuſtitiam eius ſequātur, vt in Abraham fidem ab Apoſtolo laudatam ſecuta eſt promiſſio ſecundum ſcripturam, & Apoſtolicam doctrinam. ad hūnc ergo modum, & exemplum prius oportet credere, & baptizari: & hanc fidem per baptiſmum obſignatam inſequitur pactio & promiſſio Dei, qui baptizatis in mortem Chriſti mediatoris promittit regnum cælorum. Similiter qui poſt baptiſmum peccauerunt, ſi confitentes peccata ſua ſe ad Deum per fidem & dilectionem conuertunt, iſtis miſericordia Dei per mediatorem promittitur, quæ promiſſio miſericordiæ, & ſalutis fidem illam cum dilectione antegreſſam ſequitur: non enim miſeretur Deus niſi credentium, & diligentium. ergo non propriè, ac peculiariter ad fidei iuſtitiam pertinet apprehendere promiſſum, vt Illyricus tradit.

Cap. xxxv. Oratio variam creationem prædicans.

*Benedictvs es Domine rex ſæculorum, qui per Chriſtum vniuerſa condidiſti: qui per eum initio diſpoſuiſti, & ornaſti incondita; qui aquas ab aquis medio firmamento ſeparaſti, ac diſcluſiſti, vitalemque eis ſpiritum indidiſti: qui terram ſtabiliſti, & cælum tetendiſti, & ſingula perfecta, diſpoſitione ornaſti: tua enim*



*enim *1 poteſtate factum eſt, vt mundus luceret: cælum inſtar cameræ exædificatum ad dandum in tenebris ſolatium, aſtris ſplenderet; lumen & ſol dies efficerent, & fructus gignerent: luna in mutationem temporum creſceret, & decreſceret, & nox diceretur, & dies appellaretur: tum etiam, vt firmamentum in medio aquarum fieret, qui iuſſiſti vt congregarentur aquæ, & apparuit arida. Mare verò ipſum quis ſermone explicare queat, quemadmodum à pelago feratur furens, & ab arena iuſſu tuo coërcente, reciprocetur: dixiſti enim, in ipſo confringentur fluctus eius; animalibus verò exiguis & magnis, ac nauigiis peruium feciſti. Deinde terra herbeſcit omni genere florum, & varietate arborum multiplicium depicta: luminaria verò horum nutricij perpetua lege ſpatium conficiunt nihil mandatum tuum variantia; quin potiùs quacunque regione iubeas, ea oriuntur, & occidunt in ſigna temporum, & annorum; et miniſteria hominum alterna viciſſitudine commutant. Præterea effecta ſunt variarum animantium genera terrenarum, aquatilium, volucrum, & eorum quæ in terra, & aqua viuunt, quæ dicuntur amphibia, tuæque prouidentiæ artificioſa ſapientia prouidentiam ad cuiuſque earum naturam accommodat: vt enim non fuit infirma ad multiplices animantium ſpecies efficiendas, ſic etiam nō neglexit cuiuſque earum variam ac diuerſam procurationem. Ad hæc, finem fabricationis animantem rationis participem, mundi ciuem ſapientiæ tuæ moderatione feciſti, cùm diceres, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; feciſti, inquam, vt eſſet homo* κόσμου κόσμος*, id eſt, ornati ornatus, cuius corpus ex quatuor elementis primis corporibus formaſti, animā verò ex nihilo; ac ſenſus quinque ad certamen virtutis dediſti, & mentem ipſius animæ tanquā aurigam ſenſibus præfeciſti. Iam ad hæc omnia dominator domine, quis pro dignitate explicabit nubium imbribus grauidarum fluxionem, fulguris ſplendorem, tonitruumque fragorem ad ſuppeditandum alimentum cuique generi animantium conueniens, tum etiam ad aptiſſimam aëris temperationem. Hominem verò, quia tibi non paruit, vita, quæ fuerat ei propoſita merces, priuaſti, non quòd ex toto eum deleuiſſes, quin potiùs breui morte affectum tanquam ſomno quodam captum, interpoſito *2 iureiurando, ad renaſcendum vocaſti, & edictum mortis reſcidiſti, qui mortuis vitam tribuis per Chriſtum ſpem noſtram.*

*1 In alio exemplari Græco erat, ἐνθυμηθέν, id eſt, cogitatione: Gregor. Nazianz. in oratione in natiuitatem dixit ἐνθυμεῖται: cogitat, inquit, angelos, & cælos, & fit cogitatio opus; ſic hic, cogitauit, vt ſplendeſceret mūdus, & facta eſt cogitatio opus. & Dauid in Pſalm. qui facit, inquit, cęlos in intellectu, & intellectus factus eſt opus cælorum.

*2 Iuſiurandum dicit, quod iurauit Deus Abrahæ, ſicut in Gen. ſcriptū eſt, per memetipſum iuraui, dicit Dominus, quia feciſti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris. & Paul. in epiſt. ad Heb. fide, inquit, obtulit Abraham Iſaac, cùm tentaretur, & vnigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones, ad quem dictum eſt, quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen, arbitrās, quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. filios ergo promiſit Abrahę ſecundum promiſſionem Iſaac, id eſt, non ſecundum carnem, & ex ſanguinibus natos, ſed per fidem ex aqua, & ſpiritu S. ſecundum promiſſionem Dei, ſicut Iſaac natus eſt Abrahæ ſecundum promiſſionem, cui credidit, & non ex ſanguinibus, deſierant enim Saræ muliebria, ſicut ſcriptura teſtatur, & corpus Abrahæ emortuum erat, vt Paulus ait, & vulua Saræ emortua. & ſicut Iſaac iam erat mortuus non verè, ſed ſecundum propoſitum, & obedientiam Abrahæ, & ab eiuſmodi morte fuit veluti ſuſcitatus; ſic filij Abrahæ, id eſt, filij promiſſionis non verè, ſed myſticè mortui ſunt in baptiſmo, & in eo rurſus ſuſcitati. idcirco ſubiungit Apoſt. Vnde eum & in parabolam accepit filiorum promiſſionis, id eſt, regenerandorum per fidem in baptiſmo, & in eo ſuſcitandorum: conſepulti enim in baptiſmo cum Chriſto, ſicut Apoſt. ad Coloſſ. ſcribit, reſurreximus per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit illum à mortuis. & cùm eſſemus mortui in delictis, & præputio carnis noſtræ, conuiuificauit cum illo donans nobis omnia delicta, delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. hoc chirographum decreti vocat hic Apoſtolica doctrina edictum mortis.

Cap. xxxvi. Oratio pręedicās cum gratiarum actione diuinam procurationem rerum.

*Magnvs es Domine omnipotens, & magna virtus tua, ſapientiæque tuæ non eſt numerus, creator, ſaluator, diues gratiarum, longanimis, & miſericordiæ largitor: qui ea, quæ à te condita ſunt, non deſtituis, ſed conſeruas; natura enim bonus es, parcis verò peccantibus, eos ad pœnitentiam prouocans: ex tuis enim miſerationibus exiſtit admonitio. Quomodo nanque ſuſtineremus, ſi pœnas celeriter à nobis expeteres? qui diu multumque à te toleranter expectati, vix ex peccato emergimus? potentiam tuam enarrant cæli, & terra mota, firmitatem habens in nihilo pendentem; mare etiam quod fluctibus agitatum, innumerabilium animalium copias paſtu alit, atque arena tenetur conſtrictum metu volūtatis tuæ; cogit omnes vt clament, quàm magnificata ſunt opera tua Domine; omnia in ſapientia*

*pientia feciſti, plena eſt terra creatura tua; item exercitus angelorum ardens, & ſpiritus intelligentes dicunt Phelmoni, id eſt, certo cuipiam,* VNVS SANCTVS. *Sancti quoque Seraphim vnà cum Cherubinis qui ſenis alis præditi ſunt, canticum victoriæ tibi canentes perpetuis vocibus clamant, dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth; pleni ſunt cæli, & terra gloria tua. atq. etiam permulti alij ordines archangelorum, thronorum, dominationum, principatuum, poteſtatum, ac virtutum clamantes dicunt, benedicta Domini gloria ex loco ſuo. Hieruſalem verò tua in terris, eccleſia ex gentibus collecta, cum copiis cælitum, certans nocte & die, in corde pleno, & anima volente canit, currus Dei decem millium millia lætantium, Dominus in eis in Sina, in ſancto; nouit cælum eum à quo factum eſt in modum cameræ, inſtar quadrati lapidis ſtabile, alioqui in nihilo nitens; quiq; terram, & aquam inter ſe colligauit, & aërem diffudit, animantes alentem, cum quo etiam ignem ad teporem, & lucem commiſcuit. Obſtupefacit admiratione chorus ſtellarum, qui illum ſignificat, qui ipſa numerat; & illum, qui ipſas nominat, oſtendit; vt item animantes eum, à quo animatæ ſunt, demonſtrant; & arbores, à quo ſatæ, & editæ. Quæ quidem omnia verbo tuo effecta, vim poteſtatis tuæ declarant. Quare debent omnes homines laudes tibi pro cunctis bonis per Chriſtum toto pectore tribuere; qui te auctore facti ſunt omnium domini. Tu enim es benignus in beneficentiis, & liberalis in commiſerationibus, qui ſolus es omnipotens; adeſt enim tibi cùm volueris, poſſe; tuum nanque robur æternum, & flammam refrigerat, & leones cohibet, & cetos mitigat, & ægrotantes erigit: & facultates naturæ conuertit in alias, exercitumque hoſtium, & populum ſuperbè numeratum proſternit: Tu es in cælo, & in terra, & in mari, in terminatis nullo termino circumſcriptus: magnitudinis enim tuæ nullus eſt finis, non enim Domine noſtrum eſt hoc dictum, immò verò famuli tui, qui ait, & cognoſces corde tuo, quòd Dominus Deus tuus, Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum, & non eſt amplius præter eum; neque enim eſt Deus præter te ſolum; ſanctus non eſt præter te, Dominus Deus ſcientiarum, Deus ſanctorum, ſanctus ſupra ſanctos omnes; ſanctificati enim ſub manu tua ſunt: glorioſus, ſupra omnia excelſus; natura inaſpectabilis; cuius iudicia inueſtigari non poſſunt: cuius vita nullius eſt indigens; duratio neque mutabilis, neque deficiens, operatio ſine defatigatione: magnitudo infinita; perennis decor; inhabitatio ſine vllius acceſſu, & appulſu; manſio ſine migratione; cognitio ſine vllo initio; veritas immutabilis; cuius opus ſine *1 intermedio; potentia nullis inſidiis expoſita; monarchia, id eſt, principatus vnius, ſine ſucceſſore; regnum perpetuum; robur inuictum; cuius exercitus valde copioſus. Tu enim es ſapientiæ pater, idémq. inſtaurationis per mediatorē factæ auctor, vt cauſſa; prouidentiæ largitor, lator legum, indigentiæ expletor, impiorum vindex, iuſtorum remunerator, Chriſti Deus, & pater, & eorum, qui in eum pij ſunt, Dominus: cuius promiſſio minimè fallax, iudicium incorruptum, ſententia immutabilis; cui cultus ſine intermiſſione, gratiarum actio perpetua, per quem tibi veneratio digna ab omni natura rationis participe, ac ſancta debetur.*

Dan. 8. Iob 38.

*1 En teſtimoniū Apoſt. doctrinæ in Arriū, qui aiebat filiū Dei miniſtraſſe patri in fabricatione mūdi, vt creaturam, factūque eſſe, vt eſſet factor creaturarū. eſt etiā teſtimoniū aduerſus Eunomiū, qui energiam Dei à natura ei⁹ diſtinguebat, ita vt inter Deū operantē & opus, media eſſet energia, id eſt, virtus operādi: quem magnus Baſili⁹, & Greg. Nyſſ. acutiſſimè confutarunt.

CAP. XXXVII. Oratio commemorans incarnationē Chriſti, & variā prouidentiam de ſanctis.

DOMINE *omnipotens, tu mundum per Chriſtum fabricatus es, & ſabbatum huius fabricationis memoriæ dedicaſti, quia in eo ab operibus faciendis requieſcere feciſti, ad leges tuas meditandas: item feſtos *1 dies ad capiendā animis noſtris*

*1 En Apoſt. doctrina in Proteſtantes, qui dies feſtos tradunt non eſſe ſeruandos niſi propter ordinem politicum, & pacē, & non propter aliam rationem ſpiritualem. at Apoſt. doctr. ad cultum Chriſti, qui eſt caput ſanctorum, eiuſmodi dies feſtos pertinere teſtatur, cùm ait conſtitutos eſſe, vt recordemur Chriſti Dei, & hominis propter nos nati, & pro nobis mortui, & ſuſcitati. ipſe enim fecit eos ſanctos, qui eis gratiam dedit, vt veſtigia eius, & ſanctitatem imitarētur; qui vt omnes ſanctificaret, & regni hæredes faceret, factus eſt homo, mortuus eſt, & reſurrexit. in Chriſtum igitur peccant, & in gloriam eius, qui legem dierum feſtorum à magiſtratibus, & non à Chriſto & Apoſtolis eius, & ab eccleſia Chriſti ſpōſa accipere volunt: & ad ordinem politicū, & pacem corporalem, & non ad Dei cultum, nec ad lætitiam ſpiritualem animarum, quæ eſt gaudium in ſpiritu S. referre eos volūt.



*lætitiam conſtituiſti, vt in mentem veniret ſapientiæ à te *2 conditæ, quemadmodum noſtra cauſſa, quod ortum eſt ex *3 muliere in ſe ſubſiſtere fecit: apparuitque in vita, declarans ſe in baptiſmo Deum & hominem: & propter nos permiſſu tuo paſſus, & mortuus eſt, ac poteſtate tua à mortuis ſuſcitatus. Quare diem feſtum reſurrectionis Dominico die celebrantes, in eo lætamur, qui vicit quidem mortem, illuminauit verò vitam, & immortalitatem: per ipſum enim gentes tibi adiunxiſti, vt fierent populus acquiſitionis, verus Iſraël, Deo charus, Deumque videns. Tu enim Domine etiam patres noſtros ex terra Ægypti eduxiſti, & ex fornace ferrea, atque ex luto, & fingendorum laterum labore eripuiſti: liberaſti à manu Pharaonis, & populi eius, ac per mare tanquam itinere terreſtri traieciſti; & mores eorum in ſolitudine omni genere bonorum ſuſtinuiſti; legem decalogi voce tua pronunciatam, & manu tua ſcriptam dediſti; diem ſabbati feſtum agitare iuſſiſti; nō vt eſſet illis occaſio otij & vacationis, ſed adiumentū pietatis ad cognitionem potentiæ tuæ, vt prohiberentur mala, tanquam in circo quodam ſacro docendi gratia cohibitis, & vt eſſet exultatio hebdomadis. Hinc vna hebdomas, & ſeptem hebdomades, item menſis ſeptimus, & annus ſeptimus, rurſus Iubileus, id eſt, annus quinquageſimus ad remiſſionem, qui ex ſeptena conuerſione, & reditu anni ſeptimi exiſtit, vt nullam haberent homines occaſionem falſò excuſandi ignorantiam; hac de cauſſa omni ſabbato feriari iuſſit, vt ſcilicet nemo ne verbum quidem iratè ex ore ſuo in die ſabbati vellet emittere, ſabbatū enim eſt requies à fabricatione mūdi, perfectio vniuerſi, legum inquiſitio, laus grati animi pro beneficiis in homines collatis Deo adhibita. Dominicus verò dies his omnibus præſtantior, vt qui repræſentet ipſum mediatorem, prouidentem, legiſlatorem, auctorem reſurrectionis, primogenitum omnis creaturæ, Deum verbum; eundemque hominem ex Maria natum ſolum, ſine coniunctione viri, ſanctè in vita verſatum, cruci affixum ſub Pontio Pilato, & mortuum atque à mortuis ſuſcitatum. Hic, inquam, dies Dominicus tibi Domine Euchariſtiam pro vniuerſis *4 offerre hortatur, & iubet: Hæc eſt enim gratia, quam tu præbuiſti; quæ ſua magnitudine omne beneficium operuit.*

*2 En Apoſtolica doct. interpres loci Salomonis, cū ait in Prou. ſapientia, Dominus creauit me initium viarum ſuarum, aduerſus Arrianos, qui ſapiētiā Dei patris, quæ hoc loquitur, ſic de filio Dei accipiebant, vt creaturam facerent. at Apoſt. doctr. quam omnes antiqui patres in hoc loco interpretando ſecuti ſunt, ad Chriſtum retulit ſecundum humanitatem. Sapiētiam enim creatam dicit Chriſtū Deū, & hominē. Sapientia ergo dicit ſē creatam à Domino, quia Chriſtus, qui eſt ſapiētia patris, & Dei patris fili⁹, idem eſt filius hominis, id eſt, virginis. eadem doctr. Apoſt. lib. 5. ca. 20. multis teſtimoniis ſcripturæ de Chriſto Deo, & homine recitatis, hoc quoque teſtimonium Salomonis de eadem re produxit, & totum recitat.

*3 En Apoſtolica doctr. teſtis in Paulum Samoſatenſem, qui Chriſtum hominem tantùm dicebat, & in quo verbum erat tanquam in vno quouis propheta habitaret: & in Neſtorium, qui Chriſtum in duas perſonas diuidebat, ita vt Chriſtus naturam humanam in atomo, id eſt, hypoſtaſim ſiue perſonam aſſumpſiſſet: & in Theodorum Mopſueſtiæ, qui ponebat duas in Chriſto naturas ſola habitudine & gratia inter ſe aptatas. item contra Eutychem, qui aiebat carnem Chriſti non fuiſſe noſtræ homouſion, ſed deſcendiſſe corpus eius è cælo, & tranſiſſe per virginem tanquam per canalem. & contra Arrium, & Apollinarem, qui dixerunt carnem Chriſti caruiſſe anima, & verbum habitaſſe in ea pro anima. omnes has hæreſes redarguit Apoſt. doct. cùm ait hic ſapientiam filium Dei ſuppoſitaſſe, vt Theologi ſcholaſtici explicandi cauſſa loquuntur, hoc enim ſignificat propriè ὑπέστη, vnde hypoſtaſis; ſuppoſitaſſe, inquam, naturam generatam ex virgine. quòd ſi ſuppoſitauit, vnio ergo fuit facta naturarum in vno ſuppoſito, vnio, inquam, naturalis, & non ſecundum gratiam, aut habitudinem vel dignitatem: & homouſios fuit nobis, ſiquidem ex muliere factus, & verus homo anima rationali præditus.

*4 En Apoſtolica doctrina in Proteſtantes, qui ſacrificium eſſe negant ſanctam Euchariſtiam. quòd autem Euchariſtia, quam offerri dicit Apoſtolica doctrina, non ſit hic oratio gratiarum actionis, ex eo conſtat, quòd eam, inquit, offerre hortatur Dominicus dies; at gratiarum actio quotidie, immò ſemper eſt Deo offerenda. ſacrificium verò facere, præcipuè die Dominico iubemur. fit enim ſacrificium S. Euchariſtiæ in commemorationem paſſionis & reſurrectionis, quæ die Dominico facta eſt, quo die miſſus eſt ſpiritus S. ſuper Apoſtolos, & cœperunt deinceps myſticum ſacrificium facere. Deinde cùm ait Apoſt. doctrina de S. Euchariſtia, hæc eſt enim ἡ χάρις, id eſt, gratia, quam tu præbuiſti, quæ ſua magnitudine omne beneficium operuit, ſatis declarat loqui ſe de gratia ſubſtantiali, quæ eſt S. Euchariſtia, id eſt, Chriſtus ipſe in myſterio. Hunc locum imitatus Dionyſius Areop. in cap. de Communione, S. Euchariſtiam vocat μεγαλοδώρους χάριτας, id eſt, magnificam gratiam, & diuiniſſimam eius altitudinem, & magnitudinem. nihil enim refert quòd numero multitudinis vſus eſt, ſicut nos ſacramenta corporis, & ſanguinis dicimus, & ſacramentum corporis & ſanguinis. Euchariſtiam quoque vocauit χάριν, id eſt gratiam, beatus Petrus, cùm ait, ſperate in eam, quæ fertur vobis, gratiam in reuelatione Ieſu Chriſti. hæc enim eſt ſpes noſtra; viſuros eſſe facie ad faciem, quem nunc videmus velatum. Sic etiam vocauit Paul. Hebr. cap. 10. cùm ait, quod in eos, qui indignè communicant, conuenit, quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt. quod dixit interpres pollutum, Græcè eſt κοινὸν, id eſt, communem: qui enim non diiudicat ſanguinem Domini, vt idem Apoſt. 1. Cor. 11. de indignè communicante dixit, is ſanguinem Domini communem, ſiue pollutum ducit. deinde vt crimen indignæ communionis magis adhuc augeat, ſubiungit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit. Spiritum gratiæ diuinitatem Euchariſtiæ, quod Dionyſ. vocauit τὸ θεϊότατον τῆς μεγαλοδώρου χάριτος, id eſt, ſummam diuinitatem magnificæ gratiæ.

CAP. XXXVIII. Oratio cōtinens memoriā prouidētię, et enumerationem beneficiorū, quæ Dei

QVI *promiſſa per Prophetas facta præſtitiſti, & Sion miſertus es, & Hieruſalem miſeratus extollendo in medio eius thronum Dauid pueri tui, nato Chriſto ex ſemine Dauid ex ſola virgine; tu, inquam, Domine Deus nunc etiam accipe preces labiorum populi tui ex gentibus, quæ te in veritate inuocant; ſicut accepiſti munera*

prouidentia per Chriſtũ ſanctis collata ſunt.

*nera iuſtorum eorum temporibus, in primis ſacrificium Abel reſpexiſti; & Noë ſacrificium ex arca egreſſi probaſti; item Abrahæ poſt egreſſum ex terra Chaldæorum; Iſaac in puteo iuramenti; Iacob in Bethleem; Moyſis in ſolitudine, Aaron inter viuentes, & mortuos; Ieſu Naue in Galgalis; Gedeonis in petra, & velleribus ante peccatum commiſſum; Manoes, & vxoris eius in agro. Samſonis in ſiti ante delictum; Iephtis in bello ante promiſſionem illam inconſultam; Barac, & Deboræ in Siſara; Samuelis in Maſpha; Dauid in area Ornæ Iebuſæi; Salomonis in Gabaon, & Hieruſalem; Eliæ in monte Carmelo; Eliſei in fonte ſterili, Ioſaphat in bello, Ezechiæ in ægritudine, & in Senacherim; Manaſſis in terra Chaldæorum poſt peccatum, Ioſiæ in Sappha, Eſdræ in reditu, Danielis in lacu leonum; Ionæ in ventre ceti; trium puerorum in fornace ignis; Annæ in tabernaculo coram arca; Neemiæ, & Zorobabelis in ædificatione murorum; Mathathiæ, & filiorum eius in zelo tuo; Iaël in benedictionibus: & nunc accipe preces populi tui tibi in ſpiritu per Chriſtum nobis agnitum adhibitas.*

CAP. XXXIX. Oratio gratiarũ actionis pro auxilio ſanctis allato.

AGIMVS *tibi gratias Domine omnipotens, quòd nunquã miſericordias tuas, tuaſque miſerationes adhibere nobis deſtitiſti; immò per ſingulas ætates ſeruas, eripis, auxilium fers, protegis. Auxilio enim fuiſti temporibus Enos, & Enoch; temporibus Moyſis, & Ieſu; temporibus Iudicum; temporibus Samuelis, & Eliæ ac prophetarum; temporibus Dauid, & Regum; temporibus Eſther, & Mardochæi; temporibus Iudith, temporibus Iudæ Machabæi, & fratrum eius; atque etiam temporibus noſtris opem nobis tuliſti per magnum põtificem Ieſum Chriſtum filium tuum: ex gladio enim eripuit; & alendo, à fame ſeruauit; ex morbo ſanauit, à lingua mala defendit: Gratias tibi de omnibus per Chriſtum agimus. Qui vocem quoque diſtinctam, & preſſam ad confeſſionem dediſti: linguam aptam plectri ſimilem tanquam inſtrumentum ſubieciſti; feciſti nobis guſtatum commodum, tactum accommodatum, viſum ad ſpectandum, auditum ad percipiendum vocem, odoratum ad ſentiendum afflatus, manus ad opus, pedes ad ambulandum. Atque hæc omnia ex gutta exigua in vtero formas, & poſtquàm formata ſunt, animam immortalem donas, et in lucem edis, animal rationis particeps, hominem dico, legibus inſtituiſti, officiis iuſtitiæ illuſtraſti, & diſſolutionem inducens ad breue tempus, reſurrectionem promiſiſti. Quæ igitur vita, aut quæ ſæculorum diuturnitas hominibus ad agendas gratias ſuffecerit? Equidem ſi pro dignitate non poſſumus, at pro viribus hoc agere ſanctum eſt: Siquidem ab impietate multitudinem deorum colentium liberaſti; à ſecta Iudæorum, qui Chriſtum interfecerunt, eripuiſti, ab errore ignorantiæ expediſti; Chriſtum vtpote hominem, Deum vnigenitum, ad homines miſiſti; à te factum eſt, vt Paracletus in nobis habitaret: Angelos nobis præfeciſti; diabolum dedecore affeciſti. Qui non eramus, vt eſſemus feciſti, factos conſeruas, vitam nobis commetiris; cibum ſuppeditas: pœnitentiam promiſiſti. Pro omnibus gloria tibi, & veneratio per Chriſtum nunc, & ſemper, & in ſæcula, Amen. Hæc fratres meditamini, & ſit Dominus vobiſcum in terra, & in regno patris eius, qui eum miſit, & nos per eundem ex ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ eripuit; ac vitam promiſit iis, qui in Deum vniuerſi per eum crediderunt. Quemadmodum igitur viuendum ſit iis, qui Chriſtiani ſunt, & quas gratiarum actiones Deo per Chriſtum agere oportet, dictum eſt hactenus. Æquum verò eſt, vt nec eos, qui non ſunt baptizati, prætermittamus, quin eos quoque adiuuemus.*

CAP. XXXX. Quomodo oporteat catechizare catechumenos.

IGITVR *qui initiis atque elementis Chriſtianæ religionis imbuendus eſt, doceatur ante baptiſmum, vt noſcat Deum ingenitum, agnoſcat filium vnigenitum, habeat*



*habeat certum plenè de ſpiritu ſancto. Diſcat ordinem diuerſæ *1 creationis; diſcat ſeriem prouidentiæ, *2 diuerſæ legis tribunalia: Erudiatur cur mundus factus, quare ciuis mundi, qui eſt homo, conſtitutus eſt; agnoſcat naturam ſuam qualis ſit; doceatur quemadmodum aqua, & igne ſceleſtos punierit; ſanctos verò per ſingulas ætates honore & gloria affecerit, Seth dico, Enoch, Enos, Noë, Abraham, & poſteros eius; tum Melchiſedec, Iob, Moyſem, Ieſum, & Caleph, Phineem illum Zelotem, ac ſacerdotes, & vniuſcuiuſq; ſæculi ſanctos; deinde quemadmodum prouidentia Dei factum ſit, vt genus hominum non repulerit, ſed potius ab errore & vanitate*

*1 Diuerſam creationem nouæ creaturæ dicit, de qua eſt in pſal. populus qui creabitur laudabit Dominum, & Paul. Eph. 2. ipſius enim, inquit, ſum⁹ factura, creati in Chriſto Ieſu in bonis operibus, id eſt, ad bona opera; hoc enim ſignificat hoc loco præpoſitio Græca ἐπὶ. hæc eſt creatio, quæ ad catecheſim eius, qui baptizãdus eſt, pertinet, & de qua loquitur ſuprà c. 36. cùm ait, creationis per Chriſtum factæ, quod nos, vt facilius intelligeretur, ſic vertimus, inſtaurationis per Chriſtũ factæ: qui igitur baptizãdus eſt, doceri debet ante baptiſmũ nõ poſſe mandata Dei fieri ad vitam beatam, & ſupracæleſtem adipiſcendam, niſi prius quis per baptiſmum fiat noua creatura: atque huius nouæ creaturæ principium, & auctorem eſſe filium Dei, per quem Deus mundum creauit qui factus homo propter nos, morte, & reſurrectione ſua nos conuiuificauit faciens nos nouas creaturas, quicunque in mortem eius baptizamur. oportet enim, inquit, Dionyſ. loquens de hac creatione, eſſe prius, deinde operari quæ nobis conueniunt; quia quod non eſt, inquit, neque motum, nec actionem habet, nec exiſtentiam vllam, & quod eſt aliquo modo, illa ſolum agit, in quibus eſſe, natura aptum eſt. Quare cùm creatio iſta ſiue regeneratio diuina tribuat eſſe quoddam diuinè, non poterit, quæ à Deo tradita ſunt, ſcire, nec operari diuinè, qui non habuerit prius, eſſe diuinè: quod fit per baptiſmum. hæc Dionyſ. quæ interpretationem loci huius Apoſtolicæ doctrinæ continent de ordine diuerſæ creationis ante baptiſmum docendo; vbi eodem verbo δημιουργίας vſus eſt Dionyſ. id eſt, creationis, cùm ait paulò antè, quod ex diuino Hierotheo eſſe dicit, primum progreſſum ad operationem diuinorum mandatorum eſſe δημιουργίαν, id eſt, creationem, quã diuinè eſſe acquiritur. hic etiam condemnat Apoſt. doctr. Caluinum, qui in ſuis hæreticis inſtitut. c. 17. art. 22. ſic ait: inter circumciſionem, & baptiſmum in myſterio interiore nihil diſcriminis eſſe, ita vt conſtituere liceat, quicquid circumciſioni conuenit, ad baptiſmum ſimul pertinere, excepta, inquit, viſibilis cærimoniæ differentia. Hactenus Caluin. Si ita eſt, non eſt igitur ordo diuerſæ creationis, de quo ante baptiſmum doceri debeat is cui catecheſis traditur. Creatio enim per baptiſmum ſecundum iſtum hæreſiarcham non eſt noua, nec à vetere per circumciſionem differens; ac ſic fruſtra Chriſtus mortuus eſt, ſi in mortem eius non baptizamur ſecundum Caluini hæreticam doctrinam, quæ circumciſionem æquat cum baptiſmo in myſterio interiore: aut ſi baptizamur in mortem Chriſti, ſicut Apoſtolus ait, & non in circumciſionem eius, ergo creatio fit nouæ creaturæ per baptiſmum nouæ legis diuerſa à creatione mundi, & ab ea, quæ in vetere lege per circumciſionem ſecundum carnem fiebat, vt ſcilicet circumciſus ſecundum carnem ad populum Dei, id eſt, ad Iſraël pertineret; ſicut baptizatus pertinet ad euangelium.

*2 Docendus quoque eſt, qui ante baptiſmum catechizatur, diſcrimen veteris, & nouæ legis, quemadmodum lex vetus metu mortis cogebat facere opera legis, non ſolùm illa, quæ erant opera decalogi, quæ ſunt opera legis naturalis, quæ in euangelio confirmauit, ſed illa quæ ad iudicia & cærimonias pertinebant, quæ tanquam vincula quædam, & onera grauia duris Iudæis lex induxerat, quæ Apoſt. doct. vocare ſolet ἐπείσακτα, id eſt, aſcita, quæ in euangelio ceſſare fecit, in quibus ſupplicium quoque mortis propoſitum erat non obedientibus, ſicut Apoſt. ait, irritam quis faciens legem Moyſis, ſine vlla miſeratione duobus aut tribus teſtibus moritur. Vnde lex ſeruitutis erat, & dicebatur, quæ iram, ſicut idem Apoſt. ait, operabatur. Lex verò noua, cuius eſt baptiſmus, & quæ lex libertatis eſt, nulli iubet propoſita pœna mortis in hoc ſæculo non obedientibus, ſed ſupplicium mortis in alterum ſæculum reſeruat, & differt. Sicut eadem Apoſt. doct. lib. 6. c. 22. tradit. Vnde non crucem nunc, neque lapidationem, nec aliam huiuſmodi pœnam minatur, ſed in futuro gehennam, ignem inextinguibilem, vermem, qui non moritur, tenebras exteriores, & ſiquid aliud huiuſmodi. per legem itaque euangelij, quæ ad baptizatos pertinet, liberati ſunt, ſicut Apoſt. ait, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti, non amplius per legem ſeruitutis in hoc ſæculo iudicandi, ſed per legem libertatis incipientes iudicari; non dixit iudicandi nunc, ſed incipientes iudicari ait Iacobus frater Domini; iudicium enim fiet in illa die, ſicut Apoſt. ait, cùm iudicabit Deus occulta cordium, nunc autem incipitur hic, quatenus vnuſquiſque prout geſſit hic ſiue bonum, ſiue malum, vt idem Apoſt. ait, propria corporis ante illud tribunal futurũ referet. Hæc ſunt iudicia, ſiue tribunalia diuerſæ legis, id eſt, veteris, & nouæ. ex iudiciis itaque duxit Apoſt. doctr. diſcrimen legis, & euangelij. condemnat ergo Apoſt. doctr. Confeſſionem Antuerpienſem, quæ c. 9. de diſcrimine legis, & euangelij hæc diuerſæ legis veteris & nouæ iudicia in vnum confundit, cùm ait: lex dicit, qui ſemper exactiſſimè omnia mandata Dei fecerit, & tale etiam cor, ac imaginem Dei, vt Deus exigit, & initio in eo credidit, exhibuerit & præſtiterit, viuet in eis, ſeu hoc fac, & viues. hactenus Confeſſio, in qua illud viuet in eis ad legem, quæ iram operabatur, quæ ſine vlla miſeratione interficiebat non obedientes, retulit proph. Ezech. c. 20. cùm ait, & exacerbauerunt me filij, & in præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea non cuſtodierunt, vt facerent ea, quæ cùm fecerit homo, viuet in eis; & ſabbata mea violauerunt: auctores verò Confeſſionis Antuerp. illud viuet in eis, nihil differre putauerunt ab eo quod Dominus dixit in euangelio Lucæ illi legis perito, hoc fac, & viues; quos ita ignorantia obcæcauit, vt quanquam eſſent ſex viri, nemo tamen eorum aduerteret, non dixiſſe Dominum, hoc fac, & viues in eo, ſed hoc fac, & viues ſcilicet vitam æternam: nec aduerteret, dixiſſe hoc de præcepto legis diligendi Dominum Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex omnibus viribus, & ex omni mente; & proximum ſicut ſeipſum. Conſtat autem iuſtitiam noſtram, quam abundare oportet pluſquam Scribarum & Phariſæorum, ſicut Dominus dixit, iuſtitiam eſſe ex fide & dilectione, ſicut Paulus interpretatus eſt: poſtquàm enim dixit 1. Tim. c. 1. de lege ſeruitutis iram operante, cuius iuſtitia imperfecta erat, & laudem apud homines tantùm & non apud Deum habens, lex poſita eſt iniuſtis, & non ſubditis, paucis interpoſitis, ſubiungit de iuſtitia, quæ ad legem euangelij, quæ eſt libertatis, pertinet, ſuperabundauit autem gratia Domini noſtri cum fide, & dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu. gratiam dicit iuſtitiæ, hæc enim eſt, quæ ſuperabundauit in nobis per Chriſtum ſupra iuſtitiam Scribarum & Phariſæorum. Ad eandem legem retulerunt iſti ipſi auctores Confeſſ. Antuerp. illud quod Dominus dixit adoleſcenti in euang. Matth. ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, quaſi Dominus non euangelium, ſed legem illi prædicauerit; aut quaſi quod illi dixit, non omnibus nobis nunc in euangelio dictum eſſe voluerit: vt iam ſtupenda ſit iſtorum cæcitas, & inſcitia. eodem quoque referunt ibidem illud, dabit Deus vnicuique ſecundum opera ſua, quaſi ad euangelium non pertineat, cùm tamen non in lege, ſed in nouo teſtamento in eãdem ſententiam dicat Apoſt. 2. Cor. 5. omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum; & Dominus in euang. Matth. & tunc, inquit, reddet vnicuique ſecundum opera ſua, & rurſus Paul. vnuſquiſque, inquit, accipiet mercedem ſecundum ſuum laborem. Sed Illyricus vnus ex iſtis ſex viris Confeſſ. Antuerp. artificibus in defenſione eius c. 9. corrumpi ait euangelium, cùm ad iuſtitiam operum traducitur, & non ad illam quæ in ſola remiſſione peccatorum collocatur. hæc ille. quem clarè refellit & condemnat Apoſt. cùm dicit, vt iterum repetam, ſuperabundaſſe gratiam Domini noſtri cum fide, & dilectione in Chriſto Ieſu Domino noſtro. gratiam enim iuſtitiæ dicit ſuperabundaſſe cum operibus fidei, & dilectionis, dilectio enim plenitudo legis eſt, inquit idem Apoſt. iuſtitia ergo operum non ex lege ſeruitutis, id eſt, non ex timore, ſed ex fide, & dilectione, propria eſt euangelij, quod eſt lex libertatis; & hæc iuſtitia euangelium à lege diſcernit. Illyricus ergo verè euangelium corrumpit, qui illud ad legem ſeruitutis cum ſuis contubernalibus in Confeſſ. Antuerp. traducit, non intelligens neq; quę loquitur, neque de quibus affirmat, cùm illud ſpoliat iuſtitia operum ex fide, & dilectione in Chriſto Ieſu, Paulo apoſt. manifeſtè contradicens, immò Chriſto ipſi, qui iuſtitiam operum ex fide, & dilectione dixit abundare ſupra iuſtitiam operum ex timore, ſiue ex lege iram operante, ſicut Paulus, vt paulò antè dixi, interpretatus eſt, & hanc iuſtitiam abundantem dixit Dominus requiri à nobis ſupra iuſtitiam Scribarum & Phariſæorum. Denique vt Illyricus ſemel hic conuincatur, cùm Apoſt. ait in epiſt. ad Tim. priore, exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia valet, quis niſi



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

*vanitate ad agnoſcendam veritatem diuerſis temporibus reuocarit traducens à ſeruitute, & impietate ad libertatem, & pietatem; ab iniuſtitia ad iuſtitiam, à morte ad vitam immortalem. Hæc & alia* *3 *conſequentia diſcat in catecheſi, qui accedit. Qui verò manus admouet catechumeno, adhibeat Deo venerationem, gratias agens omnium rerum Domino pro creatura eius, quòd miſerit filium ſuum vnigenitum Chriſtum, vt ſaluet hominem deletis iniquitatibus, & remittat impietates, ac peccata, & mundet ab omni inquinamēto carnis, & ſpiritus; ſanctificetq. hominem ſecundum beneplacitum bonitatis ſuæ; doceatque voluntatem ſuam, & illuminet oculos cordis eius ad intelligenda admirabilia eius; patefaciatque iudicia iuſtitiæ, vt omnem viam iniquitatis odio habeat, ambulet verò viam veritatis; vt lauacro regenerationis in adoptionem, quæ in Chriſto fit, dignus habeatur, vt complantatus ſimilitudini mortis eius in ſpe glorioſæ* *4 *ſocietatis,* *5 *mortificetur quidem peccato, viuat autem Deo mente, ſermone, & actione, & in libro viuentium adnumeretur. Poſt hanc actionem gratiarum doceat catechumenum de incarnatione Domini, de paſſione eius, de reſurrectione ex mortuis, & de aſſumptione.*

omni prorſus ratione careat, negare poteſt, quin pietas exercitatio ſpiritualis ſit, & omnes fructus ſpiritus, quos Paul. in epiſtola ad Gal. ca. 5. numerat, ſint opera pietatis; at huiuſmodi opera promiſſionē iuſtitiæ habent, ſic enim ſubiungit Apoſtolus de pietate, promiſſionem habens vitę, quę nunc eſt, & futuræ. Vita autem, quæ nunc eſt, iuſtitia eſt, ex qua viuit iuſt⁹, ſicut ſcriptum eſt, iuſtus ex fide viuit; futura verò vita eſt beatitudo, quæ datur iuſtificatis, ſicut idē Apoſt. in epiſt. ad Rom. 8. ait, quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit. falſum ergo eſt, ꝙ Illyricus cùm collegis ſuis tradit, non in virtutum perfectione, ſed in ſola remiſſione peccatorum iuſtitiam collocari, cùm ſecundum Apoſtolū in pietate ſimul collocetur; at nō eſt idem pietas & remiſſio peccatorum, hæc enim ſolius Dei eſt; pietas autem Dei primum, & noſtri laboris, & exercitationis ſpiritualis. etſi enim ad ſtudium pietatis, id eſt, virtutum omnium interiorum, & ſpiritualium non opus eſt viribus corporis, hæ enim variè impediri poſſunt, vt ſæpe impediuntur ad exercendas virtutes corporales, vt ieiunium, vigiliam, humi cubationem, & ſimiles; opus tamen eſt viribus hominis interioris ad reſiſtendum paſſionibus, & ſuperandum eas; ſuntque huiuſmodi opera ſpiritus laborioſa propter carnis repugnantiam, & certamen, quæ, vt dixi, ſecundum Apoſtolum promiſſionem iuſtitiæ habent, quæ eſt in hoc ſæculo vita animæ, quam ſequitur in altero vita cæleſtis.

*3 Ex hac Apoſt. doctrina, quæ docet hic de iis quæ catechumenis ſunt tradenda cùm ad intelligendum idonei ſunt, licet intelligere, cùm dixit Dominus diſcipulis poſt reſurrectionem, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. ad catecheſim baptizandorum pertinere illud prius docere: & cùm rurſus ſubiungit, docentes eos ſeruare quæcunque mandaui vobis: hoc poſterius docere differre ab illo priore. illud enim docere priore loco poſitum tanquam fundamentum iaciens, tradit dogmata fidei, quæ Apoſt. in epiſt. ad Hebr. vocat elementa exordij ſermonum Dei, & rurſus vocat ſermonem inchoationis, & fundamentum; qualia ſunt, quæ ibi notat, dogma de pœnitentia peccatorum, dogma de fide in Deum, de baptiſmo, de abſolutione per impoſitionem manus, de reſurrectione, de iudicio extremo, & de aliis eiuſmodi; qualia ſunt dogmata, quæ Apoſt. doctr. hic notat, & quæ Cyrillus Hieroſol. in quarta catecheſi exponit. dogmatum ergo diſciplina, quæ μάθησις dicitur, εἰσαγωγική, & στοιχειωτική eſt, vt Græci patres tradunt, id eſt, ad principia, & rudimenta pertinens. Quia verò, vt ait beatus Iacobus frater Domini, fides ſine operibus mortua eſt, & idem Cyrill. in quarta catecheſi, neque dogmata, inquit, ſine operibus, nec opera ſine dogmatibus accepta ſunt Deo, vult Dominus, vt qui didicit dogmata fidei, & iam baptizatus eſt, ſuperædificet opera fidei, non ex parte, ſed omnia, quæ Dominus diſcipulis præcepit: idcirco rurſus ſubiungit, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis, Græcè eſt, διδάσκοντες: doctrina enim de mandatis Domini ex fide faciendis, quæ διδασκαλία dicitur, perfectioribus conuenit, & ad perfectionem fert. ad hanc hortatur Apoſtolus, cùm in eodem loco epiſt. ad Hebr. ait, quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectionem feramur. Sic Abraham ad dogma fidei in Deum adiunxit opera, vt dogma fidei ſuæ in Deum perfectum eſſet, & Deo acceptum ad iuſtitiam, ſicut idem frater Domini Iacobus expoſuit, cùm ait, vides, quoniam fides cooperabatur operibus, & ex operibus fidei conſummata eſt? Ergo qui dicunt, pœnitendum eſſe peccatorum, & credendum, gratis per filium Dei remitti peccata, ſi ad hæc dogmata fidei non adiungunt ſuperædificationem operum ex fide, nihil illis iſta ſua dogmata proſunt; & doctrina, quam tradunt, non eſt euangelij, ſed Satanæ. Dominus enim non diuiſit à dogmatibus fidei operationem mandatorum, id eſt, à fundamento ſuperædificationem; neque voluit nos manere ſolum in catecheſi, id eſt, in elementis catholicæ diſciplinæ, ſed ferri ſimul ad perfectionem vitæ Chriſtianę. iſti ergo noui euangelici perinde ac ſi non eſſent baptizati, ſemper in catecheſi, & in elementis dogmatum hærent, ſemper diſcentes, ſicut Apoſt. de quibuſdam ait, nunquam autem ad ſcientiam veritatis peruenientes. nunquam enim de iuſtitia ex operibus fidei tractant, immò eam repudiant, cùm proprium ſit Chriſtiani, ex fide, quam in baptiſmo accepit, mandata Domini, & patris Dei, cuius filius factus eſt, operari, vt ex eis iuſtificetur. at iſti nihil tale neque curant neque docent, ſed illud vno ore, confitere te eſſe peccatorem, & crede per filium Dei gratis remitti peccata, & hac fiducia certò ſcias tibi remiſſa eſſe. ſic miſeros populos miniſtri Proteſtantium die & nocte decipiunt.

*4 Spem glorioſæ ſocietatis dicit ſpem reſurgendi in gloriam cum Chriſto, ſicut Apoſtolus ait: ſi enim complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.

*5 Explanandus eſt hic locus, tum quia paulò obſcurior eſt; tum quia hæc Apoſtolica doctrina nouatores euangelij redarguit, qui tradunt per ſolam fidem hominem iuſtificari, quod perinde eſt, quaſi dicant, per ſolam fidem hominem Deo viuere, iuſtus enim, ſicut ait Propheta, ex fide viuit: at hæc Apoſtolica doctrina vitam iſtam, qua homo viuit Deo, quæ eſt vita iuſtitiæ, non dicit eſſe vitam ſecundum mentem tantùm, cuius eſt fides: mens enim eſt, quæ ea, quæ non videntur, quorum eſt fides, contemplatur, & percipit; ſed eſſe etiam vitam ſecundum rationem, quæ mentem regit, cùm rectè contemplatur; & ſenſus item regit, cùm rectè operantur, id eſt, cùm eis iuſtè vtimur, in quo verſatur actio ex virtute. in his enim tribus conſiſtit pietas in Deum, quæ εὐσέβεια dicitur, quæ, ſicut Apoſt. ad Timotheum ſcripſit, promiſſionem habet vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. itaque qui piè viuit ſecundum mentem, & rationem, atque actionem, hic habet promiſſionem vitæ quæ nunc eſt, qua iuſtus viuit, non autem qui piè viuit ſecundum mentem tantùm; talis enim pietas imperfecta eſt. à Deo itaque iuſtificatur, non qui iuſtus eſt credendo tantum quæ credenda ſunt, ſed qui iuſtus quoque eſt aſpectu, & auditu, ſicut beatus Petrus de ſancto Lot dixit, & cæteris ſenſibus. Illud præterea obſeruandum eſt, quæ Apoſtolica doctrina vocat hic mentem, rationem, & actionem, vocaſſe Paulū in epiſtola priore ad Theſſ. ſpiritum, animam, & corpus, quæ precatur, vt in aduentu Domini noſtri integra ſeruentur. mentem, inquam, vocat Paulus ſpiritum, & rationem animam, quia non poteſt anima non eſſe rationis particeps, cuius hæc eſt dignitas, vt ait Gregorius Neocæſarienſis in libello quæſtionum de anima, omnia cum ratione agere. deinde cùm actionem Clemens dixit, vſum ſenſuum intelligi voluit, quos ſenſus Paulus vocauit corpus, quod quidem in rebus, quæ ſenſu percipiuntur, & in moderatione ipſorum ſenſuum ratione gubernandum & regendum eſt. per ſenſum enim omnem virtutem mens recipit, vt ait S. Diadochus epiſcopus Photices in Epiro, cap. 89. libri de perfectione ſpirituali, quod in eo ipſo loco ſcholio appoſito interpretatus ſum: ne eadem hic repetam, extat liber è Græco à me tranſlatus.

CVM



CAP. XXXXI. Cōſtitutio, quomodo debēt catechumeni in ipſo tēpore baptiſmi benedici, & quæ ſint docendi.

*CVM fuerit deinde in ipſo tempore baptiſmi qui catechizatus eſt, diſcat, quæ de renunciando diabolo, & aſcribendo ſe Chriſto. Oportet enim primum quidem abſtinere à contrariis, deinde verò ad myſteria ingredi; prius, inquam, cor ſuum repurgare eiecta omni maleuolentia, macula, & ruga, & poſtea participem fieri ſacramentorum: vt enim optimus agricola prius aruum repurgat, vulſis ſpinis ſupranatis, & deinde triticum ſerit, ad hunc modum oportet prius vos omnem impietatem ab eis extrahere, & poſtea pietatem in eiſdem ſeminare, ac baptiſmum tribuere: Sic enim Dominus noſter nos admonet, cùm dixit, Docete omnes gentes; deinde ſubiungit, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. ergo qui baptizatur cùm renunciat, recitet hæc:*

CAP. XXXXII. De renunciatione in diabolum, & de aſcriptione ad Chriſtū.

*1 RENVNCIO *Satanæ, et operibus eius, & pompis eius, & cultui eius, et angelis eius, & inuentis eius, & omnibus quæ ſub eo ſunt. poſt renunciationem verò, cùm aſcribitur Chriſto, dicat: Aſcribor, et credo et baptizor in vnum ingenitū, ſolum verum Deum omnipotentem, patrem Chriſti, conditorem, & opificem omnium, ex quo omnia; & in Dominum Ieſum Chriſtum vnigenitum eius filium primogenitum omnis creaturæ, & ante ſæcula volente patre genitum, non factum, per quem omnia facta ſunt in cælis, & in terra, quæ cernuntur, & quæ cerni nōn poſſunt. Qui vltimis diebus deſcendit è cælis, & carnem ſumpſit ex ſancta virgine Maria, ſanctè in mundo vixit ſecundum leges Dei, & patris ſui: Qui crucifixus eſt ſub Pontio Pilato, & mortuus pro nobis, & poſt paſſionem tertio die pro nobis à mortuis ſuſcitatus, & aſcendit in cælos, & ſedet ad dextram patris; & iterum venturus eſt in conſummatione ſæculi cum gloria ad iudicandos viuos, & mortuos: cuius regni non erit finis. Baptizor etiam in ſpiritum ſanctum, id eſt, Paracletum, qui operatus eſt in omnibus à ſæculo condito, poſtea verò miſſus eſt Apoſtolis ſecundum promiſſionem ſeruatoris noſtri, et Domini Ieſu Chriſti, & poſt Apoſtolos, omnibus*



*1 En cærimonia renunciationis in baptiſmo ſecūdum Apoſtolicam traditionem, quam verbum Dei eſſe, licet non expreſſum, nemo ſanę & pię mētis negare poteſt, Apoſtolis enim loquebatur Domin⁹, cùm dixit, qui vos audit me audit: & in omnes Apoſtolos cōuenit, quod Paulus de ſe dixit, an experimentū quæritis eius qui in me loquitur? & Illyric⁹ ipſe in defenſionis Antuerp. Confeſſ. c. 22. de cærimoniis planè confitetur, poſſe cærimonias ſecundum verbum Dei inſtitui: & Tiletanum reprehendit, quòd ita Confeſſionem Antuerp. interpretatus eſſet, quaſi diceret Confeſſio, non poſſe cęrimonias inſtitui niſi ſecundum verbum Dei ſcilicet expreſſum. Satis itaque eſſe confitetur Illyricus verbum Dei ſine ſcripto traditum. Condemnat igitur Illyricus teſtimonio Confeſſionis ſuæ ſuos Antuerpienſes, & omnes Proteſtantes, & Confeſſioniſtas qui has cęrimonias baptiſmi, quas hic Apoſt. doctr. deſcribit & tradit, cùm tempus, & locus permittunt non ſeruāt, & quidem cum opinione cultus & religionis, vel ipſis teſtibus, ſiquidem non carent verbo Dei, cùm eas tradat Apoſtolorum doctrina; niſi doctrinam hanc Apoſtolorum eſſe negant, hoc enim ſolum ſupereſt iſtis, qui aliud perfugium non reliquerunt ſibi, niſi negare, non quod poſſint refellere, ſed quod nolint credere; vt in erroribus ſemel ſuſceptis, & in cęca ſua obſtinatione perſeuerent. Ac de cęrimonia quidem renunciationis, quæ ad baptiſmum ſit vnà cum recitatione Confeſſionis fidei ſymbolo Apoſtolorum comprehēſæ, cùm vniuerſalis ſit, & omnibus eccleſiis orientis, & occidentis tradita, & cultu ac religione Dei plena, cur à Confeſſioniſtis repudiata eſt? obiicit Illyricus Tiletano, quòd exorciſmi non meminerit Dionyſius, quia verbum exorciſmi non legit apud Dionyſium, at legit verbum ἀποταγῆς, & ὁμολογίας, id eſt, renunciationis, & confeſſionis; cur igitur non recipit hanc cęrimoniam? exorciſmi verò verbum tametſi non eſt in Dionyſio, nihil refert, non enim de verbo contētio eſt, ſed de re verbi exorciſmi, quæ nihil aliud eſt, quàm oratio, qua ſacerdos eum, quem baptizare vult, præparat, iubendo diabolo in nomine Domini, cuius vim & opem implorat, vt recedat ab eo: quod ipſum precantur cum eo, qui aſſiſtunt. ergo poſtquàm is, qui eſt baptizandus, dixit quid velit, & ab eccleſia petat, expoſitaque eſt ei vita Chriſtiana, quæ deinceps poſt baptiſmum viuenda eſt ei, vt vitam æternam conſequatur, & poſtquàm eum cruce ſignauit eodem ordine quo in eccleſia Romana hodie ſit, ſequitur ſtatim in Dionyſio, εὐχὴν ἱερὰν ποιεῖται, id eſt, precationem ſacram facit, hanc cuncta eccleſia complente, id eſt, comprecante: hęc eſt, oratio quæ exorciſmum continet. confirmat hoc quod ait Simeon Theſſalonic. archiepiſc. in lib. de myſteriis eccleſiæ, explicans enim cęrimonias baptiſmi, ſic ait: ἡ δὲ δευτέρα εὐχὴ ἀφορκισμὸς ἐστὶν ἀποσοβοῦσα, καὶ διώκουσα διάβολον καὶ πᾶσαν ἐνέργειαν αὐτοῦ, καὶ φεύγειν ἐκ τούτου παραγγέλλει, id eſt, ſecunda oratio exorciſmus eſt diabolum repellens, & omnem operationem eius exagitans; eumque ab hoc fugere iubet. & rurſus, ὁμοίως δὲ καὶ τρίτη ἀφορκισμὸς ἐστι καὶ αὐτὴ τοὺς δαίμονας θείῳ ὀνόματι ἐκδιώκει, id eſt, ſimiliter & tertia oratio, quæ exorciſmus etiam eſt, dæmones diuino nomine expellit. poſt huiuſmodi orationem ſequitur in Dionyſio renunciatio, & confeſſio fidei eodem ordine quo apud nos. Apoſtolica verò doctrina non meminit hic huiuſmodi exorciſmi, quia propoſitum fuit ei, non quidem tradere quæ ab eo qui baptizat, fiunt, & dicuntur ad baptiſmum ipſum, ſed quæ docendi ſunt qui ante baptiſmum catechizantur, quæque in ipſo tempore baptiſmi dicturi ſunt. quòd ſi adhuc verbum exorciſmi requirūt, habent in ſynodo Conſt. proxima poſt Nicęnam primam. ſic enim ait in extremo canone, hoc eſt, ſeptimo: Deinde tertio eos exorcizamus cum triplici inſufflatione in faciem, & in aures; an dicturi ſunt iſti ſynodum illam Conſt. celeberrimam contra Macedonianos habitam exorciſmos magicos, ac magicas inſufflationes didiciſſe? habent præterea verbum exorciſmi in oratione Gregor. Nazianz. in ſanctum baptiſma, & rem ipſam, id eſt, vſum exorciſmi in baptiſmo laudatam. Sed Proteſtantes in exorciſmis explodendis tanquam magicis malunt imitari ethnicos, qui Chriſtum ignorarunt, immò, ſicut Apoſtolus ait, ſine Deo in hoc mundo fuerunt, quàm ſanctos patres, & ſanctorum patrum ſynodos, & cum eis diuinam virtutem in exorciſmis agnoſcere & confiteri. erit igitur eis pars cum Vlpiano vetere iuriſconſulto, qui ante annos mille quadringentos conſiliarius Alexandri Imperatoris in tit. de variis, & extraordinariis cognitionibus ſic ſcripſit: non tamen medicus eſt ſi incantauit, vel imprecatus eſt, vel, vt vulgari verbo in poſterum vtar, exorcizauit; non ſunt iſta medicinæ genera, tametſi ſunt qui hoc ſibi profuiſſe cum prædicatione affirmant. hæc ille de exorciſmis, quos magicè ab exorciſtis Chriſtianis fieri putabat vt gentilis. Erit item iſtis pars cum Suetonio Tranquillo, qui in Nerone ſic ſcribit: afflicti ſuppliciis Chriſtiani genus hominum ſuperſtitionis nouæ, ac maleficæ. hoc dixiſſe planè videtur propter exorciſmos, quibus Chriſtiani dæmones expellebant.

*nibus qui credunt in* *2 *ſancta & catholica eccleſia in carnis reſurrectionem, & in remiſſionem peccatorum, & in regnum cælorum, & in vitam futuri ſæculi. Poſt hanc profeſſionem venit ordine ad vnctionem olei.*

*2 En Apoſtolica doctr. quæ Proteſtãtes cõuincit non tenere Confeſſionẽ fidei, tametſi credunt in ſymbolum Apoſtolicæ doctrinæ hic deſcriptum, & in ſingulas partes ſymboli Apoſtolici, ex quibus vna eſt credere in ſanctam eccleſiam catholicam, tamen non credunt hæc in ſancta eccleſia catholica, quia non manent in ea. Qui enim in eccleſia catholica manent, neceſſe eſt communionem habere cum eccleſia, quæ eſt Chriſti hæreditas non anguſta, ſed ampliſſima, id eſt, cum eccleſia per cunctum orbem Chriſtianum diffuſa, & propagata, ſicut ſcriptum eſt in pſal. 2. poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. At Proteſtantes cùm patres eccleſiarum, qui eccleſias tanquam miniſtri Chriſti generant, non habeant, qui ſunt epiſcopi, qui ſacerdotes ordinant ſacramentorum miniſtros, non ſolum in eccleſia ſancta catholica non ſunt, ſed nullam penitus eccleſiam habent, vt quidem habent ſchiſmatici, tametſi ſciſſam & diuulſam ab vnitate eccleſiæ, cuius origo eſt epiſcopus Romanus beati Petri principis Apoſtolorum ſucceſſor, ſicut beatus martyr Cyprianus in epiſt. ad Florentium, & in libro de vnitate eccleſiæ docet. Quicunque igitur fidem catholicam in eccleſia ſancta catholica tenent, iidem credunt in eccleſiam ſanctam catholicam, id eſt, credunt eccleſiam catholicam in omnes mundi partes dilatatam, ſanctificatã eſſe ab ſpiritu S. qui miſſus eſt ei, ſicut Apoſtolus in epiſt. ad Eph. ait, ſicut Chriſtus dilexit eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, vt illam ſanctificaret ſcilicet ſpiritu patris, & ſuo, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, non tamen omnes, qui ſic credunt in ſanctam eccleſiam catholicam, iidem credunt hoc in ſancta eccleſia catholica, quia vt dixi, non manent in ea. in ea enim manentes oportet credere in ſanctam eccleſiam catholicam, & in reſurrectionem, & in remiſſionem, & in regnum cælorum, communionem ſanctorum intelligit, quam Paulus in epiſtola ad Coloſſ. explicat, cùm ait cap. 1. gratias agentes Deo, & patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, per baptiſmum enim quem vocat lumen, qui eſt ſplendor animarum, vt ait Greg. Naz. efficimur participes regni cælorum, id eſt, participes ſortis ſanctorum, quam habent in cælo, vbi regnant. Sic hunc locum Pauli interpretatus, & imitatus eſt Dionyſ. Areop. in eccl. Hier. c. de ſacramento baptiſmi, cùm ait de adducto ad fontem baptiſmi, hunc ſic adductum diuina beatitudo, id eſt, Deus ad ſui participationem admittit, & ſuum lumen tanquam ſignum quoddam cum eo communicat, faciens eum ſanctum, & κοινωνὸν τῆς τῶν ἐνθέων ἀποκληρώσεως καὶ ἱερᾶς κατατάξεως, ſic enim eſt in vetuſtis exemplaribus manuſcriptis emendatis, id eſt, faciens eum participem ſortis, & ſacri ordinis ſanctorum, ἐνθέους enim vocat, quos Paulus ἁγίους, id eſt, ſanctos.

Cap. XXXXIII. De vnctione olei myſtici gratiarum actio.

*1 Benedicitvr *autem hoc ab epiſcopo in remiſſionem peccatorum, ac præparationem baptiſmi. Sic enim inuocat ingenitum Deum patrem Ieſu Chriſti regem omnis naturæ corporeæ, & ſpiritualis, vt ſanctificet oleum nomine Domini Ieſu, tribuatque gratiam ſpiritualem, & vim efficientem, & remiſſionem peccatorum, ac præparationem confeſſionis baptiſmi, vt is, qui vngitur, remiſſa omni impietate, dignus baptiſmo ſecundum vnigeniti præceptum efficiatur.*

*1 En conſecratio, ſiue benedictio olei in Apoſt. doctrina, quę impiam impudentiam Proteſtãtium redarguit, & cõuincit qui huiuſmodi conſecrationes, ſiue benedictiones olei & aquæ magicas vocant blaſphemè. Philipp. in reſpõſ. ad art. Bauar. inquiſ. art. 29. conſecratio, inquit, pontificia transfert res illas ad vſum ſpiritualem contra ordinationem Dei videlicet ad deletionem peccatorum, & ad depulſionem diabolorum, ad infuſionem gratiæ. hæc ille. interrogent ergo eum Confeſſioniſtæ, ſi fortè mortuus hoc didicit, quod viuens ignorauit, vnde ſciuit, eſſe hoc contra ordinationem Dei? nos enim non eſſe contra ordinationem Dei, ſed potius à Chriſto filio eius ſanctos Apoſtolos accepiſſe, idque eccleſiæ tradidiſſe, teſtimonium habemus Apoſt. doctrinę, & conſuetudinem omnium eccleſiarũ tum orientis, tum occidentis. Subiungit poſtea Philippus aliud mendaciũ, & fingunt, inquit, illas res eſſe ſacramenta, per quæ Deus ſit efficax, ſicut per baptiſmum ab ipſo ordinatum. notum eſt autem ſacramenta gratiæ Dei à nulla creatura inſtitui poſſe. hæc ille, qui cùm veritatem oppugnare non poſſet, ad fingendum in nos mendacia ſe conuertit. non enim dicimus ſacramenta eſſe hæc, quæ non perfectionem ſanctificationis ſignificant & efficiunt, quod eſt ſacramentorum; ſed præparant ad ſanctificationis perfectionem. negat deinde Philipp. ſimile eſſe, vt ſicut creatura cibi cum gratiarum actione per verbum, & orationem, ſicut Apoſt. ait, ſanctificatur, ſic aliæ creaturæ ſanctificari poſſint: ratio, inquit, eſt, quia hæc nequaquam ſunt ſimilia, precatio ad menſam agit gratias pro rebus corporalibus, & petit felicem vſum corporalem ordinatum à Deo. Sed ſi precatio agit gratias, & petit felicem vſum corporalem eius rei, cur alia precatio non queat agere item gratias, & petere felicem vſum ſpiritualem rei alioqui corporalis? reſpondet Philippus, quia conſecratio pontificia non poteſt transferre res corporales ad vſum ſpiritualem contra ordinationem Dei. at cur Philippus non oſtendit, ſi ſciebat, vbi hoc Deus ordinauit, vt ſcilicet creatura corporalis non transferretur ad vſum ſpiritualem? nobis enim Apoſt. doctr. oſtendit, & conſuetudo omnium eccleſiarum teſtatur, ordinaſſe hoc Dominum Ieſum, à cuius ſpiritu ſancti Apoſtoli didicerunt, quæcunque eccleſiis Dei tradiderunt. Scriptum eſt lib. 1. Reg. c. 7. dixit autem Samuel, congregate vniuerſum Iſraël in Maſphat, vt orem pro vobis Dominum: & conuenerunt in Maſphat, hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini ſuper terram, ſic enim eſt apud 70. interrogemus hic Philippum, aut Confeſſioniſtas, vt pro eo reſpondeant, fuit ne illa aquæ effuſio magica ad implorandum auxilium in Philiſtæos adhibita? Si non fuit, tranſtulit ne Samuel aquam illam effundendo in terram, & orando, in vſum corporalem, an ſpiritualem? certè in corporalem vſum non tranſtulit, quis enim vſus corporalis aquæ in terram effuſæ? tranſtulit igitur in vſum ſpiritualem impetrandi auxilium Dei per fidem Chriſti futuri, cuius ſanguis inſtar aquæ pro genere humano effundendus erat, qui in Pſal. 21. dixit, ſicut aqua effuſus ſum. hoc enim ſignificabat, in typo aqua illa iuſſu Samuelis in terram coram Domino effuſa, Cyrillo auctore & interprete in homil. 18. ἑορταστικῇ. interrogemus igitur rurſus Philippum, quis docuit Samuelem transferre ad vſum ſpiritualem aquam illam per verbum, & orationem. non enim docuit lex, ſiquidem non erat cærimonia Moſaica; docuit igitur ſpiritus Dei, qui ſimiliter ſanctos Apoſtolos docuit transferre oleum & aquam ad vſum ſpiritualem aduerſus Philiſtæos ſpirituales, id eſt, aduerſus dæmones, & ruinas peccatorum iuxta interpretationem verbi Philiſtæi. ſed qui plura de benedictione aquæ requirit, legat, ſi libet, quæ lib. 3. defenſionis epiſtolarum pontificum Apoſtolicorum c. 7. ſcripſimus, & quæ de oleo vnctionis lib. 2. c. 17. & de chriſmate c. 18. ne eadem ſine neceſſitate repetantur: præſertim vbi modus ſcholij non patitur. Satis hæc ſint nunc de benedictione olei, & benedictione aquę ad baptiſmũ, & de alia benedictione olei, & alia aquæ ad alios vſus ſpirituales, de quibus eſt in 8. lib. c. 29. vtramque enim benedictionem olei, & vtramque aquæ nouit ſynodus Nicęna, quæ canone 69. ex iis, qui ex codice Patriarchæ Alexandrini deſcripti, & ex Arabico in Latinum tranſlati ſunt, ſanciens pœnitentiam, ſiquis fidelis, vt cum infideli fornicetur, à fide Chriſtiana recedat, ſpatio, inquit, trium annorum ſtet ad ianuam templi in cilicio, & cinere: poſtea ingrediatur in eccleſiam ad orationem, vt ſtet in aliquo loco ſeparatus ab aliis, neque liceat communicare cum eo in ſalutatione, nec in communione, poſtea ſacerdos benedicat aquam, & oleum, non vt in baptiſmo, nec vt benedicitur oleum vnctionis: & poſtea vngat hoc oleo, & aſpergat hac aqua. hact. canon ſynodi.

Cap. XXXXIIII. De myſtica aqua gratiarum actio.

Postea *venit ad aquam, & benedicit, ac laudat Dominum Deum omnipotentem patrem vnigeniti Dei gratias agens ſacerdos, quòd filium ſuum miſerit, vt noſtra cauſſa fieret homo, vt nos ſaluaret, quod ſuſtinuit, vt homo factus, fieret per omnia obediens; prædicaret regnum cælorum, remiſſionem peccatorum, ex mortuis reſurrectionem. Adhuc venerationem adhibet ipſi vnigenito Deo poſt ipſum,*



*ipſum, & per ipſum patrem gratias agens, quòd mortem in cruce pro omnibus ſubire voluerit, cuius typum & imaginem dedit baptiſmum regenerationis: laudat etiam quòd in nomine Chriſti Deus rerum omnium dominus in ſpiritu ſancto non proiecit genus humanum, quin potiùs diuerſis temporibus diuerſus fuit prouidentiæ eius modus: tunc enim Adæ in paradiſo primùm quidem ratione deliciarum dedit locum ipſum paradiſi ad habitandum: deinde verò ratione prouidentiæ mandatum dedit: poſtea delinquentem iure expulit, tametſi bonitate ſua non ex toto proiecit, immò, & poſteros eius variis modis erudiuit, & caſtigauit. Ob hanc cauſſam in extremo ſæculi* *1 *miſit filium ſuum, vt homo fieret propter homines, & humanas omnes paſſiones excepto peccato ſuſciperet, ipſum igitur, & nunc deprecetur ſacerdos inſtante baptiſmo, & dicat: Aſpice è cælo, & ſanctifica hanc aquam: tribue autem gratiam, & vim, & qui baptizatur ſecundum mandatum Chriſti tui, cum eo crucifixus, commortuus, conſepultus ac conſuſcitatus ſit in adoptionem, quæ in eo fit; vt mortuus quidem ſit peccato, viuat autem iuſtitiæ. poſtquàm verò baptizauerit in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, vngat vnguento chriſmatis inquiens:*

*1 En Apoſtolica doct. quæ ἀφθαρτοδοκῆτας cõdemnat. ſic vocati ſunt hæretici illi, qui carnem Chriſti incorruptibilẽ eſſe profitebãtur, aduerſus quos Leõtius monachus tẽpore Synodi Chalcedonenſis eruditiſſimè ſcripſit. qui inter cætera hæc ait aduerſus illos: Paſſiones humanas, quas Dominus ſuſcepit abſque peccato, (vt hic Apoſtolica doctrina teſtatur) aptas fuiſſe ad extenuandam, fatigandam, vexandam, ac diſſoluendam carnem eius, vt in cruce factum eſt. erat igitur caro eius corruptibilis, præſertim cùm Paulus apertè dicat in 2. epiſt. ad Cor. crucifixum ex infirmitate. infirmitatem enim vocat, vt ait idem Leontius, alterationem, vt Philoſophi loquuntur, virtutis naturalis. & Eſaias cap. 53. vidimus, inquit, eum, & non habebat ſpeciem neque pulchritudinem; ſed potius ſpecies eius inhonorata & deficiens pluſquam in omnibus filiis hominum. Sic enim eſt apud 70. quid autem, ait Leontius, vocat ἔκλειψιν, id eſt, defectum & languorem, niſi alterationem ex paſſione, quam alterationem paſſum eſt corpus amittens florem coloris naturalis propter receſſum caloris ad intima: & quia ſuperficies refrigerata eſſet ſanguine ſe contrahente; atque ita mutatus color in pallorem. Hactenus Leontij in locum Eſaiæ phyſiologia. Affine videtur eſſe huic errori quod B. Hilarius dixit lib. 10. de Trinitate, & in aliis locis, nullum in Chriſto fuiſſe metũ mortis, & in natura corporis eius non fuiſſe infirmitatem corporeę naturę; & illud, ſitiens nõ areſcebat, qui poterat ſatiare ſitientes; nec eſuriens, fame laborabat, inedia victus, qui potuit ariditatis damnare arborẽ, & alia huiuſmodi. Patiebatur quidem Dominus Iesvs voluntate verbi vniti diſpẽſantis hæc ſecundũ tempus & vtilitatem, ſed non quia patiebatur ſecundum leges naturæ, volente verbo, idcirco liceat dicere non fuiſſe in eo naturam paſſionum, & naturalem neceſſitatem patiendi, & in natura corporis infirmitatem corporeæ naturæ, vt B. Hilarius verbis ſuis ſignificare videtur, ſcilicet paſſiones alioqui naturales humanæ naturæ in carne & anima Chriſti propter verbum hypoſtaticè cum eis vnitũ, quod illas ipſas paſſiones prohibere poterat, & quo volente accidebãt, potuiſſe dici nõ naturales. Cùm tamen quia natura humana in Chriſto ſic fuit cum verbo vnita, vt nullo modo mutata eſſet propter vnionem, conſequens quoque neceſſariò fuit, vt naturam paſſionum humanarum haberet qui factus eſt, ſicut Apoſtolus ait in epiſt. ad Philipp. in ſimilitudinem hominum, & habitu inuentus vt homo. & in epiſt. ad Hebr. tentatum dicit per omnia pro ſimilitudine: & hic Apoſtolica doctrina omnes humanas paſſiones præterquam peccatum ſuſcepiſſe dicit.

Cap. XXXXV. De myſtico chriſmate gratiarum actio: oratio cũ gratiarũ actione, cùm adhibetur chriſma baptizato.

Domine *Deus ingenite, cui nullus eſt Dominus, & tu omnium dominus es, qui odorem cognitionis euangelij omnibus gentibus ſuauem præbuiſti, tu etiam nunc præſta, vt vnguentum hoc chriſmatis in baptizato efficax efficiatur, vt bonus odor Chriſti tui firmus, & omni parte ſanctus in eo maneat, & Chriſto commortuus, idem ſit conſuſcitatus, ac conuiuificatus ipſi. Hæc, atque alia his conſentanea dicat. Hæc eſt enim vis appoſitionis manus in vnoquoque qui baptizatur: niſi enim vnicuique eorum talis* *1 *inuocatio à pio ſacerdote adhibeatur, in ſolam aquam deſcendit, qui baptizatur, vt Iudæus: ac corporis tantũ ſordes, nõ autẽ animæ deponit. Deinde faciat ſtãs precationẽ, quã docuit nos Dominus; neceſſe eſt enim eum, qui reſurrexit ſtare, et precari, quoniã qui ſuſcitatus eſt, erectus eſt. ipſe igitur cõmortuus Chrſto, et cõſuſcitatus ſtet. precetur* *2 *verò verſus Orientem, nã et hoc ſcriptũ eſt in ſecundo libro Paralipomenon, quòd templo Domini à rege Salomone confecto ac conſummato, in ipſa dedicatione ſacerdotes, et leuitæ ac cantores ſteterunt ad Orientem cum ſymbolis, & pſalteriis laudantes, et confitentes ac dicentes, Laudate Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.*



*1 Pium ſacerdotem vocat hic eum, qui ea forma baptizat, quã Dominus inſtituit, id eſt, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: quã qui ſeruat, & baptizare vult, is piè ac religioſè baptizat, quanquam ipſe non ſit alioqui pius; idcirco dixit prius Apoſtol. doctrina, hæc eſt vis appoſitionis manus in vnoquoque baptizato, hæc ſcilicet, quæ conſiſtit in aſperſione aquæ in inuocatione patris, & filij, & ſpiritus ſancti. condemnat igitur hic Apoſt. doctr. Calu. qui baptiſmum Ioannis æquabat cum baptiſmo Apoſtolorum, quos enim Ioannes baptizabat, adhuc Iudæi poſt baptiſmum remanebant, quia in ſolam aquam, vt hic ait Apoſt. doctr. deſcendebant; non autem ſic deſcendebant in ſolam aquam, qui Chriſti baptiſmo, ſicut ipſe inſtituit, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti baptizabantur, accipit enim illa aqua per inuocationem patris, & filij, & ſpiritus ſancti, virtutem diuinam mundandi à peccatis, & regenerandi, ac renouandi. idcirco non eſt ſola aqua, vt illa baptiſmi Ioannis.

*2 Exemplũ ſit hæc cærimonia, quales ſint reliquæ cęrimoniæ eccleſiaſticæ, quas Confeſſioniſtæ repudiarũt, quã plenæ ſapiẽtia, & myſteriorum cognitione, & quãto ſtudio opus ſit in plerisque earũ ad intelligendũ, quid nunc veritatis contineant typis veteris legis olim adumbratum, velut hic Apoſtolica doctrina admonuit nos conſummationem templi Salomonis typum fuiſſe conſummationis ſpiritualis nouæ creaturæ, & noui templi Dei per baptiſmum facti, & laudes Dei in ipſo die dedicationis templi à ſacerdotibus, & leuitis ſtantibus

verſus orientem celebratas typum fuiſſe precationis Dominicæ, quæ in Dei laudem, & gratiarum actionem ab ipſo baptizato, & cum Chriſto ſuſcitato in ipſo die dedicationis ſuæ ſpiritualis adhibetur ad altare maius, quod eſt, vbi commodè fieri poteſt, exſtructum verſus orientem; ſignificatque id, habendam eſſe memoriam à baptizato, eiectum eſſe ex paradiſo, qui eſt ad orientem, Adam propter mandati violationem, vt Apoſtolica doctrina libr. 2. expoſuit. item ſignificat, futurum eſſe baptizatum in lumine diuino, ſi à peccatis abſtineat, vt Dionyſius interpretatur.

CAP. XXXXVI. Oratio recenter baptizatorum.

PRECETVR verò hæc poſt priorem precationem dicens: *Deus omnipotens pater Chriſti tui, vnigeniti filij tui, da mihi corpus non inquinatum, cor mūdum, mentem vigilantem, cognitionem non errantem, aduentum ſpiritus ſancti ad adipiſcendam, & tenendam ſine vlla dubitatione veritatem per Chriſtum tuum, cum quo tibi gloria in ſpiritu ſancto in ſæcula. Amen.*

CAP. XXXXVII. Quos nā Apoſtoli ordinauerunt.

ATQVE *hæc etiam de catechumenis conſtituere æquum eſſe exiſtimauimus: De epiſcopis verò, qui à nobis, dum viximus, ordinati ſunt, certiores vos facimus, hos eſſe, Iacobum epiſcopum Hieroſolymitanum fratrem Domini, & huic poſt mortem ſecundum ſucceſſiſſe Simeonem Cleophæ filium, & huic rurſus tertium Iudam Iacobi filium; deinde Zachæum, qui antea fuerat publicanus, primum epiſcopum Cæſareæ Palæſtinæ, huic ſucceſſiſſe Cornelium, & huic rurſus tertium epiſcopum Theophilum; Euodium epiſcopum Antiochiæ à me Petro ordinatum, cui ſucceſſit Ignatius à Paulo ordinatus; Annianum Alexādriæ epiſcopum, quem primum Marcus euangeliſta ordinauit; huic ſucceſſiſſe Abilium à Luca euangeliſta ordinatum; Linum Claudiæ filium eccleſiæ Romanorum epiſcopum* *1 *primum à Paulo ordinatum, poſt* *2 *mortem verò Lini Clementem, quem ego Petrus ſecundum ordinaui: Timotheum Epheſi epiſcopum à Paulo ordinatum, cui ſucceſſit Ioannes à me Ioanne ordinatus; Ariſtonem primum epiſcopum Smyrnæ; huius poſt mortem ſucceſſorem fuiſſe Strateā Loidis filium, cui ſucceſſit tertius epiſcopus alter Ariſton; Gaium Pergami epiſcopum, & Demetrium Philadelphiæ, quem ego Paulus ordinaui; Lucium epiſcopum Cenchrenſem, Titum Cretæ, Dionyſium Athenienſem, Marthonem epiſcopum Tripolitanum in Phœnicia, Archippum epiſcopum Laodicenſem in Phrygia: Philemonem epiſcopum Coloſſenſem; Oneſimum qui fuit ſeruus Philemonis, epiſcopum Beræenſem in Macedonia; Creſcentem epiſcopum eccleſiarum Galatiæ; Aquilam, & Nicetam epiſcopos paræciarum Aſiæ; Criſpum eccleſiæ Æginenſis. Hi ſunt quos*

*1 Quia B. Petrus nō fuit ab Apoſtolis ordinat⁹ epiſcop⁹ eccleſiæ Romanorum, ſed ab eo qui dixit ei, tu es Petrus, & ſuper hāc petram ædificabo eccleſiam meā, & quæ ſequuntur, idcirco Apoſt. doctr. valde limatè dixit, Linū eccleſiæ Romanorū epiſcopum primū à Paulo ordinatum: nō enim fuiſſet primus, ſi B. Petrus ab hominibus, aut per hominē ordinat⁹ fuiſſet. Deinde cùm iam antea B. Petrus Euodium epiſcopum Antiochiæ ordinaſſet, vt hæc eadem Apoſt. doctr. narrat, & ſedem Antiochenam Romam, iubente Domino, vt B. Marcellus in epiſt. 1. ad epiſcopos Antiochenæ prouinciæ teſtatur, tranſtuliſſet ad maiorem vtilitatem, vt Antherus pont. ait, conſequens eſt, Linum in eccleſia Romanorum non epiſcopum principalem, ſed adiutorem B. Petri fuiſſe, vt ex pontificali miniſterio tantum ſuſciperet, quantum à beato Petro præcipiebatur, vt Ioannes 3. in epiſt. ſua ſcribit. poſt mortem verò Lini ordinatus eſt à Petro Clemens epiſcopus ſecundus eiuſdem eccleſiæ Romanorum, non tāquam adiutor beati Petri, ſicut Linus, ſed principalis, quia non viuente Petro præfuit eccleſiæ, ſed Petro mortuo ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, & deinceps ordine vſque ad eum, qui hodie ſedet epiſcopus eccleſiæ Romanorum. eccleſia verò Romanorum imperium Romanorum eſt, quod quia deleto imperio Ethnico Romanorum ſucceſſit, imperium Romanum dicitur, ſic vocat Tertull. in lib. ad Scapulam, quòd tam diu, inquit, ſtabit, quamdiu ſæculum ſtabit, quod in eccleſiam catholicam Chriſtianorum competit, de qua Dominus in euangelio dixit, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Apoſt. doctr. lib. 5. c. 20. monarchiam Romanorum appellat, quam Chriſtum ait elegiſſe; eccleſia enim imperij Romani per cunctum orbem diffuſa, vbicunque, ſicut Apoſt. ait, fides Romanorum annunciatur, regnum Chriſti eſt, quod Deus elegit, & dedit ei, regnum ſcilicet non huius mundi, ſed ſpirituale, in eo enim eſt poteſtas non ſolùm in corpora, ſed in animas, in quo impletum eſt quod dixit angelus virgini, & dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius. in eo enim regnat ſecundum humanitatem non quidem viſibiliter, nunc enim Chriſtum regem eccleſiæ non videmus, quare neceſſe eſt, vt in eo regnet per vnum monarcham viſibilem, ſpiritualem poteſtatem habentem, qui eſt epiſcopus eccleſiæ Romanorum ſecundum Apoſtolicam doctrinam: quod qui neget, conſequens neceſſariò eſt, vt neget impletam eſſe promiſſionem Chriſto factam de regno ſpirituali cuncti orbis Chriſtiani in terris ſecundum humanitatem regnando: ad quod quidem regnum Chriſti in terris qui non pertinent, iidem nec ad regnum Chriſti in cælis pertinent: ad regnum autem Chriſti in terris non pertinent, qui eum, per quem regnat viſibiliter, negant, id eſt, epiſcopum eccleſiæ Romanorum, cuius epiſcopatum beatus Ambroſius lib. 2. de vocatione gentium, principatum Apoſtolici ſacerdotij vocat, quem magis amplificatū eſſe dicit, quàm fuit imperium Romanorum Ethnicum. Apoſtolica igitur doctr. cùm teſtatur ordinatum eſſe à beato Petro poſt mortem Lini Clementem eccleſiæ Romanorum epiſcopum, ſimul teſtatur cæteros, qui ordine Clementi ſucceſſerunt, epiſcopos item eccleſiæ Romanorum fuiſſe, & eſſe hunc, qui eorum ſucceſſor hodie in cathedra Romana ſedet Gregorius decimus tertius: ſimul etiam teſtatur præfuiſſe eos regno Chriſti in terris ſpirituali, & præeſſe hodie Gregorium, ſiquidem regnum Chriſti, quod à mari vſque ad mare, & vſque ad terminos orbis terrarum, ſicut ſcriptum eſt, tenditur, aut nuſquam eſt tam longè lateque patens, aut eccleſia Romanorum eſt, quæ imperij Romani Chriſtianorum fines metitur. Proteſtantes ergo, qui eccleſiæ Romanorum membra eſſe nolunt, extra regnum Chriſti ſunt. nolunt autem eſſe membra corporis eccleſiæ Romanorum ſub ſenſum cadentis, ac viſibilis, quia nolunt eſſe ſub eius capite ſub ſenſum cadente, & viſibili, qui putant ex pœnis ſe euaſuros in altero ſæculo, & non eſſe à principe paſtorum, & epiſcopo animarum noſtrarum iudicandos, ſi claues epiſcopi Romani beati Petri ſucceſſoris ad ſe pertinere negent.

*2 Hic etiam redarguitur Illyrici mendacium, qui in legenda S. Petri, vt vocat, quam ex epiſt. Pauli ad Galatas ad ſuam perditionem malè intellecta, & peius expoſita compoſuit, fingit, dici à nobis, Petrum Romæ 25. annis epiſcopatu, vel papatu perfunctum eſſe, ſic enim ait, quod nemo vnquam catholicorum dixit. quod enim ſcribit Euſebius in annalibus, Petrus apoſtolus natione Galilæus Chriſtianorum pontifex primus cùm primum eccleſiam Antiochenam fundaſſet, Romam proficiſcitur, vbi euangelium prædicans 25. annis



*quos parœciis Domini præfecimus; quorum doctrinæ ſemper* *3 *memores ſeruate ſermones noſtros, & ſit Dominus vobiſcum nunc, & in infinita ſæcula, vt ipſe nobis dixit cùm eſſet ad Deum ſuum, eundemque patrem aſcenſurus, Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi; Amen.*

eiuſdem vrbis epiſcopus perſeuerat, nō ſignificat, nunquā inde diſceſſiſſe totis 25. annis, qui lib. 3. hiſtoriæ eccleſiaſticæ ex Origene in tertio tomo comment. in Geneſim recitauerat hæc: Petrus verò in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia, & Aſia diſperſis Iudæis prædicaſſe videtur, qui & circa finem vitæ Romæ conſtitutus, capite demiſſo cruci eſt affixus. Hæc ibi. Sanctus quoque Epiphanius lib. 1. tomo 2. hæreſi 27. ſcribit, ſæpe apoſtolos Petrum, & Paulum ad alias patrias profectos fuiſſe propter prædicationem euangelij, & non potuiſſe ciuitatem Romanam ſine epiſcopo eſſe. hoc igitur Apoſt. doctr. teſtatur hic, cùm ait Linum eccleſiæ Romanorum epiſcopum à Paulo ordinatum, Petro viuente fuiſſe mortuum, ex quo ſequitur, Petrum eccleſiæ Romanorum, id eſt, omnium mundi Chriſtianorum epiſcopum à Chriſto factum non ſemper, quandiu fuit eccleſiæ Romanorum epiſcopus, Romæ fuiſſe, alioqui non opus fuiſſet ordinare Linum epiſcopum eccleſiæ Romanorum, ordinatus enim eſt, vt Petro abſente, & ad alias prouincias profecto, tanquam adiutor præeſſet.

*3 En Apoſtolica doctrina, quæ teſtimonium tribuit traditioni doctrinæ catholicæ per ſucceſſionem epiſcoporum in eccleſia Dei relictę. hoc enim quod Apoſtolica doctrina præcipit, memores eſſe doctrinæ illorum, quos ipſi Apoſtoli ordinarunt dum viuerent. Sic enim fieri, vt doctrina ipſorum apoſtolorum ſeruetur, cùm nobis etiam, qui nunc viuimus, præcipiat, conſequens neceſſariò eſt, vt per ſucceſſionem Apoſtolorum illa ipſa doctrina, quam Apoſtoli illis epiſcopis à ſe ordinatis tradiderunt, ad nos perducta ſit: alioqui non hoc ad nos pertineret quod Apoſtolica doctrina nunc monet, & iubet, vt memores ſcilicet doctrinæ illorum, ſeruemus ſermones Apoſtolorum. confirmat hoc S. Irenæus lib. 3. ca. 3. ſic enim ait: Traditionem itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam in eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint audire; & habemus annunciare eos, qui ab apoſtolis inſtituti ſunt epiſcopi in eccleſiis, & ſucceſſores eorum vſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab iſtis deliratur. Proteſtantes igitur, qui ſucceſſiones epiſcoporum ab ipſis vſque Apoſtolis ſanctis ordinatorum non habent, non poſſunt meminiſſe doctrinæ à ſanctis Apoſtolis eccleſiis Dei per ſucceſſiones epiſcoporum traditæ, quia talem doctrinam non habent, ex quo illam auctore & duce, ac magiſtro Martino Luthero monacho apoſtata deſeruerunt patres & maiores ſuos condemnantes, qui ſucceſſiones epiſcoporum, & doctrinam Apoſtolicam dogmatum catholicorum per eos traditam ſemper tenuerunt, & coluerunt.

CAP. XXXXVIII. Oratio matutina.

GLORIA *in excelſis Deo, & in terra pax, hominibus bona voluntas; laudamus te, hymnis celebramus te, benedicimus te, glorificamus te, adoramus te per magnum pontificem, te Deum ingenitum vnum, inacceſſum, ſolum propter magnam gloriam tuam: Domine rex cæleſtis, Deus pater omnipotens, Domine Deus pater Chriſti agni immaculati, qui tollit peccatum mundi, ſuſcipe deprecationem noſtram, qui ſedes ſuper Cherubim; quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus Ieſus Chriſtus Dei omnis naturæ creatæ, regis noſtri, per quem tibi gloria, honor, et veneratio.*

CAP. XXXXIX. Oratio veſpertina.

LAVDATE *pueri Dominum, laudate nomen Domini: laudamus te, celebramus te, benedicimus te propter magnam gloriam; Domine rex pater Chriſti agni immaculati, qui tollit peccatum mūdi: Te decet laus, te decet hymnus, te decet gloria Deum patrem per filium in ſpiritu ſancto in ſæcula ſæculorū, Amen. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam populi tui Iſraël.*

CAP. L. Oratio ad ſumendū cibum.

BENEDICTVS *es Domine, qui paſcis me ab adoleſcentia mea, & das eſcam omni carni; imple gaudio, & lætitia corda noſtra, vt ſemper omnem ſufficientiam habentes abundemus in omne opus bonum in Chriſto Ieſu Domino noſtro, per quem tibi gloria, honor, & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.*

# LIBER OCTAVVS,
## De Chariſmatibus, & ordinationibus, & canonibus eccleſiaſticis.

CAP. I. Quare, & propter quos non fiant miracula.

CVM *Deus, & Saluator noſter Ieſus Chriſtus magnum pietatis myſterium nobis tradat, & Iudæos, ac gentiles ad agnoſcendum vnum & ſolum verum Deum patrem ſuum inuitet, ſicut ipſe in quodam loco ait, cùm agit gratias pro ſalute eorum, qui crediderant, Manifeſtaui nomen tuum hominibus, opus, quod dediſti mihi, perfeci; item cùm dicat patri de nobis, Pater ſancte, & ſi mundus te non nouit, ego tamen noui te, & hi nouerunt te; meritò tanquam nobis conſummatis, de chariſmatibus, quæ ipſe per ſpiritum ſanctum tribuit, omnibus ſimul dicit, Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in nomine meo dæmonia eiicient; linguis loquentur nouis; ſerpentes tollent;*

tollent; & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit: Super ægros manus imponent, et bene habebunt. Hæc chariſmata prius nobis Apoſtolis tributa ſunt, à quibus euangelium omni creaturæ prædicandum erat; deinde cum iis etiam, qui per nos crediderunt, omnino communicantur, non quidem ad vtilitatem eorum qui chariſmata illa operantur, ſed vt qui non credunt, ad credendum adducantur; vt quibus non eſt verbis perſuaſum, eos ipſa vis ſignorum commoueat; ſigna enim non fidelibus fiunt, ſed infidelibus tum Iudæis tum gentilibus. Neque enim in expellendis dæmonibus vtilitas noſtra agitur, ſed eorum qui Chriſti operatione ab eis eripiuntur, & purgantur; quod ipſe Dominus cùm erudiret nos, his verbis demonſtrabat: Nolite gaudere quòd ſpiritus vobis ſubiiciuntur, ſed gaudete, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo: illud enim poteſtate Dei, hoc efficitur *1 noſtra in Deum beneuolentia, & ſtudio, idque adiuuante nos Deo. Non ergo neceſſe eſt omnes fideles expellere dæmones, aut ſuſcitare mortuos, aut linguis loqui, ſed eos, qui cauſſa quapiã vtili, chariſmate dignati ſunt ad ſalutem infidelium, quos ſæpenumero non rationum demonſtratio, ſed ſignorum effectio permouet, qui digni ſunt ſalute: neque enim omnes impij miraculorum reuerentia mouentur. Teſtatur hoc Deus, cùm ait in lege, Quoniam aliis linguis loquar populo huic, & aliis labiis, & neque ſic credent; neque enim Ægyptij Deo crediderunt, tot ſignis, & prodigiis à Moyſe factis: neque Iudæorum multitudo Chriſto ſimili *2 Moyſis credidit, qui omnem morbum, & omnem infirmitatem curauit. Neque illos permouit virga in viuum anguem mutata, neque manus facta alba, aut Nilus in cruorem verſus; neque hos viſus cæcis reſtitutus, aut ſanata claudicatio, aut ſuſcitati mortui: Atque illi quidem Iannes, & Mambres reſiſtebant: huic verò Annas, & Caiphas. Sic non omnes ſignis mouentur, ſed ij tãtùm, qui grato ſunt animo, quorum cauſſa placet Deo, tanquam ſapienti gubernatori, vt ſigna fiant, non quidem viribus hominum, ſed ipſius Dei voluntate, ac nutu. Hæc autem à nobis eo dicta ſunt, vt qui huiuſmodi chariſmata à Deo acceperunt, in eos ſe ne efferant, qui non acceperunt. Loquimur verò de chariſmatibus ſignorum. Quippe cùm nemo ſit, qui per Chriſtum in Deum crediderit, quin ſpirituale chariſma acceperit. Nam hoc ipſum, ereptum fuiſſe ab impietate multos deos colendi, et credidiſſe Deo patri per Chriſtum, chariſma Dei eſt, item velamen Iudaicum abieciſſe, ac credidiſſe, voluntate Dei eius ante ſæcula vnigenitum nouiſſimo tempore ex virgine matre ſine virili coniunctione natum eſſe, verſa-

*1 En Apoſtolica doctr. quæ falſum dogma Confeſſioniſtarũ redarguit, ait enim Illyricus in defenſione Antuerp. Confeſſ. ca. 9. corrumpi euangelium, dum ad operum iuſtitiam traducitur. verã enim, inquit, iuſtificationem non in virtutũ perfectione, ſed in peccatorum ſola remiſſione cõſiſtere. at Apoſt. doctr. noſtro ſtudio, & beneuolentia effici ait, vt ſcribãtur nomina noſtra in cælis, iuſtificati enim ſunt, ſicut Apoſtol. ait, eccleſia primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cęlis: Deinde ſi noſtrum ſtudium, & beneuolentiam adiuuat Deus, vt Apoſtolica doctr. dicit, blaſphemia erit dicere, quod Cõfeſſioniſtę dicunt, non poſſe nos legi ſatisfacere. quòd ſi Deo adiuuante poſſum*, nõ igitur ex incerto pendet promiſſio iuſtitiæ ex legis impletione, vt Confeſſioniſtæ vanè obiiciunt: immò ipſe Loſſius, qui hoc in quæſtionibus ſui catechiſmi obiicit, quærit, poſſunt ne homines ſatisfacere legi Dei ſuis operibus? reſpondet, non. Quærit rurſus, cur non poſſunt? Reſponſio: quia lex, inquit, ſpiritualis eſt, & perfectam requirit à nobis obedientiam interiorem, & exteriorem, quam nemo hominum ſine ſpiritu S. viribus ſuis præſtare poteſt. confitetur igitur præſtare poſſe adiuuante Deo. erit igitur iuſtitia ex eiuſmodi ſtudio virtutum adiuuante Deo adhibito. ita cogitur Confeſſioniſta rurſus concedere, quod prius negauerat. Redarguit ſimul hic locus Apoſtolicæ doctrinæ quod Selneccerus Confeſſioniſta in 3. tractatu ſui Analecti obiicit ad probandum, non eſſe ex operibus iuſtitiam, iuſtitia enim, inquit, & ſalus ac vita æterna ſunt res in æternum durantes, ergo re caduca res æterna, re imperfecta res perfecta impetrari non poteſt; at dilectio, quam vocat hic Apoſtolica doctrina beneuolentiam, nunquam excidit, ſicut Apoſt. ait, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue ſcientia deſtruetur; durabit igitur in æternum; & gratia Dei adiuuans perfecta quoque & æterna eſt: ergo impetrant iuſtitiam, idque argumento etiam Selnecceri conuincente, faciuntque conſcribi nomina noſtra in cælo, ſicut ait Apoſtolica doctrina. Deinde ſi bona opera adiuuante Deo ſunt meritoria noſtræ iuſtitiæ, & non adiuuante Dei gratia, ſed ſolùm viribus noſtris facta non ſunt meritoria, licet alia ratione bona ſint, ergo ſola gratia Dei facit, vt ſint meritoria iuſtitiæ, & ſalutis; non igitur dimidiam iuſtitiam & ſalutem præſtat Chriſtus, vt iſte nobis obiicit, ſed ſolus Chriſtus eſt auctor iuſtitiæ operum noſtrorum.

*2 Redarguit hic locus Apoſtolicæ doctrinæ Caluiniſtas, & Lutheranos, qui, vt iuſtitiam ſuam imputatiuam defendant, omnes conſpirarunt ad negandum, legem operum decalogi ad euangelium pertinere. Sic enim, vt antea dixi, exiſtimant iſti miſeri & cæci euaſuros ſe ex pœnis futuri ſæculi, ſi non ſint iudicandi de iuſtitia operum legis, quam repudiarunt: in qua re Iudæos imitantur. Iudæi enim non crediderunt, Chriſtum eſſe ſimilem Moyſis, id eſt, legiſlatorem, ſicut ſcriptum erat in Deut. ca. 18. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero ei. Qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam. vlciſcetur ergo iſtos qui nolunt audire quod Chriſtus ore ſuo dixit Ioan. 13. mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos: vt & vos diligatis inuicem. id eſt, vt ego, inquit, dilexi prior, non prius dilectus, ſic vos alij alios præuenire debetis in dilectione: item vt ego dilexi vos vſque ad mortem, hanc vos dilectionem imitari debetis. docuit itaque quatenus, & quomodo diligendum. hæc ex ſcholiis Photij Conſtant. in euang. Ioannis. At iſti ſectarum nouarum amatores & inuentores mandatum de dilectione, quod primum eſt in lege decalogi, ad legem veterem pertinere tradunt, & non ad euangelium, cùm tamen Dominus mandatum nouum appellauerit, vt planè admoneret, vetus mandatum de dilectione à ſe in euangelio renouari, & confirmari; &, quod magis adhuc blaſphemum eſt, tradunt, non poſſe impleri, quaſi Dominus aliquid in euangelio mandet quod impleri non poſſit. Cùm igitur præcipit, vt diligamus inuicem ſicut ipſe dilexit nos, in eo præcipit, vt Deũ toto corde, totis viribus, & tota mente diligamus: qui enim diligit proximum, inquit Apoſt. legẽ impleuit. contra Apoſtolũ ergo docet, qui legẽ diligendi Deũ toto corde, & totis viribus, & tota mẽte impleri nõ poſſe docet. idem mãdatum clarius adhuc in euangelio renouauit, cùm illi legis perito, qui interrogauerat, quid faciendo vitam æternam poſſideret, dixit, in lege quid ſcriptum eſt, quomodo legis? ille reſpondens dixit, diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & proximũ ſicut te ipſum. dixitque illi, rectè reſpõdiſti; hoc fac, & viues. ecce iterũ renouata, & confirmata in euangelio lex decalogi de dilectione à Chriſto legiſlatore. quòd ſi legem decalogi in euangelio non tulit, quomodo dixit Deus in Deut. Moyſi, Prophetã ſuſcitabo eis ſimilẽ tui? an ſimilem tãtùm in miraculis dixit? minimè, miracula enim omnis generis alij multi poſt Moyſem fecerunt: hic autem aliquid proprium Moyſis ſignificatur, quod non fuit illi cũ aliis commune, quod eſt legiſlatorem eſſe. Sed dicemuſne fuiſſe Chriſtum ſimilem in ferendis legibus cærimoniarum, & iudiciorum? nec hoc dici poteſt, illæ enim leges omnes fuerunt vmbrę futurorum. reſtat igitur, vt Apoſtolica doctrina ſimilem Moyſis dicat, id eſt, legiſlatorem legis decalogi, quam Eſaias dixit cap. 6. datam eſſe à Deo in adiutorium, ſic enim eſt apud 70. quem locum explanans B. Baſilius, magna, inquit, res eſt, & ingens beneficium, quòd natura ſumus ad rectè viuendum apti & idonei. hoc tamen perfecit & auxit Deus, cùm legis adiumentum adiecit. hact. Baſil. quòd ſi lex decalogi ad adiumentum data eſt, vt Eſaias ait, id eſt, ſi erat lex decalogi adiutrix legi naturalis, vt Apoſt. doct. in Eſaiæ locum intuens ait lib. 6. c. 19. ergo impleri poteſt. Quis enim adiuuat ad implendum, quod impleri non poteſt? Rurſus ſi lex decalogi ſub Moyſe impleri poterat, vt ratio ipſa, & ſcriptura conuincit, profectò multo magis in euangelio impleri poteſt in quo eſt maior ſpiritus abundantia.



verſatumque vt hominem in vita abſque peccato peracta omni iuſtitia legis, deinde permiſſu Dei Deum verbum ſpreto omni dedecore crucem ſuſtinuiſſe, & mortuum, atque ſepultum eſſe, & poſt triduum excitatum, & poſtquàm à mortuis ſuſcitatus, & quadraginta diebus cum Apoſtolis commoratus eſſet, omnemque conſtitutionem peregiſſet, aſcendiſſe in conſpectu eorum ad Deum patrem, à quo miſſus fuerat: Quæ qui credidit, & non vtcunque neque inconſideratè, ſed cum iudicio, ac *3 plenitudine, chriſma quidem accepit à Deo. idem iudicandum eſt de eo, qui eſt omni hæreſi liberatus. Nemo igitur eorum, qui ſigna & prodigia edunt, de vllo fideli, qui non ſit dignatus à Deo huiuſmodi vi operandi, iudicium faciat. Diuerſa enim ſunt chariſmata, quæ à Deo per Chriſtum in homines cõferuntur. Tu quidem accepiſti hoc; ille verò aliud: aut enim chariſma ſapientiæ, aut cognitionis, aut diſcretionis ſpirituum, aut præcognitionem futurorum, aut chariſma docẽdi, aut tolerantiam malorum, aut cõtinentiam legitimam. Quippe Moyſes homo Dei cùm ſigna in Ægypto factitaret, non ſe extulit in ſuæ gentis homines, neque appellatus Deus, aliquid aduerſus Prophetam ſuum Aaron ſibi arrogauit. immò Ieſus Naue, qui fuit populi dux poſt Moyſem, cùm in bello, quod cũ Iebuſæis gerebatur, ſolis curſum ſiſteret ad Gabaon, & lunæ ad vallem Aëlon, quia non erat ſatis diei ad victoriam, non ideò inflatus eſt in Phineem, aut in Chaleb. Neque Samuel, qui tam multa admirabilia & inaudita fecit, Dauid Deo charum contempſit, cùm vterque eſſet propheta, & alter quidem rex, alter verò ſummus ſacerdos. Atque etiã cùm eſſent in Iſraël ſeptem millia ſanctorum, qui non curuauerunt genua Baal, ſolus Elias ex eo numero, & diſcipulus eius Eliſeus fuerunt mirabilium effectores: tamen neque Elias Abdiam diſpenſatorem domus Achab irriſit; qui Deũ quidem timebat, tamen ſigna non faciebat: neque Eliſeus diſcipulum ſuum hoſtes pertimeſcentem deſpexit. Immò neque ſapiens ille Daniel bis ex ore leonum ereptus, neque tres illi pueri in fornace ignis reliquos ſuæ nationis ſpreuerunt: ſciebant enim non ſe ſuis viribus acerba illa ſuperare, ſed potius virtute Dei ſe ſigna facere, & illis anguſtiis ac difficultatibus liberari. Nemo igitur veſtrûm ſe in fratrem ſuum efferat, quamuis ſit propheta, & quamuis ſit mirabilium effector. Etenim ſi demus, non eſſe vnquam amplius infidelem, ſuperuacanea deinceps erit omnis effectio ſignorum: Eſſe enim pium quempiam, ex beneuolentia erga Deum pendet, facere autem miracula ex virtute eius qui operatur: ac prius quidem ad nos ſpectat, poſterius verò ad Deum, qui ob eas, quas ſuprà dixi cauſſas, operatur. Ergo neque rex duces exercitus ſui contemnat, neque magiſtratus populum: Nam ſi nulli ſunt ſub magiſtratibus, ſuperuacanei ſunt magiſtratus; item ſi non ſint duces, non conſiſtet regnum. Quin immò neque epiſcopus ſe in diaconos efferat, aut in presbyteros; neque presbyteri in populum:

*3 Hinc licet intelligere, non eſſe fidem notitiam ſolam ſymboli, & ſolum aſſenſum verbi, vt Illyricus, & centuriatores à nobis dici fingunt, & per calumniam obiiciunt, nos enim oportere dicimus, ſicut Apoſt. doctr. tradit, habere fidem cum plenitudine, id eſt, cum dilectione. hæc enim eſt, quæ facit, vt abundet fides, & non deficiat. redarguit igitur hic locus Apoſtolicæ doctrinæ fidem Proteſtantium, qua ſola miſericordiam Dei, & promiſſionem eius apprehendere, ſatis eſſe tradunt ad iuſtificationem hominis. at fides iſta ſola nõ eſt plena & abundans, qualem Apoſt. doctr. requirit, ſiquidem non eſt cum dilectione, quæ facit, vt qui credit, plenè credat, & qui operatur legem, plenè operetur. vnde plenitudo legis dicitur ab Apoſtolo, & ab eodẽ in epiſt. ad Hebr. plenitudo fidei: & de fide Abrahæ, nõ hæſitauit, inquit, diffidentia, ſed confortatus eſt fide pleniſſimè ſciens, ſiue credens, &c. Hinc S. Diadochus epiſcopus Photices in Epiro in libello de perfectione ſpirituali c. 21. Qui ſolummodo, inquit, credit, & non diligit, neque fidem ipſam, quam habet, videtur habere: leui enim mente credit is, in quo non eſt pondus dilectionis. hactenus ille. Talis eſt fides iſta ſola, quam Proteſtantes profitentur, quam etſi habent, tamen non videntur habere, quia non exercent illam in mandatis Domini, quorum operationem inſanè tradunt non eſſe neceſſariam ad iuſtificationem.

*pulum: ex vtriſque enim conſtat cœtus; epiſcopi enim & presbyteri*[*4] *aliquorum ſunt ſacerdotes, & laici aliquorum laici. Atque eſſe quidem Chriſtianum in noſtra poteſtate eſt, Apoſtolos verò, & epiſcopos non*[*5] *eſt: ſed potius penes Deum, qui chariſmata tribuit. ſed de his hactenus propter eos, quibus chariſmata & dignitates donata ſunt.*

*4 En teſtimoniũ Apoſtolicæ doctrinæ, eſſe ſacerdotiũ ſacrum ex ordinatione viſibile, & externũ, præter ſacerdotium laicum ex baptiſmo, inuiſibile, & ſpirituale; ait enim epiſcopos, & presbyteros aliquorum eſſe ſacerdotes, ſcilicet laicorum, & laicos aliquorum laicos, ſcilicet ſacerdotum. Laici ergo teſtimonio Apoſtolicæ doctrinæ non ſunt tales ſacerdotes, quales ſunt epiſcopi, & presbyteri, id eſt, ſacerdotes ex chariſmate ordinationis: neque rurſus epiſcopi, & presbyteri ſunt ſacerdotes laici, ſed ſacerdotes ſacri.

*5 En Apoſtolicæ doctrinæ teſtimonium, nullas eſſe apud Proteſtantes ordinationes miniſtrorum, quia eſſe epiſcopos aut presbyteros, aut diaconos non eſt in poteſtate hominum, ſed ex Dei virtute pendet, quam tribuit homini ad aliorum vtilitatem per miniſterium eorum, quos ad hoc chariſma tribuendum conſtituit, id eſt, per miniſterium Apoſtolorum, & eorum qui Apoſtolis ſucceſſerunt, hoc eſt, epiſcoporum; quibus cùm Proteſtantes careant, non eſt apud eos, nec eſſe poteſt chariſma ordinationis, quod per ſuperintendentes meros laicos, & magiſtratus dari ſomniant.

CAP. II. De epiſcopis, & presbyteris indignis.

ILLVD *verò huc addam, non omnes, qui prophetant, pios eſſe, neque omnes, qui dæmones expellunt, ſanctos: Balaam nanque filius Beor vates prophetauit quidem, alioqui impius; item Caiphas falſus pontifex; diabolus quoque multa prædicit, & dæmones eius: neque ideò quidem eſt illis ſcintilla pietatis, ſunt enim ignorantia obruti propter malitiam voluntariam. Liquet itaque, quanquam impij prophetent, non delere eos prophetiis impietatem; neque ſi expellant dæmones, ipſos continuo receſſu dæmonum ſanctos fore, nam & ſe mutuo decipiunt; ſicut ij, qui præſtigias ludorum ridendi cauſſa oſtentant, eos etiam qui ipſos attendunt, perdunt. Neque verò rex impius, rex eſt amplius, ſed tyrannus; neque epiſcopus ignorantia aut malo animo† oppletus epiſcopus eſt, ſed falſus epiſcopus, nõ à Deo, ſed ab hominibus promotus, vt Ananias, & Semeias in Iſraël; item Sedecias, & Achias pſeudoprophetæ Babylone; immò & Balaam vates pœnas exoluit, quòd populum Iſraël in Beelphegor corrupiſſet; & Caiphas poſtea mortem ſibi conſciuit, & filij Sceuæ aggreſſi expellere dæmones, acceptis vulneribus, turpiter fugerunt. Præterea reges Iſraël & Iuda ob impietatem pœnas omnis generis luerunt. Liquet igitur falſos epiſcopos, & presbyteros non euaſuros ex ſupplicio Dei, dicetur enim nunc, quod illis olim,*[*1] *vos ſacerdotes, qui nomen meum vituperatis, tradam in occiſionem, vt Sedeciam, & Achiam, quos rex Babylonis frixit in ſartagine; vt narrat Hieremias propheta. Hæc verò dicimus, non quòd veras prophetias pro nihilo ducamus, ſcimus enim eas afflatu diuino in ſanctis fieri, ſed vt audaciam & temeritatem inſolentium reprimamus. illudq́ue addimus, Deum huiuſmodi prophetis gratiam iſtam ablaturũ: Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiam. Silas igitur, & Agabus, qui noſtris temporibus prophetarunt, non ſe fecerunt pares Apoſtolis, neque ſuos exceſſerunt modos, quamuis Deo erant chari. Atque etiam mulieres prophetauerunt, olim quidem Maria Moyſis, & Aaron ſoror, poſtea verò Debora, deinde Oldad, & Iudith; illa quidem Ioſia Rege; hæc verò Dario. Præterea prophetauit mater Domini, & Eliſabeth cognata eius, & Anna: & noſtra ætate filiæ Philippi: tamen non ſe in viros extulerunt; immò ſe intra modulos ſuos continuerunt. igitur ſi quis inter nos ſiue femina, ſiue vir huiuſmodi gratiam adeptus fuerit, ſubmittat ſe; vt ſit Deo gratus: ſuper quem, inquit, aſpiciam, niſi ſuper mitem, & quietum, & trementem ſermones meos?*

*1 En teſtimoniũ Apoſt. doct. immò ſcripturæ ſanctæ in eos, qui hæreticè tradunt, ſacerdotes malos deſinere eſſe ſacerdotes, nec amplius habere poteſtatẽ ſacerdotalem. ait enim Apoſtolica doctr. conuenire in malos ſacerdotes, quod olim Dominꝰ per Malachiã malis ſacerdotibus minabatur, inquiens, vos ſacerdotes, qui nomen meum vituperaſtis, tradã in occiſionem. En malos ſacerdotes vocat ſcriptura ſacerdotes. ſunt igitur ſacerdotes: quia cùm ſacerdotes audimus, ſacerdotes intelligimus. hæc enim eſt vis verbi.

CAP. III. Quòd potiſſimum ſit, diſponi, & ordinari ea, quæ in eccleſiis fiunt.

EXPOSITA *igitur eſt prima libri huius pars de chariſmatibus, quæ Deus pro voluntate ſua hominibus largitus eſt: & quemadmodum Deus eorum mores arguerit, qui falſa dicere conati ſunt, aut alieno ſpiritu agebantur: & quòd ſæpe Deus ad prædictionem futurorum, et ad prodigia edenda improbis hominibus ſit gratiam ſuam elargitus. Nunc verò ad id quod ſummũ eſt Eccleſiaſticæ conſtitutionis feſtinat oratio: vt vos epiſcopi, quos Chriſto auctore conſtituimus, cùm hanc Conſtitutionem didiceritis, omnia ſecundum mandata eius nobis tradita faciatis, ſcientes, quòd*



*quòd qui nos audit, Chriſtum audit: qui verò Chriſtum audit, Deum eius, eundemq́; patrem audit: cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

CAP. IIII. De ordinationibus.

NOS *igitur† duodecim Apoſtoli Domini qui vnà ſumus, has vobis conſtitutiones de omni eccleſiaſtica forma indicimus, præſente Paulo vaſe electionis, & coapoſtolo noſtro, & Iacobo epiſcopo ac reliquis presbyteris, et ſeptem diaconis. Ego igitur*[*1] *primus Petrus dico ordinandum eſſe epiſcopum, vt omnes pariter antea conſtituimus, ſcilicet de quo in nulla re ſit querela, & qui ſit à cuncto† populo ex optimis quibuſque electus. Quo*[*2] *nominato, & placente, populus in vnum congregatus, vnà cum presbyteris, atque epiſcopis præſentibus die*[*3] *Dominico conſentiat. Qui verò inter reliquos princeps epiſcopus eſt, percontetur presbyteros, & populum, an ipſe ſit, quem præeſſe petunt: & illis annuentibus, rurſus percontetur,*

*1 En Apoſtolica conſtitutio, quæ Caluinũ redarguit, cùm tradit, fuiſſe quidem Petrũ primũ Apoſtolorum, non tamẽ poteſtate, ſed honore ordinis, id eſt, collocatum eſſe, vt idẽ ait, primũ in ædificio, non tamen primatum habuiſſe in alios. primatum autem Petri in alios ideò negauit, quia ſi concederet, videbat conſequens eſſe, vt ſucceſſor eius epiſcopus Rom. primatum quoque in omnes epiſcopos haberet, ſiquidem omnes epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum ſunt. Ergo poſtquàm Clemens Rom. dixit in perſona omnium Apoſtolorum, (facit enim perſonas more dialogi) nos igitur duodecim Apoſtoli Domini, qui vnà ſumus, has vobis cõſtitutiones de omni forma eccleſiaſtica indicimus, paulò poſt ſcribit traditionem Apoſtolicæ conſtitutionis de electione, & ordinatione epiſcopi, inducta perſona Petri, cui auctoritas huius conſtitutionis propriè conuenit, quia ipſe erat primus Apoſtolorum, quibus, vt dixi, epiſcopi ſucceſſerunt. Primus ergo, inquit, ego Petrus dico, &c. Si autem Petrum decebat hæc auctoritas dicendi ſe primum, ſcilicet duodecim Apoſtolorum, quos proximè dixerat; ſicut decebat auctoritas illa, qua in concilio illo Hieroſolymitano dixit, viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in vobis elegit, per os meum audire gentes verbum euangelij, & credere; per os enim meum dixit, quia ipſe erat primus Apoſtolorum, qui in ipſo erat tanquam in capite, id eſt, tanquam in primo, poteſtate, & non honore tantùm ordinis. ſignificare autem hoc quod dico, id eſt, præfuiſſe omnibus Apoſtolis, cùm ſe dicit primum, hæc eadem conſtitutio Apoſtolica proprio verbo planum facit, paulò enim pòſt vocat, ſicut vocat etiam canon Apoſt. 34. primos epiſcopos eos, qui ſunt Metropolitani, qui primatum habent in epiſcopos prouinciales, iubet enim vt vnus ex primis cum duobus aliis epiſcopis ordinet epiſcopum per impoſitionem manuum, & libri euangeliorum aperti, is autem vnus ex primis, vnus ex Metropolitanis eſt: eoſdem iſtos primos vocauerat paulò ſuprà propriè προκρίτους, ſic enim dixit, & qui eſt reliquorum epiſcoporum πρόκριτος, id eſt, princeps, ſcilicet qui reliquis per prouinciam epiſcopis præeſt, interroget presbyteros, & populum &c. ad Metropolitanum enim pertinet rata habere, & confirmare, quæ in eligendo & ordinando epiſcopo fiunt. eodem verbo vſus eſt Dionyſ. Areop. in eccl. Hier. cùm archidiaconum, qui reliquis diaconis eccleſiæ præeſt, πρόκριτον vocat. Cùm igitur B. Petrus in hac conſtitutione ſe πρῶτον, id eſt, primum Apoſtolorum dicit, πρόκριτον eorum ſe dicit, id eſt, præpoſitum illis. habuit igitur B. Petrus primatum in apoſtolos, ſicut habet Metropolitanus in prouinciales epiſcopos, ex quo rurſus ſequitur, habere epiſcopum Romanum primatum in omnes epiſcopos mundi, quia eſt ſucceſſor eius qui primatum habuit in apoſtolos, quibus omnes epiſcopi ſuccedunt, ſequitur etiam ſecundum traditionem Apoſtolicæ conſtitutionis electiones epiſcoporum à principe omnium epiſcoporum confirmandas eſſe; neque poſſe ſine auctoritate eius epiſcopum canonicè ordinari. Si enim electio epiſcopi facta à prouincialibus, ſecundum Apoſtolicam conſtitutionem, & iuxta canonem 9. ſynodi Nicęnæ, quæ illam ſecuta eſt, rata fieri debet auctoritate Metropolitani, quia ipſe habet in eos primatum, conſequens quoq; eſt, vt confirmatio ipſa Metropolitani rata item fieri debeat à ſuo primo, id eſt, ab eo qui habet primatum in omnes Metropolitanos, vt electiones epiſcoporum ad vnum tandem caput eccleſiaſticæ hierar. vnde eſt origo vnitatis eccleſiæ, reuocentur ac referantur. Ex hac igitur Apoſt. conſt. manauit, quod Leo magnus ad Anaſtaſium archiepiſ. Theſſal. legatum ſuum ſcribit cap. 6. de perſona autem conſecrandi epiſcopi, & de cleri plebiſque conſenſu Metropol. epiſc. ad fraternitatem tuam referat; quodq́ue in prouincia beneplacuit, ſcire te faciat, vt ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Pertinere autem ſecundum traditionem Apoſt. conſtitut. hanc curam & auctoritatem in Metropolitanos ad Pont. Rom. B. Petri ſucceſſorem idem Leo magnus c. 2. eiuſdem epiſtolæ, his verbis teſtatur: Igitur ſecundum ſanctorum patrum canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos Metropolitanos ſingularum prouinciarum epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ ſibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus: ita vt à regulis præſtitutis nulla aut negligentia, aut præſumptione diſcedant.

*2 En Apoſt. conſtitutio, quæ dogma profanum Confeſſioniſtarum de vocatione miniſtrorum redarguit, cùm tradunt ordinationem legitimam miniſtrorum pertinere ad ſuperintendentes, & ad ſuffragia magiſtratus, & ad conſenſum populi: populus enim & magiſtratus populi, qui omnes ſunt laici, ſolum habent ſecundum Apoſt. conſtitutionis traditionem poteſtatem nominandi, & poſtulandi eum quem ordinari deſiderant: quod eſt genus quoddam electionis non propriè, id eſt, non ad ſuffragium auctoritatis, ſed ad ſuffragium petitionis, & teſtimonij pertinens, quo vſa eſt multitudo illa populi in actis Apoſt. cùm iuſſerunt S. Apoſtoli, vt conſiderarent viros boni teſtimonij, quos ipſi illi Apoſtoli conſtituerent in miniſterio diaconorum, quod propriè pertinebat ad electionem, & ordinationem per impoſitionem manus: & elegerunt, inquit, id eſt, conſiderauerunt viros 7. boni teſtimonij, ſicut iuſſum eis erat, et ſtatuerunt eos ante conſpectum Apoſtolorum, vt ſcilicet ipſi Apoſtoli in miniſterio eos diaconorum per ſuffragium auctoritatis, & manus impoſitionem conſtituerent. vtrumque dicitur χειροτονία. Congruit ergo hæc Apoſtolica conſtitutio cum actis Apoſt. de eo quod in vocatione miniſtrorum laici, id eſt, populus, & magiſtratus, qui chariſma ſpiritualis poteſtatis ad eligendum propriè poteſtates ſpirituales non acceperunt, facere poſſunt. poſtquàm enim dixit epiſcopum à cuncto populo electum, ſubiungit ſtatim, quo nominato, & placente; ergo eligi epiſcopum à populo non eſt aliud præterquam nominari ab eo, & placere ei. Deinde, congregatus, inquit, populus vnà cum presbyteris, & præſentibus epiſcopis in die Dominico, conſentiat. Ergo alij ſunt, qui propriè eligunt, & non populus, neque magiſtratus, qui ad populum refertur. Rurſus qui, inquit, reliquis epiſcopis maior eſt, interroget presbyteros, & populum, an iſte ſit, quem petunt: & cùm annuerint, iterum interroget, an habeat ab omnibus teſtimonium, quòd dignus ſit, vt præſit. igitur ad eligendum eum, qui ordinandus eſt epiſcopus, ſæculares, id eſt, populus, & magiſtratus, nihil aliud afferre poſſunt, niſi deſiderium, & petitionem, ac teſtimonium, & cõſenſum; immò neque presbyteri. hoc ſolum intereſt, quòd presbyteri cùm ſint eccleſiaſtici, habere poſſunt poteſtatem eligendi epiſcopum, ſi eis poteſtas fiat ab eo qui præeſt eccleſiæ catholicæ, laicis verò non poteſt fieri eiuſmodi poteſtas, quæ chariſma eſt, quod non recipiunt à Deo, qui extra clerum ſunt. Ex traditione igitur huius Apoſtolicæ cõſtitutionis manauit, quod beatus Cyprianus lib. 1. epiſt. 3. ſcripſit, ex diuina auctoritate deſcendere, vt ſacerdos (epiſcopum dicit) ſub omnium oculis deligatur, non ait, vt eligatur à plebe, ſed plebe præſente: hinc etiam manauit decretum S. Anacleti in epiſt. 2. de epiſcopo eligendo, & ordinando ab omnibus epiſcopis prouinciæ auctoritate Apoſtolica, aut ſaltem à tribus reliquis aſſenſum præbentibus: item canon 4. ſynodi Nicęnæ de epiſcopo eligendo ſuffragiis epiſcoporum prouinciæ, ſi fieri poteſt, vt omnes conueniant; aut ſaltem à tribus reliquis per litteras conſentientibus. Hinc quoque extitit caput ſextum epiſtolæ magni Leonis 84. vbi iubet, vt epiſcopus ab epiſcopis prouincialibus eligatur, voluntate, inquit, omnium clericorum, & omnium ciuium diſcuſſa. idem ſancitum eſt canone 3. ſynodi Nicęnæ ſecundæ. prætereo reliqua decreta ex eodem fonte ducta. Quare cùm Proteſtantes epiſcopos non habeant, qui propriè epiſcopum ſuffragiis eligant aſſentiente populo, & magiſtratu, ſuperintendentes enim quos vocant, meri laici ſunt; conſequens neceſſariò eſt, nullas eos electiones, nec ordinationes miniſtrorum habere, niſi ludibria ſimiarum.

*3 Ecce Apoſtolica conſtitutio, quæ teſtis eſt conſuetudinem eccleſiaſticam ordinandi epiſcopos die Dominico ex Apoſtolica traditione

*tur, an tribuant ei omnes teſtimonium; quòd dignus ſit hoc magno & illuſtri munere præſidendi; an quæ ad pietatem erga Deum pertinent, rectè peregerit; an iura aduerſus homines ſeruârit; an domum ſuam, resque domeſticas bene adminiſtrauerit, & an vita ei per omnia honeſtè & laudatè acta fuerit. Cùm verò omnes ſimul non ſecundum opinionem præiudicatam, ſed ſecundum veritatem teſtificati fuerint, talem eſſe eum, tanquam in conſpectu iudicis Dei, & Chriſti, præſente etiam ſpiritu ſancto, atque omnibus ſanctis, & adminiſtratoriis ſpiritibus, rurſus tertiò interrogent, vtrum ſit miniſterio dignus: vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum. & cùm tertiò annuerint, & dignum eſſe aſſenſi fuerint, petatur ab omnibus, vt præbeant ſignum aſſenſus, & libenter præbentes, audiantur; ac ſilentio facto, vnus ex primis epiſcopis vnà cum duobus aliis ſtans prope altare, reliquis epiſcopis, & presbyteris tacitè precationem facientibus, & diaconis *4 aperta † euangelia ſuper caput eius, qui ordinatur, tenentibus, in hunc modum precetur:*

certam eſſe propter myſteria magna, & beneficia, quæ eo die eccleſię, cui prę‑eſt epiſcopus, collata ſunt, quæ Leo magnus in epiſt. 81. numerat. immò ordinare etiã preſbyteros, & leuitas die Dominico ad inſtituta Apoſtolica pertinere dicit: & ita fieri præcipit. nunc autem maiorum ſacerdotũ, id eſt, epiſcoporũ ordinationes propter maiorẽ eorũ dignitatem in ipſo die reſurrectionis, id eſt, in Dominico fiunt. Sabbato verò, cuius veſperæ, vt ibidem idem Leo ait, initium Dominicæ reſurrectionis conſtat aſcribi, aliorum infra epiſcopum ordinationes fiunt. vt iam vtrumque ad Apoſtolicam traditionem referri poſſit, & debeat. Proteſtantes verò vt nullas ordinationes eccleſiaſticas habent, niſi meras laicas, ita huius diei reſurrectionis Domini, aut veſperæ ſabbati ad eam pertinentis nullam rationem in eis faciendis habent.

*4 Cum impoſitione libri euangeliorum ſuper caput eius, qui ordinatur epiſcopus, comprehenſa eſt hic impoſitio manuum epiſcoporum ordinantium. manus enim epiſcoporum ſimul imponuntur, cùm eorum manibus liber euangeliorum apertus imponitur. Confeſſioniſtæ manus impoſitionem in ſacramento ordinationis retinendam eſſe confitentur, quia in ſcriptura legunt: impoſitionem verò libri euangeliorum negant, quia non legunt. eſſe tamen à S. Apoſtolis ſine ſcripto traditam, teſtis eſt Apoſtolica doctr. à Clemente Rom. ſcripta, & Dionyſ. Areop. teſtis item conſuetudo omnium eccleſiarum orientalium, & occidentalium, quæ aliunde, quàm ex apoſtolica traditione proficiſci non potuit. quam quidem cęrimoniam retinendam eſſe ab omnibus catholicis vel teſtimonio ipſorum Confeſſioniſtarum conuincitur. Sic enim quidam ex eis Andreas Freyub Lypſicę Academię Theologus c. 18. diſputationis ſuæ de iure vocandi & ordinandi miniſtros eccleſiæ, de impoſitione manus in ordinatione ſcripſit, quam retinẽdam eſſe affirmat: quòd ſi aliud, inquit, nihil in ea cærimonia eſſet, ſignificatio certè eſt illuſtris, & commonefactio vtilis ad eos qui miniſterio eccleſiæ præficiuntur. Nam ſicut victima per manuum impoſitionem Deo dedicabatur, ita ſciat miniſter eccleſiæ, ſe non amplius ſui iuris eſſe, ſed iam eſſe dicatum Deo, & ad hoc obligari, vt ſit ſanctus: retineat puritatem doctrinæ euangelicæ: rectè adminiſtret ſacramenta, & ſuo exemplo alios homines ad puritatem, & honeſtatem vitæ inſtruat & inuitet; quemadmodum etiam victimæ mactari, & cremari ſolebant: ita ſciat miniſter euangelij propter profeſſionem, confeſſionemque doctrinæ cæleſtis multa pericula ſubeunda, & multas ærumnas ſuſtinendas eſſe, iuxta dictum, propter te mortificamur tota die. bene hactenus Andreas iſte prophetauit. vtinam ſic reliqua diſputationis ſuæ, quæ ſunt à me non ita diu duobus libris confutata. ad eundem ergo modum nobis aduerſus Confeſſioniſtas huius Confeſſioniſtæ verbis dicendum eſt, vt ſuo eos gladio tranſuerberemus, ſi aliud nihil eſſet in cærimonia impoſitionis libri euangeliorum, ſignificatio certè eſt illuſtris, & commonefactio vtilis ad epiſcopos, qui eccleſiis præficiuntur. Significat enim, vt diuinus Dionyſ. in eccl. hier. interpretatur, non ſolum cogniturum eſſe epiſcopum diuina omnia Domini Ieſu tum facta, tum dicta, quæ in euangeliis continentur, ſed alios etiam eadem docturum ſecundum gratiam, quæ vnicuique data eſt ſecundum menſuram donationis eius. in eandem ſententiam interpretatus eſt Simeon Archiepiſcopus Theſſal. lib. 8. de myſteriis eccleſiæ; qui quidem ritus, & cærimonia in eccleſia Theſſalonicenſium aliunde quàm à beato Paulo deriuari non potuit, qui duas epiſtolas ad eoſdem Theſſalonicenſes ſcripſit, & in altera earum, tenete, inquit, traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Deinde cùm Andreas iſte Confeſſioniſta c. 17. diſputationis ſuæ ore ſuo cõfiteatur, impoſitionem manus ritè, & in timore Dei peractam, ſic enim ait, habere ſingularem quandam vim & efficaciam non per ſe, ſed propter promiſſionem Dei, qui ſe perpetuò ſuæ eccleſiæ affuturum promiſit, quid obſtare poteſt, aut debet, quo minus idem de impoſitione libri euangeliorum ipſe, & reliqui Confeſſioniſtæ cum eo confiteantur? De chriſmate autem, quo caput epiſcopi in eccleſiis occidentis vngitur, etſi meminit Clemens in epiſt. 3. quam cum reliquis epiſtolis ſcripſit, ſicut & S. quoque Anacletus presbyter à beato Petro ordinatus in epiſt. 2. meminit, non meminit tamen in hac Apoſtolica conſtitutione, ſicut neque Dionyſ. quia ſciebant non eſſe traditum hunc ritum eccleſiis orientis: non enim quæcunque S. Apoſtoli tradiderunt, in commune vniuerſis tradiderunt, ſed vt eis viſum eſt, aliis aliud, & aliter conuenire. Vnde neque Græci hodie chriſma ſenſibile ad ordinationem presbyterorum, nec epiſcoporum adhibent, ſed cùm presbyter ordinatur, tradit ei epiſcopus in manus ſacram Euchariſtiã, inquiens Græcè, accipe hoc depoſitum, & cuſtodi eum vſque ad aduentum Domini: quando repoſcet eum à te. is verò, qui ordinatus eſt, tenens eam manibus ante altare capite ſuper manus inclinato, precationem pro ſe, & pro ordinatore, ac pro omnibus clericis, & laicis, viuis, & defunctis facit. hic ritus tenendi ſic Chriſtum manibus, eſt in eccleſia orientali ei qui ordinatur, verum chriſma. ſic enim ait ille auctor Theſſalonicẽſis, ὁ κατεχόμενος Ἰησοῦς Χριστὸς οὗτος χρίσμα αὐτῷ καὶ ταῖς χερσὶ, καὶ τῇ κεφαλῇ. rectè hactenus. illud verò malè, quòd hunc ritum eccleſiarum occidentis nõ probat iſte auctor, quia non eſt orientalibus traditus: ſed longè peius Proteſtantes, qui non ſolum chriſma in ordinationibus presbyterorum, & epiſcoporum maioribus ſuis traditum, & ab eis ſemper tanquam depoſitum fideliter cuſtoditum repudiarunt, ſed ipſas ordinationes totas penitus abiecerunt, & baptizatos etiam ſacramento chriſmatis ſiue confirmationis ſacrilegè nudarunt & ſpoliauerunt. in eccleſia igitur orientis traditur in manus epiſcopi, qui ordinatur, ſancta Euchariſtia pro vnctione chriſmatis, in occidente vngitur epiſcopus, cùm ordinatur: hoc noſtræ eccleſiæ traditum eſt, illud illi citra inuidiam; ſicut ſcriptum eſt, ſiue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.

Cap. v. Imploratio in ordinatione epiſcoporum, & Miſſæ celebratio.

*Here, Domine, Deus omnipotens, qui ſolus es ingenitus, & non ſubiectus vllius regis imperio: qui ſemper es, & ante ſæcula exiſtis: qui omnibus ſufficis, qui nullam tui cauſſam, neque ortum habere potes: qui ſolus es verus, & ſapiens: qui ſolus altiſſimus: qui natura es inaſpectabilis: cuius cognitio non habet vllam originem: qui ſolus es bonus, & cum nemine conferri potes: qui omnia noſti antequam fierent: cui ſunt cognita occulta; ad quem accedi non poteſt: qui non potes habere Dominum; Deus, & pater vnigeniti filij tui Dei, & Saluatoris noſtri, effector omnium per ipſum, prouidens, & procurator, pater miſerationum, & Deus totius conſolationis, qui in altis habitas, & humilia reſpicis: qui dediſti*



**1 leges eccleſiæ per aduentum Chriſti filij tui in carne, teſtante Paracleto per Apoſtolos tuos, & per nos, qui gratia tua adſumus epiſcopi; qui à principio ſacerdotes prouidiſti, qui populo tuo præeſſent; in primis Abel, Seth, Enos, & Enoch, Noë, Melchiſedech, & Iob: qui declaraſti Abraham, & reliquos patriarchas cum fidelibus famulis Moyſe, & Aarón, Eleazaro, & Phinee: qui ex ipſis creaſti principes, & ſacerdotes ad tabernaculum teſtimonij; qui elegiſti Samuelem, vt eſſet ſacerdos, & propheta: qui ſanctuarium tuum non reliquiſti ſine miniſterio, cui beneplacitum eſt in iis, quos elegiſti ad te glorificandum, ipſe etiam nunc, mediatore Chriſto tuo per nos effunde virtutem tui ſpiritus ductoris, qui miniſtratur dilecto filio tuo Ieſu Chriſto, quem donauit te volente idem Chriſtus ſanctus Apoſtolis tuis, qui es æternus Deus. Da in nomine tuo cognitor cordis Deus huic famulo tuo, quem ad epiſcopatum elegiſti, da, inquam, vt paſcat ſanctum gregem tuum, & vt pontificatu tibi fungatur ſanctè, & ſine reprehenſione miniſtrans die & nocte: & vt efficiendo propitium vultum tuum, congreget numerum eorum qui ſalui fiunt, & offerat tibi dona eccleſiæ tuæ ſanctæ. Da ipſi Domine omnipotens per Chriſtum tuum participationem ſpiritus ſancti, vt habeat poteſtatem remittendi peccata ſecundum mandatum tuum; item dandi *2 cleros, id eſt, † ſortes, vt tu iuſſiſti, ac ſoluendi omne vinculum ſecundum poteſtatem, quam Apoſtolis dediſti, placendique tibi in manſuetudine, & corde mundo, offerendo tibi ſine culpa ſemper, & ſine crimine *3 ſacrificium mundum, & incruentum, quod per Chriſtum conſtituiſti myſterium noui teſtamẽti in odorem ſuauitatis per ſanctum filium tuum Ieſum Chriſtum Deum, & Saluatorem noſtrum: per quem tibi gloria, honor & veneratio in ſancto ſpiritu nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Poſtquàm ſic epiſcopus precatus eſt illi,*

*1 Ecce Apoſtolica doctr. quæ canones Apoſtolicos diuinos eſſe teſtatur, hi enim ſunt leges eccleſiæ, quas tranſire non licet tanquã terminos quoſdã à Domino præſcriptos, ac definitos, vnde ὅρους vocat, ad quos omnia dirigẽda ſunt, vt omnia in eccleſia honeſtè, & ſecundum ordinem fiãt. hos Chriſtus per S. Apoſtolos tradidit miſſo ſpiritu ſancto tanquam teſte de cęlo, qui eos docuit omnem veritatem: & ſuggeſſit eis omnia ſecundum promiſſionẽ Domini. neque ſolũ quas per Apoſtolos ſuos leges Chriſtus eccleſiæ dedit, eccleſiaſticæ leges ſunt, ſed etiam quas per illorum ſucceſſores epiſcopos in nomine eius cõgregatos deinceps diuerſis temporibus dedit; & cum opus eſt vſque in hodiernum diem dat; & vſque ad cõſummationẽ ſæculi daturus eſt. Coarguit igitur hæc Apoſtolica doctr. doctrinam Proteſtantium, quam vnus ex eis Henricus Bullingerus in ſua hæretica Antitheſi proponit cap. 13. de eccleſia Chriſti, & miniſtris eius: Sic enim ait, pertinet ad magiſtratus Chriſtianos cura religionis à Deo, vt cum miniſtris eccleſiæ, & plebe Chriſtiana poſſint miniſtros vocare, ſynodos conuocare, & ſiniſtrè ſuo fungentes munere vel deponere vel punire. & cap. 14. Magiſtratus, inquit, ſtudeat ſumma fide, & diligentia diſciplinam Chriſtianam traditam conſeruare in eccleſia Chriſti; & è medio tollere ſcandala, & inobedientes redigere in ordinem: & cap. 15. magiſtratus, inquit, Chriſtiani eſt diſpenſare bona eccleſiaſtica per œconomos idoneos, quales requirit verbum Dei &c. omnia iſta hæc Apoſt. doctr. falſa, & hæretica eſſe planè conuincit, cùm ait, leges eccleſiaſticas, quibus ad omnia iſta, quæ magiſtratus Proteſtantium ſibi ſumunt, vtendum eſt, à Chriſto per S. Apoſtolos, & per eorum ſucceſſores epiſcopos datas eſſe, & cùm opus eſt, dari. ad eos igitur pertinet huiuſmodi legibus præeſſe, & eis vti ad gubernationem eccleſiæ, & rerum eccleſiaſticarum, & ad paſcendum greges ſuos.

*2 En Apoſtolica doctrina teſtis, non habere Proteſtantes & Confeſſioniſtas vllos miniſtros eccleſiæ, nec illa ſacramenta, quæ neceſſariò à miniſtris eccleſiæ miniſtranda ſunt; nec habere poſſe, priuſquam habeant epiſcopos ſecundum Apoſtolicam doctrinam ordinatos, vt eccleſiæ catholicorum habent; nec ipſos miniſtros ſuos, quos vocant, habere poſſe eccleſias ad miniſtrandum in eis, quod eſt habere ſortem miniſterij. Epiſcopi enim eſt dare cleros iis ſcilicet, quos Deus per miniſterium eius ordinat; vt quibus non dederit cleros, clerici non poſſint dici, quia non ſunt; nec ordinari miniſtri eccleſiæ. Reliqua quæ ad huius loci explanationem pertinent, in explanationes obſcuriorum locorum reiecta ſunt.

*3 Ecce Apoſtolicæ doctrinæ teſtimonium in Confeſſioniſtas, & ſectarum inuentores, qui myſterium ſanctæ Euchariſtiæ, quod ſacerdos ad altare in Miſſa celebrat, & peragit, ſacrificium eſſe negant, cùm clarè dicat Apoſtolica doctr. offerri ſacrificium mundum, & incruentum, idque eſſe myſterium noui teſtamenti, quod Chriſtus conſtituit. Satis igitur hoc loco Illyricus redarguitur, cùm in defenſione Antuerp. Confeſſ. cap. 15. ait, euangeliſtas ſua recitatione oblationem euidentiſſimè excludere. quando enim, inquit, ſacrificaſſet Dominus? num ante dicta verba, hoc eſt corpus meum, an poſtea? poſt illa panem offerre non potuit, quia ea dixit iam dando Apoſtolis panẽ, vt eum amplius ſacrificare non quiuerit; ſcriptum eſt enim, dedit dicens, id eſt, inter dandum, aut diſtribuendum dixit illa conſecrationis verba. quod ſi antea obtulit, tunc vel nõ conſecratũ obtulit, vel antea altera vice, aliiſq; verbis conſecrauerat. hactenus cæcũ dilẽma cæci diſputatoris. Reſpondemus obtuliſſe non ante verba, neque poſt verba, ſed ſimul conſecrando obtuliſſe: vt Apoſtolica doctrina hoc loco docet. poſtquàm enim dixit, offerri ſacrificium mundum, & incruentum, vt doceret, quando fieret eiuſmodi ſacrificium ante verba, an poſt verba, ſubiungit, quod per Chriſtum conſtituiſti myſterium noui teſtamenti. at myſterium noui teſtamenti his verbis conficitur, hoc eſt corpus meum. ſimul igitur conficiendo myſterium, ſacrificatur. eandem Apoſtolicam doctrinam tenent, & profitẽtur eccleſiæ Orientis, vt ex libro Simeonis archiepiſcopi Theſſalon. De myſteriis eccleſiæ c. 23. perſpici poteſt. Quærit enim πότε τὰ δῶρα θύεται πρὸ τοῦ ἁγιασθῆναι, ἢ μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι. Quęrit, inquã, quãdo hęc dona, ſiue munera ſacrificẽtur: ante cõſecrationẽ, an poſt conſecrationem? Reſpondet, οὔτε πρὸ τοῦ ἁγιασθῆναι τελεῖται· οὔτε μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι, ἀλλ' ἐν αὐτῷ τῷ ἁγιάζεσθαι, id eſt, nec ante conſecrationem; neq; poſt conſecrationem, ſed in ipſa conſecratione; τότε γὰρ μεταβάλλει ἀπὸ τοῦ ἄρτου μὴ ἐσφαγμένου εἰς τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ τὸ σφαγὲν ἀληθῶς, id eſt, tũc enim fit mutatio ex pane nõ mactato in corpus Domini, quod verè fuit mactatum: ſicut ſacrificium, inquit, ouis tuc fit, cũ in oue fit mutatio ex nõ mactata in mactatã. Coarguit præterea hic locus illud, quod idẽ Illyricus ibidem ait, cùm negat locũ Malachiæ de offerendo vbiq; ſacrificio mundo, intelligendũ eſſe de hoc ſacrificio noſtræ Miſſæ. Apoſtolica enim doctrina ad locũ Malachiæ planè reſpexit, cùm dixit, offerri ſacrificium mundum, & incruentum, quod Deus per Chriſtum conſtituit myſterium noui teſtamenti. Deinde ne concedat Illyricus obtuliſſe Chriſtum corpus ſuum ſub ſpecie panis, & vini ſecundum ordinẽ Melchiſedech, negat obtuliſſe Melchiſedech: nec id vllo modo probari poſſe affirmat, ſed tantùm, inquit, loquitur locus Geneſis de pane Abrahæ, & militibus exhibito. at ſi ita eſt, quorſum locus Geneſis poſtquàm dixit, at verò Melchiſedech rex Salem proferens panem, & vinum, ſubiungit, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi? ergo tanquam ſacerdos, & non tanquam rex protulit panem, & vinum, ſcilicet offerendo illa prius Deo, vt ſic oblata in gratiarum actionem Deo pro victoria Abrahæ, eadem daret eidem Abrahæ, & militibus in vſum ad veſcendum, hoc enim erat proprium ſacerdotis, proferre ſcilicet panem illum & vinum in oblationem Deo. Siquidem proferre non ſic, commune erat non ſolum regis, ſed cuiuſcunque habentis panem, & vinum.

*illi, reſpondeant reliqui ſacerdotes, Amen, & omnis populus cum eis; & poſt preces vnus ex epiſcopis offerat hoſtiam in manus ordinati, & mane in ſolio ſuo à reliquis epiſcopis collocetur cunctis eum in Domino oſculantibus, ac poſt *4 lectionem legis, & prophetarum, & epiſtolarum noſtrarum, & actorum, atque euangeliorum, ſalutet eccleſiam ordinatus, dicens, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei patris, & communicatio ſpiritus ſancti cum omnibus vobis; & omnes reſpondeant, Et cum ſpiritu tuo: & poſt ſalutationem alloquantur populum ſermone hortatorio. Quo ſermone habito ad docendum, ſtatuo ego *5 Andreas frater Petri, vt cunctis conſurgentibus, edicat diaconus ex loco alto, ne quis adſit audientium, ne quis infidelium. Et ſilentio facto, dicat, Orate catechumeni. Et omnes fideles attentè pro ipſis orent dicentes, Kyrie eleiſon. Miniſtret verò pro eis diaconus dicens:*

ad tribuēdum aliis. nec opus erat dicere hac ratione, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi. in quo quidē planè ſignificabat, feciſſe aliquid Melchiſedec proferēdo panem, & vinum Abrahæ, & militibus, quod Melchiſedec tanquam ſacerdoti cōueniebat, id eſt, offerre Deo. nō enim dixit, proferens panem, & vinū Abrahæ, benedixit ei, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi, ne exiſtimaremus hoc ſolum feciſſe Melchiſedec, vt ſacerdos erat, id eſt, benedixiſſe, ſacerdotis enim eſt benedicere, non ſic, inquam, dixit, ſed proferens panem, & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi; vt non de communi modo, & vulgari ratione proferendi panem, & vinum intelligeretur, ſed de ratione proferendi propria ſacerdotis, proferendi, inquam, in oblationem, & ſacrificium Deo; vt ſic ex oblatis Deo in gratiarum actionem ederent. Quærit præterea Illyricus acerrimus ſacrificij hoſtis, quare Apoſtolus cùm de Melchiſedec tractat, nullam penitus mentionem ſacrificij eius facit: etenim quia non fecit, putat Illyricus nō feciſſe ſacrificium Domino ex pane, & vino, ſicut ſcriptura Geneſis dicit, feciſſe Cain ſacrificium Domino ex fructibus terræ, ſic enim eſt apud 70. ratio igitur fuit, ne ſuſpicaremur, in cœna tantùm ſacrificaſſe Chriſtum ſecundum ordinem Melchiſedec, ſi de ſacrificio Melchiſedec ex pane, & vino meminiſſet. Deinde, quia Hebræi, ad quos ſcribebat, de ſacrificio Melchiſedec ex pane ac vino non ignorabant, neque dubitabant, cùm apertè legerent protuliſſe panem, & vinum Abrahæ, quia erat ſacerdos Dei altiſſimi; ex quo planè intelligebant eo modo protuliſſe, quo erat proprium ſacerdotis proferre, nempe offerendo. alia præterea cauſſa fuit, & quidem potiſſima, quod docendo de ſacrificio Chriſti cruento in cruce ſecundum ordinem Melchiſedec, quatenus in cruce alioqui mortuus, manſit ſacerdos in æternum ſecundum virtutem vitæ inſolubilis ad ſimilitudinem Melchiſedec, qui ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, nec initium dierum, neque finem habens, aſſimilatus filio Dei manet ſacerdos in perpetuum, docendo, inquam, de illo ſacrificio Chriſti cruento ſecundum ordinem Melchiſedec, ſimul docebat de ſacrificio etiam eiuſdem Chriſti incruento ſub ſpecie panis, & vini ſecundum ordinem Melchiſedec; quia ſicut in cruce tunc factum eſt ſacrificium, cùm facta eſt mutatio ex non mactato in mactatum, ſic etiam ſacrificium incruentum fit, cùm ex pane fit, per conſecrationem mutatio in idem corpus Chriſti, quod in cruce mactatum eſt; fit inquam mutatio ſub ſpecie panis, & vini ad ſimilitudinem ſacrificij Melchiſedec ex pane, & vino; panis enim myſticus, & vinum myſticum ſpeciem habent ſimilem panis, & vini, quæ Melchiſedec obtulit in typū ſacrificij myſtici ſacræ Euchariſtiæ. vna ergo eſt & eadem victima; ſiue hoſtia cruenta in cruce, & incruenta in altari; ratio enim cruenti, & incruenti non variat victimā, ſed ipſam oblationem, ſiue ſacrificium victimæ. illud enim fuit cruentum, hoc eſt incruentum. Poſtremò eludit Illyricus locum 1. Cor. c. 10. non poteſtis fieri participes menſæ dæmoniorum, & menſæ Domini, & elabi ſe putat, quia non dixit Apoſtolus participes altaris, ſed menſæ: cum riſu ergo dicit, ex lignea menſa altare à nobis extrui. cum tamen redarguit clariùs adhuc idem Apoſt. qui quam vocat hic menſam Domini, in epiſt. ad Heb. c. 13. vocat altare, cùm ait, habemus altare, de quo edere non licet iis, qui tabernaculo deſeruiunt. reſpondeat igitur Illyricus, quòd altare dicat hoc loco Apoſtolus? aut cur altare, de quo editur, non poſſit dici menſa?

*4 Ecce Apoſt. doctr. teſtimonium contra blaſphemiam Antuerp. Confeſſ. & patroni eius Illyrici, tradit enim inuentum humanum eſſe Miſſam, & in ea nihil Chriſto relinqui præter verba communionis; ſic enim loquitur c. 15. ſuæ apologiæ. At Apoſt. doctr. lectionem ſcripturæ, quam Dionyſius vocat in Miſſæ deſcriptione ἱερολογίαν, ad Miſſam adhiberi teſtatur, ſicut & Dionyſ. lectio autem ſcripturæ non eſt inuentum humanum, neque conſtitutio ipſa, vt lectio ſcripturæ ad Miſſam adhibeatur, humana eſt, ſed per ſpiritum Dei à S. Apoſtolis tradita. Qui verò modus ſit adhibendi lectionem ſcripturæ, cuius, inquam, partis ſcripturæ, quibus temporibus, & quantum, & alia huiuſmodi à ſynodis, & epiſcopis S. Apoſtoli diſponi & conſtitui poſtea voluerunt; vt iam in his, quæ huiuſmodi ſunt, varietas Miſſam non faciat variam, hoc ipſum de lectione ſcripturæ ad Miſſam ſecundum Apoſtolicam traditionem adhibenda eſt quoque in libro 2. c. 54. ſic enim ait Apoſt. doct. loquens de Miſſa: Cùm vobis epiſcopi ad orationem eundum eſt, poſt lectionem, & cantum pſalmorum, & poſt doctrinam de ſcripturis, edicat diaconus, qui propè vos eſt, alta voce, nequis contra aliquem, nequis in hypocriſi; hoc edicit diaconus, nequid inimicitiæ, aut ſimultatis, vel ſimulationis impediat aliquem, quominus ſacræ oblationis, & communionis in Miſſa celebrandæ particeps efficiatur, vt fiat quod Dominus dixit, ſi offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo; & tunc veniens, offeres munus tuum: quem locum ſatis Apoſt. doctr. interpretatur, de ſacrificio Miſſæ Dominum intellexiſſe, quod munus quoque vocat eadem doctr. Apoſt. poſtquàm dixit per diaconum c. 12. illa ipſa verba in Miſſa, quam deſcribit, cùm epiſcopus ordinatur, nequis contra aliquem, nequis cum hypocriſi, ſubiungit, his peractis adhibeant diaconi munera ad altare, qui autem adſunt ad audiendum Miſſam, omnes dicuntur offerre per ſacerdotem miniſtrum altaris, qui pro eis offert miniſterium cultus ſui, ſic enim ait ſacerdos, memento Domine famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe, ſuiſque omnibus pro redemptione animarum ſuarum: Chriſtus autem ſeipſum offert patri per miniſterium ſacerdotis. Adhibentur præterea ad Miſſam ſecundum traditionem Apoſtolicæ conſtitutionis orationes pro omnibus hominibus, quarum forma, & exemplum toto capite decimo huius libri 8. continetur. cuiuſmodi orationes cernuntur in Miſſis beati Iacobi in eccleſia Hieroſolymitana; beati Petri in Romana, & occidentali; ſancti Marci in Alexandrina, quæ adhuc extat; S. Baſilij, & beati Chryſoſtomi in orientali: non eſt igitur humanum inuentum Miſſa, ita, vt præter verba communionis nihil Chriſto relinquatur, vt ait Illyricus cum ſua bella amica Antuerpienſi Confeſſione; ſiquidem adhibere orationes pro omnibus hominibus in Miſſa, S. Apoſtoli per ſpiritum Dei conſtituerunt. illud etiam addendum eſt, huiuſmodi orationes pro omnibus hominibus, quæ ſecundum Apoſtolicam traditionem in Miſſa fiunt, interpretes eſſe, locum Pauli ad Timoth. ad Miſſam pertinere cùm ait, obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Sic quoque intellexit beatus Auguſt. in epiſtola ad Paulinum 1 1 x. Vnde Apoſtolica doctrina Miſſam quoque vocat aliquando orationem, vt lib. 2. ca. 54. vbi ait, cùm vobis epiſcopi eundum eſt ad orationem, poſt lectionem, & cantum pſalmorum, & doctrinam de ſcripturis, concionem ſignificat, quæ inter Miſſam, aut abſoluta Miſſa haberi ſolet.

*5 Quia Andreas Simonem fratrem ad Ieſum primum adduxit tanquam catechumenum, vt eius fieret diſcipulus, & idem Andreas à Philippo admonitus nunciauit Domino de illis gentilibus, qui aſcenderant vt in die feſto adorarent, qui volebant videre Ieſum, idcirco Clementi, qui more dialogi in conſtitutionibus Apoſtolicis tradendis perſonas ipſorū Apoſtolorum interdum facere ſolet, viſum eſt aptè cadere in Andream, ſi eius perſona induceretur ad ſtatuendum de eiiciendis ex eccleſia poſt auditum verbum Dei, iis ſcilicet primum, qui à vita Chriſtiana diſceſſerunt, quos vocat Apoſt. doctr. audientes, quia tantùm licebat audire verbum, quos Dionyſ. vocat ἱερᾶς ἀπεγάντως ζωῆς, quos primùm ait eiiciendos eſſe, vt omnium deterrimos, deinde infidelibus, poſtea catechumenis, tum energumenis, poſt hos iis, qui in pœnitentia ſunt. qui omnes quandam habent inter ſe ſimilitudinem alij aliis deteriores, vnde ratio eos honeſtè, & ſecundum ordinem eiiciendi exiſtit, vt diuinus Dionyſ. docet.

*OMNES*



CAP. VI. Denūciatio obſecrationis pro catechumenis in celebratione diuinæ Miſſæ.

OMNES *pro catechumenis Deum obſecremus, vt bonus, & ſingulari in homines charitate Deus, beneuolè eorum preces & obſecrationes exaudiat: & eorum ſupplicatione ſuſcepta, eis auxilietur, eiſdemque poſtulata cordium commodo eorum tribuat; vt patefaciat eis euangelium Chriſti ſui; illuminet eos, & intelligentes faciat; erudiat eos Dei cognitione, & doceat mandata ſua, et iuſtificationes; inſeratque eis ſuum caſtum, & ſalutarem timorem; ac aperiat aures cordis eorum, vt die, ac nocte in lege eius demorentur; confirmet eos in pietate; adiungat, & adnumeret eos ſuo ſancto gregi donans eos regenerationis lauacro, & indumento immortalitatis veræ vitæ; liberet verò eos ab omni impietate; & ne det locum alieno ſpiritui contra eos; & repurget, deterſa omni inquinamento carnis, & ſpiritus: habitetque in eis, & deambulet per Chriſtum ſuum, introitus, & exitus benedictione proſequatur: atque propoſita eis dirigat ad vtilitatem. Adhuc intentis mentibus pro eis ſupplicemus, vt adepti per baptiſmum veniam peccatorum, habeantur digni ſanctis myſteriis Euchariſtiæ, et cum ſanctis commorari, ac permanere. Surgite catechumeni, petite pacem Dei per Chriſtum eius, ac diem quietum, & à peccato vacuum, immò omne tempus vitæ veſtræ petite vt vitam Chriſtianè finiatis; vt propitius & beneuolus ſit vobis Deus; & vt peccata remittat. Commendate vos ſoli ingenito Deo per Chriſtum eius, inclinate, et accipite benedictionem. In ſingulis horum, quæ diaconus dicit, vt antè diximus, reſpondeat populus, Kyrie eleiſon, & ante omnes reſpondeant pueri; & inclinantibus eis capita, benedicat epiſcopus ordinatus huiuſmodi benedictione: Deus omnipotens, qui es ingenitus, inacceſſus, ſolus verus Deus, Deus & pater Chriſti tui, vnigeniti filij tui, Deus † paracleti, et vniuerſorum dominus, qui diſcipulos præfeciſti magiſtros per Chriſtum ad docendam pietatem in Deum, ipſe etiamnunc aſpice in famulos tuos catechumenos in euangelio Chriſti tui, & tribue eis cor nouum & ſpiritum rectum innoua in viſceribus eorum ad cognoſcendam, & faciendam voluntatem tuam in corde pleno, & anima volente; dignare eos ſancto baptiſmo, & coniunge eos cum ſancta tua eccleſia, & fac participes ſanctorum myſteriorum per Chriſtum Ieſum ſpem noſtram, qui pro eis mortuus eſt, per quem tibi gloria, & veneratio in ſancto ſpiritu in ſæcula, Amen. Et poſtea dicat diaconus, exite catechumeni in pace. & poſtquam exierint, dicat, Energumeni, quos ſpiritus immundi agunt, adhibete cuncti preces Deo. intentè pro eis precemur, vt ſumma in homines charitate Deus increpet per Chriſtum immundos, & malos ſpiritus, qui increpauit legionem dæmonum, & diabolum principium peccati, increpet ipſe, & nunc apoſtatas pietatis in Deum; eripiatque quos ipſe condidit, ab illius actu, & repurget eos, quos magna cum ſapientia effecit. Deprecemur adhuc intentè pro ipſis, libera, & ſuſcita eos Deus tua potentia; inclinate energumeni, & accipite benedictionem. & epiſcopus precetur illis dicens:*

CAP. VII. Obſecratio pro energumenis.

QVI *fortem ligaſti, & omnia vaſa eius diripuiſti, qui dediſti nobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, et ſuper omnem poteſtatem inimici, qui dediſti nobis homicidam ſerpentem vinculis conſtrictum, ſicut paſſerem pueris, quem omnia horreſcunt, & contremiſcunt à facie potentiæ tuæ, qui ipſum è cælo in terram inſtar fulguris erumpere feciſti non eruptione ad † locum pertinente, ſed honoris in dedecus mutatione, idque propter † voluntariam mentis malitiam, cuius aſpectus exiccat abyſſos, & minæ liquefaciunt montes, & veritas manet in ſæculum, quem laudant pueri infantes, & benedicunt lactentes: quem hymnis celebrant, & adorant angeli: Qui aſpicis in terram, & facis eam tremere. Qui tangis montes, & fumant. Qui minaris mari, & arefacis ipſum, & omnes fluuios eius deuaſtas. Cuius nubes puluis pedum. Qui ambulas ſuper mare tanquam ſuper*



*paumen-*

*pauimentum, Unigenite Deus, magni patris fili, increpa malos ſpiritus, & eripe opera manuum tuarum ex actu alieni ſpiritus: Quoniam tibi gloria, & honor, & veneratio, & per te patri tuo in ſancto ſpiritu, Amen. & dicat Diaconus, Exite energumeni. ac poſt egreſſum eorum dicat, Orate, qui baptiſmum petitis. omnes fideles intentè pro eis oremus, vt Dominus faciat eos dignos, vt baptizati in mortem Chriſti, cum ipſo reſurgant, regnique eius conſortes, ac myſteriorum eius participes fiant; vt vniat, & connumeret eos cum iis, qui ſalui fiunt in eccleſia eius ſancta. Saluos fac, & reſuſcita eos in gratia tua. deinde poſtquàm ſe ſignauerint in nomine Dei patris per Chriſtum eius, ſeque inclinauerint, accipiant ab epiſcopo benedictionem.*

CAP. VIII. Obſecratio pro baptiſmum petentibus.

QVI *per tuos ſanctos prophetas illud prædixiſti iis, qui myſterio baptiſmi initiantur, lauamini, & mundi eſtote, & ſanxiſti per Chriſtum ſpiritualem regenerationem, & nunc ipſe aſpice in eos, qui baptiſmum petunt, & benedic eis, et ſanctifica, ac præpara, vt ſpirituali dono tuo, & vera adoptione, myſteriiſque tuis ſpiritualibus digni fiant, & vt cum iis, qui ſalui fiunt, congregentur per Chriſtum Saluatorem noſtrum: Per quem tibi honor & gloria, & cultus in ſancto ſpiritu in ſæcula, Amen. Et dicat Diaconus, Exite qui † illuminamini. Et poſtea dicat, Precamini intētè, qui in pœnitētia eſtis. Omnes pro fratribus, qui in pœnitētia ſunt, preces adhibeamus, vt miſericors Deus oſtendat eis viã pœnitentiæ; approbet eorum* *1 *palinodiam, & confeſſionem, & conterat citò Satanam ſub pedibus eorum, ac liberet eos à laqueo diaboli, & à violenta aggreſſione dæmonum; eripiatque eos ex omni ſermone illicito, & ex omni abſurda actione, ac praua cogitatione, remittatq; eis omnia delicta eorum tum voluntaria, tum non voluntaria, & deleat chirographum aduerſus eos ſcriptum, & aſcribat in libro vitæ; mundet verò ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, atque vniat eos reſtituens in ſanctum ouile ſuum. Quoniam ipſe cognoſcit formationem naturæ noſtræ. Quis enim gloriabitur mundum ſe habere cor? aut quis audebit dicere ſe eſſe à peccato mundum? omnes enim pœnas debemus. Deprecemur adhuc intentiùs pro eis, quoniam gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: Deprecemur, inquam, vt auerſi ab omni opere illicito, applicent ſe ad omne opus bonum; vt qui eſt ſumma in homines charitate Deus ſupplicationibus eorum quàmceleerrimè benignè exauditis, reſtituat exultationem ſalutaris, & ſpiritu principali eos confirmet, ne amplius fluctuent; quin fiant ſocij, & conſortes ſanctorum eius, diuinorumque myſteriorum participes; vt cùm reperti fuerint digni adoptione filiorum, ſempiternam vitam adipiſcantur. Adhuc intentè omnes pro ipſis dicamus, Kyrie eleiſon. Salua eos Deus, & miſericordia tua ſuſcita. Qui ſuſcitati eſtis Deo per Chriſtum eius inclinate, & accipite benedictionem. Precetur igitur epiſcopus in hunc modum:*

*1 En Apoſtolica doctr. quæ palinodiam, & confeſſionem omnium quæ peccauimus; ſiue occulta ſint, vt cogitationes, ſiue nō, quoad meminiſſe poſſumus; ſancit. idcirco enim poſtquàm docuit precādum eſſe Deum, vt approbet palinodiã confitentis peccata, docet cuiuſmodi palinodia, & quorũ peccatorum fieri debeat ſigillatim, nempè peccatorum oris, cogitationis, actionis, ſuggeſtionis, voluntariorum, & non voluntariorum, quę ſi non ſunt ſigillatim per ſingulas ſpecies confitēda miniſtro Chriſti, quorſum ſpectat verbũ palinodiæ? palinodia enim eſt, & dicitur, cùm dicimus contraria eorum, quæ prius diximus; confiteri autem ſe peccatorem coram Deo, & miniſtro eius, & Deum offendiſſe grauiter in omnibus, vt magiſtri Confeſſioniſtarum in ſuis catechiſmis tradunt ſufficere ad petendum remiſſionem, & abſolutionem à miniſtro, non eſt palinodia, quia nemo iſtorum dicebat ſe prius, non eſſe peccatorem, & non offendiſſe Deum in multis. in multis enim offendimus omnes, ait beatus Iacobus, & B. Ioan. Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeduimus, & veritas non eſt in nobis. immò etſi nihil ſibi conſcij ſint ſancti, dicunt, vt illi tres pueri Babylone, peccauimus, & iniquè egimus recedentes à te; & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audiuimus. ergo vt palinodia in confeſſione fiat, neceſſe eſt peccata ſigillatim confiteri, & proprio ore damnare, quæ prius diſſimulabamus, & reticendo quodammodo approbabamus.

CAP. IX. Pro iis, qui ſunt in pœnitentia precatio, & manus impoſitio.

OMNIPOTENS *Deus æterne, Domine vniuerſi, conditor & moderator omnium: Qui hominem mundi ornamentum per Chriſtum feciſti, & legem ei* *1 *naturalem, & ſcriptam, vt tanquam animal rationis particeps rectè viueret, dediſti; item dediſti, vt poſt peccatum cōmiſſum bonitas tua pœnitētiam ei ſuggereret, reſpice eos, qui tibi ceruicem animæ, & corporis inclinarunt; quia non vis mortem peccatoris, ſed pœnitentiam, vt auertat à via ſua praua, & viuat: Qui Niniuitarum* *2 *pœnitentiam acceptam habuiſti: Qui vis omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Qui illum filium, qui patrimonium luxurioſè abligurierat, paternis viſceribus propter pœnitentiam amplexus es: & nunc ipſe accipe tuorum ſupplicum pœnitentiam, quia non eſt, qui non peccet tibi; & ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? quoniam apud te eſt propitiatio. & reſtitue illos eccleſiæ tuæ in priorem dignitatem, et honorem per Chriſtum Deum, & Saluatorem noſtrum, per quem tibi gloria, & adoratio in ſancto ſpiritu in ſæcula, Amen. Et dicat diaconus,* *3 *Exite, qui in pœnitentia eſtis, & adiiciat: Nemo eorum, quibus non licet, exeat. Omnes fideles flectamus genu, oremus Deum per Chriſtum eius. omnes intentè obſecremus Deum per Chriſtum eius.*

*1 En Apoſtolica doctr. quæ Confeſſioniſtas errare cōuincit, cùm tradũt legem decalogi ad vetus teſtamentum tantùm pertinere, quod perinde eſt, vt ſi dicant, rectè viuere nō pertinere ad euangeliũ, ſed tantùm credere: ſiquidem vt rectè viuendum eſſet, data eſt lex naturalis, & ſcripta decalogi; vt Apoſt. doctr. teſtatur: vnde autē rectè viuitur gratia Dei adiutrice, inde iuſtificatio exiſtit; non igitur ex fide ſola, ſed ex fide, & ſanctis operibus legis decalogi iuſtitia exiſtit.

*2 Ecce Apoſtolica doct. quæ dogma profanæ nouitatis Confeſſioniſtarum de conuerſione peccatoris ad Deum per ſolam fidem apprehendente miſericordiam Dei redarguit. Semper enim Apoſt. doctr. pœnitentiam inculcat, & vrget, nunquam autem ne ſemel quidem de apprehenſione iſta miſericordiæ per ſolam fidem meminit. per pœnitentiam ergo dicit Apoſt. doctr. reſtitui peccatorem in priorem dignitatem, & honorem nempe adoptionis filiorum Dei, non autem per iſtam apprehenſionem miſericordiæ ex ſola fide. Deinde ſi pœnitentiam Niniuitarum acceptam habuit Deus, ergo eam reputauit ad iuſtitiam, ſic enim habuit illam acceptam ſcilicet ad iuſtitiam: hæc enim eſt acceptatio Dei. hic quoque Apoſtolica doctrina Lutheri, & Buceri peruerſum dogma coarguit. ille enim tradit, contritionem ante gratiam gratum facientem magis peccatorem facere: hic verò addidit, contritionem, & veram pœnitentiam non niſi ex vera fide, & ex charitate naſci. at hic Apoſtolica doctrina pœnitentiam Niniuitarum acceptam fuiſſe Deo dicit ante ſcilicet quàm fidem perfectam, & charitatem haberent. Siquidem per illam pœnitentiam factum eſt, vt Deus illis miſericordiam tribueret, ſicut ſcriptum eſt in Propheta Iona, Et vidit, inquit, Dominus, quia conuerſi ſunt à via ſua mala, & miſertus eſt eis Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. quòd ſi per illam pœnitentiam factum eſt; vt veniam eis daret Deus, hoc enim ſignificat, miſertum fuiſſe, ergo illa pœnitentia nondum erat profecta ex perfecta fide, & ex charitate: perfecta enim fides, & charitas non poterat eſſe ſine remiſſione peccatorum antegreſſa. Docet item hic Apoſtolica doctrina contra eundem errorem, orare Deum, vt pœnitentes reſtituat eccleſiæ in priorem dignitatem & honorem ſcilicet adoptionis filiorum Dei, & gratiæ iuſtificantis ad exemplum filij prodigi in euangelio. ergo huiuſmodi pœnitentia, quæ vera pœnitentia eſt, licet non ſit perfecta, & viua, non ſolum non facit magis peccatorem, ſed dignitatem & honorem diuinæ gratiæ ex Dei miſericordia conciliat.

*3 Ecce Apoſtolica doctr. contra hæreticam doctrinam Confeſſioniſtarum, qui tradunt canonicas ſatisfactiones non pertinere ad pœnitentiam, ſed potius eſſe falſos cultus. Sic enim ſcribit Philippus in reſponſione ad art. Bauar. inquiſ. 19. aitque eccleſiam non habere mandatum de pœnis temporalibus, & corporalibus: at Apoſt. doctr. eos, qui in pœnitentia ſunt, temporali pœna, & corporali etiam afficit, dum ab eccleſia arcet: immò capite proximo ſuperiore, omnes, inquit, pœnas debemus, quas ἐπιτίμια vocat, quæ ſignificant pœnas temporales; quia nemo, inquit, poteſt gloriari ſe habere mundum cor. quòd ſi omnes pœnas debemus temporales, aut eccleſia habet mandatum traditum de huiuſmodi pœnis irrogandis, quod Apoſtolica doctrina docet, & Philippus negat; aut expectandus eſt Deus, qui eas irroget, vt irrogauit Dauidi, & Manaſſe, & aliis, vt vult Philipp. vt ſi non irroget, (hoc enim ſequitur) continuò exiſtimemus nos vel non debere eas, vel debere quidem, ſed non eſſe, qui exigat, aut exigendi mandatum habeat; quod nihil aliud eſt, quàm non habere eccleſiam medicinas ad curandum corporaliter, & ſpiritualiter ægrotos; medicinæ enim ſunt huiuſmodi pœnæ canonicæ, & pœnitentiales, quæ ſalutiferos fructus pœnitentiæ dignos operantur. Confeſſioniſtæ verò tradunt, omnes eſſe abſoluendos, quos peccati pœnitet, & teſtantur ſe deinceps dignos fructus pœnitentiæ facturos, & credunt, ſibi remitti peccata per Chriſtum. ſic enim ſcribit Loſſius in quarta parte ſui catechiſmi. at Dominus eos, qui non audiunt eccleſiam, habere iubet ſicut ethnicos, & publicanos: id eſt, non recipere eos in eccleſiam, ſicut non recipiuntur ethnici, neque publicani. quòd ſi conuerſi fuerint ad pœnitentiam, recipere iubet, ſicut eccleſia recipit ethnicos, at ethnicos, etſi pœniteat vitæ ethnicæ anteactæ, ad audiendum verbum tantum admittit, non autem ad communionem orationis, priuſquàm fructum maximum, & primum dignum pœnitentiæ oſtendant accipiendo baptiſmum. Similiter eccleſia non recipit publicanos, etſi peccati pœniteat, niſi ad audiendum verbum, antequam fructus dignos pœnitentiæ oſtendant, ſicut Apoſt. doctrina tradit lib. 2. c. 39. quòd ſi, vt Loſſius iſte contra euangelium, & traditionem Apoſtolicæ doctrinæ fingit, omnes ſunt abſoluendi, quos peccati pœnitet, & teſtantur ſe facturos fructus dignos pœnitentiæ, nulli erunt habendi ſicut ethnici, & publicani. Ethnici enim etſi pœniteat, vt dixi, non admittuntur ad eccleſiam, antequàm baptizentur, neque publicani, antequam oſtendant fructus dignos pœnitentiæ. alioqui ſi publicanis ſatis eſſet pœnitere, vt reciperentur, non eſſent in hac ratione ſimiles ethnicorum, contra ſententiam Domini, qui præceptum dedit, vt ſic agendum ſit cum non audientibus eccleſiam, ſicut agitur cum ethnicis, & publicanis tum ad recipiendum, tum ad non recipiendum. conſtat autem, non recipi ethnicos in eccleſiam, etſi pœniteat, vt paulò ante dixi, niſi prius baptizentur. Præterea huiuſmodi exemplum abſoluendi peccatorem poſt oſtenſos fructus dignos pœnitentiæ à Paulo apoſtolo nobis propoſitũ eſt, qui non prius iuſſit abſoluere Corinthium illum, eumque conſolari, quàm illa pœna ab Apoſtolo ei conſtituta ſeparationis ab eccleſia, & obiurgationis, quę à pluribus fiebat, tantum in eo dolorem de peccato commiſſo operata fuit, vt fructus dignos pœnitentiæ oſtenderet, vt ex 2. epiſt. Cor. c. 1. intelligi poteſt.

CAP. X. Denūciatio obſecrationis pro fidelibus.

*1 OREMVS *pro pace, & pro tranquillitate mundi, & ſanctarum eccleſiarum, vt Deus vniuerſi pacem ſuam perpetuam, & quæ tolli non poſſit, nobis tribuat, vt conſeruet nos perſeuerantes in plenitudine virtutis ex pietate erga Deum. Oremus pro catholica, & Apoſtolica cuncti orbis eccleſia, vt cuſtodiat eam Dominus, ac conſeruet à motibus, & turbulentis fluctibus liberam, fundatam vſque ad conſummationem ſæculi ſuper petram. Oremus etiam pro hac ſancta parœcia, vt Dominus vniuerſorum benignè nobis tribuat, vt ſpem eius cæleſtem non remiſsè inſequamur, & perpetuum precationis debitum ei ſoluamus. Oremus etiam pro*

*1 Ex his orationibus, quæ in Miſſa pro omnib⁹ hominibus adhibentur, quarum formam, & characterem Apoſt. doctrina deſcribit hic, vt ad hunc modum, & imitationē fiant, planè apparet, quod Paulus ſcripſit ad Timotheum, Obſecro primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, de iis orationibus, quæ in Miſſa fiunt, intelligendum in primis eſſe, ad Timotheum enim epiſcopum ſcribebat, cuius officij erat, per ſe, & per presbyteros Miſſas celebrare, in quibus ſecundum Apoſtolicam doctrinam, pro omnibus hominibus preces Deo adhibentur. Hinc etiam redarguitur blaſphemia Illyrici, qui ſcribit in defenſione Antuerpienſ. Confeſſ. ca. 15. inuentum humanum eſſe Miſſam, nihilque in ea relictum eſſe Chriſto præterquam verba conſecrationis. at multiplices orationes pro omnibus hominibus in Miſſa adhibere Deo inſtitutum eſt per ſpiritum Dei, & à ſanctis Apoſtolis traditum; non igitur quicquid eſt in Miſſa præter verba conſecrationis humanum inuentum eſt.

pro omni epiſcopatu totius orbis eorum, qui rectè tractant verbum tuæ veritatis, & pro epiſcopo noſtro Iacobo, & pro parœciis eius; item pro epiſcopo noſtro *1 Clemente, & pro parœciis eius; item pro epiſcopo noſtro Euodio, & pro parœciis eius; vt Deus miſerationum concedat eccleſiis ſuis ſanctis, vt ſalui, honorati, & diuturna vita ſint, tribuatque eis honoratam ſenectutem in pietate, & iuſtitia. Oremus præterea pro presbyteris noſtris, vt Dominus liberet eos ab omni re fœda, & praua: detque eis honoratum presbyterij gradum. Oremus item pro omnibus diaconis, & miniſtris vt tribuat eis Dominus miniſterium ſine querela vllius. Oremus quoque pro lectoribus, cantoribus, virginibus, viduis, & orphanis. Oremus etiam pro iis, qui ſunt in coniugio, & liberorum procreationi operam dant, vt tribuat eis Dominus miſericordiam. Oremus pro Eunuchis ſanctè ambulantibus. Oremus pro iis, qui viuunt in continentia, & reuerentia erga Deum. Oremus pro iis, qui in eccleſia oblationes faciunt, & pauperibus largiuntur eleemoſynas. Oremus pro iis, qui ſacrificia, & primitias offerunt Domino Deo noſtro, vt qui eſt vndique bonus Dominus, ſuis cæleſtibus donis eos remuneret, detque eis in hoc ſæculo centuplum, & in futuro vitam ſempiternam; largiaturque eis pro caducis æterna, & pro terrenis cæleſtia. Oremus pro fratribus noſtris recens baptizatis, vt firmet, ſtabiliatq; eos Dominus. Oremus pro fratribus noſtris, qui morbis conflictantur, vt Dominus liberet eos ab omni morbo, et omni inualetudine, et reſtituat ſanos eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Oremus pro nauigantibus, & iter facientibus. Oremus pro iis, qui ſunt propter nomen Domini in metallis, & exiliis, & cuſtodiis, & vinculis. Oremus pro iis, qui dura ſeruitute premuntur. Oremus pro inimicis, & qui nos oderunt. Oremus pro iis, qui nos propter nomen Domini perſequuntur, vt mitigato eorum furore, eorum aduerſus nos iram diſſipet. Oremus pro iis, qui foris ſunt, & in erroribus verſantur, vt Dominus conuertat eos. Recordemur etiam infantum eccleſiæ, vt eos Dominus perfectos in timore ſuo reddat, & ad menſuram ætatis perducat. Oremus pro nobis mutuò, vt nos Dominus gratia ſua vſque ad finem cuſtodiat, ac nos ab omni malo, omnibusque ſcandalis operantium iniquitatem eripiat, & ſaluos in regnum ſuum cæleſte ſeruet: Oremus pro omni anima Chriſtiana, ſalua, & ſuſcita nos Deus miſericordia tua. Surgamus intentè orantes, nosque ipſi, & alij alios Deo viuenti per Chriſtum eius commendemus. Oret epiſcopus, & dicat:

*1 Cùm hic forma precationum ſacerdotalium in Miſſa tradatur, nō refert, eſſet ne viuus, an mortuus, pro quo precari iubet inter mortuos, cū exempli cauſſa ſit poſita perſona. iubet itaq; precari pro Clemēte exempli cauſſa quaſi mortu' eſſet, cùm tamē Clemēs ſit, qui hæc ſcribit in perſona Apoſtolorū, quos aliquādo facit loquentes. Similiter pro Iacobo epiſcopo noſtro dicit, quaſi is in eccleſia Hieroſol. cuius fuit epiſcopus Iacobus, hæc Clemēs ſcriberet.

CAP. XI. Obſecratio adhibita pro fidelibus.

DOMINE omnipotens, celſiſſime, qui in excelſis habitas, ſanctè in ſanctis requieſcens, ſine ortu & origine, vnice princeps, qui dediſti nobis per Chriſtum prædicationem cognitionis in agnitionem gloriæ tuæ, & nominis, quod manifeſtauit nobis ad comprehendendum; & nunc ipſe reſpice ſuper hunc gregem tuum, & libera eum ab omni ignorantia, et praua actione, et fac, vt te timore timeat, et dilectione diligat, et mittatur à facie gloriæ tuæ. Sis eis benignus, propitius, et exauditor in precibus eorum, et ſerua eos immutabiles, à querela, et crimine liberos, vt ſint ſancti corpore, & ſpiritu non habentes maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; ſed vt ſint integri, & nullus ſit inter eos mutilus, aut imperfectus. Defenſor, potens, perſonarum non acceptor, ſis populo tuo adiutor, quem pretioſo ſanguine Chriſti tui redemiſti: Præſes, opitulator, quæſtor, cuſtos, murus munitiſſimus, ſepimentum, ſecuritas, quoniam nemo poteſt ex manu tua rapere, non enim eſt alius Deus, ſicut tu; quia in te noſtra patientia conſiſtit. Sanctifica eos in veritate tua, quia ſermo tuus veritas eſt, qui neque gratia corrumpi, neq; falli poteſt. libera eos ab omni morbo, et omni inualetudine, ab omni delicto, ab omni violentia, & fraude, à metu inimici, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris; et dignare eos æterna vita in Chriſto filio tuo, vnigenito Deo, et Saluatore noſtro; per quem tibi gloria,

&



& veneratio in ſpiritu ſancto nunc, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Ac poſteà dicat diaconus, Attendamus; & ſalutet epiſcopus eccleſiam: & dicat, Pax Dei cum omnibus vobis. & reſpondeat populus, Et cum ſpiritu tuo. & diaconus dicat omnibus, Oſculamini vos mutuo oſculo ſancto; et clerici oſculentur epiſcopum; & viri laici laicos, & feminæ feminas. Pueri ſtent apud ſuggeſtum; & præſit eis alius diaconus, ne turbent ordinem. Alij item diaconi deambulent, et contemplentur viros et mulieres, ne quis fiat ſtrepitus, ne quis nutus faciat, aut muſſitet, aut dormitet. Diaconi autem ſtent ad ianuas, quibus viri in templum ingrediuntur; et hypodiaconi ad ianuas, quibus mulieres, ne quis egrediatur, néue aperiatur ianua tempore oblationis, quamuis ſit aliquis fidelis. vnus autem hypodiaconus miniſtret aquam ſacerdotibus ad lauandum manus; quod eſt ſignum puritatis animarum, quæ Deo dicatæ ſunt.

CAP. XII. Cōſtitutio Iacobi fratris Ioānis.

DICO ego *1 Iacobus frater Ioannis Zebedæi, vt ſtatim edicat diaconus: Ne quis ex catechumenis: ne quis ex † audientibus: ne quis ex infidelibus: ne quis ex hæreticis. Qui primam precationem feciſtis, exite. Quæ matres eſtis, pueros aſſumite. Ne quis contra quempiam. Ne quis in hypocriſi: ſtemus erecti Domino cum metu, & tremore ad offerendum. His peractis adhibeant *2 diaconi dona ad altare epiſcopo, & presbyteri ad dextram, & læuam eius, vt diſcipuli magiſtro aſſiſtant: Duo verò diaconi ex vtraque parte altaris teneant flabella ex tenuibus membranis, aut ex pennis pauonis, aut ex linteo; vt parua animalia volitantia abigant, ne in calicem incidant. Igitur epiſcopus precationem ſilentio faciens vnà cum ſacerdotibus, & ſplendidam veſtem indutus, & ſtans ad altare, & facto manu in fronte trophæo crucis, dicat, Gratia omnipotentis Dei, & charitas Domini noſtri Ieſu Chriſti, et communicatio ſancti ſpiritus ſit cum omnibus vobis. Et omnes vna voce reſpondeant, Et cum ſpiritu tuo. Ac rurſus epiſcopus, Surſum mentem; reſpondeant omnes, Habemus ad Dominum. et epiſcopus, Gratias agamus Domino: et omnes, Dignum et iuſtum eſt. Deinceps dicat epiſcopus, Verè dignum, et iuſtum eſt, laudare ante omnia te Deum verum: te, qui ex æternitate ante conditum vniuerſum exiſtis: ex quo omnis paternitas in cælo, et in terra nominatur: te ſolum ingenitum, ſine origine, ſine rege, ſine domino: te nulla re indigentem: te omnium bonorum largitorem: te qui omnem cauſſam, & ortum ſuperas: te ſemper vno eodemque modo habentem: à quo tanquam è carcere quopiam dimiſſa prodierunt omnia ad capiendum ortum. Tu enim es cognitio ante omne tempus; aſpectus perpetuus; auditus non generatus; ſapientia non tradita à doctore; primus natura; & lex, eo ipſo, quod es; & infinitus: qui omnia ex nihilo per vnigenitum filium tuum effeciſti; ipſum verò ante omnia ſæcula generaſti † voluntate, potentia, & bonitate ſine vllo medio, filium vnigenitum, verbum Deum, ſapientiam viuentem, primogenitum omnis creaturæ, angelum magni conſilij tui, pontificem tuum, regem verò & dominum omnis naturæ, tum ſub intelligentiam, tum ſub ſenſum cadentis; qui eſt ante omnia, & per quem omnia. Tu enim Deus æterne, cuncta per eum feciſti, & per eum etiam vis cuncta prouidentia conuenienti procurari. Per quem enim eſſe voluiſti, per eundem vt in bono ſtatu eſſent, conceſſiſti. Deus & pater vnigeniti filij tui, qui per eum ante omnia cherubim, & ſeraphim feciſti, ſæcula, & exercitus, virtutesq;, et poteſtates, principatus, et thronos, archangelos et angelos; et qui fabricatus poſt hæc omnia hunc mundum, qui cernitur, & quæcunque in eo continentur. Tu nanque es qui cælum inſtar cameræ ædificaſti, et inſtar pellis tetendiſti, terramque ſola voluntate in nihilo fundaſti. Qui finxiſti firmamentum, & noctem, ac diem effeciſti. Qui lucem ex theſauris protuliſti, & tegumento lucis tenebras

*1 Quia iam ordine, vt decebat, eiecti ſunt ex eccleſia, quibus nō licet intereſſe ſacrificio Miſſæ, ne quis fortè relictus ſit, aut lateat, rurſus ſtatuitur, vt iterū edicat diaconus, ne quis iſtorum, qui pri' exire iuſſi ſunt, adſit. vbi iam non opus erat, vt ordine ſicut prius nominarentur eiiciendi. aptè quoque inducta eſt hic perſona Iacobi Zebedæi ad ſtatuendum hoc edictū diaconi; quia is fuit vnus ex tribus illis quos aſſumpſit Dominus ſeorſum, vt transfigurationi intereſſet. hic autē iā inſtar cōſecratio corporis Domini in Miſſa, in qua fit illa admirabilis mutatio panis in corp' glorioſum Chriſti, quod ſub ſpecie & figura panis trāſfiguratum oſtenditur, quod non licet ab illis eiectis videri.

*2 En rurſus Apoſtolica doctr. quæ Illyricum Confeſſ. Antuerp. defenſorem de blaſphemia condēnat, cùm ait Miſſam eſſe humanum inuentum, & nihil in ea Chriſto relictū eſſe præter verba conſecrationis: notatum eſt ſuperiùs c. 5. & 10. lectionem ſcripturæ ſanctę, quę ad Miſſam adhibetur, & multiplices orationes pro omnibus

nebras ad quietem animantium, quæ in terra mouentur, induxiſti. Qui ſolem in cælo poſuiſti, vt præeſſet diei; & lunam, vt nocti: & chorum ſyderum in cælo ad laudem magni decoris tui depinxiſti. Qui feciſti aquam ad bibendum, & purgandum: aërem vitalem ad ſpirandum, & ad reddendum vocem lingua aërem feriente, & ad adiuuandum auditum, vt percipiat loquelam ad aures appulſam. Qui ignem effeciſti, vt eſſet in tenebris ſolatio, expleretque indigentiam, & calefaceret, ac illuminaret. Qui mare magnum à terra ſeparaſti; & illud quidem feciſti nauigabile, hanc verò pedibus peruiam: & illud paruis, ac magnis animantibus impleuiſti, hanc manſuetis, & indomitis, ac variis ſtirpibus circumdediſti, & herbis coronaſti, floribus decoraſti, & ſeminibus locupletaſti. Qui conſtituiſti abyſſum, & ingentem cetum; & abyſſo coacerbatas vndas ſalſas circumpoſuiſti, eamque portis arenæ tenuiſſimæ circum obſtruxiſti. Qui ipſum mare aliquando ventis inſtar ingentium montium attollis; aliquando ad inſtar campi ſternis, & complanas; aliquando tempeſtate facis furere; aliquando, vt nauigantibus ſit ad nauigationem facile, tranquillitate ſedas. Qui mundum à te fabricatum per Chriſtum, fluuiis cinxiſti: torrentibus inundaſti; perennibus fontibus impleuiſti; & vt munitiſſimè, ac tutiſſimè fundatus eſſet, montibus circumdediſti: qui mundum tuum referſiſti, & ornaſti herbis odoratis, & ad medicinam commodis, variiſque animantibus tum robuſtis, tum infirmis, ad eſcam, & ad opus aptis, cicuribus, & feris, ſerpentum ſibilis, variarum volucrum clangoribus: annorum circuitibus, menſium, & dierum numeris, ordinatis temporum mutationibus, nubium imbres parientium curſibus ad fœtus fructuum, & ad animantium vitam, ad ventorum flatus, cùm flare iuſſeris, & ad multitudinem ſtirpium, et herbarum. Neq; ſolum fabricatus es mundum, ſed hominem mundi ciuem feciſti, qui eſſet mundi mundus, id eſt, ornamentum: dixiſti enim ſapientiæ tuæ, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & dominentur piſcibus maris, & auibus cæli. Quamobrem ex anima immortali, & corpore diſſipabili hominem cõſtituiſti, anima quidem ex nihilo effecta, corpore verò ex quatuor elementis. Dediſtique ei, vt anima quidem rationis participe diſcerneret pietatem, & impietatem diiudicaret; iuſtum, et iniuſtum notaret; in corpore verò vt quinque ſenſus ad quincuplicem pugnam haberet; motum item ad gradiendum dediſti. Tu Deus omnipotẽs, paradiſum in Eden ad Orientem per Chriſtum omni genere arborum ad veſcendum inſtructum conſeuiſti, & in eum tanquam in magnificam domum illum introduxiſti. & cùm eum efficeres, legem in natura inſitam tribuiſti: vt domi, & è ſe ſemina cognitionis Dei haberet. Vbi verò in paradiſum voluptatis introduxiſti, poteſtatem omnium ad participandum permiſiſti: vnius tantum guſtatum propter ſpem meliorum interdixiſti: vt ſi mandatum ſeruaret, mercedem obedientiæ ferret immortalitatem. Poſtquàm verò mandatum neglexit, & fructum vetitum dolo ſerpentis, & mulieris conſilio deguſtauit, ex paradiſo quidem iuſtè eieciſti: bonitate verò tua, ne prorſus interiret, non deſpexiſti: erat quippe opus tuum. Quin potiùs qui omnia ei ſubieceras, tribuiſti, vt ſudoribus, & laboribus cibum pararet, te omnia gignente, augente, & maturante. Poſtea verò ad breue tempus ſomno mortis immiſſo, eum iureiurando interpoſito ad renaſcendum vocaſti, & reſciſſo edicto mortis vitam ex reſurrectione promiſiſti: Neque hoc ſolum, ſed poſteros eius multitudine innumerabili effudiſti, & eos, qui in lege tua perſeuerarunt, gloria affeciſti; qui verò defecerunt, puniuiſti; & ſancti Abel ſacrificium approbaſti, et Cain fratricidæ munus, vt execrabilis, reieciſti. Ad hæc, Seth, & Enos ſuſcepiſti, et Enoch tranſtuliſti. Tu enim es auctor hominum, & vitæ dator, & indigentiæ expletor, & legis lator,

&

hominibꝰ in ea facere, vtrumque ex Apoſtolica traditione deſcẽdere teſtimonio Apoſtolicæ doctr. nunc verò in extrema parte capitis proximè ſuperioris x i. & in hoc c. 12. illud oſculum pacis, & lauare manus ſacerdotem miniſtrante hypodiacono, cùm Miſſam facit, & afferre diaconũ ſacerdoti ad altare hoſtiam, quę conſecrãda eſt, quã vocat munus, & eſſe presbyteros ad dextram, & ſiniſtram, cùm epiſcopus ſolẽnem Miſſam facit, & diaconos ex vtroq; latere tenere flabella ad muſcas, & culices abigẽdos, ne in calicem incidãt, ſicut Abraham volucres, quæ ad victimas deſcẽdebãt, abigebat, ſicut ſcriptũ eſt in Gen. c. 15. quod fieri Romæ ſolet, cùm pont. Miſſam celebrat. item illud precari tacitè ſacerdotem, cùm præparatur conſecratio, quod hæretici per ludibriũ muſſitare, & immurmurare vocare ſolent: præterea ſplendidã veſtem indui ſacerdotem ad Miſſam celebrandã: itẽ illa, quæ præfatio eſt, & dicitur, Canonis, ſalutatio ſacerdotis ad populum, & reſpondere, & cum ſpiritu tuo, & quæ ſequuntur, ſurſum corda, gratias agamus, & quæ reſpõdentur, ſunt ne hęc in Miſſa humanũ inuentum? vnde didicit Clemens Ro. Petri, & Pauli diſcipulus, & B. Petri ſucceſſor, huiuſmodi præfationem canonis, ex qua tanquam ex Apoſtolico typo, & forma præfationes Miſſæ Latinæ, & Græcæ Baſilij, Chryſoſt. & Cyrilli Hieroſol. fluxerũt, vt quicunque conferre voluerit, perſpicere poterit.



& eam ſeruantium remunerator, & vltor non ſeruantium. Qui ingentem illam illuuionem propter multitudinem impiorum mundo intuliſti, et ex illa iuſtum Noë cum octo animis in arca eripuiſti; qui fuit finis quidem eorum qui præterierant, origo verò eorum, qui ſucceſſuri erant. Qui igne illo pertimeſcendo Sodomitanam pentapolim incendiſti; & terram frugiferam in ſalſuginem propter flagitia habitatorum eius loci vertiſti: & ſanctum Lot ex flamma ereptum extraxiſti. Tu es, qui Abraham ex maiorum ſuorum impietate liberaſti, & hæredem mundi conſtituiſti, atque ipſi *3 Chriſtum tuum oſtendiſti. Qui Melchiſedec *4 pontificem cultus tui elegiſti. Qui famulum tuum patientiſſimum Iob, ſerpentis, qui origo peccati fuit, victorem declaraſti. Qui Iſaac filium promiſſionis feciſti. Qui Iacob duodecim filiorum patrem, et eorum poſteros in multitudinẽ propagaſti, et in Ægyptum in ſeptuaginta animis introduxiſti. Tu Domine, non deſpexiſti Ioſeph: immo pudicitiæ, quam propter te ſeruauit, præmium ei dediſti, vt eſſet Ægyptiorum princeps. Tu Domine Hebræos oppreſſos propter promiſſa patribus eorum facta non neglexiſti, ſed potius ſupplicio de Ægyptiis ſumpto, eripuiſti: Ac cùm homines legem naturalem corrupiſſent, & quæ erant effecta, nunc quidem exiſtimarent fortuita eſſe, & temerè ferri, nunc verò pluſquam opus erat, honorarent, & tibi vniuerſorum Deo æquarent, non es paſſus amplius in errore eos verſari; immò famulum tuum ſanctum Moyſem in lucem edidiſti: per quem legem ſcriptam legis naturalis adiutricem dediſti; & mundum opus tuum eſſe declaraſti. Relegato autem de multis diis errore, Aaron, et filios eius honore ſacerdotali illuſtraſti: Hebræos propter commiſſa peccata plexiſti, reuertentes ſuſcepiſti: in Ægyptios decem plagis illatis vindicaſti; dirempto mari Iſraëlitas traieciſti; inſecutos Ægyptios demerſos deleuiſti: amaram aquam iniecto ligno dulcem effeciſti: ex rupe dura aquam profudiſti. Qui feciſti vt ex cælo plueret manna, & ex aëre ad alimentum coturnix; item feciſti columnam ignis nocte ad illuminandum; & columnam nubis die adumbraculum propter teporem; Ieſum Naue ducem exercitus declaraſti; ſeptem gentes Chananæorum hoc duce extirpaſti; Iordanem diuiſiſti; fluuios Ethan exſiccaſti; muros nullis machinis bellicis euertiſti. pro omnibus tibi gloria Domine Deus. Te adorant innumerabiles angelorum copiæ, archangelorum, thronorum, dominationum, principatuum, poteſtatum, virtutum, æternorum exercituum, Cherubim, & ſenis alis præditi Seraphim, binis quidem tegentes pedes, binis verò capita, binis item volantes, & dicentes vnà cum mille millibus archangelorum, & centum millibus angelorum nullo puncto temporis intermiſſo, & ſine intercapedine vocis clamantium, et omnis populus dicat, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Sabaoth; plenum eſt cælum & terra gloria eius, benedictus in ſæcula, Amen. & dicat poſtea epiſcopus:

Sanctus

*3 Quia iam Iſaac ſecundum volũtatem, & propoſitum Abrahæ interfectꝰ, ac mortuus, ſicut ipſe Dominꝰ teſtatus eſt, inquiens, quia feciſti hanc rẽ, & nõ pepercisti filio tuo vnigenito propter me, & quæ ſequũtur, ſola voce angeli, qui dixit Abrahæ, ne extendas manum tuã ſuper puerũ, reuocatꝰ eſt ad vitã, idcirco expreſſam imaginem reſurrectionis Chriſti ſine corruptione mortui, in Iſaac vidit Abraham, ſicut Apoſtol. in epiſt. ad Hebræos ait, in parabolam accepit Iſaac, id eſt, in exemplum, & imaginem Chriſti à mortuis ſine corruptione excitati. huc pertinet, quod Dominꝰ in euangelio Ioannis dixit, Abraham exultauit, vt videret diẽ meũ, vidit, & gauiſus eſt. diem ſuũ vocauit diem reſurrectionis, quia fuit reſurrectio, quædam noua eius natiuitas, ſicut Paulus de reſurrectione Domini interpretatus eſt in actis Apoſt. cap. 13. illud pſalmi ſecundi, ego hodie genui te. Chriſtum igitur oſtendit Deꝰ pater, Abrahæ in Iſaac à morte ad vitã ſine corruptione reuocato, ſicut explicatũ eſt. & diem item reſurrectionis Chriſti oſtendit eidem Abrahæ in die illo liberationis Iſaac.

*4 En teſtimonium Apoſtolicæ doctr. obtuliſſe Melchiſedec in typum oblationis Chriſti myſticæ ſub typo & ſpecie panis, & vini. alio-
qui explicent, ſi qui hoc teſtimonium aliter interpretandum eſſe putant, quemadmodum fuerit electus Melchiſedec, & quando pontifex
latriæ, ſiue cultus Dei, ſcriptura enim nuſquam aliàs quicquam narrat, neq; de ſacerdotio Melchiſedec meminit, niſi in eo loco Gen. cùm
meminit de pane, & vino, quæ protulit Abrahæ, quia erat ſacerdos Dei altiſſimi. quòd ſi fuit electus pontifex, & omnis pontifex, vt Apoſt.
ait, ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur, vnde neceſſe eſt, inquit, habere eum aliquid quod offerat, dicant iſti, quæ munera ali
habuit Melchiſedec ad offerendum? hæc enim non debuit tacere ſcriptura, quæ voluit vt ſciremus, fuiſſe ſacerdotem Dei altiſſimi. Dein-
de cùm Apoſt. doctr. dicit, elegiſſe Deum Melchiſedec pontificem cultus ſui, neceſſe eſt vt cultum dicat, qui ſit proprius pontificis, ſiue ſa-
cerdotis, ſcilicet ſacrificium aliquod proprium ſacerdotis externũ, & viſibile; ſacrificium enim ſpirituale orationis, & pœnitentiæ, ac mor-
tificationis vitiorum commune eſt omnium. reſtat igitur, vt Apoſt. doctr. electum fuiſſe dicat Melchiſedec pontificem cultus Dei, id eſt,
ſummum ſacerdotem, vt offerret panem, & vinum in typum oblationis Chriſti veri pontificis ſub ſpecie panis, & vini, qui eſt ſummus
cultus Dei myſticus, qui in Miſſa Deo adhibetur. Sic enim Apoſt. doctr. vocauit, cùm paulò pòſt in fine capitis 15. poſt completam &
abſolutam Miſſam ſubiungit, hæc nos Apoſtoli vobis epiſcopis, presbyteris, & diaconis conſtituimus περὶ τῆς μυστικῆς λατρείας, id eſt, de
myſtico cultu. huius ergo cultus myſtici, quo Chriſtum ſub ſpecie panis, & vini, vt Apoſtolica doctrina tradit, Deo offerimus, qui ſacer-
dotes ſumus, electus fuit in typo Melchiſedec pontifex, vt eadem doctrina Apoſtolica teſtatur: habuit igitur Melchiſedec, quatenus
pontifex erat, munera ad offerendum, quæ typi fuerunt munerum, quæ Chriſtus, cuius imago fuit Melchiſedec, per miniſterium noſtri
myſtici cultus offert in Miſſa Deo patri, id eſt, ſeipſum, ſub ſpecie panis, & vini. hæc enim ſunt munera ſupercæleſtia myſtica.

*Sanctus enim vere es, & ex omni parte ſanctus: excelsus, et ſupra quàm excelſus in ſæcula. Sanctus autem vnigenitus tuus filius Dominus noſter, & Deus Ieſus Christus: qui tibi Deo ſuo, & patri per omnia inſeruiens tum in varia creatione rerum, tum in prouidentia cuiuſque earum accommodata, genus hominum interitu affectum non deſpexit; quin immò poſt legem naturalem inſitam, poſt monita legis Moſaicæ, poſt propheticas reprehenſiones, poſt angelos cuſtodiæ præpoſitos, cùm legem naturalem ſimul cum lege poſita violarent, venirentque eis in obliuionem diluuium, conflagratio illa quinq; vrbium, & illæ Ægyptiorum plagæ, ac illæ Palæſtinorũ cædes; omnibus iam iã perituris, voluit conſilio, et voluntate tua auctor hominis homo fieri; legis lator legi ſubiectus; pōtifex victima; paſtor fieri ouis, placauitq; te Deum ſuum, eundemque patrem, ac mundo reconciliauit: & omnes ab impendente ira liberauit factus ex virgine, factus in carne, Deus verbum, dilectus filius, primogenitus omnis creaturæ, ex ſemine Dauid, et Abraham, ex tribu Iuda ſecundum propheticas prædictiones ab ipſo de ſe factas. Ac factus eſt in vtero virginis, qui format omnes qui generãtur, et incarnatus eſt, qui erat expers carnis; qui ſine tempore genitus erat, factus eſt in tempore. Sanctè in vita verſatus eſt, & legitimè erudiuit, omnem morbum, omnemque inualetudinem expulit, ſigna, & prodigia in populo fecit: Cibum, & potum, & ſomnum cepit, qui cunctos alit quicunque alimento indigent, & implet omne animal beneplacito. Manifeſtauit nomen tuum iis qui eum neſciebant; ignorantiam relegauit; pietatem extinctam excitauit; voluntatem tuam impleuit; opus quod ei dediſti, conſummauit. Atque his omnibus perfectis, manibus ſceleratorum, falſorum dico ſacerdotum, & pontificum, ac populi iniqui, proditione eius, qui malitiæ morbo laborauit comprehenſus eſt, & multa ab eis perpeſſus, & omni dedecore ſuſcepto, permiſſu tuo traditus Pilato præſidi, ac iudicatus iudex, & damnatus ſaluator, cruci affixus eſt, qui pati non poterat; & mortuus, qui natura erat immortalis; & ſepulturæ mandatus, qui vitæ auctor eſt, vt eos à paſſione liberaret, & à morte extraheret, propter quos venit; & rumperet vincula diaboli, & eriperet homines ex fallacia eius. Excitatusque eſt à mortuis die tertio: & cum diſcipulis quadraginta diebus commoratus, aſſumptus eſt in cælos, & ſedet ad dextram tuam, qui Deus, & pater eius es. Memores igitur eorum, quæ cauſſa noſtra ſuſtinuit, gratias agimus tibi Deus omnipotens, non quas debemus, ſed quas poſſumus. conſtitutionemque eius implemus: In qua enim nocte tradebatur, cùm accepiſſet panem ſanctis, & ab omni labe puris manibus ſuis, ſuſtuliſſetque oculos ad te Deum ſuum, ac patrem, ac fregiſſet, dedit diſcipulis ſuis, dicens, Hoc eſt myſterium noui teſtamenti: accipite ex eo, comedite. Hoc eſt corpus meum, quod pro multis frangitur in remiſſionem peccatorum. Similiter & calicem, poſtquàm miſcuit ex vino, & aqua, & ſanctificauit, dedit eiſdem, dicens, Bibite ex eo omnes. Hic eſt ſanguis meus; qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem: quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & biberitis calicem hunc, mortem meã annunciabitis, donec veniam. Quare memores paſſionis eius, & mortis, eiúſque reſurrectionis à mort us, & reditus in cælum, atque aduentus eius ſecundi, qui futurus eſt, cùm venit cum gloria, & poteſtate ad iudicandos viuos, & mortuos, & reddendũ vnicuiq; ſecũdum opera eius, offerimus tibi regi, & Deo, ſicut ipſe conſtituit, panem hunc, & calicem hunc, gratias agentes tibi per eum, quia à te dignati ſumus ſtare in conſpectu tuo, & tibi fungi ſacerdotio. Ac te precamur, vt in hæc *5 munera coràm te propoſita beneuolè aſpicias tu Deus nullius indigens, & beneplaceas in eis in honorem Christi tui: & mittas ſuper hoc ſacrificium ſanctum tuum ſpiritum teſtem paſſionum*

*5 En locus Apoſtolici canonis miſſæ; quem Illyricus in defenſione Antuerp. Confeſſ. contra Tileranũ blaſphemè arguit. ſic enim ait cap. 15.



*num Domini Ieſu: vt oſtendas panem hunc corpus Chriſti tui, & calicem hunc ſanguinem Chriſti tui: vt qui eum participarint, ad pietatem firmentur; remiſſionem peccatorum conſequantur; à fallaciis diaboli liberentur: ſpiritu ſancto impleantur; digni Chriſto tuo fiant; vitamque ſempiternam adipiſcantur, te illis reconciliato Domine omnipotens. Adhuc precamur te Domine pro eccleſia tua ſancta à finibus vſq; ad fines propagata, quam pretioſo ſanguine Chriſti tui acquiſiuiſti, vt eam extra metus, & fluctus, ac tempeſtates vſque ad conſummationem ſæculi conſerues, & pro omni epiſcopatu rectè tractante verbum veritatis. Adhuc obſecramus te pro me, qui ſum nihili, qui tibi oblationem facio, & pro vniuerſo presbyterio, pro diaconis, & toto clero; vt omnes ſapientiam doceas, & ſpiritu ſancto impleas. Adhuc obſecramus te Domine pro rege, et omnibus qui in ſublimitate ſunt, & pro toto exercitu, vt pacem habeant nobiſcum: vt totum vitæ noſtræ tempus in quiete & concordia traducentes, glorificemus te per Ieſum Chriſtum, qui eſt ſpes noſtra.*

quinto conatur excuſare, quod expreſsè orat ſacrific°, vt Deus ſit propitius pani illi conſecrato, quẽ panem iſti dicũt eſſe ipſiſſimum filium Dei; vbi neceſſe eſt, vt volentes nolentes concedant ſacrificium ſeſe conſtituere mediatorẽ inter Deum ac filiũ ei°; ac petere, vt Deus ſit ſuo filio propitius. hæc Illyricus non intelligẽs, ſicut Apoſt. de aliis dixit, quid dicat, neq; de quo affirmet, blaſphemans interim quę ignorat, ſicut beatus quoque Petrus de quibuſdã aliis dixit. non enim ſacerdos cùm myſteria corporis & ſanguinis miniſterio ſuo offert, ſicut Dominus vt offerret conſtituit, vt hic Apoſt. doctr. contra Confeſſioniſtas teſtatur, conſtituit ſe mediatorem inter Deum, ac filium, neque petit, vt filio ſuo ſit propitius, vt iſte blaſphemè fingit, ſed Chriſtus eſt mediator. citabo teſtem eccleſiam Græcorum, cuius teſtimonium eo maioris ponderis & auctoritatis apud Proteſtantes eſſe debet, quòd cùm ſit alioqui æmula eccleſiæ noſtræ, & ex parte propter abiectam obedientiam ſchiſmatica, doctrinam tamẽ Apoſtolicam, quam Eccleſia Romana tenet & profitetur de ſacrificio Miſſæ, nunquam reliquit, vt Proteſtantes reliquerunt, ſed ſumma religione colit, & tanquàm depoſitum fideliter cuſtodit. Sic igitur Simeon archiep. Theſſ. in lib. de myſteriis eccleſię c. 44. περὶ τῆς τοῦ Χριστοῦ μεσιτείας ſcribit: μεσίτης γάρ ἐστι δι' οὗ πάντα γέγονε τὰ παρὰ τοῦ θεοῦ δοθέντα ἡμῖν ἀγαθά, μᾶλλον δὲ δίδονται ἀεί. οὐ γὰρ ἅπαξ μεσιτεύσας, καὶ παραδοὺς ἅπαντα ἡμῖν ὑπὲρ ὧν ἐμεσίτευσεν ἀπηλλάγη, ἀλλ' ἀεὶ μεσιτεύει οὐ λόγοις δὲ ποιῶν ἢ δεήσεσιν ὥσπερ οἱ πρεσβευταὶ ποιοῦσιν, ἀλλὰ πράγματι. τί δὲ τὸ πρᾶγμα; τὸ συνάπτειν ἑαυτῷ, καὶ δι' ἑαυτοῦ τῶν οἰκείων μεταδιδόναι χαρίτων κατὰ τὴν ἀξίαν ἑκάστου καὶ τὸ τῆς καθάρσεως μέτρον· mediator, inquit, eſt, per quem omnia bona data ſunt nobis à Deo, immo dantur ſemper; non enim ſemel mediator factus, & omnia nobis largitus, pro quibus mediator fuit, officio mediatoris defunctus eſt; quin potius ſemper mediatorem agit, non quidem verbis & orationibus, vt legati faciunt, ſed re, vniendo, inquam, ſecum, & per ſe gratias ſuas impartiendo, vt quiſque dignus eſt, & ſecundum menſuram purgationis. & rurſus c. 45. magis adhuc explicat, quomodo in Miſſa ſit mediator Chriſtus, & non ſacrificus, vt Illyricus calumniando fingit. μεσίτης, inquit, ἐγένετο θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἀλλ' οὐ λόγοις τισὶ καὶ εὐχαῖς, ἀλλ' ἑαυτῷ· ἐπεὶ γὰρ θεὸς ὁ αὐτὸς καὶ ἄνθρωπος ἦν, θεὸν ἀνθρώποις συνῆψε, κοινὸν ὅρον ἑαυτὸν ἀμφοτέραις ταῖς φύσεσιν ἐμβαλών. τὸ δὲ νομίζειν αὐτὸν διὰ τῶν ἐν τῇ ἱερουργίᾳ εὐχῶν ἀεὶ μεσιτεύειν βλασφημίας ἁπάσης καὶ ἀτοπίας ἐστὶ μεστόν. εἰ γὰρ καὶ αὐτός ἐστιν ὁ τελῶν τὴν ἱερουργίαν, ἀλλ' οὐ πάντα τὰ ἐκεῖ γινόμενα καὶ λεγόμενα αὐτῷ ἀναθήσομεν. τὸ μὲν γὰρ ἔργον τῆς μυσταγωγίας καὶ τὸ τέλος, ἤτοι τὸ ἁγιασθῆναι τὰ δῶρα καὶ ἁγιάσαι τοὺς πιστούς, αὐτός ἐστι μόνος ὁ τελῶν. αἱ δὲ περὶ τούτων εὐχαὶ καὶ δεήσεις, καὶ ἱκεσίαι τοῦ ἱερέως, ἐκεῖνα μὲν γὰρ δεσπότου, ταῦτα δὲ δούλου· καὶ ὁ μὲν εὔχεται, ὁ δὲ τελειοῖ τὰς εὐχάς· καὶ ὁ μὲν σωτὴρ δίδωσιν, ὁ δὲ ἱερεὺς ὑπὲρ τῶν δοθέντων εὐχαριστεῖ. καὶ ὁ μὲν ἱερεὺς προσάγει, ὁ δὲ κύριος ἐκδέχεται τὰ δῶρα. προσφέρει μὲν γὰρ καὶ ὁ κύριος, ἀλλ' ἑαυτὸν τῷ πατρὶ καὶ τὰ δῶρα ταῦτα ὅταν αὐτὸς γένωνται, ὅταν εἰς τὸ αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα μεταβληθῶσι. ὅτι γὰρ ἑαυτὸν προσφέρει, διὰ τοῦτο εἶναι λέγεται ὁ αὐτὸς καὶ προσφέρων καὶ προσφερόμενος, καὶ προσδεχόμενος, προσφέρων μὲν καὶ προσδεχόμενος ὡς θεός, προσφερόμενος δὲ ὡς ἄνθρωπος. ἄρτον δὲ καὶ οἶνον ἔτι ὄντα τὰ δῶρα προσφέρει μὲν ὁ ἱερεύς, προσδέχεται δὲ ὁ κύριος. καὶ τί ποιῶν τὰ δῶρα προσδέχεται; ὁ ἁγιάζων αὐτὰ εἰς τὸ ἑαυτοῦ σῶμα καὶ αἷμα μεταβάλλων, τοῦτο γὰρ τὸ δέχεσθαι τὸ οἰκειῶσαι κατὰ τὰ προειρημένα. οὗτος ὁ τρόπος καθ' ὃν ὁ Χριστὸς τὴν ἱερουργίαν ταύτην ἱερουργεῖ· ταῦτά ἐστιν ἃ τὴν ἱεροσύνην αὐτῷ ποιεῖ. interpretemur ad verbum: mediator, inquit, Dei, & hominum factus eſt, non ſermone & precibus, ſed ſe ipſo. quia enim idem erat Deus, & homo, Deum cum hominibus copulauit, ſe communem terminum ambabus naturis immittens. exiſtimare autem Chriſtum per preces, quæ in Miſſa fiunt, ſemper mediatorem agere, plenum eſt blaſphemia & abſurditate. Etſi enim ipſe eſt qui ſacrificium Miſſæ operatur, non tamen omnia, quæ illic fiunt & dicuntur, ipſi ſunt attribuenda: opus enim Miſſæ, & finis, ſanctificari, inquam, munera, & ſanctificare fideles, ipſe ſolus eſt qui hæc facit. Orationes verò, & obſecrationes, ac ſupplicationes, quę in his fiunt, ſacerdotis ſunt, illa Domini, hæc miniſtri. miniſter orat, Dominus cõſummat orationes: Saluator dat; ſacerdos agit gratias pro datis. offert quidem ſacerdos; ſed Dominus ſuſcipit munera. offert quidem & Dominus, ſed ſeipſum patri offert, poſtquàm ſiunt ipſe: id eſt, poſtquàm mutata ſunt in corpus & ſanguinem eius. quia enim ſeipſum offert, idcirco dicitur eſſe idem offerens, & oblatus, & ſuſcipiens: offerens quidem, & ſuſcipiens, vt Deus; oblatus verò, vt homo. munera verò cùm adhuc ſunt panis & vinum, offert quidem ſacerdos, ſuſcipit verò Dominus. ſed quomodo ſuſcipit munera, qui ea facit? nempe ſanctificando illa, & in corpus ſuum mutando, hoc enim ſignificat ſuſcipere, facere ſua, ſecundum ea, quæ antea dicta ſunt. hæc Simeon, quæ ille in eccleſia orientali ex ſanctis patribus Græcis ſecundum traditionem Apoſtolicæ doctrinæ didicerat. diſtinguit igitur, quid in Miſſa fiat à Chriſto per miniſterium ſacerdotis; & quid ſacerdos per ſe, & nomine totius eccleſię faciat: quomodo, inquam, Chriſtus ſeipſum offerat Deo patri per miniſtrum; & quomodo miniſter per ſe offerat Deo munera panis & vini conſecranda, & orationes, ac gratiarum actiones; & poſtea offerat conſecrata, id eſt, facta corpus & ſanguinem Chriſti propter nos, vt nobis illa in ſanctificationem, & ſalutem dentur. de quo officio mediatoris, quod ad hunc modum ſemper Chriſtus facit in cælo quidem inuiſibiliter nobis, in eccleſia verò per miniſtros ſuos viſibiliter, Apoſt. meminit in epiſt. ad Hebr. cùm ait, neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cæleſtium his mundari: ipſa autem cæleſtia melioribus hoſtiis quàm iſtis. cæleſtia vocat, quæ ad eccleſiam Chriſti pertinent; illa enim cæleſtia ſanctorum ſpirituum non indigent vllis hoſtiis. & ſubiungit, non enim in manufacta ſancta Ieſus introiuit exemplaria verorum, ſed in ipſum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. apparet autem non quidem pro nobis precando, aut ſupplicando, aut gratias agendo; ſicut in diebus carnis ſuæ faciebat in terra, ſed offerendo ſeipſum, non vt ſæpe offerat, inquit Apoſt. quemadmodum pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine, alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mũdi; ergo introiuit in cælũ, vt appareat vultui Dei offerẽs ſemetipſum ſemper ſine ſanguine. quod quidẽ facit per ſeipſum in cælo; & per miniſtros ſuos in eccleſia, quæ eſt imago cæli. non enim in cælo tantùm ſacerdotium habet ſempiternum, ſicut Apoſt. ait, ſed etiam in eccleſia, ſicut idem Apoſt. ait, habentes ſacerdotem magnum ſuper domum Dei, accedamus, &c. non dixit, habentes ſacerdotem magnum ſuper cælum, ſed ſuper domum Dei, quæ eſt eccleſia. offert igitur ſeipſum patri ſuper cælum, & ſuper eccleſiam vſque ad conſummationem ſæculi, quoties hæc munera noſtra, panem dico & vinum, ſua facit, mutando ſcilicet in corpus & ſanguinem ſuum, mutando enim, vt ſæpe dictum eſt, offert ſeipſum patri pro nobis, perpetuum mediatorem agens non verbis & orationibus, ſed ſeipſo. hæc hactenus ignorat Illyricus cum ſuis Confeſſioniſtis. Redarguamus iam mendacia Illyrici in canonem: manifeſtiſſimè, inquit, canon offert ante conſecrationem, & petit, vt Deus propter illum panem velit eſſe propitius toti eccleſiæ, & ſubiungit probationem, inquiens, res eſt manifeſtior, quàm vt excuſari citra extremam impudentiam queat. ſed recitemus nos canonem, vt vel ſola recitatione in mendacio manifeſto deprehendatur Illyricus. ſic enim dicit canon: Te igitur clementiſſ. pater per Ieſum Chriſtum filium tuum ſupplices rogamus, ac petimus, vt accepta habeas, ac benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata, in primis quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, &c. an non dicit canon, ſupplices te rogamus ac petimus per Chriſtum Dominum noſtrum? quomodo igitur audet Illyricus dicere manifeſtò mentiens, quòd roget & petat canon per illum panem nondum conſecratum? ſed videamus quid roget ac petat canon per Chriſtum Dominum noſtrum, & non per panem illum; quod iſte inuidioſè

M. fingit:

fingit: nempe petit, quod ſequitur, vt accepta habeat, & benedicat hæc munera, hæc dona, hæc ſancta ſacrificia; benedicat, inquit, id eſt, conſecret; per myſticam enim benedictionem ore ſacerdotis rite pronunciatam, panem & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti mutat Deus. hoc igitur petit fieri in his muneribus, & ſacrificiis, quæ ſacerdos dicit ante conſecrationem ſe offerre pro eccleſia, ſcilicet vt per ea, cùm ſanctificata erunt, ſit propitius eccleſiæ. hoc ipſum paulò poſt idem canon clarius adhuc rogat, inquiens, quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus, benedictam, aſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, vt nobis corpus, & ſanguis fiat dilectiſſimi filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. ecce oblationem in principio factam ex non conſecratis muneribus rogat canon, vt faciat in omnibus benedictam ſcilicet benedictione illa myſtica, quâ ex pane fit corpus Chriſti, hoc enim ſolum eſt verè benedictum in omnibus, quod eſt omnis benedictionis cauſſa. quod magis adhuc declarat ſubiungens, aſcriptam, id eſt, non finitam: petit enim vt hanc oblationem, quæ ante conſecrationem circumſcripta eſt, & finita, faciat incircumſcriptam, & infinitam. in ſacramēto enim ſacræ Euchariſtiæ Chriſtus eſt incircumſcriptus, vt Theologi tradunt, & eccleſia catholica credit. nequis verò exiſtimet inuentam aut excogitatam eſſe à me huius verbi, aſcriptam, interpretationem hanc: ſciat, pro eo quod eſt aſcriptam in Miſſa Latina eccleſiæ Romanæ, quæ eſt Miſſa S. Petri, eſſe ἀπερίγραπτον in Miſſa, quam beatus Petrus Græcè celebrabat, ſicut epiſtolas Græcè ſcribebat, quod verbum ſignificat incircumſcriptam, quod non eſt credendum ignoraſſe interpretem, ſed potius propter facilitatem pronunciationis expeditæ, maluiſſe dicere aſcriptam appoſita a particula priuatiua loco duarum præpoſitionum in, & circum; voluiſſeque imitari formam verbi Græci ἀπερίγραπτον, in quo ſola a particula facit vt ſignificet incircumſcriptum. extat autem adhuc Miſſa illa B. Petri Græcè. & vt ſit in teſtimonium Confeſſioniſtis, in multis eccleſiis eius partis, quæ in regno Neapolitano hodie dicitur Baſilicata pars eius oræ, quæ olim magna Græcia dicebatur, vſq; in hodiernum diem iam inde à principio à ſacerdotibus nationis Italicæ inter eccleſias Latinas Græcè in eccleſiis eorum celebratur. & nequis ſuſpicetur è Latina Miſſa B. Petri factam eſſe Græcam, vbique enim occurrendum eſt Proteſtantibus ad negandum omnia, quæ nolunt credere, promptiſſimis & paratiſſimis, ſciant, non pauca veſtigia Apoſtolicæ antiquitatis in verbis ipſis impreſſa eſſe, quæ deleri non poſſunt, nec ab intelligente negari, cuiuſmodi eſt, verbum, quod poſt illud ἀπερίγραπτον ſequitur, εὐαπολόγητον, vetus interpres vertit ratam rationabilem: petit enim vt faciat hanc oblationem conſecrandam diuinæ virtutis eſſe, vt fiat nobis hoſtia, in qua feratur bona defenſio coram tribunali Dei pro peccatis noſtris, & ratio firma & certa noſtræ defenſionis, hoc enim ſignificat fieri hoſtiam εὐαπολόγητον quod duobus verbis interpretatus eſt canō Latinus, quia vno non potuit. idem petit Miſſa Baſilij in oratione facta conſecratione, δὸς γενέσθαι τὴν κοινωνίαν τοῦ ἁγίου σώματος εἰς ἀπολογίαν εὐπρόσδεκτον τὴν ἐπὶ τοῦ φοβεροῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ σου. Denique petit canon, quod ſequitur, vt faciat acceptabilem hanc hoſtiam, quod Græcè eſt προσδεκτόν. quomodo autem hanc oblationem acceptabilem fieri poſtulet, id eſt, vtrum manente pane, & vino ſicut ante conſecrationem, an mutatis per conſecrationem in Chriſtum ipſum, expreſsè iam dicit, declarans verbis propriis, & apertis quæ dixerat, ſubiungens, vt nobis corpus, & ſanguis fiat dilectiſſimi noſtri Ieſu Chriſti. non petit ſolum, vt fiat corpus, & ſanguis, ſed vt fiat nobis corpus, & ſanguis, id eſt, ad ſalutem noſtram, & non in iudicium. hoc enim ſignificabat ſacerdos, cùm rogabat verbis proximè ſuperioribus, vt faceret oblationem ratam, rationabilem, & acceptabilem ſcilicet pro nobis coram Deo, filius enim ſemper eſt acceptus patri, in quo manet. pro nobis ergo rogat, vt efficiamur digni hac oblatione. Sed reſpondeamus iam ad aliam calumniam Illyrici in canonem. Quinto, inquit, conatur excuſare, (Tiletanum dicit, quem oppugnat) quod expreſsè orat ſacrificus, vt Deus ſit propitius pani illi conſecrato: & paulò poſt, ad defenſionem, inquit, iſtius deteſtandæ blaſphemiæ citat fictitium canonem, qui nunc Baſilij nomine venditatur, qui dicat, reſpice ſuper hanc noſtram latriam, id eſt, cultum. commendat ergo Græcus canon illum ſuum cultum Deo, non autem filium patri. hæc iſte. Nemo eſt, quin videat, nihil hic reſpondere Illyricum Tiletano, qui bene interpretatus erat canonem verbis B. Baſilij, cùm ait in canone Miſſæ ſuæ, ἐπίβλεψον ἐφ' ἡμᾶς, καὶ ἔπιδε ἐπὶ τὴν λατρείαν ἡμῶν ταύτην, καὶ πρόσδεξαι αὐτὴν ὡς προσεδέξω Ἄβελ τὰ δῶρα. id eſt, reſpice ſuper nos, & ſuper hunc cultū noſtrum, & acceptus ſit, ſicut fuerunt accepta munera Abel. Si Illyricus vel mediocres progreſſus in litteris Græcis habuiſſet, eiuſdem characteris eſſe hunc Baſilij canonem, quem fictitium vocat, cuius eſt tota reliqua Miſſa Baſilij, quam nondum fictitiam eſſe auſus eſt dicere, facilè cognouiſſet. etſi ſatis iam iſti reſponſum erat, reſpondeamus tamen adhuc, quo magis ac magis calumnia iſtius reuincatur. id ipſum enim quod canon Latinus Miſſæ noſtræ facta iam conſecratione petit, petit etiam Græcus canon Miſſæ Apoſtolicæ doctrinæ, & idem item, atque eadem formula verborum petit canon Miſſæ Baſilij, & Chryſoſtomi. ex eodem enim fonte Apoſtolicæ traditionis vniuerſus canon Miſſæ fluxit, & eadem eſt vis, ac ſententia, à te precamur, inquit, vt in hæc munera coram te propoſita beneuolè aſpicias tu Deus nullius rei indigens, & beneplaceas in eis in honorem Chriſti tui; non dixit, vt in Chriſtum beneuolè aſpicias, quaſi oret, vt fingit Illyricus, vt Deus ſit propitius illi pani conſecrato, id eſt, Chriſto ſub ſpecie illa panis, ſed in hæc munera, quatenus ea nos Deo nulla alioqui re indigenti dono offerimus. non igitur Chriſtum patri commendamus, ſed quod in myſterio eius adminiſtrando à ſacerdote fit, petit canon, vt ſit Deo munus acceptum, idq; in honorē Chriſti. quàm autem conueniebat petere, vt Deus eſſet propitius Chriſto in honorem Chriſti? id eſt, propitius Chriſto propter Chriſtum? Sequitur in canone Apoſtolicæ doctrinæ, & mittas ſuper hoc ſacrificium ſanctum tuum ſpiritum, vt oſtendas panem hunc corpus Chriſti tui, & calicem hunc ſanguinem Chriſti tui; quia iam erat facta conſecratio, & panis, ac vinum mutata in corpus, ac ſanguinem Chriſti remanēte ſpecie, ſiue typo panis tantùm, & vini, figuram ſiue ſpeciem panis vocat hic panē. rogat igitur ſacerdos, vt hic Chriſtus ſub ſpecie panis, & vini propoſitus miſſo ſpiritu S. ſuper hoc ſacrificium, ſiue miſſo ſuper nos, & munera propoſita; vt ait in eandem ſententiam canon Baſilij, & Chryſoſtomi, oſtendatur corpus, & ſanguis Chriſti: non rogat, vt oſtendatur, quaſi non ſit oſtenſum, oſtenſum enim eſt corpus Chriſti, & ſanguis, quia iam ſunt in ea mutata panis, & vinum, ſed quomodo petat oſtendi, ſiue fieri, ſtatim declarat, ſubiungens, vt qui eum participarint, ad pietatem firmentur: remiſſionem peccatorum conſequantur: à fallaciis diaboli liberentur: ſpiritu S. impleantur: digni Chriſto tuo fiant: vitam ſempiternā adipiſcantur te illis reconciliato. ad eundem modū petit canon Baſilij, oramus te, inquit, venire ſpiritum S. tuum ſuper nos, & ſuper hæc propoſita munera, & benedicere ea, ac ſacrificare, & oſtendere panem quidem hunc ipſum corpus Chriſti, calicem verò ipſum pretioſum ſanguinem Domini. quomodo autem petat venire ſpiritum S. ſuper munera propoſita, & benedicere ea, ac ſanctificare, & oſtendere panem hunc corpus Chriſti, ſtatim declarat ſubiungens eadem cōſtructione verborum, & eodem verbo repetito à communi, oramus, inquam, venire ſpiritum S. tuum ſuper hæc munera, & benedicere, ac ſanctificare, & oſtendere panem hunc corpus Chriſti, etc. nos autem omnes ex vno pane, & vno calice participantes vnire inuicem in vnius ſpiritus communionem, & facere, vt nullus noſtrum in iudicium & condemnationem participet corpus, & ſanguinem Domini, ſed omnes inueniamus miſericordiam, & gratiam cum omnibus ſanctis, &c. qui igitur dignè corpus Chriſti participat, huic corpus Chriſti ſit benedictio, & ſanctificatio: ideò petit canon, vt veniens ſpiritus S. ſuper munera propoſita alioqui benedicta, & ſanctificata, quæ ſunt corpus, & ſanguis Chriſti, ea benedicat, & ſanctificet, nobis ſcilicet; qui enim illa in iudicium & condemnationem participat, huic non ſunt in benedictionem, ſed in maledictionem; idcircò rogat canon Miſſæ noſtræ ante conſecrationem, vt illa oblatio, quæ conſecranda eſt, fiat nobis corpus, & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti: non dixit, vt fiat corpus, hoc enim nec indignitas vlla ſacerdotis, nec aſtantium myſterio Miſſæ, impedire poteſt, quia Dominus eſt, qui ex pane, & vino ore ſacerdotis ſua verba ritè pronūciantis corpus, & ſanguinē ſuum oſtendit, & facit; ſed dicit, & petit, vt nobis fiat, id eſt, ad vtilitatem, & fructum noſtrum. Similiter canon Miſſæ B. Chryſoſtomi poſt conſecrationem petit, vt panis hic fiat corpus, & calix hic ſanguis; ſed quemadmodum petat fieri, cùm alioqui iam ſit panis mutatus in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem, continuò exponit ſubiungens; ὥστε γενέσθαι τοῖς μεταλαμβάνουσιν εἰς νῆψιν ψυχῆς, & quæ ſequūtur, vt fiat, inquit, in ſobrietatem animæ iis qui participauerint. Simili modo Apoſtolicus canō Miſſæ Romanæ B. Petri poſt conſecrationem petit & rogat. poſtquàm enim dixit, hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, calicem ſalutis perpetuæ, ſubiungit, ſupra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium patriarchæ noſtri Abraham, etc. quo autem ſenſu petat, vt propitio ac ſereno vultu reſpiciat hanc hoſtiam Deus, mox patefacit ſubiiciens, ſupplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus ſancti angeli tui in ſublime altare tuum in conſpectu diuinæ maieſtatis tuæ, vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filij tui corpus ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti, & gratia repleamur per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. en propoſitum petitionis ſacerdotalis, & canonis. tunc ergo propitio ac ſereno vultu aſpicit Deus ſuper hoc ſacrificium quod pro nobis miniſterio ſacerdotis offertur, cùm nos non ſumus ira Dei digni. quod clariùs ſignificatum eſt in canone Græco Miſſæ B. Petri: petit enim vt aſpicere dignetur ἵλεῳ καὶ εὐιλάτῳ προσώπῳ, id eſt, propitio & placabili vultu, placabili, inquam, erga nos: pro quo interpres vetus dixit, ſereno vultu. hoc igitur petit, vt ſæpius dicam, canon à Deo, vt ſit ei acceptum hoc ſacrificium, non quidem quod ſit à Chriſto, qui mutando panem, & vinum in corpus, & ſanguinem

Adhuc



*Adhuc offerimus tibi pro omnibus* *6 *ſanctis, qui à ſæculo tibi placuerunt,* † *patriarchis, prophetis, iuſtis, Apoſtolis, martyribus, confeſſoribus, epiſcopis, presbyteris, diaconis, hypodiaconis, lectoribus, cantoribus, virginibus, viduis, laicis; & pro omnibus quorum tu noſti nomina.*

*Adhuc offerimus tibi pro populo hoc, vt in laudem Chriſti tui declares eum regale ſacerdotium, gentem ſanctam. pro virginibus, & caſtis, pro viduis eccleſiæ, pro iis qui ſunt in coniugio honeſto, & dant operam liberis, pro infantibus populi tui, vt nullum noſtrum repudies.*

*Adhuc rogamus te pro hac vrbe, & incolis eius; pro ægrotis, pro dura ſeruitute preſſis, pro exulibus, pro proſcriptis, pro nauigantibus, & iter facientibus; vt ſis auxiliator, omniū adiutor, et ſuſceptor. Adhuc obſecramus te etiam pro iis qui oderunt nos, & nos propter nomen tuum inſectantur: pro iis qui ſunt foris, & errant, vt conuertas eos ad id quod bonum eſt; & eorum furorem mitiges.*

*Adhuc obſecramus te pro catechumenis eccleſiæ, & pro iis qui vexantur ab alieno ſpiritu, & pro iis qui ſunt in pœnitentia: vt catechumenos in fide perficias; energumenos expulſo actu mali dæmonis repurges: pœnitentes recipias, & delicta tum eis, tum nobis noſtra remittas.*

*Adhuc offerimus tibi pro temperatione aëris & frugum vbertate, vt bonis tuis ſine penuria fruentes, ſine intermiſſione laudemus eum qui dat paſtum omnibus animantibus. Obſecramus te quoque pro iis qui ſunt abſentes, qui ſcilicet habent abſentiæ ſuæ cauſſam probabilem: vt nos omnes in pietate conſerues, & congreges in regno Chriſti tui, qui eſt omnis naturæ, quæ ſub ſenſum cadit, & quæ ſub intelligentiam, Deus, & rex noſter; congreges, inquam, immutabiles, extra querelam, & crimen. quoniam tibi omnis gloria, veneratio, & gratiarum actio, honor & adoratio patri, & filio, & ſpiritui ſancto; & nunc, & ſemper, & in infinita, & ſempiterna ſæcula ſæculorum. Et omnis populus reſpondeat, Amen. Et dicat epiſcopus; Pax Dei ſit cum omnibus vobis. Et cunctus populus reſpondeat, Et cum ſpiritu tuo. Ac rurſus dicat diaconus:*

ſuum offert ſemetipſum patri, ſed quod ſit per miniſterium ſacerdotis, quæ eſt alia actio. Sacerdos enim nō mutat panem, & vinum in corpus, & ſanguinē Chriſti, quin potiꝰ per ſe ante mutationem offert panem, & vinum; & poſt mutationē offert mutata, id eſt, ſanctā Euchariſtiā nomine cūctæ eccleſię. hoc ergo miniſterium ſui ſacrificij, & oblationis petit ſacerdos in canone, vt ſit acceptū pro nobis, id eſt, ad noſtram ſanctificationem, vt digni, inquā, efficiamur participatione viuifici corporis Domini ad vitā ſempiternam cōſequendam. ac cōmendari quidē hic Deo miniſteriū ſacerdotis, canon Græcꝰ Miſſæ B. Petri proprio verbo declarat, quod enim canon Latinꝰ dicit, iube hæc perferri per manꝰ ſancti angeli in ſublime altare tuū; etc. Græcè dicit, iube hæc διακονηθῆναι in ſublime altare, etc. id eſt, iube miniſtrari. hoc itaq; eſt perferri per manus ſancti angeli, miniſtrari per angelos ante Deum, ſicuti oramus, vt angeli orationes noſtras ad Deum perferant, vt eorum miniſterio commendentur, & acceptæ ſint ac gratæ Deo. Sic petit canon, vt ſacrificium, quod à ſacerdote miniſtratur ſuper altare in eccleſia, miniſtretur per angelum in cælo ſuper altare diuinum, quod eſt ipſe Chriſtus: quod quidem nihil aliud eſt, quàm petere vt illi ſit acceptum; cùm enim eſt acceptum, tunc eſt nobis ſalutiferum. Denique quòd canon poſt factam conſecrationem Deo patri commendet miniſterium ſacerdotalis oblationis in Dei cultum, perſpici poteſt ex canone Miſſæ B. Chryſoſtomi, in quo poſt conſecrationem factam ita dicit, Ἔτι προσφέρομέν σοι τὴν λογικὴν ταύτην καὶ ἀναίμακτον λατρείαν, id eſt, adhuc, ſiue inſuper offerimus tibi rationalem hunc, & incruentum cultum. idem quoque intelligi poteſt ex canone beati Cyrilli Hieroſolym. qui in quinta catecheſi deſcribēs canonem Miſſæ eccleſiæ Hieroſolym. Apoſtolicæ, cùm eam partem canonis, quæ poſt conſecrationem ſequitur, cum antegreſſa continuare vult, ſic ait, Εἶτα μετὰ τὸ ἀπαρτισθῆναι τὴν πνευματικὴν θυσίαν τὴν ἀναίμακτον λατρείαν ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ παρακαλοῦμεν τὸν θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης, etc. id eſt, poſt conſummatum ſacrificium ſpirituale, cultum incruentū ſuper illud ſacrificiū propitiationis rogamus Deum pro pace omnium eccleſiarum. En ſacrificium propitiationis, quod eſt ipſe Chriſtus ſub ſpecie panis, & vini, propitiatio pro peccatis noſtris, qui ſeipſum offert myſticè patri pro eccleſia, diſtinctum à latria incruenta, id eſt, à cultu rationali, ſiue ſpirituali, qui à ſacerdote in illo ſacrificio propitiationis pro eccleſia Dei adhibetur, quæ quidem latria, ſiue cultus ſacrificium quoddam ſpirituale eſt. huius ergo ſacrificij, & latriæ diaconiam, id eſt, miniſterium commendat canon Deo, & rogat, vt acceptum ſit ei ad remiſſionem peccatorum: quod nihil aliud eſt, quàm petere, vt Miſſa, quæ fit, ſit accepta Deo, non quatenus à Chriſto celebratur mutando panem, & vinum in corpus, & ſanguinem ſuū, quod eſt opus eius, & ab eo operatum, ſed quatenus à miniſtro, qui adhibet orationes, & petitiones, & gratiarum actiones, & pronunciationem verborum, quibus Chriſtus conſecrationem conficit. Denique ne vlla iā penitus iſtis de ſenſu & interpretatione canonis occaſio calumniandi relinquatur, quòd non Chriſtus Deo commendetur in canone poſt conſecrationem, vt Illyricus fingit, ſed cultus, qui à ſacerdote tanquam munus Deo offertur, ex iſto ipſo canone Apoſtolicæ doctrinæ perſpici poteſt; ait enim paulò poſt in principio c. 13. etiam atque etiam deprecemur Deum per Chriſtum eius pro munere oblato Deo, vt Deus, qui bonus eſt, ſuſcipiat illud per mediatorem Chriſtum in cæleſte ſuum altare in odorem ſuauitatis. quid clarius? Si munus oblatum commendatur Deo per Chriſtum mediatorem, ergo aliud eſt munus, quod per Chriſtum commendatur; & aliud eſt Chriſtus mediator, per quem commendatur; alioqui Chriſtus per Chriſtum commendaretur: quo nihil abſurdius. En igitur Apoſtolica traditio, & interpretatio canonis noſtræ Miſſæ, quem Confeſſioniſtæ in caput ſuum arguunt. Sed de his hactenus.

*6 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ Proteſtantes de mendacio, & calumnia redarguit, cùm obiiciunt nobis cultum ſanctorum, quaſi nos eos ceu deos colamus, aut colendos tradamus: nos enim non offerimus illis, ſed pro illis, vt hic ait Apoſtolica doctrina; pro illis dico, non quidem in ſubſidium, quaſi egeant noſtra ope, noſtriſque auxiliaribus precibus ad Deum, qui iam ſunt beati, & nullius rei indigentes, ſed in gratiarum actionem Deo. ob hanc itaque cauſſam ſanctos in canone Miſſæ commemoramus. Redarguitur præterea hic Illyricus, qui in defenſione Ant. Confeſſ. c. 15. contendit, nomen oblationis per catachreſim, vt ipſe ait, ad orationes transferri ab antiquis auctoribus, & patribus; at hoc loco non poteſt accipi offerre per iſtam catachreſim Illyrici pro eo quod eſt orare: non enim oramus pro ſanctis, & martyribus, qui iam ſunt in cælo. Vnde Apoſtolica doctrina cùm ſuperiùs in eodem canone ſæpe illud repetiſſet, precamur & obſecramus, hic verbum variauit, inquiens, adhuc offerimus tibi pro ſanctis. gratias itaque agimus Deo pro gloria, qua ſanctos dignatus eſt, cùm pro eis offerimus, vt hac commemoratione ſanctorum, quæ tunc fit, vt ait Dionyſ. Areop. ad beatitudinem eorum incitemur per



imitatio-

imitationem fidei eorum, & certaminis eorum participes fieri. imitatur Apoſtolica doctrina, & Dionyſ. locum Pauli in epiſt. ad Hebr. mementote, inquit, præpoſitorum veſtrorum, ſiue memorate præpoſitos veſtros; idem enim verbum Græcum eſt vtrobique μνημονεύετε, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem. de ſanctis mortuis loquitur, ſanctos enim vita glorioſè defunctos, ac iam beatos, qui præpoſiti eorum fuerant, vt Iacobus frater Domini, Iacobus frater Ioannis, & Stephanus protomartyr, memorare præcipit, quod in canone Miſſæ fit, vt commemoratio iſta eos hortetur ad imitandam fidem ſanctorum, quos vident ſortitos gloriam cæleſtem, vt & ipſi digni ſint qui fiant participes beatitudinis eorum. ac quia commemoratio iſta ſanctorum non fit in canone, quaſi Deus recordatione egeat, &, vt Dionyſ. ait, quaſi diuina memoria in parte ſit, quæ vim reminiſcendi habet, ſicut in homine, ſed potius, vt Deũ decet, memoria eius eſt cognitio immutabilis, ſicut ait ſcriptura, nouit Deus qui ſunt ſui, & pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius, id eſt, eorum, qui in ſanctitate vitam conſummauerunt. hactenus Dionyſ. idcirco poſtquàm Paulus præcepit commemorare ſanctos, ſubiungit ſtatim: Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula. quod immutabilem eſſe ſignificat, & immutabilem eius cognitionem. ac rurſus, quia Chriſtus fuit verus præpoſitus, & verbum Dei perfectè locutus eſt, & exitum conuerſationis ſupra omnes glorioſum habuit, & fuit perfectus martyr, & Dominus martyrum, nequis falsò exiſtimaret, memoriam eius, vt reliquorum martyrum, & præpoſitorum habendam eſſe, & ea ratione commemorandum, qua ſancti eius, ſicut Confeſſioniſtæ hoſtes Apoſtolicæ Miſſæ, & canonis eius nobis falsò obiiciunt, quaſi Chriſtum Deo patri in canone commendemus, idcirco Apoſtolus, vt ſepararet eum à reliquis ſanctis, & martyribus, ſubiungit, Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula. ſic S. Epiphanius interpretatur lib. 3. contra hęreſes in Aërium, qui reprehẽdebat catholicos, quòd in canone nomina mortuorum recitarẽt. ait igitur Epiph. Iuſtorum memoriam facimus, & pro peccatoribus quidem precantes Deum pro miſericordia in eos; iuſtos verò, & patres, ac patriarchas, prophetas, apoſtolos, euangeliſtas, martyres, confeſſores, epiſcopos, anachoretas, & omnem ordinem commemoramus, vt Dominum Ieſum ab ordine hominum ſeparemus propter honorem erga eum, & vt ipſi venerationem ei adhibeamus, illud cogitantes, non æquari Dominum cum vllo homine, quamuis eſſet homo in virtute iuſtitiæ decem millia hominum, & amplius; quomodo enim æquari poſſit, cùm ille ſit Deus, hic homo? hactenus S. Epiph. itaque non agimus gratias in canone Miſſæ pro Chriſti gloria, qui eſt Dominus gloriæ, & Deo patri coæternus, ac conſubſtantialis, & per gloriam patris, ſicut Apoſtolus ait, reſuſcitatus, ſed pro gloria ſanctorum, quos ſecundum Apoſtolicã doctrinam, & Pauli præceptum commemoramus, quia hæc victima, cuius ſacrificium myſticum in Miſſa celebratur, in cruce immolata omnium bonorum, & gratiæ, ac gloriæ cauſſa fuit ſanctis. Conſpirat ergo Apoſtolicus canon Miſſæ noſtræ, qui ſanctorũ memoriam facit, cum traditione Apoſtolicæ doctrinæ, & cum ſcriptura Pauli, cùm ait, communicantes, & memoriam venerantes in primis glorioſæ, ſemperque virginis Mariæ, ſed & beatorum Apoſtolorum, ac martyrum tuorum, & quæ ſequuntur. ad extremum verò explicat canon, quorſum ſpectet iſta ſanctorum commemoratio, ſubiungit enim, quorum meritis precibuſque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. quod autem commemorationem mortuorum facere in eccleſia, (etſi non vno modo, & ratione peccatorum, & iuſtorum, qui in cælo ſunt, commemoratio fiat) à S. Apoſtolis traditum ſit, teſtatur idem S. Epiphanius in eodem loco ſubiungens, neceſſariò eccleſia hoc facit, quæ traditionem à patribus accepit. Quis autem poterit ſtatutum matris ſoluere, aut legem patris? vt Salomon ait, audi fili ſermones patris tui, & ne abiicias ſtatuta matris tuæ. demonſtrat, docuiſſe ſcripto, & ſine ſcripto eccleſiam patrem eius, id eſt, Deum vnigenitum, & ſpiritum S. & habere eccleſiam apud ſe ſtatuta quæ ſolui non poſſint. quare, cùm ſint in eccleſia ſtatuta collocata, & bene habeant, & omnia mirabiliter fiant, rurſus deceptor iſte redarguitur. hactenus S. Epiphanius in Aërium hæreticum. eadem in Illyricum, & in omnes Proteſtantes, & Confeſſioniſtas Aërij ſucceſſores, & ab aëreo illius ſpiritu illuſos & deceptos mirificè quadrant.

CAP. XIII. Denũciatio obſecrationis pro fidelibus poſt oblationem hoſtiæ.

*ETIAM atque etiam deprecemur Deum per Chriſtum eius pro munere oblato Domino Deo: vt Deus, qui bonus eſt, ſuſcipiat illud per mediatorem Chriſtum in cæleſte ſuum altare in odorẽ ſuauitatis. item pro hac eccleſia, et populo; itẽ pro omni epiſcopatu, pro cunctis presbyteris, et pro omni miniſterio cum Chriſto, & pro famulatu totius cœtus eccleſiæ: vt vniuerſos conſeruet, ac cuſtodiat Dominus; pro regibus, & iis qui in ſublimitate ſunt, vt ſit illis nobiſcum pax: vt quietam & tranquillam vitam degentes, in omni pietate & honeſtate viuamus. Memoremus martyres ſanctos, vt mereamur certaminis eorum participes fieri. Precemur quoque pro iis qui in fide *1 requieuerunt. item pro cæli temperatione, & maturitate frugum. Precemur etiam pro recenter baptizatis, vt omnes in fide ſtabiliantur, cuncti ſe mutuò hortentur; ſuſcita nos Deus in gratia tua; & ſuſcitati per Chriſtum ipſum commendemus nos Deo. Et dicat epiſcopus: Magne, ac magni nominis, qui es conſilio magnus, & factis fortis, Deus, & pater ſancti filij tui Ieſu Saluatoris noſtri, reſpice nos, & hunc gregem tuum, quem per ipſum elegiſti ad gloriam nominis tui; & ſanctificans corpus, & animam noſtram, præſta, vt puri ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, propoſita bona adipiſcamur; neminemque noſtrum indignum iudices; immò ſis adiutor noſter, opitulator, defenſor per Chriſtum tuum, cum quo tibi gloria, honor, laus, celebratio, gratiarum actio, & ſpiritui ſancto in ſæcula, Amen. Et poſtquàm omnes reſponderint, Amen, dicat diaconus, Attendamus, et epiſcopus edicat populo in hunc modum, Sancta ſanctis. Et populus ſubaudiat, Vnus Dominus, vnus Chriſtus in gloriam Dei patris, benedictus in ſæcula, Amen. Gloria in altiſſimis Deo, & in terra: in hominibus bona voluntas: Oſanna filio Dauid, Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus, Dominus, & apparuit nobis: Oſanna in altiſſimis. Et poſtea ſumat epiſcopus, deinde presbyteri, & diaconi, & hypodiaconi, & lectores, & cantores, & *2 aſcetici, & ex feminis diaconiſſæ, ac virgines, & viduæ: poſtea pueri, & deinde cunctus populus ordine, cum pudore & reuerentia, ſine tumultu & ſtrepitu. Atque epiſcopus*

*1 En canõ Miſſæ ex traditione Apoſtolicæ doctrinę, & conſtitutionis, qui pro piè defunctis precari iubet in Miſſa, ſed de precatione, & de ſacrificio pro defunctis copioſiùs poſtea, ne eadem repetantur.

*2 En teſtimoniũ Apoſtolicæ doctrinæ contra Caluinum, qui gen⁹ monachorum noſtrorum nouitium eſſe



*quidem tribuat oblationem dicens, Corpus Chriſti: & qui accipit, dicat, Amen. Diaconus verò retineat *3 calicem; & tribuens aliis, dicat, Sanguis Chriſti calix vitæ: & qui bibit, dicat, Amen. Recitetur verò pſalmus *4 trigeſimus tertius, dum cæteri omnes communicant. Et poſt communionem omnium tum virorum,*

dicit: quos enim Dionyſius Areop. Pauli diſcipulus monachos vocauit, vt à temporibus Apoſtolorum vſque in hodiernũ diem eccleſia catholica
vocat, hic Apoſtolica doctrina Apoſtolico quoque vocabulo aſcetas appellat, ex eo ſic dictos, quòd in omni genere duræ abſtinentiæ ſe
exerceant, quod ipſius verbi etymologia declarat, dicitur enim aſceta, quòd omni abſtinentia exercitus, corpus ferat in modum vtris ge-
lu compreſſi, & rigentis compreſſum, & extenuatum, ac fere emortuum, ἀσκὸς enim vtrem ſignificat. Vnde Dauid in pſal. 118. de mor-
tificatione, & pœnitentia, factus ſum, inquit, tanquam vter in pruina. Hinc B. Baſilius, quæ de regulis, & inſtitutionibus monaſticis ſcri-
pſit, Apoſtolos ſanctos imitatus, aſcetica nominauit, eſſe autem intelligendos monachos, quos hic Apoſtolica doctrina aſcetas dicit, ex
loco, quo ſunt locati, intelligere licet: ſunt enim locati poſt clerum, epiſcopum dico, presbyteros, diaconos, hypodiaconos, lectores, &
cantores, quia ſtatus monachi, quatenus monachus tantùm eſt, infra ordinem miniſtrorum eccleſiæ eſt; ad quos, vt ait Dionyſius, propin-
quius accedit quàm populus. & in epiſt. ad Demophilum monachos ait locari in eccleſia prope ianuam templi, non vt eas cuſtodiant, in-
quit, ſed vt ordo conſeruetur: & vt ſeipſi agnoſcant, quippe qui propinquiores ſunt populo, quàm clerici. ordo enim clericorum propter
diuinum miniſterium, cui addictus eſt, præſtantior eſt ſtatu ſimplicis monachi. Igitur qui inſtitutum noſtrorum monachorum nouitium
vitæ genus eſſe finxerunt, teſtimonio huius Apoſtolicæ doctrinæ planè redarguuntur. inſtitutum enim monachorum noſtrorum idem
eſt, atque illud priſcum, quod Caluinus in ſuis inſtitutionibus negare non potuit, ſed ab eo noſtrum degenerare dixit, eiúſque nouitiam
profeſſionem appellauit. cùm tamen inſtitutum hodierni monachiſmi aſceticum quoque ſit, ſicut illud priſcum; eſſe enim magis, aut
minus aſceticum, id eſt, durioris ac ſeuerioris, aut minus duræ & ſeueræ diſciplinæ, non variat aſcetici inſtituti genus. illa enim tria ar-
dua, omnium monachorum communia ſunt, in quibus ipſius ἀσκήσεως ſubſtantia & eſſentia conſtituta eſt, ſcilicet perpetuò nihil poſſi-
dere, cælibem eſſe, & tradi totum in præpoſiti poteſtatem, omnibus curis ſæculi depoſitis. De origine verò huius inſtituti ſcripſit ante an-
nos propè ſeptingentos Simeon Logothetes in Chronico ſuo; in quo primos aſcetas ex gente Iudæorum ortos eſſe ait, & à S. Marco
euangeliſta in monaſteriis Aegypti congregatos, quorum vitam, vt Euſebius quoque Cæſarienſis teſtatur, Philon Alexandrinus ſcripſit.
de quo ſic ait idem Logothetes: Quòd autem primos prędicatores euangelicæ doctrinæ, & conſuetudinis à principio ab Apoſtolis traditas
deſcripſit Philon, nemo ignorat: ac de his quidem, inquit, meminit Euſebius. recitat deinde teſtimonium clariſſimum eiuſdem Euſebij
in epiſt. ad Marinum, quod ego in lib. 2. de votis monaſticis à me Latinè redditum produxi, de duabus ſcilicet vitæ formis, ac modis, quos
eccleſia, inquit, ſancit, alterum ſupra naturam, & ſupra communem, & humanam vitam, totum ex omni parte communi ratione vitæ ſu-
periorem; alterum longè infra illum: & quæ ſequuntur. adiecit poſtea teſtimonium magni Athanaſij ex epiſt. ad Ammum de eiſdem
duabus vitæ formis, vna mediocri, inquit, & ſæculari, eorum ſcilicet, qui in matrimonio ſunt: altera verò angelica, & Apoſtolica, eademque
virginali longè excellentiore, id eſt, monaſtica; & quæ ſequuntur, quę in eodem libro, & eodẽ loco à me trãſlata, & recitata ſunt. Tertium
teſtimonium recitauit B. Baſilij de vita hominum in duos ſtatus partita, alterum coniugalem, alterum inſtituti cæleſtis, & angelici: ſic
enim vocat monaſticum ſtatum. Hoc quoque teſtimonium à me totum ibidem repetitum eſt. quo teſtimonio recitato, ecce ergo, in-
quit Logothetes, quomodo hic pater, & diuinus magiſter in duo genera vitæ ait diſtribuiſſe Chriſtum res humanas, in vitam ſæcularem
ac terrenam; & in vitam cæleſtem, angelicam, & Apoſtolicam.
*3 Non facit hic locus Apoſtolicæ doctrinæ cum ſectariis, & nouatoribus laicis, qui calicem volunt. vt enim populus ſanguinem ſume-
ret, illis temporibus Apoſtoli ſancti voluerunt ad ſtabiliendam & roborandam fidem de carne Chriſti contra futuram Manichæorum
hæreſim, quam S. Apoſtoli iam in ſpiritu videbant. Manichæi enim quia corpus Chriſti non carneum eſſe tradebant, ſanguis autem nul-
lius corporis eſt niſi carnis, vt ait Tertull. lib. 4. contra Marcionem, idcirco in communione ſanctæ Euchariſtiæ non ſumebant calicem.
contra quos Leo magnus in ſermone 4. de quadrageſima loquitur. Quare cùm iam Manichæorum hæreſis extincta ſit, & fides de ſangui-
ne corporis Chriſti in hoſtia confirmatiſſima, non opus eſt laicis calice, qui totum alioqui Chriſtum ſumunt; & illis non eſt commiſſa, vt
presbyteris myſtici ſacrificij conſecratio, in qua paſſionis Chriſti, & ſanguinis effuſi repręſentatio ſub vtraque ſpecie fieri, & ſumi debet.
*4 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ cùm pſalmum 33. inter communicandum recitari præcipit, planè docet ad ſacrificium Miſſæ pſal-
mum illum pertinere propter panes illos propoſitionis, quos Dauid à ſacerdote Achimelech accepit, cùm faciem ſuam immutauit co-
ram eo. vnde intuens Dauid per ſpiritum in illum panem vitæ ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, cuius typum eſſe ſciebat panes propoſitionis
qui Deo offerebantur, & hortans ad gratiarum actionem Deo, vnde Euchariſtia dicitur, & ad guſtandum eum, guſtate, inquit, & videte,
quàm ſuauis eſt Dominus. quem verſiculum beatus Dionyſ. ad ſanctam quoque Euchariſtiam retulit in eccl. Hier. c. de communione,
Prophetam ſecutus. idem fit in Miſſa beati Iacobi eccl. Hieroſolym. ſic enim ait, εὔχεται ὁ ἱερεύς, γεύσασθε καὶ ἴδετε ὅτι χρηστὸς ὁ κύριος ὁ με-
λιζόμενος καὶ μὴ μεριζόμενος, ὁ μεταδιδόμενος καὶ μὴ δαπανώμενος εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον· precatur, inquit, ſacerdos, inquiens
guſtate, & videte, quàm ſuauis Dominus, qui ex membris conſtatur, & non partitur; & omnibus fidelibus diſtribuitur, & non conſu-
mitur, in remiſſionem peccatorum, & vitam æternam. & Iſychius eundem verſiculum explanans in comm. pſalm. σαφῶς, inquit, τὸ τῆς
ἐκκλησίας εἰσφέρει μυστήριον ὁ προφήτης, planè, inquit, myſterium eccleſiæ inducit propheta. Si igitur panes illi propoſitionis Deo erant ob-
lati, conſequens eſt, vt ſanctiſſ. Euchariſtia, cuius typus erant, Deo ſit oblata; non enim conuenit, vt oblatio typus fuerit non oblationis.
neque enim dici poteſt, figuram, quæ in oblatione illa typica panum propoſitionis erat, impletam eſſe ſolum in oblatione cruenta Chri-
ſti in cruce de quo dixit propheta Hier. in perſona Iudæorum, mittamus lignum in panem eius. ſi enim tunc ſolum impleta fuiſſet, non
adhiberet hunc pſalmum Apoſtolica doctrina ad communionem, ſed ad ſacrificium in cruce tantùm. Præterea, quomodo diceret ſcri-
ptura Leuitici de illis panibus in menſa poſitis in oblationem Deo, ſancta ſanctorum ſunt de ſacrificiis Domini iure perpetuò, niſi re-
ſpexiſſet lex Leuitici ad aliud ſacrificium perpetuò vſque ad conſummationem ſæculi in nouo teſtamento faciendum ſuper menſam,
quam altare vocat Apoſt. cùm ait, habemus altare, de quo edere non licet iis, qui tabernaculo deſeruiunt? ita quoque Iſychius Hiero-
ſolymitanus presbyter interpretatus eſt legem Leuitici c. 24. ſancta, inquit, ſanctorum menſa eſt, quam de ſacrificio Chriſtus proponit.
Eundem verſiculum, quem dixi, pſalm. 33. beatus quoque Petrus de ſanctiſſ. Euchariſtia accepit eundem prophetam imitatus, cùm ait
in epiſt. priore. ſi tamen guſtaris, quàm ſuauis Dominus; hoc enim dixit de cibo viuifico, qui facit, ſicut dixit, creſcere in ſalutem, qui
non eſt alius, nec eſſe poteſt, niſi caro Chriſti, quæ eſt verè cibus; hunc enim vocauerat tranſlatè lac propter vim augendi quam habet, vt
Dionyſ. in epiſt. ad Titum notauit, lac autem eſt cibus proprius infantium, de quibus idem Petrus proximè meminerat accõmodatè ad
lac, quod rationale vocauit, quia cum probatione ſui, & cum iudicio ſumendum eſt; ſine dolo autem: quia ſicut lac nullas reddit ima-
gines, vt Greg. Nyſſ. in comment. Cant. cant. notauit, ſic oportet omnes ſimulationes & phantaſias exuere accedentem ad hoc diuinum
lac. Deinde, quia cum Chriſto in his myſteriis ſumma vnione, vt ait diuinus Dionyſ. copulamur, ſi tamen, inquit, nos tanquam membra
corpori, ei coagmentemur ſimilitudine vitæ diuinæ, ac non potius extincti mortiferis paſſionibus, neque compacti, nec adglutinati di-
uinis, & ſaniſſimis membris, eorumque vitæ participes eſſe poſſimus. hactenus Dionyſ. idcirco beatus Petrus in eandem ſententiam li-
cet alia metaphora vſus, ſubiungit, ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, &
honorificatum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini offerre hoſtias ſpirituales acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Lapides
ergo & viuos eſſe oportet, qui cum viuo lapide Chriſto coagmentari voluerint in ædificio templi Dei, quod ſumus nos, vt ſic ſuperædifi-
cati, & facti templum Dei offeramus hoſtias ſpirituales, quas B. Petrus dicit: etenim ſecundum conſequentiam verborum, & ſententiæ ad
illa, quæ panes illi propoſitionis figurabant, quos ſacerdotes in menſa quotidie in oblationem Deo ponebant, de quibus ſic figuratis Da-
uid dixit in ſpiritu, guſtate, & videte, quàm ſuauis eſt Dominus, & B. Petrus paulò ſuprà, ſi tamen guſtatis, quàm ſuauis Dominus, ad illa
inquam, in primis pertinent hoſtiæ iſtæ ſpirituales, quas nunc B. Petrus dicit. vt enim illi veteres ſacerdotes miniſtri tabernaculi panes
illos in oblationem Deo pro cuncto populo in menſa quotidie ponebant, ſic ſacerdotes noui teſtamenti propriè tanquam miniſtri panem
viuum myſticè offerunt pro ſe, & pro populo; laici verò non per ſe, ſed per ipſos illos miniſtros eccleſiæ offerunt, ſicut ſacerdos ipſe in

canone præfatur, memento, inquiēs, Domine famulorū

*rum, tum mulierum, ſumant diaconi *5 reliquias, & inferant in tabernaculum, & diaconus poſtquàm finem fecerit, qui pſallit, dicat:*

famularumque tuarum, & omnium circumſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, & quæ ſequuntur. hoſtiæ igitur ſpirituales, quas ſacerdotes miniſtri eccleſiæ in primis offerunt in eccleſia, & laici per ipſos, cultus myſtici Miſſæ noſtræ ſunt, quos ſacerdos orat, & populus, vt ſint accepti Deo per Ieſum Chriſtum, qui in ipſis myſteriis eſt, qui per ſe eſt hoſtia accepta Deo, & pro peccatis noſtris propitiatoria, idem offerens, & oblatus. Sed quia aduerſarij noſtri, & ſacrificij altaris hoſtes, qui aliter ſua defendere non poſſunt, niſi negando, calumniando, ſubterfugiendo, & tergiuerſando, negabunt fortaſſe pertinere hunc pſalm. 33. ad Achimelech ſacerdotem, & ad gratiarum actionem Deo pro panibus illis, dicent enim non immutaſſe tunc faciem, vt fertur in pſalmi inſcriptione, ſed cùm fugit ad Achis regem. Reſpondemus iſtis quod ait Euſebius Cæſar. in commentariis eruditiſſimis pſalmorum, ἔργον θρασὺ καὶ προπετὲς ἡγοῦμαι τὸ ἀποφήνασθαι τολμᾶν τὴν θείαν γραφὴν ἡμαρτῆσθαι. καὶ τοσοῦτον περιέχειν σφάλμα, ὡς ἀντὶ ἀλλοφύλου ἀνδρὸς ἱερέα θεοῦ παρεισῆχθαι, μάλιστα ὅτε καὶ ἡ ἑβραϊκὴ ἀνάγνωσις καὶ οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ πάντες τὸν ἀχιμέλεχ ἔχουσι. opus, inquit, audax, & temerarium eſſe arbitror, pronunciare erratum eſſe in ſcriptura; & vſque adeò magnum lapſum in ea eſſe, vt pro alienigena ſacerdos Dei ſuppoſitus fuerit: præſertim cùm lectio Hebraica, & cæteri omnes interpretes Achimelech habeant. itaque interpretatur Euſebius, immutaſſe perſonam Dauid coram Achimelech, quia alia pro aliis dixit. perſonam, inquam, fugientis Saulem mutauit in perſonam miſſam à Saule rege cum mandatis. idem quoque ſenſit B. Baſilius, vt in ore duorum vel trium ſtet omne verbum. Poſtremò atteſtatur eccleſiaſtica conſuetudo gratias agendi etiam poſt ſumptos cibos corporis aliquot verſiculis pſalmi huius recitatis. quæ conſuetudo à patribus noſtris tradita eſt, & illis à maioribus, & maioribus illis ab aliis ſuperioris ætatis, & illi ſuperiori ætati ab alia item ſuperiore vſque ad originem; vt iam nemo ſanæ mentis ad primos eccleſiæ magiſtros hanc originem reuocare dubitet.

*5 Ecce Apoſtolica doctrina, & conſtitutio, quæ Philippum, & eos qui eum ſequuntur, condemnat, cùm tradit in reſponſione ad art. Banaricæ inquiſit. art. 9. ſolam ſumptionem Euchariſtiæ inſtitutam eſſe & præceptam his verbis, hoc facite in meam commemorationem: de oblatione autem, & aliis ſpectaculis, (ſpectacula enim vocat, offerre, adorare, circumferre, reponere) ait nullam eſſe ſyllabam. itaque affirmat in eodem loco, extra vſum ſumptionis idololatriam eſſe in oblatione, repoſitione, circumgeſtatione. contra hanc hæreſim probaui lib. 4. defenſionis epiſtolarum pontificum Apoſtolicorum c. 19. veritatem catholici dogmatis auctoritate ſcripturæ S. & ſacrorum conciliorum. nunc ne eadem repetamus, alia quædam afferemus. ac primùm quidem traditionem Apoſtolicæ conſtitutionis hic à Clemente Romano litteris mandatam iſtis obiicimus, quæ vſque in hodiernum diem per omnes eccleſias Orientis, & Occidentis viget de ſeruandis reliquiis ſanctæ Euchariſtiæ in ſacrario, ſiue tabernaculo eccleſiæ; cuius traditionis teſtem citamus conſuetudinem ipſam omnium eccleſiarum, quam quidem aliunde, quàm ex Apoſtolica traditione profectam eſſe, proferri non poteſt; nec vnquam Proteſtantes proferre potuerunt, neque poterunt. Rurſus verò conſuetudinem iſtorum à Martino Luthero primùm inſtitutam nos vno verbo Apoſtoli refutamus, cum eo dicentes, nos talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſia Dei. immò vt hic Philippum verbis ſuis redarguamus, id eſt, ſuo gladio iugulemus, cùm ait, ſolam ſumptionem eſſe inſtitutam, de oblatione verò, adoratione, repoſitioneque ſyllabam nullam, nos rurſum interrogemus eum, vbi eſt ſyllaba vlla de non adoratione, & non repoſitione? aut ſi nulla eſt ſyllaba ſcripta de repoſitione, vel non repoſitione, & ſimiliter de adoratione, oblatione, circumgeſtatione, cur conſuetudinem, quam eccleſia Dei per cunctum Orientem, & Occidentem tenet, ſine verbo Dei repudiarunt? quòd ſi Chriſtus non dixit, ego ſum conſuetudo, quod iſti ex Tertulliano reſpondere ſolent, (tametſi idem Tertull. in alio loco conſuetudinem defendens, non refert, inquit, ſcriptura, an ratione conſuetudo conſiſtat, quando & legem ratio commendat) at Paulus qui ſpiritum Chriſti habebat, rurſus dixit ad defendendam conſuetudinem eccleſiæ de velando capite mulieris contra eos qui eam reſpuebant, nos talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſia Dei. quod verbum planè Proteſtantes contemnunt, cùm conſuetudines eccleſiaſticas contemnunt. Deinde, qui nihil niſi ſcriptum recipere volunt, cur verbum Dei, quod Apoſtolus de traditionibus ſine ſcripto tenendis ſcripſit, negligunt? Tenete enim, inquit in epiſt. ad Theſſ. traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Dicent fortaſſe, non eſſe hoc de repoſitione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, de qua agimus, ab Apoſtolis traditum. nos teſtimonio conſuetudinis omnium eccleſiarum Orientis, & Occidentis probamus ſine ſcripto traditum eſſe, & inſuper auctoritate Apoſtolicæ doctrinæ à Clemente Romano Apoſtolorum diſcipulo ſcriptæ; contrà verò iſti, non eſſe ab Apoſtolis ſine ſcripto traditum, nulla ſcriptura, nullo teſtimonio, nullo argumento, nulla eccleſiarum conſuetudine probare vnquam conati ſunt, neque conabuntur. Denique nos propter veritatem noſtri dogmatis, id eſt, quia Chriſtum habemus in tabernaculis eccleſiarum tanquam ſponſum in thalamo ſedentem, idcirco ſemper habemus eccleſias domos orationis iuxta propheriam Eſaiæ, cùm prophetans de eccleſia noui teſtamenti ex gentibus congregata, & filios aduenæ, inquit, ſiue alienigenas, vt 70. verterunt, adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocauſta eorum, & victimæ eorum placebūt mihi ſuper altari meo, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus. Proteſtātes verò tales domos orationis ab Eſaia prophetatas non habēt, quia ſacrificium ſuper altare, quod in eccleſiis eſt, non ſolum non habent, ſed nec habere poſſe, contra verbum Dei, quod os Domini per prophetam ſuum locutum eſt, profitentur. Nos etiam eccleſias habemus, in quibus quod Dominus per Ezechielem prædixit, & promiſit, perpetuò impletur. quia enim Chriſtus primitiæ dormientium, & ſpes noſtræ reſurrectionis per communionem corporis ſui reſuſcitabit nos, ſicut ipſe dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die, idcirco poſt illam admirabilem & ſtupendam reſurrectionis omnium viſionem, & deſcriptionem prophetans Ezechiel valde appoſitè & opportunè de myſterio corporis Chriſti, percutiam, inquit, illis fœdus pacis: & ponam ſancta mea in medio eorum in ſempiternum. Sic enim eſt apud 70. ſancta vocat Dominus hic carnem ſuā viuificam, & virtute ſua ſanctificantem. ſic enim Paulus interpretatus eſt ſancta iſta in actis Apoſt. c. 13. cùm ait, quòd autem ſuſcitauit eum à mortuis amplius iam non reuerſurum in corruptionem, ita dixit, quia dabo vobis ſancta Dauid fidelia: ideoque & aliàs dicit, non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Sic etiam frequenter dicimus in orationibus Miſſæ ſancta tua, carnem & ſanguinem Chriſti intelligentes. hæc igitur ſancta in medio noſtrûm ſunt, quia in eccleſiis, quæ ſunt inter nos, repoſita ſunt. declarat autem adhuc magis hoc, ſubiungens, & erit tabernaculum meum in eis. hoc verò de eccleſiis, vel potius ſpeluncis Confeſſioniſtarum dici non poteſt, non enim habet Chriſtus ſub ſpecie panis tabernaculum in eis, vt in noſtris habet, in quo habitat. vt enim voluit Dominus humiliare, & exinanire ſe, ita vt ſub ſpecie panis, & vini eſſet, ſic etiam, vt habitaret inter nos in medio noſtrarum eccleſiarum. Si dixerint Confeſſioniſtæ, eum, qui dignè ſumit, dignius tabernaculum Chriſti fieri, & nos fatemur. ipſe enim dixit aliàs, quoniam inhabitabo in illis; & ambulabo inter eos. Sed rurſus dicit ſcriptura, ponam ſancta mea in medio eorum. aliud namq; eſt, eſſe ſancta in eis; aliud, in medio eorum. Confeſſioniſtæ igitur nolunt, vt ſancta ſint in medio eorum: ſed tantùm in eis contra verbum Dei, cuius interpres eſt Apoſtolica traditio, vnde conſuetudo collocandi ſancta in tabernaculis, quæ Apoſtolica doctrina paſtophoria vocat, manauit. vt iam non tantùm ſit tabernaculum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſpirituale, & intra nos, ſed externum, & viſibile in medio noſtrum omnium ſecundum verbum Dei. ex quo illud commodi, & fructus non parui accedit nobis, quòd frequētiùs, alacriùs, ſtudioſiùs ac fidentiùs ad eccleſias imus; ac maiore religione, reuerentia, & deuotione ibi oramus, vbi ſcimus eſſe noſtrum ſanctificatorem: ſicut ait in eodem loco propheta Ezechiel, & ſcient gentes, quia ego Dominus ſanctificans eos, eo quòd ſancta mea in medio eorum ſunt. Sic eſt apud 70. deinde mirificè nos recreat, quòd ſcimus ſemper paratum eſſe nobis viaticum cæleſte, quacunque hora diei ac noctis ægroto opus ſit. non ſic apud Confeſſioniſtas, qui poſt ſumptionem nihil ſibi relinqui volunt: quod meritò, & iuſto Dei iudicio eis euenit, vt qui nihil præter nudum panem, & merum vinum ſumunt, quia ſacerdotes, qui conſecrent, non habent, ſimiliter nihil relinqui credant. Nos præterea habemus eccleſias domos Dei plenas gloria, vt Aggæus prophetauit, propter ſancta, quæ in eis die ac nocte repoſita ſunt, in quæ deſiderant angeli videre. hoc enim quod B. Petrus dixit, ad myſteria corporis, & ſanguinis retulit S. Marcus in Miſſa eccleſiæ Alexandrinæ, quæ extat; ſic enim precatur ſacerdos poſt conſecrationē: ψυχῆς εὐεργέτα ὁ τοῖς ὀλιγοψύχοις εἰς σὲ πεποιθόσι διδοὺς εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσι ἄγγελοι παρακύψαι, & quæ ſequuntur. ait ergo Aggæus, & implebo domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum: magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ. non negabunt Confeſſioniſtæ, eſſe hanc propheriam de eccleſia noui teſtamenti, niſi malint eſſe Iudęi, eccleſia enim noui teſtamenti eſt domus Dei nouiſſima, poſt quam non erit alia in terris: cuius gloria ſuperat gloriam primæ, quæ fuit maior quàm ſecundæ. Sed vnde gloria iſta tanta, niſi à Domino gloriæ, qui in ea habitat ſemper? apud Confeſſioniſtas verò non habitat, quia negant eſſe in his myſteriis Dominum gloriæ, excepto illo momento & puncto temporis, quo ſumitur, quo tranſacto, nulla domus

Dei



Dei ſecundum iſtos remanet, cuius gloria ſuperet gloriam domus Dei à Salomone ædificatæ, & dedicatæ; cum Domino enim gloriæ pariter abſtulerant imagines ſanctorum, eorumque reliquias, & ſacrarum ædium conſecrationes. vt iam hac in parte inferiores ſint, quàm Iudæi. noſtra verò eccleſia, quia domus Dei eſt, in qua ſemper Dominus gloriæ habitat, vt Euſebius Alexandr. in homilia de die Dominico ait, cælo eſt altior, ſole ſplendidior, luna, & aſtris nitidior, vniuerſo mundo honoratior. neque dici ab iſtis poteſt, non prophetaſſe Aggæum de domo Dei externa, & ſenſibili nouiſſima, in qua Chriſtus externè habitat, ſed de domo Dei, quæ ſumus nos, in quibus habitat per ſpiritum, & per communionem carnis ſuæ. non poteſt, inquam, dici hoc, quia propheta cum domo Dei ſenſibili, & externa à Salomone ædificata, & dedicata comparat nouiſſimam; oportet igitur, vt nouiſſima, quæ comparatur, externa quoque ſit, & ſenſibilis, alioqui quomodo Iudæos conuincemus fruſtra eos inſtaurationem templi expectare, ſi non poſſumus oſtendere templum nouiſſimam Dei domum, gloriam primæ domus nocte & die ſuperantem? Deinde, ſi tabernaculum teſtimonij, vt Apoſt. doctrina lib. 2. c. 25. ait, typus erat eccleſiæ κατὰ πάντα, ſic enim ait, id eſt, in omnibus, quia etiam, inquit, nomine ipſo teſtimonium eccleſiæ dabat, ergo quæ in tabernaculo erant, arca, in qua perpetuò erat manna repoſitum, menſa in quā panes propoſitionis ſemper, & alia, de quibus non eſt nunc dicendum per ſingula, neceſſe eſt, vt in eccleſia noſtra oſtendantur impleta re ipſâ, quorum illa erant typi, & vmbræ; ſiquidem lex vmbram habebat futurorum bonorum. hoc verò cùm Confeſſioniſtæ facere non poſſint, conſequens eſt, vt veteres illas vmbras vanas faciant, & incaſſum fuiſſe dicant. contra verò noſtræ eccleſiæ teſtimonium nocte & die præbent fuiſſe illa horum corporum vmbras, noſtræ enim eccleſię verū manna habent ſemper in ſacrario repoſitum, cuius vmbra erat illud manna, quod perpetuò in arca ſeruabatur, vt Dominus in euangelio Ioannis c. 6. docuit; habent etiam omni tempore myſticos panes propoſitionis tum ad adorādum, tum ad neceſſitatem viatici, quacunque hora opus ſit, paratos, quos recentibus quoque mutamus, ne ſpecies panis corrumpatur. fuiſſe autem illos typum panis cæleſtis, paulò ſuprà ca. 13. auctoritate ſcripturæ S. probaui. item habent eccleſiæ noſtræ, ſicut Apoſt. ait, ſacerdotem magnum ſuper domum Dei, id eſt, ſuper eccleſiam, qui eſt propitiatio noſtra, cuius typus erat illud vetus propitiatorium ſuper arcam, quæ figura erat eccleſiæ, quod propheta Abacuc præſignificauit, cùm in illa ſua prophetica oratione dixit, in medio duorum animalium cognoſceris, ſic enim eſt apud 70. quem locum interpretans B. Cyrillus in commentariis ſuis, cognoſceris, inquit, Domine, quis futurus ſis factus homo; cognoſceris, inquam, ex exemplo tabernaculi eſſe propitiatorium: fuiſti enim in medio duorum animalium, hoc eſt inter duos cherubinos, hos enim animalia vocat, quia vitam participant. Cognouimus itaque, inquit, Chriſtum factum propitiationem, typicè delineatum in lege inter duos cherubinos; ſemper enim aſtant ei ſuperæ poteſtates. ex iſta ſpirituali interpretatione illius veteris typi manauit, vt frequenter in noſtris eccleſiis collocari ſoleant effigies duorum cherubinorum ex vtroque latere tabernaculi in quo ſanctiſſima Euchariſtia propitiatio noſtra repoſita eſt, vt comparatis rebus ipſis cum typis illis firmior efficiatur fides. Quòd ſi propter tabernaculum, propitiatorium, menſam, panes, & alia vaſa in cultum Dei, Deus dicebatur habitare in medio eorum, ſicut ſcriptum eſt in Exod. facientq; mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum iuxta ſimilitudinem tabernaculi, quod oſtendam tibi, & omnium vaſorum in cultum eius, & quæ ſequuntur; conſequens neceſſariò eſt, vt vbi non iam vmbræ illæ futurorum tunc bonorum, ſed ipſa bona ſunt, ibi veriùs habitet. in templis igitur noſtris habemus Deum non in vmbris iam, vt olim habitantem per ſpiritum ſuum tantùm, ſed per carnem filij Dei propriam, per quam adoratur, offertur, circumgeſtatur, reponitur. Sic enim adimpletur in rebus, quod de figuris rerum dictum erat, facient mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum: & illud Ezechielis, de quo ſupradictum eſt, ponam ſancta mea in medio eorum. Ad hæc ergo ſancta in medio noſtrum poſita ſemper die ac nocte accedere poſſumus non ſolùm ſpiritu, ſed etiam corpore cum plenitudine fidei, & reuerentia ad adorandum, precandum, poſtulandum, gratias agendum, non tantum ad ſumendum. ad hæc enim omnia habemus, ſicut Apoſt. ait, ſacerdotem magnum ſuper domum Dei: non dixit ſuper cælum. domum verò Dei dicit, in qua fideles congregantur, & colliguntur ad cultum myſticum Miſſæ. ad hanc collectionem non deſerendam opportunè ſtatim hortatur, cùm ait, non deſerentes veſtram collectionem, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam. Sacerdotem magnum ſuper domum Dei vocat paulò pòſt hoſtiam, vt intelligamus eundem eſſe ſacerdotem, & hoſtiam, offerentem, & oblatum, ſicut eſt in Miſſa B. Baſilij. non dixit Apoſt. habentes ſacerdotem magnum, & hoſtiam ſuper domum Dei, cùm ſumitur tantùm: quod quidem videtur dicendum fuiſſe, ſi ſumptio tantùm inſtituta fuiſſet. immò neque dixit, accedamus ad ſumendum ſolum, & ſi omnia ſummatim complexus eſt, quæ ad dignè ſumendum neceſſaria ſunt, nempe accedere cum vero corde in plenitudine fidei aſperſos corde à conſcientia mala, & ablutos corpus aqua munda, quia ſcilicet multi poſſunt accedere, qui non ſemper corporaliter, ſed ſpiritualiter tantùm ſumunt. atqui ſi non licet adorare, nec ibi Chriſtus eſt, niſi ei tantum qui ſumit; quia Chriſtus dixerit, accipite, & manducare, non debebat Apoſtolus hortari, vt accedamus ad ſacerdotem magnum ſuper domum Dei bene præparatos, ſed vt accedamus ad ſumendum ſolum. Cur igitur Proteſtantes addunt verbum ſuum verbo Dei? vt quod non dixit ſcriptura, dictum eſſe faciant loquentes mendacium, quia ex propriis loquuntur, ſicut pater eorum diabolus. Denique vt hunc locum finiam, cùm tradunt iſti ſumptionem tantùm inſtitutam eſſe, & peracta ſumptione non poſſe remanere Euchariſtiam, vt adoretur, deferatur, circumgeſtetur, reponatur, faciunt non differre hunc cibum cæleſtem ab aliis cibis terrenis; ſiquidem in hoc cæleſti cibo euenire volunt quod in illis terrenis. vt enim cibus terrenus ore ſumptus, & in ſtomachum traiectus, non amplius idem remanere poteſt, ſic apud iſtos eorum Euchariſtia, quam putant, ſumpta ſemel non poteſt remanere: at B. Iacobus, vt à ſanctis Apoſtolis, immò à Chriſto didicit, ſic ait in Miſſa Hieroſolymit. eccleſiæ, μεταδιδόμενος, ἀλλὰ μὴ δαπανώμενος, id eſt, diſtributus, ſed non conſumptus. Denique ſynodus Nicæna, cui Proteſtantes ſcio non derogant fidem, canone LXIIIJ. ex Arabico tranſlato, ſic ſanxit de cuſtodia ſanctiſſ. Euchariſtiæ: Sit in vnaquaque eccleſia œconomus, & cum eo alij qui curam habeant prouentuum & redituum eccleſiæ, ac vaſorum auri, & argenti, & veſtimentorum, & ornamentorum eccleſiæ; habeant deinde curam loci, in quo ſancta Euchariſtia ſeruatur, & quæ ſequuntur. iſti ſunt ex diaconis, qui huic curæ præſunt.

Cap. XIIII. Denūciatio obſecrationis & gratiarū actionis poſt cōmunionem.

QVI *pretioſum corpus, & pretioſum ſanguinem Chriſti participauimus, agamus gratias, quia dignatus eſt nos cōmunione ſanctorum ſuorum myſteriorum; & obſecremus, vt non fiat nobis in iudicium, ſed in ſalutem, in vtilitatem animæ, & corporis, in cuſtodiam pietatis, in *1 remiſſionem peccatorum, in vitam ſæculi futuri. Surgamus in gratia Chriſti, & noſipſi Deo ſoli, ingenito Deo, & Chriſto eius commendemus. & epiſcopus agat gratias.*

*1 En Apoſtolica doctrina, quę teſtatur myſteria corporis & ſanguinis Chriſti data eſſe nobis ad remiſſionem peccatorum. Chriſtus igitur ſub ſpecie panis, & vini propitiatur pro peccatis noſtris: & nos ſi digni ſumus iſta eius propitiatione, vt adiuuante eo eſſe poſſumus, veniam peccatorum obtinemus. ex quo rurſus ſequitur, vt Chriſtus cruentè in cruce pro peccatis noſtris Deo patri oblatus cum illis tantùm ad ſalutem valeat, qui cum eo copulantur, non niſi per hæc myſteria valeat; ſiquidem cum Chriſto copulamur per communionem corporis & ſanguinis eius, quæ in ipſa myſtica benedictione panis, & vini idem Chriſtus offert Deo patri, vt ſit idem offerens, & oblatus. Quare cùm Confeſſioniſtæ ſacerdotes eccleſiæ catholicæ negant, & eorum ſacrificia item negant aientes, nullum eſſe ſacrificium propitiatorium, niſi ipſum agnum Dei, & nullū alium ſacerdotē, quod ad propitiationem attinet, niſi filiū Dei, ſic enim ſcribit Nicolaus Selneccerus Confeſſioniſta in ſuo Analecto tractatu 3. c. 14. de erroribus in cœna Dominica, apparet manifeſtè, nō intelligere iſtos, neq; quæ loquuntur, neque de quibus affirmāt. nos enim hoc ipſum quoq; tradimus, & ſemper profeſſi ſumus, nullū eſſe ſacrificium propitiatorium niſi ipſum agnū Dei, qui eſt vnicus agnus, & nullum alium ſacerdotem propitiantem virtute propria, niſi filiū Dei. Sacerdotes enim eccleſiæ, & Dei miniſtri nō offerunt ἐξιλάσκοντες, ſed λατρεύοντες, id eſt, non offerūt propitiātes, ſed myſtico cultu propitiatori miniſtrantes; neq; ſacrificiū, quatenus eſt opus ſacerdotis Chriſto ſeruientis, aliud eſt quàm μυστικὴ λατρεία, id eſt, myſticus cultus, ſic enim vocat Miſſam, quam ſacerdotes celebrant, Apoſt. doctrina in fine c. 15. cùm ait finita Miſſa, ite in pace. Deinde ſubiungit, hæc de myſtica latria nos Apoſtoli vobis epiſcopis, & presbyteris, ac diaconis conſtituimus. Hic autem myſticus cultus, quem ſacerdos adhibet Deo pro ſe, & pro aliis, ſi acceptus eſt Deo, reputatur ad iuſtitiam eis pro quibus ex fide, & dilectione eorū acceptus eſt Deo: qui autē iuſtificat, eſt ipſe agnus myſticus, qui eſt Chriſtus in cruce per ſanguinem,



&

& idem in altari myſticè immolatus. hoc eſt opus operatũ à Chriſto, qui panẽ, & vinũ mutat in ſeipſum, cui operi operato attribuitur remiſſio peccatorũ, non autẽ operi noſtro, vt Confeſſioniſtæ inuidioſè fingunt. Cùm enim Chriſtus per os miniſtri ſui illa ſacra & myſtica verba rite pronunciãtis panẽ & vinũ virtute ſua in illud ipſum corpus in cruce ſacrificatũ mutat, tunc ſe in ipſa conſecratione, qua fit illa ſtupenda mutatio, ſacrificat, non quidẽ iterum per ſanguinem, abſit, ſic enim vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos, ſed incruentè, & myſticè. etenim ſi mutatio illa facta in cruce ex viuo in mortuum intercedente vera morte ſacrificium fuit pro nobis in Dei gloriam, ſicut tunc fit ſacrificium ouis aut agni, cùm ex non mactato in mactatum mutatio fit, cur non ſit, & dicatur ſacrificium mutatio iſta myſtica panis & vini pro nobis facta in idem corpus, quod pro nobis mortuum fuit? Deinde ſi vis ſacrificij in cruce facti eſt æterna, & fructus eius percipitur in cœna Domini, vt ipſi Confeſſioniſtæ conſitentur, ſic enim ſcribit Lucas Loſſius in ſuo catechiſmo in quæſtionibus de ſacrificio Miſſæ, ergo ſecundum iſtos propitiatoria eſt cœna; ſiquidem fructus ſacrificij in cruce, non poteſt in cœna percipi, quin ipſa cœna illum ipſum fructum, qui percipitur, efficiat, cùm ſit idem Chriſtus. neque rurſus illum ipſum fructum ſacrificij in cruce facti poteſt efficere, quin ſecundum iſtos propitiatio ſacrificij in cruce ſit propitiatio ipſius cœnæ, cùm ſit vnum & idem corpus Chriſti viuificum, & natura ſua propitiatorium, & peccata delens in iis qui per gratiam Dei digni fiunt. Quod igitur nos de ſacrificio myſtico tradimus, ſentientes & loquentes, ſicut Apoſtolica traditio, quam eccleſia catholica tanquam depoſitum fideliter cuſtodit, ſentire & loqui docuit, hoc Confeſſioniſtæ de cœna Dominica confiteri coguntur, id eſt, quod nos cœnæ tribuimus, quatenus Chriſtus cùm panem, & vinum in cœnam myſticam veri corporis, & ſanguinis ſui mutat, ſeipſum offert Deo patri pro nobis, vt nos illum dignè ſub illa ſpecie edendo, cum eo ſumma vnione copulemur, hoc iſti non ratione oblationis Chriſti ab ipſo factæ myſticè, tribuunt cœnæ, ſed ratione manducationis tantum. Sed quo magis eos reuincamus, interrogemus, cœna Dominica vbi paratur à Domino, vt de ea comedamus? in menſa, reſpondebunt. Quæramus rurſus, eſt ne menſa iſta altare, an non? certè altare eſſe negare non poſſunt, niſi verbum Dei negent: ſic enim ait Apoſtolus de menſa iſta, habemus altare, de quo edere non licet iis qui tabernaculo deſeruiunt. quòd ſi altare eſt de quo edimus, ſecundum Apoſt. ergo victima in eo immolatur. quod magis verbum Græcum declarat, θυσιαστήριον enim, id eſt altare, ἀπὸ τῆς θυσίας, id eſt, à ſacrificio quod ſuper eum fit, dicitur, nec enim dici poteſt, quod ab iſtis ſolet, eſſe cœnam ſacrificium χαριστήριον ſolum, id eſt, tantùm ratione gratiarum actionis, orationes enim & gratiarum actiones vt non comeduntur, ita non indigent menſa, id eſt, altari externo, quia altare huiuſmodi ſacrificiorum cor eſt, & anima ipſa. ergo ſi cœna Dominica de altari eſt ſecundum ſcripturam, ac proinde de ſacrificio ibi facto à Chriſto, ſacrificium autem non fit ibi à Chriſto morte intercedente, & cruente, relinquitur, vt fiat myſtica repræſentatione illius cruenti. quare de ſacrificio myſtico & incruento eſt cœna, quæ ratione manducationis in menſa paratur, ratione ſacrificij in altari: vt cœna, inquam, eſt, menſæ conuenit: vt autem ſacrificium, altari. non enim dici poteſt cœnam eſſe de ſacrificio cruento in cruce, ſiquidem non eſt cœna homophagia Capharnaitarum. Præterea, qui negant fieri Dominicam cœnam ex hoſtia à Chriſto ſuper altare oblata Deo patri, aliud verbum Dei inſuper negant, cùm ait Apoſt. voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, verbum enim Dei negat, qui ſecundum dogma ſuum locum verbo Dei non relinquit, vt eo vti poſſit. Quæro ergo à Confeſſioniſtis, quibus dicere poſſunt ipſi, immò debent hoc quod Apoſtolus ait, voluntariè peccantibus non relinqui iam hoſtiam pro peccato eorum? iis planè reſpondebunt, quibus negare poſſunt & debent Dominicam cœnam, ſiquidem in ea, vt ipſi quoque tradunt, virtus illius vnici ſacrificij cruenti æterna percipitur. hanc igitur cœnam Dominicam Apoſtolus vocat hoſtiam, quam eccleſia catholica illis omnibus, quos ſcit in peccato voluntariè perſeuerare, nec eccleſiam audire velle, negat, & ab ea arcet; hoc enim ſignificat, non relinqui hoſtiam pro peccato voluntariè peccantibus, pro quo Confeſſioniſtæ ſecundum dogma ſuum dicturi ſunt, voluntariè peccantibus non relinqui cœnam Dominicam pro peccato, ſi negare verbum Dei volunt: aut ſi negare nolunt, confitebuntur cœnam Dominicam, hoſtiam quoque eſſe; & qui cœnam Dominicam ſumunt, de ſacrificio ſumere ſecundum ſcripturam. Deinde, ſi non loqueretur Apoſtolus de hac hoſtia incruenta cœnæ Dominicæ, quæ in eccleſia fit, quorſum meminiſſet ſtatim in eodem loco de collectione, quam vt non deſerant hortatur? collectionem enim vocat eccleſiam, ad quam aliqui non veniebant. in eccleſia enim vt nunc, ſacrificium Miſſæ celebrabatur. eodem quoque verbo ἐπισυναγωγὴ, quo hic vſus eſt Paulus, vocatur eccleſia in Miſſa eccleſiæ Alexandrinæ S. Marci, quæ, vt antea dixi, hodie extat, & in Miſſa eccleſiæ Hieroſolymitanæ S. Iacobi. Hactenus ſcholion.

Cap. xv. Imploratio poſt cõmunionem.

*1 Si hæc myſteria data nobis ſunt, ſicut Apoſtol. doctrina teſtatur, εἰς πληροφορίαν ſcilicet fidei, id eſt, vt pleniſſimè credamus, quæ nouimus de Chriſto, profectò pleniùs nos credimus Chriſtũ pro nobis ſe in cruce cruentè immolaſſe, qui credimus, adhuc ſe pro nobis in altari myſticè immolare, quoties panem, & vinum in corpus ſuũ mutat, vt de ſacrificio eius myſtico, & incruẽto in memoriã illi[9] cruẽti comedam[9], quam ij credũt qui hoc negant. Quare Cõfeſſioniſtæ cùm non credũt faciẽtes Dominicam cœnã, quam ipſi putant, ſe de ſacrificio incruento edere, eo minus credunt ſacrificium Chriſti cruẽtum. cur enim non credunt ſacrificium Chriſti incruentum, quod ab ipſo Chriſto fit, ſi conſequens eſt, vt hoc credẽdo, magis illud credãt? ſiquidem hoc propter illud fit, vt tota, inquam, virtus, & fructus illius cruenti per hoc incruentũ nobiſcum communicetur, quod ipſi Confeſſioniſtæ de cœna conſitentur.

*DOMINE Deus omnipotens, pater Chriſti tui, benedicti filij, qui exaudis eos qui te recto corde implorant, qui poſtulationes tacentium noſti, gratias agimus tibi, quòd nos dignatus es participatione ſanctorum tuorum myſteriorum: quæ nobis præbuiſti, vt in iis, quæ bene nobis cognita ſunt,*1 plenitudinem fidei habeamus, et ad cuſtodiam pietatis, & ad veniam peccatorum valeant: quoniam nomen Chriſti tui inuocatum eſt ſuper nos: & in familiaritatem tuam recepti ſumus. Qui ſeparaſti nos à communione impiorum, cõiunge nos cum iis, qui tibi conſecrati ſunt. Firma nos in veritate per ſpiritus ſancti aduentum. patefac nobis, quæ ignoramus, & quæ deficiunt, ſupple. Quæ cognita habemus, fac firma; conſerua ſacerdotes extra omne vitium & maculam in cultu tuo. Reges cuſtodi in pace; magiſtratus in iuſtitia: aërem in temperatione commoda: fructus in vbertate: mundum in prouidentia omnipotenti: Bellicoſas nationes manſuefac: Aberrantes in viam reduc: Populum tuum ſanctifica: virgines conſerua: Matrimonio iunctos cuſtodi in fide: caſtos robora; infantes fac creſcere; nouos Chriſtianos firma: catechumenos erudi, & fac vt exiſtant digni baptiſmo: Noſque omnes congrega in regno cælorum, in Chriſto Ieſu Domino noſtro: cum quo tibi gloria, honor, cultus, & ſancto ſpiritui in ſæcula, Amen. Et dicat diaconus: Deo per Chriſtum ipſius inclinate: &, Accipite benedictionem. & epiſcopus precetur dicens: Deus omnipotens, qui verax es, & cum quo nihil conferri poteſt, qui in omni loco ades, & omnibus præſens es, qui in nulla re exiſtis, tanquam res aliqua quæ contineatur, qui non es circumſcriptus locis, non ſeneſcens temporibus, non terminatus ſæculis, qui verbis non ſeduceris, non es ortui ſubiectus, neque cuſtodia indiges, qui non potes capere interitum, neque mutationem, qui es natura immutabilis, qui lucem habitas inacceſſibilem, qui es natura inaſpectabilis, qui cognoſci potes ab omnibus naturis ratione vtentibus, quæ te bene-



beneuolè quærunt; quem intelligunt, qui in beneuolentia inquirunt; Deus Iſraël verè videntis, populi, inquam, tui in Chriſtum credentis ſis clemens: et exaudi me per nomen tuum: & benedic iis qui tibi ceruices ſuas inclinarunt: & da eis quæ eorum corda petunt, quæ eis conducant: & neminem eorum ex regno tuo eiicias, ſed potius ſanctifica eos, cuſtodi, protege, opitulare; eripe ab alieno ſpiritu, & ab omni inimico: domos eorum defende; eorum introitus, & exitus tutos ſerua: quoniam tibi gloria, laus, magnificentia, veneratio, adoratio, & filio tuo Chriſto Domino noſtro, & Deo, & regi, ac ſancto ſpiritui, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Et diaconus dicat, Ite in pace. Hæc de myſtico *2 cultu nos Apoſtoli vobis epiſcopis, & presbyteris, ac diaconis conſtituimus.

*2 En rurſus teſtimonium Apoſtolicum in Confeſſioniſtas, qui blaſphemè tradunt, humanum inuentum eſſe Miſſam noſtram; item optimam formam Miſſæ eſſe ad exemplum Apoſtolorum, poſt prædicatum verbum orare cum eccleſia, & poſtea panem frangere; ſic Bullingerus in ſuo compendio doctrinæ c. 5. de ritibus eccleſiæ: item non eſſe inſtitutam adorationem Euchariſtiæ. at hic Apoſtolica doctrina Miſſam vocat latriam myſticam, quia Miſſa eſt ſummus cultus, qui Deo adhibetur in myſteriis corporis & ſanguinis Chriſti in eccleſia per miniſtros eius celebrãdis: quomodo autem latria diceretur, & eſſet, ſi non eſſet inſtituta ſanctiſſimæ Euchariſtiæ adoratio, cùm ſit latria ſpecies adorationis? S. quoque Epiphanius Apoſtolicam doctrinam imitatus, Miſſam vocat in epitome de fide catholica, & eccleſia Apoſtolica latriam œconomiæ. œconomiam vocant patres diſpenſationem aduentus Dei in carne, paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſus in cælum. hanc œconomiam vocat Apoſt. in epiſt. ad Tim. magnum pietatis ſacramentum, ſacramentum quidem ſiue Græcè myſterium, quia hæc œconomia aliis generationibus non fuit agnita, ſicut ſanctis Apoſtolis reuelata eſt, & per eos nobis: pietatis verò, id eſt, diuini cultus, quia in commemorando hoc magno ſacramento ſiue myſterio œconomiæ à ſæculis abſcondito verſatur præcipuus cultus diuinus, qui in eccleſia à miniſtris eius celebratur in Miſſa. eſt enim εὐσέβεια, quam vetus interpres vertit pietatem, ἐπιστήμη θεοῦ θεραπείας, ſic enim notionem verbi huius explicat Andronicus Philoſophus in libro περὶ παθῶν, id eſt, ſcientia cultus Dei. non ignorauit Apoſtolus vim verbi. myſterium itaque œconomiæ eſt magnum myſterium cultus Dei, quod magis adhuc declarant ea quæ ſequuntur, ſi cum iis comparentur, quæ in cultu myſtico Miſſæ fiunt, & repræſentantur. Sequitur enim quod manifeſtatum eſt in carne. manifeſtationem Dei in carne repræſentat lectio noui teſtamenti in Miſſa, & illa oſtenſio Euchariſtiæ, quam facit ſacerdos cum partitione in plures partes: ſignificat enim, vt diuinus Dionyſ. interpretatur, quòd cùm eſſet Deus inaſpectabilis, aſſumpta tota noſtra humanitate ſine vlla naturarum confuſione, ex charitate factus eſt noſtræ ſpeciei, & partibilis, alioqui natura ſimplex. Sequitur, iuſtificatum eſt in ſpiritu, quia enim miſſus erat filius Dei in ſimilitudine carnis peccati, ſicut Apoſt. ait, qui alioqui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, quia erat Deus; ne propter peccatum ſuum iuſtè ad mortem damnatus videretur, ſumpſit Deus pœnas de Iudæis qui eum iniuſtè damnarunt; hoc fuit iuſtificare Chriſtum, ſicut Eſaias c. 53. dixit, & vult Dominus in manu eius auferre dolorem animæ eius: hoc dicit propter reſurrectionem. ſequitur, iuſtificare iuſtum bene ſeruientem multis, ſic eſt apud 70. hoc dicit propter ſupplicium ſumptum de Iudæis poſt reſurrectionem, & aſcenſum in cælum. Vnde apparuit manifeſtè, non fuiſſe iuſtè damnatum Chriſtum. in hanc ſententiam interpretatur Cyrill. in comment. prophetæ huius. in Miſſa autem ad commemorandam & celebrandam iuſtitiam Chriſti in ſpiritu, id eſt, iuſtitiam immutabilem, quia erat Deus, ſacerdos in canone poſt conſecrationem Euchariſtiam vocat hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam: quod enim ante conſecrationem cùm primum offert munera conſecranda, hoſtiam immaculatam vocat, per anticipationem, qua ſcriptura etiam vti ſolet, ſic vocat. ſequitur in Apoſtolo, quod apparuit angelis, hoc repræſentatur in myſtico cultu Miſſæ, cùm hymnus angelicus canitur in principio diebus feſtis Domini, & feſtis ſanctorum eius; quòd iis diebus præcipuè gratias agimus pro gloria ſanctorum. hunc autem hymnum angeli in natali Chriſti cecinerunt, qui eis in carne apparuit. Sequitur, prædicatum eſt in gentibus. huc etiam pertinent lectiones epiſtolarum, & euangeliorum in Miſſa, quibus purgamur & præparamur ad myſterium ſanctiſſ. Euchariſtiæ paulò poſt conficiendum: antecedit autem lectio epiſtolarum lectionem euangeliorum, vt repræſentetur, quòd Chriſtus non ſtatim ex toto manifeſtauit, quàm potens eſſet, & quàm bonus, ſed per progreſſus à minus perfecto ad perfectius; per Apoſtolos autem nõ ita perfectè manifeſtauit ſe, ſicut per ſeipſum prædicando, docendo, miracula operando: idcirco præit lectio epiſtolarum, vt omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in eccleſia. hic idem ordo ſeruatur in eccleſia orientali, qui in Apoſtolica doctrina lib. 2. c. 57. traditus eſt, cuius rationem, hanc ſcilicet, quam dixi, Simeon quoque Theſſ. attulit in libro expoſitionis Miſſæ c. 22. Sequitur, creditum in mundo, hoc repræſentat ſymboli recitatio in Miſſis feſtorum dierum ſollenniorum. poſtremum eſt, aſſumptum eſt in gloria, hoc repræſentat illa hoſtiæ in altum eleuatio. aſcenſionis enim in cælum meminit Dominus, cùm in euangelio Ioannis de magno myſterio ſanctiſſ. Euchariſtiæ diſſerens, hoc, inquit, vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, vbi erat prius? corpus ergo Chriſti virtute propria aſcendiſſe in cælum per aërem, & in cælos penetraſſe, fidem facit eſſe in hoc myſterio corpus Chriſti ſine vlla circumſcriptione. Qui verò propter imperfectionem iſta omnia, quæ in Miſſa repræſentantur, non intelligunt, ne iſtis quidem, ait Dionyſius Areop. inutilem eſſe illam ipſam variam compoſitionem ſymbolorum, ſiue ſignorum, etiam quatenus extrinſecus ſolùm cernuntur. ſic ille. Confeſſioniſtæ igitur, vt ad propoſitum reuocetur ſcholion; ſi hanc Apoſtolicam doctrinam negant, quæ Miſſam vocat cultum myſticum, dicentes, non eſſe Euchariſtiam adorandam, ſed ſolam ſumptionem eius inſtitutam eſſe, verbum quoque Apoſtoli de magno ſacramento pietatis, id eſt, diuini cultus negare coguntur, quia ad commemorandum magnum myſterium œconomiæ, vt dixi, cultus myſticus, qui in Miſſa celebratur, inſtitutus eſt. iudicent modò Confeſſioniſtæ, an ſit inuentum humanum Miſſa, & an ſit optima forma Miſſæ Bullingeri, & an adoranda ſit Euchariſtia, cuius cultus myſticus ad commemorandum & celebrandum magnum ſacramentum œconomiæ in primis pertinet.

Cap. xvi. De ordinatione presbyterorum conſtitutio Ioannis.

*1 Quia Chriſtus, qui omnium ordinum officia ſimilitudine quadã obiit, tũc officium presbyteri cepit, cùm ſtatim poſt baptiſma, oſtẽſo iam ſpiritu S. ſuper eum, & audita voce patris, hic eſt filius meus dilectus, in ætate perfecta 30.

DE ordinatione presbyterorum ego *1 dilectus à Domino conſtituo vobis epiſcopis: Cùm presbyterum ordinas *2 epiſcope, impone ipſe manum capiti presbyteri, aſtantibus tibi presbyteris & diaconis, & faciendo precationem, dic: Domine omnipotens Deus noſter, qui cuncta per Chriſtum condidiſti, & vniuerſa per ipſum prouidentia tua, vt cuique naturæ conuenit, curas; qui enim poteſt varia efficere, hic etiam poteſt variis modis prouidere; nam immortalibus quidem ſola conſeruatione proſpicis, mortalibus verò ſucceſſione, animæ cura, & ſtudio legum, corpori expletione indigentiæ: ipſe igitur & nunc reſpice eccleſiam tuam ſanctam & auge eam, & multiplica eos qui in ea præſunt: & da virtutem, vt verbo, & opere ad ædificationem populi tui laborent. ipſe etiam nunc reſpice hunc famulum tuum ſuffragio & iudicio totius cleri ordini presbyterorum aſcriptum,

impleque

*impleque eum ſpiritu gratiæ, & conſiliis ad opitulandum populo tuo, ad eumque corde mundo gubernandum: ſicut reſpexiſti populum tuum electum, et ſicut Moyſi ſeniores eligere iuſſiſti, quos ſpiritu impleuiſti. Et nunc Domine præſta ſeruans in nobis ſpiritum gratiæ tuæ non deficientem, vt plenus operationibus ad ſanandum aptis, & ſermone ad docendum idoneo, populum tuum manſuetè erudiat, & ſeruiat tibi ſincerè, ac mente pura, & anima volente; ac pro populo tuo ſacra rite ſine vitio operetur per Chriſtum tuum: cum quo tibi gloria, honor, cultus, & ſancto ſpiritui in ſæcula, Amen.*

annorum, poſt ieiunium, & orationes, ſuperataſque tentationes cœpit baptizare, & prædicare pœnitentiã, & ad eam vocare, multaque ſigna facere, animas curare, ac peccatores, conuertere, quæ ſunt omnia officij ſacerdotalis: idcirco ad tradendã conſtitutionem de ordinatione presbyteri valde accommodatè inducta eſt perſona Ioannis euangeliſtæ, quem diligebat Dominus, vt ipſe in euangelio teſtatur, & hic ſe dilectum à Domino vocat: ſic enim ſunt presbyteri, id eſt, in primis à Domino dilecti, ſi ſuo munere rectè funguntur. Qui enim conuertit peccatores, & ex indignis dignos facit, tanquam os Dei eſt, ait Dominus per Hier. prophetam c. 15. os autem Dei filius Dei, & verbum patris eſt, qui dixit, hic eſt filius meus dilectus. Deinde quia Petrum, & Ioannem miſit Dominus, vt pararent paſcha, vt Lucas narrat, paſcha autem myſticum, cuius erat typus illud typicum, & legale, epiſcopus, & presbyter tantùm conſecrant, idcirco poſt conſtitutionem Apoſtolicam de ordinatione epiſcopi, quæ B. Petro tanquam principi Apoſtolorum meritò aſſignata eſt, ſequitur conſtitutio Apoſtolica de ordinatione presbyterij aptè & conuenienter in perſonam Ioannis ob eas quas dixi cauſſas, cecidit. Accedit huc, quòd Ioannes diuina ſapientia plenus ac ſummus Theologus ſenio confectus, vt ſcribit Hieronymus, mortuus eſt. tales autem oportet eſſe presbyteros, non quidem, vt propter ſenectutem, ſed propter ſapientiam, vt ait Anacletus pont. ſic nominentur: ſapientiam enim, inquit, canities deſignat.

*2 Ecce Apoſtolicæ conſtitutionis teſtimonium, caſſas & inanes eſſe vocationes miniſtrorum apud Proteſtantes, quia epiſcopos non habent. ordo enim epiſcoporum habet poteſtatem generandi eccleſiæ presbyteros, vt ait S. Epiphanius aduerſus hæreſim Aërij, Apoſtolicam conſtitutionem ſequens. Ordo verò, inquit, presbyterorum cùm non poſſit generare patres, generat eidem eccleſiæ filios per lauacrum regenerationis, non autem patres, & magiſtros. Deinde ſubiungit: Et quomodo fieri poterat, vt presbyterum conſtitueret, qui non haberet impoſitionem manuum ad ordinandum? aut quomodo dici, æqualem eſſe presbyterum epiſcopo? fefellit verè, inquit, Aërium nugatio, & zelus. idem in Proteſtantes maximè quadrat, quos deceptos tenet nugatio magiſtrorum, & zelus proprius, quo dolent, habere nos, quibus ipſi carent. hæc enim eſt præcipua cauſſa, cur eccleſias noſtras, & quæ in eis fiunt, inſectantur: vt in re propoſita, epiſcopos eccleſiæ catholicæ vituperant, quia eis carent; & ſecundùm leges ſectæ ſuæ nugatorias carere volunt, qui vt ſunt ſententiæ illius Aërij conſortes, ita erunt & ſupplicij. Ex iis ergo, quæ epiſcopus precatur in ordinatione presbyteri, intelligi poteſt, quibus, & quantis bonis careant miniſtri Proteſtantium. quia enim non ſunt ab epiſcopo ordinati, non habent vires ſpirituales ad laborãdum verbo, & opere in ædificationem populi, neque ſpiritum gratiæ, & conſilij ad gubernandũ ſpiritualiter: neque poteſt eorum eccleſia augmentum corporis facere ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, ſicut Apoſt. ait, quia epiſcopus, quo carent, eſt, qui ſecũdum doctrinam Apoſtolicam patres ſpirituales generat, vt paulò ante S. Epiphanius aiebat, id eſt, presbyteros, qui prædicando, offerendo, baptizando operam dant ædificationi corporis Chriſti: & qui reliquos item clericos ordinat, quibus ſubminiſtratur à Deo gratia per ordinationem epiſcopi ſecundum menſuram vniuſcuiuſque membri: alia eſt enim menſura diaconi, alia lectoris, alia aliorum miniſtrorum, in opus miniſterij vniuſcuiuſque in ædificationem corporis Chriſti ad conſummationem ſanctorum; hic eſt enim finis eccleſiaſticæ hierarchiæ, conſummare homines in ſanctitate, efficiendo eos Dei ſimiles. totus hic locus Apoſtoli de augmento corporis eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti, per generationem, & multiplicationem patrum ſpiritualium, & aliorum miniſtrorum varij ordinis in opus varij miniſterij ad ædificationem eccleſiæ factus eſt inanis & vacuus in eccleſia Proteſtantium, in qua nulla fit gratiæ ſubminiſtratio per ordinationes epiſcoporum ad exercendum miniſterium eccleſiaſticum in ædificationem corporis Chriſti, quia epiſcopos, vt ſæpe dixi, non habent. de huiuſmodi enim augmento hieratico, id eſt, ſacro loqui Apoſtolum in eo loco epiſtolæ ad Epheſ. ſatis ipſa conſequentia verborum docet, ſi prima cum ſecundis conferantur. quia enim de variis ordinibus, & gradibus miniſtrorum, quos dedit eccleſiæ Chriſtus, commemorauerat, & de eorum miniſterio, & miniſterij fine, hi autem mortales erant, & ſicut Apoſtolus de aliis dixit, morte prohibebantur permanere, neceſſe fuit ſucceſſioni eorum prouidere, idcirco de eorum ſucceſſione per generationem hieraticam, id eſt, ſacram in conſequentibus meminit: Sicut hic quoque Apoſtolica doctrina fecit, cùm epiſcopus in oratione, quam adhibet ad ordinationem presbyteri, poſtquàm celebrauit prouidentiam Dei, qui immortalibus ſola conſeruatione proſpicit, mortalibus verò ſucceſſione, ſubiungit: ipſe igitur nunc reſpice eccleſiam, & auge eam; & multiplica eos qui in ea præſunt. hæc ad ſucceſſionem, & multiplicationem ſpiritualem epiſcoporum, presbyterorum, & reliquorum miniſtrorum pertinẽt: vt illa in Geneſi eiſdem verbis dicta, ad ſucceſſionem carnalem, Creſcite, & multiplicamini. Redarguit igitur hæc Apoſtolica doctrina Confeſſioniſtas, cùm tradunt, non ſolùm non eſſe neceſſariã ſucceſſionem ordinariã epiſcoporum in eccleſia Dei, ſed errorem eſſe intolerabilem, alligare eccleſiam ad perſonas ordinariæ epiſcoporum ſucceſſionis, & dicere eos eſſe veros epiſcopos, & miniſtros eccleſiæ, qui ſunt ordinandi ab epiſcopis in ordinaria ſucceſſione conſtitutis. Sic enim ſcripſit nuper quidam ex Confeſſioniſtis Lypſicæ academiæ doctor, quem nos opere proprio confutauimus. At Apoſtolica doctrina miniſtros eccleſiæ in ordinaria ſucceſſione ordinari docet, vt epiſcopis epiſcopi eiuſdem ordinis ſuccedant, presbyteris presbyteri, diaconis diaconi, hypodiaconis hypodiaconi, & ſimiliter in reliquis. apud Proteſtantes verò cùm alieni generis & naturæ ſint miniſtri, à Luthero ſcilicet inuenti, nullis ſecundum Apoſtolicam doctrinam ſuccedunt. ex quo fit, vt eccleſia apud iſtos non ſolùm non augeatur, ſed neque ſit eccleſia, ſed cœtus alterius generis, non eccleſiaſticus, ſed profanus, & merus laicus, ac popularis.

Cap. XVII. De ordinatione diaconorum cõſtitutio Philippi.

De *ordinatione verò diaconorum* *1 *ego Philippus conſtituo, vt diaconum ordines epiſcope imponendo ei manus præſentibus omnibus presbyteris, & diaconis; & precando ei dices:*

*1 Conſtitutio ordinationis diaconi aptè in Philippum cecidit, quia vt diaconi eſt purgare, ſicut Dionyſ. tradit, ſic Philippus Nathanaëlem veluti catechizando purgauit, cùm ei dixit, quem ſcripſit Moyſes in lege, & prophetis, inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth: & dixit ei Nathanaël, à Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? dicit ei Philippus, veni, & vide. Rurſus, cùm quidam Gentiles ex iis qui aſcenderant vt adorarent in die feſto, acceſſiſſent ad Philippum, & rogaſſent eum dicentes, Domine volumus Ieſum videre: venit Philippus, & dixit Andreæ, Andreas rurſus, & Philippus dixerunt Ieſu. eſt autem proprium diaconi, vt ſiquis velit epiſcopum adire, qui eſt typus & imago Chriſti, & ad eum admitti, per diaconum hoc curet, ſunt enim diaconi, vt eadem Apoſtolica doctrina in lib. 2. ait, mediatores verbi epiſcopi, & prophetæ eius, ſicut Aaron Moyſis. Item, quia Dominus in euangelio facturus miraculum in panibus, tentandi cauſſa Philippum tanquam miniſtrum interrogauit, vndè eſſent panes emendi, vt comederet turba; aliquid enim ſimile facere videtur ſacerdos, cùm operaturus myſterium ſanctæ Euchariſtiæ in pane, conuertit ſe ad diaconum, quaſi interrogans, vbi ſit panis ad myſticè benedicendum & conſecrandum; diaconi enim eſt, porrigere panem, & calicem ſacerdoti conſecrandum.

Cap. XVIII. Imploratio in ordinatione diaconi.

Devs *omnipotens, qui verax es, qui non mentiris, qui diues omnibus qui te inuocant in veritate, qui pertimeſcendus in conſiliis, qui ſapiens cogitatione, qui validus*



*validus & magnus: exaudi orationem noſtram, & auribus percipe preces noſtras Domine, & oſtende faciem tuam ſuper hunc ſeruum tuum electum tibi ad miniſterium: & imple eum ſpiritu ſancto, & virtute, ſicut impleuiſti Stephanum protomartyrem, & imitatorem paſſionis Chriſti tui; & concede ei, vt miniſterio ſibi commiſſo, ad voluntatem tuam conſtanter, extra querelam, & crimen adminiſtrato, maiore deinceps gradu dignus habeatur per mediatorem Chriſtum tuum eundemque vnigenitum filium, cum quo tibi gloria, honor, & veneratio, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.*

Cap. XIX. De diaconiſſa conſtitutio Bartholomæi.

De *diaconiſſa verò ego Bartholomæus conſtituo, vt † manus ei epiſcope imponas præſentibus presbyteris, & diaconis, ac diaconiſſis. Et dices:*

Cap. XX. Imploratio in ordinatione diaconiſſæ.

Devs *æterne, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui viri, & mulieris auctor es; qui Mariam, Deboram, Annam, & Oldam ſpiritu ſancto impleuiſti; qui non duxiſti indignum, vt filius tuus vnigenitus ex muliere naſceretur; qui in tabernaculo teſtimonij, & in templo cuſtodes feminas ianuis tuis ſanctis præfeciſti: ipſe etiam nunc reſpice hanc ancillam electam ad miniſterium, et da ei ſpiritum ſanctum: & mundam effice ab omni inquinatione carnis, & ſpiritus, vt opus ſibi impoſitum dignè proficiat ad gloriam, & laudem Chriſti tui. Cum quo tibi gloria, & adoratio, & ſancto ſpiritui in ſæcula, Amen.*

Cap. XXI. De hypodiaconis conſtitutio Thomæ.

De *hypodiaconis verò ego* *1 *Thomas conſtituo epiſcopis, vt cùm hypodiaconum ordinas epiſcope, † imponas ei manus, & dicas:*

*Domine Deus effector cæli et terræ et omnium quæ cælo terraq; continẽtur, qui in tabernaculo teſtimonij æditos feciſti ſanctorum vaſorũ tuorum cuſtodes, & ipſe nunc reſpice hunc famulum tuum, qui ad miniſterium hypodiaconi electus eſt: & tribue ei ſpiritum ſanctum, vt vaſa ad miniſtrandum tibi facta dignè attrectet, pareatque voluntati tuæ ſemper per Chriſtum tuum, cum quo tibi gloria, honor, & cultus ac ſancto ſpiritui in ſæcula, Amen.*

*1 Quia B. Thomas vt Ioãnes narrat, digitum intulit in locũ clauorum Chriſti, & manum in latus eius tanquam in vaſa quædam ſacra & diuina, idcirco aptè cadit in perſonam Thomæ hæc conſtitutio de ordinatione hypodiaconorum. eorum enim eſt tangere ſacra vaſa miniſterij altaris, quod eſt Chriſti typus. Vnde in oratione, quam epiſcopus in ordinatione eorum adhibet, ſic precatur à Deo, vt mittat ſpiritum ſanctum quo dignè, inquit, ſacra tangant vaſa.

Cap. XXII. De lectoribus cõſtitutio Matthæi.

De *lectoribus verò* *1 *ego Matthæus Leui, qui antea fui publicanus, conſtituo, vt lectorem eligas, cui manu impoſita, & preces Deo adhibens dicas:*

*Deus æterne multus in miſericordia, & miſerationibus, qui mundi fabricam per ea quæ fiunt, pateſeciſti, & qui numerum electorum tuorum conſeruas: & ipſe nunc reſpice hunc famulum tuum, cui ſcripturæ tuæ ſanctæ ad legendum eas populo tuo committuntur; da ei ſpiritum ſanctum, ſpiritum propheticum: Qui Eſdram famulum ſapientem feciſti ad recitandum leges tuas tuo populo, et nũc obſecratus à nobis trade ſeruo tuo ſapientiã: et da ei, vt opus ſibi iniunctũ rectè perficiẽdo, dignus appareat maiore gradu per Chriſtum: Cum quo tibi gloria, & veneratio, ac ſancto ſpiritui in ſæcula, Amen.*

*1 Quia in locum euãgeliſtarũ, quos Deus eccleſiæ dedit, lectores ſucceſſerunt, qui ſcripturas ſanctas in eccleſia legunt, idcirco ad tradẽdam conſtitutionem de ordinatione lectorum appoſitè perſona Matthæi primi euangeliſtæ introducta eſt. Ioannes enim euangeliſta iam locum in conſtitutione de ordinatione presbyteri ſortitus erat; Marcus verò, & Lucas non fuerunt Apoſtoli. Lectores igitur per lectionem ſcripturarum leges Dei, & eius opera pateſaciunt ad ſimilitudinem eorum quæ in mundi fabrica fiunt, quæ ipſa quoque enarrant ipſius mundi conſtitutionem, vt cæli, & dierum, ac noctium viciſſitudines, & reliqua tanquam lectores quidam; & ad inſtar Dei, qui electos conſcriptos in cælis, ſicut Apoſtolus ait, conſeruat, & ipſe ſolus, qui conſcripſit, ſcit legere, & pateſacere.

Cap. XXIII. De confeſſoribus conſtitutio Iacobi Alphæi.

De *confeſſoribus autem ego Iacobus Alphæi conſtituo: Confeſſor non fit ordinatione, hoc enim voluntatis eſt, & tolerantiæ: magno autem honore dignus eſt, vt qui nomen Dei coram gentibus, & regibus confeſſus ſit. Si autem opus eo fuerit, epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinetur. Si quis verò confeſſor* *1 *non ordinatus, aliquam huiuſmodi dignitatem ſibi propter confeſſionem vendicauerit, deponatur*

*1 En rurſus teſtimonium Apoſtolicæ cõſtitutionis, & doctrinæ in vocationes execrabiles & profanas miniſtrorum Proteſtantium. Etenim ſi confeſſor, qui magno alioqui honore dignus eſt, quia ſe pro confeſſione nominis Dei certo periculo mortis obiecit, non poteſt niſi ordinatus ſecundum Apoſtolicam conſtitutionem, quæ Chriſti conſtitutio eſt, fieri epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus; & ſimiliter in aliis gradibus miniſtrorum; etſi ſecus fecerit, de-

poni, & eiici iubetur, & negare conſtitutionẽ Chriſti,

*deponatur iſte, & eiiciatur : non enim eſt confeſſor, qui conſtitutionem Chriſti negauit : eſtque infideli deterior.*

& peior infideli pronunciatur, vbi ſunt miniſtri Proteſtantium infidelibus peiores? apud infideles enim, & gentiles nemo audet, niſi qui eorum ſacerdos eſt, quæ ſacerdotis ſunt, facere.

CAP. XXIIII. Eiuſdem cõſtitutio de virginibus.

IDEM *ipſe Iacobus de virginibus ſtatuo: Virgo non fit ordinatione. mandatum enim Domini non habemus: certare enim pro præmio virginitatis *1 voluntatis eſt, non ad criminationem coniugij, ſed ad otium cultus Dei.*

*1 Ecce Apoſtolica conſtitutio, quæ Illyricum condemnat, qui in defenſ. Antuerp. Confeſſ. c. 19. Deum ait coniugium inſtituiſſe, cælibatum non inſtituiſſe. ſcilicet coniugium inſtituit iis quidem, qui nollent cõtinentes eſſe; iſtis enim iubet Apoſt. interpres diuini inſtituti, ducere vxorem, pronuncians, melius eſſe nubere, quàm vri, id eſt, quàm propter incontinentiam peccare; cælibatum verò cum virginitate liberum à præcepto reliquit. Quod verò ait Apoſtolica doctrina, ſeruare virginitatem nõ ad criminationem matrimonij, ſed ad otium cultus Dei ſpectare, Proteſtantes redarguit, qui dum volunt liberum eſſe coniugium ſacerdotibus, nolunt habere eos otium cultus Dei per profeſſionem cælibatus: Apoſt. enim ait, qui cum vxore eſt, cogitat quæ mundi ſunt, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Sed occurrunt hic iſti, ſiquis habet donum continentiæ, rectè facit, ſi ſoli miniſterio inſeruiat: neque ſe domeſticis curis implicet, quæ certè μεγάλη τυραννὶς ſunt. ſic enim Selneccerus Confeſſioniſta in Analecto ſuó tract. 3. c. 10. ſcribit, & confitetur, ore ſuo ſe condemnans, & gladio ſuo ſe iugulans. Apoſtolus enim loquens de coniugibus, & de continentibus, vnuſquiſque, inquit, donum habet, alius ſic, alius verò ſic. Ergo in poteſtate liberæ poteſtatis cuiuſque eſt, hoc, aut illud donum habere: id eſt, donum ſancti coniugij, aut ſanctæ continentiæ. alioqui non diceret Apoſtolus, vnuſquiſque donum habet, alius ſic, alius verò ſic. ita enim poteſt quiſque, modò velit habere donum ſanctè continendi, vt poteſt habere gratiam, ſiue donum ſancti coniugij, id eſt, permanendi in eo, ſicut Apoſt. ad Tim. ſcripſit, cum fide & dilectione, & cum ſobrietate, id eſt, cum temperantia; quod non omnes faciunt, quia nolunt, non quia non poſſunt. Et Dominus in euangelio de eunuchis diſſerens, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cælorum, qui poteſt, inquit, capere, capiat, omnes inuitat quicunque voluerint: quis enim quempiam inuitet ad capiendum, quod capere nequeat? Sic Greg. cognomento Theologus intellexit, & interpretatus eſt in ſermone de eo quod in euangel. dictum eſt, cùm conſummaſſet Ieſus hos ſermones, cùm audieris, inquit, ſed quibus datum eſt, adde, volentibus datum eſt, atque iis, qui animi inclinatione ita feruntur. Rurſus interpretans ibidem illud Matth. & Marc. ſedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus datum eſt; ſic enim legit. & quibus hoc datum eſt? hoc, inquit, adiunge, qui digni ſunt: quique vt tales ſint, non modò à patre acceperant, ſed ſibiipſi etiam dederunt. & Aug. lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentiis ad Valerium comitem c. 3. vnuſquiſque donum habet: Ecce, inquit loquens de coniugio, & hoc donum eſſe dixit à Deo, & ſi inferius quàm illa continentia, in qua omnes volebat eſſe ſicut ſeipſum, tamen donum à Deo; & ſubiungit, vnde intelligimus, cùm hæc præcipiuntur vt fiant, nihil aliud oſtendi, quàm ineſſe nobis oportere ad hæc accipienda, & habenda etiam propriam voluntatem. cùm verò Dei dona eſſe demonſtrantur, à quo petenda ſint dicitur, ſi non habeantur; & cui ſint agendæ gratiæ, ſi habeantur: noſtraſque voluntates ad hæc expetenda, ſumenda, retinenda parum valere, niſi diuinitùs adiuuentur. hactenus Aug. idem de omni opere bono dicendum eſt. ipſe enim operatur in nobis, ſicut Apoſt. ad Philipp. ſcripſit, velle, & perficere pro bona voluntate. idem rurſus in epiſt. ad Hebr. pacem, inquit, ſectamini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum. deinde ſubiungit, contemplantes, ne quis deſit gratiæ Dei. Sanctimonia ergo gratia, ſiue donum Dei eſt, cui deeſſe, aut non deeſſe penes nos eſt. ad eundem modum donum Dei eſt continentia, ſicut Salomon dixit; & ſciui, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſumma ſapientia. ergo vt hoc donum is habet qui ei non deeſt, ſic habere poteſt quicunque vult non deeſſe. Rurſus Greg. Naz. in eodem ſermone, coniugium, inquit, moderatis conuenit, non inſatiabilibus, & qui pluſquam oportet carnem honorare volunt. quando hoc ſolum eſt, nempe connubium, & coniugium, ac ſucceſſionis liberorum cupiditas, bonum eſt connubium, plures enim introducit Deo placentes: at cùm materiam inflammat, & ipſos coniuges ſpinis circumdat, & veluti via nequitiæ inuenta eſt, tunc & ipſe ait, non expedit nubere. hactenus Greg. donum ergo Dei eſt bonum connubium; tametſi excellentius donum eſt continentia: verùm vtrumque noſtræ voluntatis, & gratiæ Dei eſt. item beatus Ath. in epiſt. ad Ammum monachum, qui connubium, inquit, elegit, reprehendi non debet, tamen τοσαῦτα χαρίσματα οὐ λήψεται, λήψεται δ' ἐπείπερ φέρει καὶ αὐτὸς καρπὸν τὸν τριακοντα: id eſt, gratiam tamen parem nõ accipiet; accipiet tamen, ſiquidem fructum trigeſimum fert. gratiam igitur, ſiue donum vocat connubium cum fide, ac dilectione, & temperantia coniunctum, quale Apoſtolus requirit, ſi coniuges ſalui eſſe volunt. Item Theodoretus explanans illud, vnuſquiſque donum habet, conſolatus eſt, inquit, coniuges appellans chariſma ipſum matrimonium: illa enim gratia adiuti pudicè viuunt; adiuuat autem gratia eos, qui ſtudium voluntatis adhibent, hæc ille. Si ergo domeſticæ curæ, quas ſecum fert connubium, magna tyrannis ſunt, vt Selneccerus Confeſſioniſta confitetur, & bene vti connubio, id eſt, honoratè, & immaculatè, ſicut Apoſt. ait, donum quoque Dei eſt, ſicut eſt donum Dei continentia, cur ſacerdotes in miniſterio magni ſacramenti pietatis, id eſt, cultus Dei occupatos nolunt Proteſtantes liberari tyrannide iſta, quam confitentur? nolunt enim liberari, dum volunt liberum eſſe connubium miniſtris eccleſiæ ſacri ordinis, qui vt ſponte ordinantur, ita quoque ſponte continentię votum concipiunt, quod cum ipſo ordine ſacro connexum eſt ſecundum Apoſtolũ, qui in epiſt. ad Tim. & ad Tit. iubet eſſe σώφρονας, & ἐγκρατεῖς, id eſt, pudicos, & continentes, vt nos libro 1. defenſionis canonum Apoſtolorum copioſiùs docuimus.

CAP. XXV. Lebbæi cognomẽto Thaddæi conſtitutio de viduis.

ET *ego Lebbæus cognomento Thaddæus hæc de viduis conſtituo: Vidua non ordinatur, ſed ſi iamdiu virum amiſit, & caſtè & laudatè vixit, & domeſticorum diligentem curam habuit, vt honeſtiſſimæ illæ, ac grauiſſimæ feminæ Iudith & Anna, cooptetur in gradum vidualem: Sin verò paulò antè maritũ amiſit, ne ei credatur, ſed potius adoleſcentia tẽpore exploretur, aliquando enim paſſiones cum hominibus conſeneſcunt, *1 niſi fortiori fræno cohibeamur.*

*1 Ecce Apoſtolicæ doctrinæ teſtimonium in Confeſſioniſtas inimicos ſacri cælibatus miniſtrorum eccleſiæ, fingunt enim vehementiorem eſſe impetum libidinis, quàm vt ferri poſſit, ac proinde votum continentiæ ſuſcipi non poſſe; neque ſi ſuſcipiatur, exigi debere: id quod ex propheta ſuo monacho apoſtata didicerunt, qui in libro de vita coniugali ſcripſit, coniunctionem maris & feminæ neceſſariam eſſe, vt cibum, potum, & ſomnum, neque magis poſſe hominem hoc carere, quàm mutare ſexum. at Apoſtolica doctrina teſtatur hic, idque cælibes ipſi experiuntur, frenum eſſe fortius libidine velle continere. mulierem enim qui tangit, οὐ τυραννεῖται, ait Greg. Naz. in libro de ſpiritu S. id eſt, non cogitur violenter. violentiam enim, inquit, natura ei non adhibet. immò penes naturam eſt caſtum eſſe; paſſio autem libidinis præter naturam eſt, & aduenticia, quæ fræno rationis cohibetur gratia Dei adiutrice, quam dat affluenter Deus omnibus indigentibus, qui in fide poſtulant, ſicut B. Iacobus ait.

CAP. XXVI. Idem de exorciſta.

IDEM *de exorciſta, *1 exorciſta non fit † ordinatione: certare enim pro præmio exorciſtæ, liberæ voluntatis eſt, ac Dei gratiæ per Chriſtum, & aduentum ſpiritus ſancti. Siquidem qui gratiam ſanitatum accepit, per reuelationem declaratur à Deo,*



*à Deo, cùm gratia, quæ in eo eſt, omnibus eſt manifeſta. Si verò neceſſitas poſtulet vt fiat epiſcopus, aut presbyter, tunc ordinatur.*

*1 Non eſt genus hoc exorciſtæ ex numero ordinum minorũ; ſiquidem non fit ordinatione, ſed in voluntate hominis, & in Dei gratia pendet. Vt enim in principio euangelicæ prædicationis alij, ſicut Apoſt. ait, dabantur genera linguarum, alij interpretationes ſermonum; hæc autem omnia operabatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout volebat: ſic etiam dabatur gratia ſanitatum, quæ manifeſta fiebat ad vtilitatem; poſtea verò cùm deſiit propter fidem, opus eſſe ſignis, quibus non fideles, ſed infideles indigent, ſicut idem Apoſtolus ait, linguæ enim in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus: tunc, inquam, vt ſucceſſerunt genera linguarum, & interpretationes ſermonum ex ſtudio; ſic etiam ſucceſſit exorciſta ex ordinatione exorciſtæ per ſpiritum, & gratiam ſanitatum. exorciſtæ igitur ex ordinatione poteſtatem accipiunt per ipſam illam ordinationem legendi exorciſmos ex virtute ſcripturarum depromptos, & compoſitos ſuper energumenos, & malè habentes. Hunc ordinem Proteſtantes negare, aut reiicere non poſſunt, niſi Martinum Lutherum magiſtrum & auctorem ſuæ ſectæ negent. Is enim, vt Surius narrat, exorciſta voluit eſſe, cùm adducta puella quadam dæmoniaca, vt eam virtute noui euangelij, quod prædicabat, liberaret, ita ei ſucceſſit, vt ferè diceret ei dæmon, quod illis filiis Sceuæ Iudæi, Ieſum noui, & Paulum ſcio, tu autem quis es? itaque cùm nihil proficeret exorcizando, & ianuam conclauis, vbi erant, ita dæmon clauſiſſet, vt aperiri nullo modo poſſet, ita horrere & æſtuare cœpit, vt perfoſſo pariete, & reuulſo ferreo cancello per feneſtram tremebundus euaſerit. itaque Apoſtolica doctrina ex quatuor ordinibus ordinationem lectorum tantùm tradit, in quorum poteſtate poteſtas acolyti continetur, vt poteſtas minor in maiore, vt in eccleſia Græcorum fit; deſcribens enim Simeon Theſſ. lib. 8. de myſteriis eccleſiæ quæ ad munus lectoris pertinent, lectoribus tribuit quæ eccleſia noſtra acolytis, præire ſcilicet ſacerdoti cum lampade, & ferre ad altare oblationes, & vrceolum cum vino & aqua; quæ poteſtas in eccleſia noſtra ſeparatim collata eſt proprio & ſpeciali miniſtro, cuius poteſtatis ordo non eſt tunc inſtitutus, cùm facta eſt ſeparatio miniſterij huius, quin potiùs in ſuperiore ordine continebatur. Pſaltes verò, qui eſt in canone Apoſt. 69. vnius & eiuſdem ordinis lectorum eſt, licet non vnius & eiuſdem gradus. item hypodiaconus, qui eſt ex numero miniſtrorum infra diaconum, quos Dionyſ. vocat λειτουργὸς, officio etiam oſtiarij à principio fungebatur, quod vſque in hodiernum diem in eccleſia Græcorum, & cuncti Orientis ſeruatur, vt perſpici poteſt ex eodem lib. 8. Simeonis. in noſtra verò eccleſia de ſpiritu hypodiaconi confert Deus, & tribuit per miniſterium ſpecialis ordinationis oſtiario: in ordine enim hypodiaconi continebatur à principio hic ordo, qui poſtea, cùm vtilitatis eccleſiæ ratio poſtulare viſa eſt, ſeparatim ſecundum propriam rationem ſpecialis ſacramenti tributus eſt oſtiario. poteſtas verò exorcizandi cùm ad purgandum pertineret, quod proprium erat diaconorum, vt Dionyſius tradit, ex iis autem qui purgantur, catechumeni ſunt, & energumeni; factum eſt poſtea ad vtilitatem eccleſiæ, vt poteſtas exorcizandi baptizandos maneret in ſacerdote, cuius eſt baptizare: exorcizandi verò energumenos, ſeparatim à reliquis ordinibus per ſacramentum ſpecialis ordinationis tribueretur. quàm ſit autem vetus hæc poteſtas, & miniſterium eius in eccleſia, ne ſectarij, vt ſolent, humanum inuentum eſſe dicant, habemus teſtimonium in actis Apoſt. cùm ait Lucas, tentauerunt autem quidam de circumeuntibus Iudæis exorciſtis inuocare ſuper eos qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Ieſu, dicentes, adiuro vos, Græcè eſt, ὁρκίζομεν, per Ieſum, quem Paulus prædicat. Volebant iſti eos imitari, qui in eccleſia Chriſtianorum hoc faciebant. quòd ſi adhuc non credunt Proteſtantes, fuiſſe à tempore Apoſtolorum in eccleſia catholicorum exorciſmos, & exorciſtas, quia catholici hoc aſſerunt, credant ſaltem inimicis fidei Gentilibus, ex quibus vnus Vlpianus Iuriſconſultus Alexandri imperatoris conſiliarius ante annos mille trecentos, & amplius, ſic ſcripſit tit. de variis, & extraordinariis cognitionibus: nõ tamẽ, inquit, medicus eſt, ſi incãtauit, vel imprecatus eſt, vel, vt vulgari verbo in poſterũ vtar, ſi exorcizauit, nõ ſunt iſta medicinæ genera, tametſi ſunt qui hos ſibi profuiſſe cum prædicatione affirmant. Quis cum ratione dubitare poteſt, quin ſcriptor Gẽtilis de noſtris exorciſtis hoc dixerit? quos quidẽ ſi tales eſſe putauit, quales ſunt quos vulgus incãtatores vocat, vt mirandum non eſt in homine ethnico & pagano, ita maximè mirandũ eſt, qui ſe à principio euangelicos vocarũt, non melius de exorciſtis euangelicis & eccleſiaſticis ſentire quàm ethnicos; ſiquidem magicos vocant exorciſmos. Eſt autem hic Lebbæus cognomento Thaddæus, qui à Luca euangeliſta vocatur Iudas Iacobi, ad conſtitutionem de exorciſta tradendam introductus, quia habuit is gratiam ſanandi, qua Agbarum in Meſopotamia Edeſſæ toparcham paſſione quadam graui, nec vllis humanis viribus curabili confectum, vt Euſebius Cæſar. narrat, ſanauit, poſt aſcenſionem Domini ad eum profectus, vt Dominus eidem per litteras promiſerat, ſicuti in actis, quæ in archiuis Edeſſæ ſeruabantur, ſe legiſſe idem Euſebius teſtatur; in quibus illud erat per errorem ſcriptum, fuiſſe Thaddæum fratrem Thomæ, & ex numero 72. diſcipulorum, cùm potius ex numero 12. Apoſtolorum fuerit, vt S. quoque Dorotheus, & Hippolytus martyr teſtantur. vterque enim narrat, Iudam apoſtolum Edeſſæ in Meſopotamia prædicaſſe, & ſepultum eſſe. de viduis verò conſtitutio cur eidem Thaddæo aſſignata ſit, non aſſequor; niſi fortè is viduus ad apoſtolatum vocatus eſt: ſicut nec illud aſſequi poſſum, cur Iacobus Alphæi ad conſtitutionem de confeſſoribus introductus ſit; niſi fortè ſic martyr fuit, vt ſæpius ante martyrium confeſſor fuiſſet Hieroſolymis, vbi lapidatus eſt, & prope templum, vt Hippolytus narrat.

CAP. XXVII. A quot ordinari debeat epiſcopus, conſtitutio Simonis Cananæi.

EGO **1 Simon Cananæus conſtituo à quot epiſcopis debeat ordinari epiſcopus, ſcilicet à duobus, aut tribus epiſcopis: Sin verò aliquis ab vno epiſcopo ordinatus fuerit, tum is qui ordinatus eſt, tum is qui eum ordinauit, deponatur. Quòd ſi neceſſitas coëgerit, ab vno ordinari, quòd propter perſecutionem, aut aliam cauſſam plures adeſſe non poſſint, afferatur decretum commiſſionis plurium epiſcoporum.*

*1 Si verum eſt, vt quidem videtur eſſe, quod Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus ante annos mille, & amplius, in lib. variarum quæſtionum Theologicarum, qui ὁδηγὸς inſcriptus eſt, ſcripſit, fuiſſe Simonem Galilæũ, qui in illis nuptiis in Cana Galilææ factis ſpõſus fuit, vnde dictus eſt Simon Cananæus; aptè in eum cecidit vtpote ſponſum hæc conſtitutio de duobus aut tribus epiſcopis ad ordinandum epiſcopum cum reliquorum comprouincialium conſenſu conſtitutis; ſiquidem epiſcopus eſt ſponſus eccleſiæ, qui, vt ait S. Euariſtus in epiſt. 2. ſicut vir non debet negligere vxorem ſuam, ſed diligere, & caſtè cuſtodire: ſic ipſe epiſcopus, & multo magis cuſtodire, & amare, atque prudenter regere debet eccleſiam. & velut vxor, quæ ſub manu eſt viri, obedire debet viro ſuo, eumque diligere, & amare; potius eccleſia etiam epiſcopo ſuo in omnibus obedire, eumque diligere debet: quia illud fit carnaliter, hoc ſpiritualiter. & ſicut vir non debet adulterare vxorem ſuam, ſic epiſcopus eccleſiam ſuam, id eſt, vt illam dimittat ad quam ſacratus eſt, abſque ineuitabili neceſſitate, aut Apoſtolica, vel regulari mutatione, & alteri ſe ambitus cauſſa cõiungat. & quæ ſequuntur. ergo ſicut nuptiæ conuentu plurium celebrantur, & Dominus nuptiali conuiuio intereſſe voluit, ne vir vxorem ſuam adulterare audeat, vt illam dimittat; ſic etiam inſtituit Dominus per ſanctos Apoſtolos, vt epiſcopus à tribus ſaltem epiſcopis reliquis comprouincialibus aſſentientibus ordinaretur, ne, ſicut ait S. Anacletus in epiſt. 2. aliquid contra fidem eccleſiæ vnius tyrannica auctoritas moliretur, & regula, vel fides credentium confunderetur; immò, vt ſiquid epiſcopus ſic ordinatus in eccleſiam ſponſam ſuam contra fidem catholicam, aut eccleſiaſticam regulam committeret, ab omnibus epiſcopis comprouincialibus, qui ordinationi eius aſſenſum præbuerunt, obiurgaretur, ſicut Corinthius ille, qui patris ſui matrimonium inceſtè violauerat, à pluribus, vt Apoſtolus ait, obiurgabatur. accedit huc, quòd Simon Cananæus Zelotes quoque cognominatus eſt, qualis eſſe debet epiſcopus, ne patiatur, vt eccleſia, quæ vxor eius eſt, alteri ſe, viuente eo, matrimonio ſociet, & eum adulteret, vt idem Euariſtus in eodem loco ait.

CAP. XXVIII. Eiuſdẽ canones de epiſcopis, presbyteris, diaconis, & reliquis clericis.

**1* IDEM *de canonibus, epiſcopus benedicit, & non benedicitur; manum imponit, ordinat, offert, benedictionem ab epiſcopis accipit: à presbytero autem non accipit.*

*1 Quia vir factus per matrimonium pater filiis ſuis benedicit tanquam epiſcopus quidam ſecundum carnem, vtpote maior, & qui domui ſuæ præeſt, & ipſe à patre omnium, & epiſcopo animarum noſtrarum benedicitur, ſicut de Adam & Eua ſcriptum eſt, benedixitque illis Deus, & ait, creſcite, & multiplicamini, & replete terram; idcirco

cõſtitutio quoque de canonibus, ſiue regulis benedicendi in eccleſia, vt omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant, eidem Simoni aſſignata eſt.

*accipit. Deponit omnem clericum, qui dignus ſit vt deponatur, præter epiſcopum. Epiſcopus enim ſolus epiſcopum deponere non poteſt.*

*Presbyter benedicit, non benedicitur. *2 Benedictionem accipit ab epiſcopo, aut compresbytero: item dat compresbytero; manum imponit, ſed non ordinat, neque deponit, excommunicat autem eos quos habet infra ſe, ſi huiuſmodi pœna teneatur.*

*Diaconus non benedicit, neque dat benedictionem; accipit verò ab epiſcopo, & presbytero: Non baptizat, non offert; oblatione verò ab epiſcopo, aut presbytero facta, ipſe diaconus dat populo, non tanquam ſacerdos, ſed tanquam qui miniſtrat presbyteris. Nulli ex reliquis clericis licet facere opus diaconi.*

*Diaconiſſa non benedicit, neque facit aliquid eorum quæ presbyteri aut diaconi faciunt, niſi quòd ianuas cuſtodit, & presbyteris miniſtrat, cùm mulieres baptizantur; idque propter decorum, & honeſtatem.*

*Diaconus excommunicat hypodiaconum, lectorem, & cantorem, & diaconiſſam, ſi hoc facere opus ſit; abſente presbytero. hypodiacono non licet excommunicare lectorem, aut cantorem, aut diaconiſſam, aut clericum, aut laicum: miniſtri enim ſunt diaconorum.*

*2 Non eſt idem benedicere, & benedictionem dare; neque benedici, & benedictionem accipere: dare enim alteri benedictionem, eſt cõmittere alteri vt benedicat, quod facit æqualis æquali, aut minori, vt epiſcop⁹ coëpiſcopo, & presbytero: & presbyter cõpresbytero; rurſus ille, cui cõmittitur vt benedicat, dicitur accipere ab altero benedictionem. Sic lib. 2. c. 58. præcipit Apoſt. doctr. vt ſi epiſcopus peregrinus ex parœcia ad eccleſiam aduenerit, epiſcopus, qui in parœcia ſua eſt & in eccleſia, recipiat eum ſeſſum ſecum; & committat vt offerat, & roget vt concionem habeat: & rogando cogat vt benedicat, ſiue benedictionem faciat ſuper populum. idem præcipit, vt faciat presbyter compresbytero aduenienti à parœcia.

CAP. XXIX. De benedictione aquæ & olei cõſtitutio Matthæi.

D E *aqua & oleo *1 ego Matthæus conſtituo, vt benedicat epiſcopus *2 aquam, aut oleum: Sin verò non aderit, benedicat presbyter præſente diacono. Cùm verò epiſcopus aderit, aſſiſtant presbyter, & diaconus. Dicat autem in hunc modum: Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & largitor olei, miſerator, & amator hominum, qui dediſti aquam ad bibendum, & abluendum, & oleum ad exhilarandum faciem in exultationem lætitiæ; ipſe etiam nunc ſanctifica per Chriſtum hanc aquam & oleum ex nomine eius qui obtulit, vel quæ obtulit; & tribue ei vim ſanandi, & depellendi morbum, fugandi dæmones, expellendi inſidias per Chriſtum ſpem noſtram: Cum quo tibi gloria, honor, & cultus, ac ſancto ſpiritui in ſæcula, Amen.*

*1 Quia cùm Dominus in domo Matthæi publicani pranderet, & multi publicani, ac peccatores venientes, cum eo diſcumberẽt, ſicut idẽ Matthæus narrat, Phariſæis interrogantibus diſcipulos, quare eorum magiſter cum publicanis, & peccatoribus pranderet, reſpondit, non eſſe opus valentibus medico, ſed malè habentibus; idcirco valde accommodatè inducta eſt perſona Matthæi publicani ad tradendam conſtitutionem ſanctificationis aquæ & olei, quibus virtus ſanandi morbos, & fugandi dæmones, qui ſæpe eorum cauſſa ſunt, tribuitur. Rurſus quia publicanis, & diuitibus maximè ante cæteros homines conuenit peccata ſua eleemoſynis & oblationibus redimere, ſicut Zachæus ille princeps publicanorum, & ipſe diues, dimidium bonorum ſuorum pauperibus dabat; idcirco aptiſſimè quoque eidem Mattheo publicano, & diuiti aſſignata eſt conſtitutio de primitiis & decimis reliquorum clericorum, & egentium omnium. item quia diſtributio reliquiarum myſticarum ſimilitudinem quandam habet cum diſtributione primitiarum & decimarum propter rationem, quæ habetur dignitatis eorum quibus fit diſtributio tum primitiarum & decimarum, tum reliquiarum myſticarum; idcirco eidem perſonæ Matthæi attributa eſt hæc conſtitutio.

*2 En Apoſtolica conſtitutio de ſanctificatione aquæ & olei interpres loci Pauli in epiſt. ad Tim. de ſanctificatione eſcarum per verbum & orationem cum gratiarum actione aduerſus Proteſtantes, qui huiuſmodi ſanctificationes aquæ, olei, ſalis, herbarum, magicas vocant, & ſuperſtitioſas eſſe dicunt. Conferatur ergo hæc oratio, quæ ad ſanctificationem aquæ & olei ſecundum Apoſtolicam doctrinam adhibetur, cum loco Pauli: Paulus enim ait de creatura cibi, ſanctificatur enim per verbum Dei, & orationem; oratio verò hæc ait, ſanctifica hanc aquam. Deinde explicat vim ſanctificationis, ſubiungens, tribue aquæ vim ſanandi, & depellendi morbos, ac fugandi dæmones. hæc eſt imploratio auxilij aduerſus ea quæ nocent, vt morbi, & dæmones, quam implorationem auxilij ſignificat ἔντευξις, vt Theodoretus in comm. epiſt. Pauli ad Tim. notauit, quo verbo Paulus in eodem loco vſus eſt, cùm ait, ſanctificatur enim per verbum Dei, & ἐντεύξεως, id eſt, per orationem, ſic enim interpres vetus vertit, qui idem verbum ca. 2. eiuſdem epiſt. prioris ad Tim. poſtulationes interpretatus eſt. Sic etiam accepit hoc verbum B. Athanaſius in prologo explanationis pſalmorum ad Marcellinum, cùm eos pſalmos notat in quibus eſt ἐντυχία, id eſt imploratio auxilij, idem enim ſignificat ἐντυχία, quod ἔντευξις, id eſt, poſtulationem auxilij. Sic etiam cibum ſanctificamus poſtulantes vt non noceat, ſed potius vtilis animæ & corpori fiat. hoc enim virtute accepta ſanctificatus cibus participantes ſanctificat, ſicut doctus Origenes lib. 8. contra Celſum ſcripſit, qui virtutes eſcarum à dæmonibus tribui dicebat, nos, inquit, Deo conditori vniuerſi placentes, & panes cum gratiarum actione, & oratione adhibitos edimus σῶμα γινομένους διὰ τῆς εὐχῆς ἅγιον καὶ ἁγιάζον τοὺς μετ' ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους· panibus, inquit, veſcimur, qui per orationem fiunt corpus ſanctum, & ſanctificans eos qui ſano propoſito eo veſcuntur. verbum verò Dei eſt per quod fit hic ſanctificatio aquæ & olei, ſimiliter vt in eſca eſt Chriſtus; tribue enim, inquit, virtutem ſanandi morbos, & fugandi dæmones per Chriſtum ſpem noſtram. hic eſt enim auctor ſanctificationis. Gratiarum verò actio, vnde initium ſanctificationis aquæ & olei ſumitur, illa eſt, Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & largitor olei, & amator hominum, qui dediſti aquam, & quæ ſequuntur. Commemoratio enim beneficiorum Dei quædam gratiarum actio eſt. hæc igitur ſanctificatio creaturæ aquæ & olei per verbum, & orationem cum gratiarum actione à ſanctis Apoſtolis tradita, & omnium eccleſiarum cuncti Orientis & Occidentis conſuetudine & vſu celebrata, cum loco Apoſtoli de ſanctificatione creaturæ cibi tam bellè ſecundum proprietatem verborum conſentiens ſatis redarguit Proteſtantium blaſphemiam, qui, vt dixi, huiuſmodi ſanctificationes magicas vocant, & ſuperſtitioſas eſſe dicunt, attribuentes dæmonibus, quæ Dei prouidentia & virtus in creaturis ad vtilitatem noſtram operatur, qui non multùm differunt ab illo Celſo Gentili, cui reſpondet Origenes, qui dæmones faciebat præſides creaturarum quibus vtimur. Denique bonitati Dei, & eius in nos charitati inuident, & ſcripturam Pauli malè intelligendo deprauant, qui nullas alias creaturas niſi eſcas cum gratiarum actione per verbum Dei, & orationem ſanctificari credunt. neque ſi ſanctificentur, ad vſum ſpiritualem depellendi ægritudines, & dæ-



& dæmones, ſanctificari poſſe, virtutem τῆς ἐντεύξεως, id eſt, orationis auxilium Dei, quod latè patet, poſtulantis opinione ſua terminantes. Sed hæc hactenus, ne longius fiat ſcholion. reliqua huc pertinentia petantur ex lib. 3. defenſionis epiſt. pontificum Apoſt. c. 5. & ex cap. 43. libri huius viij.

CAP. XXX. Eiuſdẽ de primitiis, & decimis.

I DEM *ipſe de primitiis, & decimis conſtituo, vt omnes primitiæ offerantur epiſcopo, & presbyteris, ac diaconis ad eos alendos: omnis verò decima offeratur ad alendos reliquos clericos, & virgines ac viduas, & pauperes: primitiæ enim ſacerdotum ſunt, & diaconorum qui ſacerdotibus miniſtrant.*

CAP. XXXI. Eiuſdẽ de reliquiis Euchariſtiæ.

I DEM *de reliquiis conſtituo, vt benedictiones, quæ in myſticis ſuperant, de ſententia epiſcopi, aut presbyterorum diaconi † diſtribuant clero, epiſcopo partes* *1 *quatuor, presbytero tres, diacono duas; reliquis verò hypodiaconis, aut lectoribus, aut cantoribus, aut diaconiſſis partem vnam; pulchrum enim & gratum Deo eſt, vt quiſque conuenienter dignitati ſuæ & gradui honoretur: Siquidem in eccleſia compoſitio ordinis, non perturbatio docetur.*

*1 En Apoſtolicæ cõſtitutionis teſtimonium in Proteſtantes, qui tradũt, extra vſum nõ eſſe Euchariſtiam, & ſumptionem tantùm eſſe inſtitutum. Etenim ſi extra vſum communionis nihil ibi eſt præter panem, quid opus erat, ea quæ poſt communionem omnium ex myſteriis ſuperabant, miniſtris eccleſiæ, qui iam communicauerant, diſtribuere? Quis tam tardus eſt, vt non intelligat, idcirco ſtatutum fuiſſe, vt reliquiæ tunc diſtribuerentur, ne neceſſe eſſet non diſtributas ſeruare, id quod commodè, tutò, & decenter fieri non poterat tunc, cùm omnia dominatu infidelium tenebantur. Quid enim aliud fuiſſet, collocare reliquias ſanctæ Euchariſtiæ in ſacrario ad ſeruandum, cùm periculum imminebat, quàm mittere margaritas ante porcos, vt pedibus eas conculcarent? tanta enim erat tunc licentia & impunitas Gentilium in Chriſtianos, tanta violentia & odium, tanta vbique Chriſtianorum exagitatio, vt ſæpe, ſicut capite 34. libri huius perſpici poteſt, non liceret propter infideles prodire in eccleſiam, neceſſeque eſſet domi ad rem diuinam conuenire; & aliquando ne in domo quidẽ priuata liceret in eccleſiam domeſticam conuocare. eſſe autem hic ſermonem Apoſtolicæ doctrinæ de reliquiis Euchariſtiæ, etſi ſatis verba ipſa rem declarant, cùm vocantur benedictiones in myſticis, magis adhuc perſpici poteſt ex epiſt. 2. eiuſdem Clementis, in qua præcipit, vt ſi remanſerint reliquiæ, in craſtinum ne ſeruentur, ſed cum timore & tremore clericorum diligentia conſumantur: ſic etiam hic clericis tantùm præcipit diſtribui Apoſtolica doctrina. Redarguit præterea hæc conſtitutio Proteſtantes, qui tradunt, neceſſarium eſſe, ſub vtraque ſpecie communicare. Etenim ſi accipere plus quoad ſpeciem, ſecundum conſtitutionem Apoſtolicam de reliquiis in hunc modum diſtribuendis, ad dignitatem externam & viſibilem, quæ ab hominibus cernitur, & ſub ſenſum cadit, pertinebat, & non ad dignitatem interiorem in ſpiritu, cuius dignitatis laus, vt non ex hominibus, ſed ex Deo eſt, ita ab hominibus diiudicari non poteſt; conſequens eſt, vt ſimiliter nunc accipere etiam ſub pluribus ſpeciebus non ad dignitatem interiorem in ſpiritu, quam Deus videre, & metiri poteſt, ſed ad dignitatem externam, quam homo videre poteſt, pertineat. Hinc factum eſt, vt cùm pont. ſacrum facit, propter honorem, & dignitatem miniſtrandi pontifici ad altare, diaconus, qui ei miniſtrat, ſub vtraque ſpecie communicet, niſi aliqua ratio ſpecialis fieri hoc prohibeat: vt quidem prohibuit, cùm orta eſt hæreſis Huſſitarum; vt narrat Auguſtinus Patricius in libello quem de aduentu Frederici 3. imperatoris Romani ſcripſit. communicauit, inquit, ſummus pont. (is autem erat tunc Paul. 2.) altaris ſacramentum cum imperatore, diacono, & ſubdiacono de pane tantùm; de calice autem, etſi conſuetudo, inquit eſt, communicantes cum pontifice participare, propter inſurgentem tamen Huſſitarum, & Boëmorum damnatam hæreſim, quæ calicis potum ad ſalutem neceſſarium putat, præter pontificem bibit nemo. hæc ille, qui dicit, ſe communioni pontificis tunc interfuiſſe. Hinc rurſus factum eſt, vt quibuſdam quoque regibus hoc ipſum pont. iam olim conceſſerit propter eorum dignitatem externam & viſibilem, vt regibus Chriſtianiſſimis Gallorum. Quod verò ad fructum pertinet, nemo, ſecundum decretum ſynodi Tridentinæ, qui vnam tantùm ſpeciem accipit, neceſſaria ad ſalutem gratia defraudatur, neque dignitate interiore diuinæ gratiæ. Siquidem fieri poteſt, vt qui ſub altera tantum ſpecie communicat, dignius communicet, quàm qui dignè ſub vtraque. Hanc verò dignitatem interiorem, & inuiſibilem, qui ſolus videt in abſcondito, & cui ſoli cor patet, remunerat, & honorat: non autem eccleſia, quæ non videt, niſi quæ oculis patent. Igitur vt maior honor, & dignitas externa & viſibilis non omnes decet, nec omnibus vtilis eſt, ſic neque communicare ſub vtraque ſpecie, quod, vt dixi, ad honorem & dignitatem externam pertinet, non omnes decet, nec omnibus conuenit; neque neceſſe eſt, vt cui ſub vna ſpecie communio ſancta vtilis fuit, mox eidẽ ſub altera ſit item vtilis recenti vtilitate, tametſi fieri poteſt, vt ſit. vt iam nec ex hac quidem parte iuſtè queri poſſint, qui ſub vna communicant, quippe qui ſub vna alioqui communicantes, poſſunt eos qui ſub duabus communicant, ſpirituali accretione pietatis, & interiore dignitate diuinæ gratiæ ſuperare. hinc elici poteſt ratio, cur ſi populus ſumat corpus ſine ſanguine ſub ſpecie vini, nullum inde detrimentum, vt ait S. Thomas, ſequatur, non ſolùm quia ſacerdos, vt ait idem S. Thomas, in perſona populi offert, & ſumit ſanguinem, & ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus continetur, ſed quia ſumere etiam ſanguinem ad dignitatem externam & viſibilem pertinet; dignitatem autem externam tantùm ſine interiore dignitate inuiſibili gratiæ Dei ſi habuerimus, non abundabimus; neque ſi non habuerimus, deficiemus. ergo neque ſanguinem hac tantum ratione externæ & viſibilis dignitatis ſumere ſub ſpecie vini abundare eſt, neque non ſumere deficere: idque cùm totus Chriſtus, & verum ſacramentum ſub altera ſpecie ſit; interiore autem dignitate diuinæ gratiæ vnuſquiſque de populo æquè abundare poſſit. Quare ſacerdos pro dignitate ſua ſacerdotali, quam ſub ſenſibilibus ſignis ſacris in eccleſia catholica per ordinationem ſacram accepit, debet ſecundum Chriſti inſtitutionem, & Apoſtolicam traditionem, effuſionem ſanguinis Domini myſtica benedictione calicis repræſentare, & ſumere: non autem vulgus laicorum, qui nullam talem dignitatem ſacerdotalem acceperunt. Sed de his hactenus.

CAP. XXXII. Varij canones Pauli de iis qui accedunt ad baptiſmũ, qui ſint admittendi, & qui repellendi.

E T *1 *ego Paulus minimus Apoſtolorum, hæc vobis epiſcopis, & presbyteris de canonibus conſtituo: Qui primò ad myſterium pietatis adueniunt, adducant eos diaconi ad epiſcopum, aut ad presbyteros: & cauſſas exquirant, cur ad verbum Domini acceſſerunt. & qui adduxerunt eos, tribuant eis teſtimonium, excuſſis & examinatis diligenter iis omnibus quæ ad eos pertinent. Inquiratur in eorum mores, & vitam: & vtrum ſerui ſint, an liberi.*

*Etſi fuerit ſeruus Chriſtiani, interrogetur dominus eius, an præbeat ei teſtimoniũ: ſi nõ præbeat, repellatur; quoad ſe probet domino: Sin verò præbeat, ſuſcipiatur.*

*Si fuerit famulus Ethnici, doceatur placere Domino, ne euangelium infametur.*

*Si vxorem habet, aut mulier ſi virum, doceantur ſuis maritis vxores, & ſuis vxoribus mariti † contenti eſſe.*

*1 Quia Paulo fuit creditum euangelium præputij, vt ipſe ait in epiſt. ad Galatas, & multa quæ ad mores pertinebant, permiſſu legũ honeſta apud

Gentiles putabantur; idcirco opportunè & aptè inducitur Paulus ad ſanctionem canonum de recipiendis ad myſteriũ baptiſmi, aut repellẽdis, & de eorũ moribus inquirendis, & artificiis, & vitæ genere, vt de meretricibus, ſtatuariis, ſcenicis, aurigis, athletis, auguribꝰ, & aliis eius modi, quæ omnia lex Moyſis prohibebat, non autem leges Gentilium.

*Si cælibes ſunt, doceantur non ſcortari, ſed potius lege matrimonij iungi.*

*Si autem dominus eius Chriſtianus eſt, & ſcit illum ſcortari, neque dat famulo vxorem, aut ancillæ maritum, excommunicetur.*

*Si quis verò dæmonem habeat, doceatur pietatem: neque admittatur ad communionem, priuſquam mundetur. ſi tamen mors inſtet, admittatur. Si quis eſt leno, aut deſinat lenonem agere, aut repellatur. Meretrix ſi accedat, aut deſinat eſſe meretrix, aut repellatur. idolorum*[2] opifex ſi accedat, aut deſiſtat, aut repellatur.*

*Si quis ſcenicus accedat ſiue vir, ſiue femina, aut auriga, aut gladiator, aut curſor ſtadij, aut ludorũ apparator, qui munerarius dicitur, aut olympicus, aut*[3] tibicen, aut*

*2 En Apoſt. cõſtitutio, quę idola, & idolorũ imagines, id eſt, falſos deos, & falſorum deorum figuras & effigies facere prohibet; nõ autem Chriſti, & ſanctorũ eius imagines: quibus qui nomen idoli tribuũt, vt Proteſtãtes faciũt, anathema à ſynodo ſeptima vniuerſali facti ſunt. Sic enim habet anathematiſmus Baſilij Ancyrani ab eadem ſynodo in prima actione approbatus: Qui ſacræ ſcripturæ verba de idolis ad venerãdas Chriſti imagines exponentes trahut, anathema. immò iſti ſcripturæ S. repugnãt, cùm imagines Chriſti, & ſanctorum eius idola vocant; ſcimus enim, inquit Apoſtol. quia idolũ nihil eſt in mũdo: & quòd nullus eſt Deus, niſi vnus. nam etſi ſunt qui dicantur dij, ſiue in cælo, ſiue in terra, nobis tamen vnus Deus eſt. & Eſaias, quẽ Apoſt. hoc loco imitatus eſt c. 65. ipſi, inquit, immolãt in hortis, & adolent incenſum ſuper lateres dæmoniis, quę nõ ſunt. ſic enim eſt apud 70. nõ dixit, quæ nõ ſunt, quaſi nõ ſint dæmonia, inquit Cyrillus hunc locum interpretans, ſed quia non ſunt qualia eſſe ſuſpicãtur, id eſt, non ſunt ſecundũ eorũ cogitationes & phantaſias. ſic ille. erant ergo idola commẽticij & ficti dij, id eſt, diaboli: vnde ſapiẽtia Salomonis idola anonyma dicit c. 14. id eſt, nomine carẽtia, nomina enim idolorũ Iouis, Saturni, Martis, Apollinis, Mercurij, & ſimiliũ, non ſunt à Deo profecta, à quo ſunt creaturæ, & earũ nomina; quia ſi quid factum eſt, inquit Eccl. c. 5. iam vocatum eſt nomen eius. & Eſa. c. 40. qui edit ſecundum numerum mundum ſuum, & omnia ex nomine vocat, ſic enim veteres legunt, & interpretantur ſcilicet, ſimul vt omnia in mũdo facta ſunt, ſingula nomen ſuum ſortita eſſe: vnde rurſum Apoſtolus, qui vocat, inquit, ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, id eſt, omnia creauit ex nihilo, ſic enim beatus Ath. in libro de paſſione interpretatus eſt, & nominibus ſuis vocauit. nihil itaque eorum quæ fecit, reliquit ſine nomine. idola verò, vt nihil ſunt in mundo, ſicut viſa ſomniorum, ita quoque eorum nomina vana ſunt, ſunt enim rei fictæ & commenticiæ, ἐκ διανοίας ὥσπερ εἴδωλον ἐν φωνῇ, ſicut Plato vocat in Theæteto ſpeciem quandam λόγου, cùm aliquid commenticium ſonamus, eſt enim tunc, vt Plato ait, cogitationis idolum in voce. At Chriſtus, cuius humanitatem, in qua plenitudo diuinitatis habitat, figuramus, verus Deus & homo eſt, idcirco qui imaginem Chriſti idolum vocat, vt Gentilium deos ſcriptura ſancta idola vocat, quæ non dij, ſed dæmonia erant, Chriſtum facit dæmonium, vt Proteſtantes: ſanctorum verò cùm idola quoque iſti vocant, non ſolùm dæmonia etiam faciunt ſanctos, ſed magis adhuc quàm Gentiles ignorantiam ſuam impiam produnt. Siquidem nec apud Gentiles quidem idola Heroum dicebãtur, ſed imagines, vt Magnetes antiquiſſimus auctor in apologia pro euangelio contra Theoſthenem auctor eſt, quia Heroas non tanquam deos colebant, vt Plato in 4. libro de legibus iubet, ſed tanquam homines ex diis, vt dicebant, propter excellẽtiam virtutũ natos, quos idem Plato in Cratylo ſemideos appellat. Quòd verò neque nos colimus tanquam deos ſanctos noſtros, qui fuerunt velut quidam diuini Heroës propter excellentiam ſui erga Deum amoris, teſtes ſunt noſtræ publicæ & eccleſiaſticæ litaniæ: nihil enim aliud ab eis vnquam petimus, niſi vt pro nobis tanquam amici Dei Chriſtum eius precentur. Poſtremò, quia Philippus miracula, quæ de imaginibus narrantur, præſtigias diabolorum audet vocare in reſp. ad art. Bauar. inquiſ. vt taceam illa miracula, quibus ſeptima ſynodus teſtimonium tribuit, vertam hic Latinè, quæ S. Athanaſius ſanctiſſimæ auctoritatis auctor in Quæſtionibus ad Antiochum principem ſcripſit. Quæſtio, cùm Deus per prophetas iubeat non adorare manufacta, quare imagines adoramus, & crucem, quæ ſunt opera artificum? Reſp. non tanquam deos, inquit, imagines adoramus, qui fideles ſumus, vt Gentiles adorant, abſit; ſed ſolùm τὴν σχέσιν καὶ τὴν ἀγάπην τῆς ἡμῶν ψυχῆς πρὸς τὸν χαρακτῆρα τοῦ προσώπου τῆς εἰκόνος ἐμφανίζοντες, id eſt, ſed ſolum affectum & charitatem animæ noſtræ declarantes apud figuram faciei imaginis. Vnde ſæpenumero deleta figura, tanquam lignum ſuperuacaneum, & nullius vſus, quæ imago aliquando fuerat, comburimus. Vt igitur Iacob cùm mors inſtaret, ſuper faſtigium virgæ Ioſeph adorauit, non vt virgam ipſam honoraret, ſed eum qui virgã tenebat; ſic non aliter nos imagines ſalutamus, quàm propter deſiderium, quòd declarant, qui hoc faciunt. Sicut liberos noſtros amplectimur, vt deſiderium animæ noſtræ pateſiat. vt olim Iudæi tabulas legis, & duos Cherubinos aureos, & ſculptiles adorabant, non quidem quòd naturam auri, aut lapidis honorarent, ſed eum qui hæc vt fierent mandauit. An dicturi ſunt Proteſtantes, fuiſſe adorationem Iacob ſuper virgam Ioſeph, idololatriam? minimè. non magis ergo adoratio noſtra ſuper imagines Chriſti, & ſanctorum eius, idololatria eſt, quàm illa fuit. Siquidem vt illa adoratio Iacob ſuper faſtigium virgæ quàm Ioſeph tenebat, quia faſtigium virgæ typus erat principatus regum Iſraël, qui ex Ephrem filio Ioſeph tanquam ex virga radicis Ioſeph profecturi erant, tota ad reges ipſos, & eorum originem tanquam ad prototypum referebatur; ſic adoratio fidelium ſuper imagines, quas Chriſtus, & ſancti eius inter Chriſtianos tenent, tota ad prototypa refertur, id eſt, ad Chriſtum, qui eſt radix ſanctitatis, & ſanctorum, & ad ſanctos, qui ex eo tanquam virgæ rectæ ex radice ortæ ſunt. Eſt autem obſeruandum, non dixiſſe ſcripturam adoraſſe Iacob faſtigium virgę, ſed ſuper faſtigium virgę, vt ſignificaret adorationẽ illam nõ hæſiſſe in typo illo, ſed per typũ illum trãſiſſe ad prototypũ. idẽ fit in adoratione noſtrarũ imaginum. Vnde rectè dici poteſt eadẽ ratione ad imitationẽ ſcripturæ S. adorare nos ſuper imagines, id eſt, adorare imagines quatenus imagines ſunt; ſic enim fit, vt imagines non propter ſe abſolutè, ſed propter ſancta prototypa adorentur. Subiungit deinde Ath. Qui verò propter arrogãtiã, crucis, & imaginum ſanctorũ adorationẽ renuunt, reſpondeãt fatui, quomodo vnguentum ex imaginibus virtute Dei ſæpenumero manauit? quomodo ſtatua ſancti in anima telo transfixa ad inſtar naturæ corporeæ ſanguinem admirabiliter effudit? quomodo oſſa, cineres, imagines, reliquiæ diabolos exclamantes multoties expulerunt? his exemplis ſtultos confundemus. quos vt magis confundamus, audi verum ſermonem à patribus de imagine nobis narratum. Ferunt igitur quidam fide digni, qui ſuperioribus temporibus Hieroſolymis fuerunt, fuiſſe cuidam monacho Hieroſolymis valde infeſtum ſpiritum fornicationis, grauemq́ue moleſtiam ei exhibuiſſe, cui cùm ante oculos ſemel apparuiſſet, ſi vis, inquit, vt te non oppugnem, ne hanc imaginem adores, & diſcedam à te: erat autem imago ſanctæ dominæ noſtræ matris Dei. Quid vos igitur poſt hac, qui ſuadetis non adorare ſanctorum figuras? οὓς τινας δι' ὑπόμνησιν καὶ μόνον ἡμεῖν ἐκτυποῦμεν, καὶ οὐ δι' ἐπεγρ τρόπον, quas, inquit, imagines propter recordationem tantum nobis exprimimus. non dicit imagines fieri ad memoriam tantùm, & non ad cultum, qui prius dixit adorandas eſſe imagines, ſed dicit, ne quis malè interpretetur, imagines exprimi, vt per eas de adoratione ſanctorum admoneamur: adoratio enim imaginum, adoratio ſanctorum eſt, ſiquidem ad eos refertur, & propter eos fit. Deinde clauſit ſermonem inquiens, Ac ſiquidem de imaginibus breui dictum ſit: Crucem autem, inquit, manifeſtum eſt propter Chriſtum in ea crucifixum à nobis Chriſtianis adorari, & ſalutari. Illud poſtremò huic ſcholio addã, redargui Proteſtantes ab eccleſiis Ruthenorũ, qui Germanicæ gentis, & linguæ ſunt; & ab eccleſiis Polonorum: qui enim à principio religionis, cùm à cultura idolorum ad fidem Chriſti gentes iſtę conuerſæ ſunt, cultum imaginum eis tradiderunt, quem ſemper vſque in hodiernum diem retinuerunt, ſicut maiores quoq; Proteſtantium vſque ad Lutherum, fidem ſimul tradiderunt, vt qui baptizaret, diceret inter cætera quæ ad baptiſmum adhibentur, accipe ſignaculum crucis tam in fronte quàm in pectore; ſume fidem cæleſtium præceptorum: talis eſto moribus, vt templum Dei eſſe poſſis: receptuſq́ue in eccleſiam Chriſti, euaſiſſe te laqueos diaboli lætus agnoſce: horreſce idola, reſpue ſimulachra. & cætera quæ in agendis ſacramentalibus, vt vocant, feruntur in eccleſiis illis quas dixi.

*3 Tibicines, citharœdi, lyricines, & ſaltatores Gentilium prohibentur; hi enim ad celebritates feſtorum Gentilium adhibebantur. Ceſſare ergo oportet in eo opere & arte apud Gentiles.



*aut citharœdus, aut lyricen, aut ſaltator, aut caupo, vel ceſſent, vel repellantur. Si miles acceſſerit, doceatur, ne cui iniuriam faciat, néue calumnietur; contentus verò ſit ſuis ſtipendiis: ſi obtemperet, admittatur; ſi repugnet, repellatur.*

*Patrator infandæ libidinis, cinædus, mente captus, ſiue ſtolidus, magus, incantator, aſtrologus, diuinus, qui magicas cantiones beſtiis adhibet; voluptuarius, circulator, qui facit amuletorum alligationes, qui facit ſuperſtitioſas expiationes; augur, ex ſignis coniector, palpitationum interpres, qui in occurſu, & congreſſu offenſiones obſeruat ex aſpectu, ex pedibus, ex auibus, ex muſtelis, ex vocibus hominum, quæ vocantur omina ex auditionibus ſymbolicis, probentur ſpatio temporis: eſt enim vitioſitas difficilis ad eluendum. Si igitur deſierint, admittantur; ſin verò non paruerint, repellantur.*

*Amica cuiuſpiam infidelis mancipium, quæ cum*[4] eo tantùm rem habuerit, admittatur: ſin verò cum aliis quoque impudica fuit, repellatur.*

*4 Cõſueuiſſe ancillam cum eo tantùm cuius mancipium eſt, præiudicium affert futuræ pudicitiæ: contrà verò cum aliis conſueuiſſe, ſuſpicionẽ dat impudicitiæ in poſterum.

*Fidelis, qui habet amicam, ſi ancilla eſt mancipium, deſinat, & ducat vxorem lege coniugij: ſi libera eſt, accipiat eam in matrimonium legitimum; ſin verò noluerit, repellatur.*

*Qui ſectatur mores gentilium, aut Iudaicas fabulas, mutet vitam, aut repellatur.*

*Qui eſt deditus theatri ſpectaculis, venationibus, curriculis equeſtribus, certaminibus, aut deſinat, aut repellatur.*

*Cui tradenda eſt catecheſis, ſit tribus annis catechumenus. Siquis verò ſit virtutis ſtudioſus, & deſiderio baptiſmi tenetur, admittatur: non enim tempus, ſed mores iudicantur.*

*Qui docet ſcilicet catechumenos, & ſi*[5] laicus ſit, modò ſit peritus in verbo, & honeſtis moribus, †doceat: Erunt enim, inquit, omnes docibiles Dei.*

*Omnis fidelis, ſiue vir, ſiue mulier, vbi è lecto ſurrexerint, & lauerint, priuſquam facere opus aggrediantur, faciant precationem. Si verò traditur catecheſis aliqua verbi Dei, ſermo pietatis anteponendus eſt operi: Fidelis ſiue vir ſiue femina proſpiciant famulis beneuolè, ſicut tum antea conſtituimus, tum in epiſtolis docuimus.*

*5 En Apoſtolica cõſtitutio, quæ cõtra Proteſtãtes miniſteriũ verbi laicis committit ad docendum tãtùm catechumenos, non autẽ ad docendum in eccleſia populũ, idq́; quia Chriſtus Deus noſter ore ſuo docuit omnes Chriſtianos de patre, filio, & ſpiritu S. quod in primis tradendum eſt catechumenis, vt Apoſt. conſtit. præcipit lib. 7. c. 40. docuit etiam reliqua, quæ illic deſcribuntur, & pręcipiuntur docenda catechumenos, de incarnatione Domini, de paſſione, de reſurrectione, & aſcenſu in cælos, quæ omnia in vetere teſtamento omnes ferè ignorabant præter prophetas, & quos prophetæ erudiebant: contrà verò in nouo omnes Chriſtiani ſciunt, quia omnes ſunt diſcipuli Dei; omnes, inquam, Chriſtus ore ſuo hæc docuit iuxta prophetiam Eſaiæ, erunt omnes docibiles Dei: non dixit, omnes erunt doctores, ſed docti, ſiue docibiles Dei. idcirco enim dixit Apoſt. vt beatus Cyrill. in illo Eſaiæ loco c. 54. notauit, multifariam, multiſq́ue modis olim Deus loquens patribus, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio; ſcilicet locutus eſt in filio, vt omnes per filium doceret. requirit autem Apoſtolica conſt. vt huiuſmodi laicus, qui catechizat, ſit peritus in verbo, vt ſciat accommodare catecheſim ad ingenium catechumeni, & vt ad quæſtiones, quas interdum ponunt catechumeni, reſpondere poſſit. reliqua, ad hunc locum pertinentia, quæ ad interpretationem loci, & defenſionem ſpectant, petenda ſunt ex explanationibus locorum obſcuriorum horum librorum.

CAP. XXXIII. Quibus diebus feriãdum ſit famulis.

*EGO*[1] *Petrus, & ego † Paulus conſtituimus, vt ſerui quinque diebus opus faciant, Sabbato autem, & Dominico die † vacent in eccleſia propter doctrinam religionis; diximus enim habere quidem ſabbatum rationem creationis mundi, Dominicum verò reſurrectionis.*

*Tota magna hebdomada, & proxima ſequenti vacent ſerui, quia illa paſſionis eſt, hæc reſurrectionis: & opus eſt docere, quis ille ſit qui mortuus eſt, & qui reſurrexit: quis item ille ſit qui mori permiſit, & ſuſcitauit eum à mortuis.*

*Die aſſumptionis vacent, quòd tunc fuerit impoſitus finis œconomiæ Chriſti.*

*In Pentecoſte vacent propter aduentum ſpiritus ſancti, qui datus eſt iis qui in Chriſtum crediderunt.*



*In*

*1 Quia B. Petrus in epiſt. ſua 2. promittit daturum ſe operã, vt poſt mortem ſuã ij ad quos ſcribebat, memores eſſent ſuarum præceptionum & admonitionum; hoc autẽ non erat aliter facturꝰ, quàm precando pro eis in cælo: celebratio verò dierum feſtorum eò ſpectat, vt interceſſionem ſanctorum, eos colendo & honorando, nobis apud Deum patrem Dominum ſanctorum, & noſtrum per Chriſtum filium eius in ſpiritu vtriuſque conciliemus. idcirco beato Petro aptiſſimè aſſignata eſt hæc conſtitutio, ac pariter beato Paulo coapoſtolo, qui in epiſtola ſua ad Hebr. cap. 13. præceptum dedit de habenda memoria ſanctorum qui iam erant mortui, qui euangelium prædicauerant, in quorum exitum intueri præcipit ad imitandum eorum vitam, & fidem, qui eſt finis & ſcopus celebrandi dies feſtos ſanctorum. præcipiunt autem in primis celebrare dies feſtos Chriſti, qui eſt ſanctus ſanctorum, & Dominus gloriæ; deinde ſanctorum Apoſtolorum, ac martyrum, & aliorum ſanctorum, qui Domino perfectè ſeruierunt.

*In die feſto Natalis vacent, quòd eo die præter omnem expectationem tributa ſit hominibus tanta lætitia, & Deus verbum, Dei filius ex *2 Maria virgine ad ſalutem mundi natus fuerit.*

*In die autẽ feſto Epiphaniæ vacent, quòd eo die declarata ſit diuinitas Chriſti teſtimonio patris in baptiſmo, & ſpiritus ſancti, qui in ſpecie columbæ oſtendit aſtantibus eum cui tributum erat teſtimonium.*

*In *3 diebus † Apoſtolorum vacent: magiſtri enim veſtri fuerunt ad docendum vos de Chriſto: vobiſque ſpiritum ſanctum dederunt.*

*In die Stephani protomartyris item vacent: ac reliquis diebus ſanctorum martyrum, qui Chriſtum vitæ ſuæ antepoſuerunt.*

*2 Quod in hac Apoſtolica doctrina tacitũ eſt de diebus feſtis virginis Mariæ, & non eſt tacitũ de feſtis Domini, & Apoſtolorum, ac martyrum, non ſolùm nõ adiuuat Lutheranos à veneratione virginis abhorrẽtes, ſed potius docet cõtra eos, quomodo ſancti adorentur: & quemadmodũ ſupra cæteros omnes ſanctos, & ſupra omnes ordines angelorum ſit virgo Dei mater veneranda, & colenda. Ergo cùm ſancti Apoſtoli per ſpiritum Dei præcognoſcerent, futuram eſſe hæreſim idololatriæ in cultu virginis, id eſt, futuros eſſe qui eam pro dea haberent, eique ſacrificarent, vt S. Epiphanius lib. 3. tomo 2. de Collyridianis in Arabia, & ſuperioribus Scythiæ partibus narrat, traditionem Apoſtolicam ſine ſcripto de die eius natalitio, & aſſumptionis celebrandis noluit Clemens ſcribere in hac Apoſtolica doctrina, ne ex eo occaſionem falſi cultus hæretici caperent, quòd cum feſtis Domini Dei feſtos dies matris deſcriptos legerent: & ne æquari cum matre Dei Apoſtolos, & martyres putarent, ſi cum feſtis eorum feſtos quoque dies virginis ſcriptos & notatos reperirent. matri enim Dei maxima ante omnes ſanctos reuerentia propter eius ſanctitatem & dignitatem maximam debetur, quæ hyperdulia dicitur, ſicut ipſa virgo Dei mater hyperagia eſt, & dicitur. Hæreticorum ergo eſt mera calumnia, qui fingunt ſanctos à nobis ceu deos coli, cùm eccleſia noſtra, id eſt, catholicorum, hæreſim Collyridianorum de falſo cultu virginis tanquam deæ olim damnauerit, & perpetuò damnet. Quòd ſi Dei matri non adhibemus tanquam deæ diuinum cultum, quanto minus adhibemus cæteris ſanctis, qui ſunt infra eam omnes?

*3 En Apoſtolica conſtitutio, quæ contra Proteſtantium impietatem feſtos dies ſanctorum ſancit; & locum Pauli apoſt. de huiuſmodi cultu ſanctorum poſt mortem interpretatur, vt ex verbis Pauli, & conſtitutionis Apoſtolicæ inter ſe collatis perſpici poteſt. Apoſt. enim in epiſt. ad Hebr. c. 13. mementote, inquit, præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem. de mortuis loquitur, inquit Theodoretus, vt Iacobo fratre Domini, & Iacobo fratre Ioannis, qui iam erant interfecti. pro eo ergo quod Paulus præcipit, meminiſſe præpoſitorum, Apoſtolica conſtitutio præcipit, vacare in diebus Apoſtolorum, hi enim fuerunt noſtri præpoſiti, & magiſtri; vacare inquam, vt ſuppetat otium ad celebrandum eorum memorias ſtudio diuini cultus, precationum, gratiarum actionis, & meditationis vitæ, ac mortis eorum. Rurſus pro eo quod Paulus dixit, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, Apoſtolica conſtitutio à Clemente ſcripta dicit, veſtri enim magiſtri fuerunt ad docendum vos de Chriſto. item pro eo quod Paulus ſubiungit, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem, Apoſtolica conſtitutio dicit, qui Chriſtum vitæ ſuæ antepoſuerunt; hic enim fuit exitus conuerſationis, & vitæ illorum, mori propter Chriſti fidem, quam habebãt, & quam nos imitari debemus. Sicut enim ita vixerunt in carne, ſicut Apoſt. de ſe in epiſt. ad Gal. ſcripſit, vt in fide filij Dei viuerent, ſemper mortificationem Ieſu Chriſti in corpore ſuo circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtaretur in corporibus eorum, ſicut idem quoque Apoſt. de ſe, & ſuis ſimiliter dixit, ſic nos vſque ad ſanguinem reſiſtere debemus repugnantes aduerſus peccatum; quia ſi dederitis, inquit Eſa. pro peccato animam veſtram, videbitis ſemen longæuum. hoc enim credentes, & ſperantes, pro Chriſto mortui ſunt ſancti. Deinde, quia præcepit Paulus memoriam præpoſitorum celebrare, quales fuerunt S. Apoſtoli, vt intelligeremus, aliorum quoque ſanctorum memorias celebrandas eſſe, quamuis non fuiſſent præpoſiti, ac magiſtri eccleſiæ; addidit Apoſtolica conſt. S. Stephanum iam quoque interfectum, & protomartyrem, qui non miniſtrauit verbo, ſed fuit vnus ex 7. diaconis. non repugnat huic ſcholio, ne quis erret, aut me oblitum putet, quod in alio ſcholio ſuperiore huius libri hunc Pauli locum interpretatus ſum de ea memoria S. Apoſtolorum, & aliorum ſanctorum, quæ ſit in ſacrificio Miſſæ in canone, ad eam enim refert eundem Pauli locum Euſtratius Conſt. antiquus auctor in libro de operatione animæ poſt ſeparationem à corpore, cuius libri meminit in bibliotheca ſua Photius Conſt. vtrumque itaque genus celebrandi memorias ſanctorum traditum eſt à S. Apoſtolis, & ad vtrumque pertinet apoſtoli Pauli locus, ad illud dico, quod quotidie in Miſſa fit; & ad illud, quod fit, cùm dies eorum feſtos propter eaſdem cauſſas vacatione operum ſeruilium, & ſtudio diuini cultus in natalitiis eorum agitamus, id eſt, in die mortis, ſiue exitus conuerſationis eorum, ſicut hic dicit Apoſtolus; quod eſt etiam argumentum de huiuſmodi quoque memoriis ſanctorum agitatione dierum feſtorum concelebrandis Apoſtolum loqui: ſiquidem in die exitus eorum ipſos illos dies feſtos agimus, ſicut à S. Apoſtolis accepit eccleſia, vt teſtis eſt hæc conſtitutio, & conſuetudo omnium eccleſiarum, quæ aliunde naſci non potuit, quàm ex Apoſtolica traditione: cui conſuetudini Apoſtolicæ traditionis qui repugnant, vniuerſo mundo repugnant. Quare vniuerſus mundus eos in die iudicij condemnabit conuictos & oppreſſos conſcientia neglectæ traditionis Apoſtolorum, & rationis eam grauiſſimè confirmantis. quam Nicolaus primus ſanctiſſ. & ſapientiſſ. pont. in reſponſis ad Bulgaros c. 11. copioſè expoſuit. Sanè, inquit, ſciendum eſt, idcirco in diebus feſtis ab opere mundano ceſſandum eſſe, vt liberiùs ad eccleſias ire, pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis ſanctorum communicare, ad imitationem eorum aſſurgere, eloquiis diuinis intendere, eleemoſynas indigentibus mittere valeat Chriſtianus. hæc omnia contemnunt, qui dies feſtos ſanctorum contemnunt.

Cap. XXXIIII. Quibus horis, & quare in eis precandum eſt.

PRECATIONES *facite *1 mane, tertia hora, ac ſexta, & nona, & veſpere, atque ad gallicantum: Mane gratias agentes, quòd illuminarit nos nocte ſublata, & reddito die: Tertia, quòd ea hora Pilatus iudicium aduerſus Dominum pronunciauit: Sexta, quòd ea hora in crucem actus eſt: Nona, quòd tum omnia mota, & tremefacta ſunt Domino crucifixo: quia horrerent audaciam impiorum Iudæorum, & contumeliam Domini ferre non poſſent: Veſpere quòd noctem dederit ad requieſcendum à diurnis laboribus: Ad gallicantum, quòd ea hora nunciet aduentum diei ad facienda opera lucis. Quòd ſi ad eccleſiam prodire non licuerit propter infideles, congregabis epiſcope in domo aliqua, ne ingrediatur pius in eccleſiam impiorum: non enim locus hominem ſanctificat, ſed homo locum. Si verò impij locum occuparint, vitandus eſt tibi, quòd ſit ab eis pollutus: vt enim ſacerdotes ſancti ſanctificant, ſic impuri fœdant. Quòd ſi neque in domo, neque in eccleſia congregari poterunt, pſallat ſibi vnuſquiſque, canat, oret, ſaltem duo ſimul, aut tres: vbi enim*



*enim fuerint (inquit Dominus) duo, aut tres congregati in *2 nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Fidelis ne in domo quidem † precetur cum catechumeno: non enim æquum eſt, vt baptizatus cum non baptizato pariter inquinetur, pius cum hæretico, neq; in domo quidem precationem faciat: quæ enim ſocietas luci cum tenebris? Fidelis vir, aut femina ſerui copulati, vel † ſeparentur, vel eiiciantur.*

*1 En Apoſtolica conſtitutio de horis canonicis ad orandũ contra Proteſtantium magiſtros, & miniſtros, qui tradunt nõ poſſe orationem numero, & tempori alligari, quaſi alligari ad ſeruiẽdum Deo ſpirituum, & omnis carnis, ſicut ait ſcriptura, contra libertatem ſpiritus ſit; quo nihil amẽtius dici poteſt. Cõſuetudo igitur omnium eccleſiarũ de horis canonicis ad orandum, quã omnium contradicentium contentioni & repugnãtię, ſicut Apoſt. nos docuit, opponimus & obiicimus, ex hac Apoſt. traditione profecta eſt; eſtq; de numero earum traditionum, quas idem Apoſt. in epiſt. ad Theſſ. complexus eſt, cùm ait, tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonẽ, ſiue per epiſt. noſtram. nihil ergo refert, vtrum traditionẽ hanc de totidem horis canonicis, quot in eccleſiis catholicorum per cunctum orbẽ in eccleſiaſtica conſuetudine miniſtrorum eccleſiaſticorum ſunt, per ſcripturam, an per ſermonem non ſcriptũ, ſed auditum S. Apoſtoli nobis tradiderint, eadem enim auctoritas in vtroq; genere eſt, vt ex hoc Pauli teſtimonio perſpici poteſt. etſi illud quoq; tenendum eſt, hanc de horis canonicis traditionẽ ita ſcriptura quoq; commendari, vt expreſſum verbũ ſcripturæ S. neget, qui horas canonicas orationis neget, id eſt, horas regula certi tẽporis, certi ordinis clericorum, & certæ formæ præſcriptas & conſtitutas: Siquidem ſcriptum eſt in actis Apoſt. c. 3. Petrus autẽ, & Ioannes aſcendebant in templũ ad horam orationis nonam; ſiue, vt totam vim ſermonis Græci exprimã, ad horam illã orationis, quæ erat nona. hoc enim declarat illa repetitio articuli Græci, cùm ait, ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην. erant igitur neceſſariò præter horam nonã aliæ horę orationis, id eſt, horę ad orationem ſtatutæ & præſcriptæ, quæ nobis traditæ ſunt. quo loco cùm Lutherus redargui ſe & conuinci intelligeret, qui iam in multis eccleſiis Germaniæ canonicas horas publicæ orationis, ſiue officij diuini, vt vocant, deleuerat, in ſua noui teſtamenti tranſlatione Germanica infinitis locis deprauata accommodatè ad ſua falſa dogmata ita locũ hunc tranſtulit, Petrus autem, & Ioannes aſcendebant in templum circa horam nonam ad orandum; ſcilicet efficere voluit, quamuis conſtructione ipſa ſermonis Græci repugnante, vt videretur hora illa nona non fuiſſe ex conſtitutis & præſcriptis ad orandum, quaſi potius notatum à Luca eſſet, qua hora aſcendiſſent in templũ, quàm qua hora oraturi aſcendiſſent. quod quidem notatum à Luca eſt, quia hora nona oramus, ſicut Apoſt. conſtitutio hic docet, quòd illa hora omnia Domino crucifixo mota ſunt. cum quo ſatis conuenit miraculum claudi illius in nomine Ieſu Nazareni ſanati, mouentiſq; ſe, & ambulantis, de quo miraculo ſcriptum eſt, & impleti ſunt ſtupore & eſtaſi in eo quod contigerat illi; vt ſimiliter ſcriptum eſt, cùm hora nona emiſſo ſpiritu terra mota eſt, & centurio, & qui cum eo erant, viſo terręmotu, & iis quæ fiebant, timuerũt valde, dicentes, verè filius Dei erat iſte. item c. 10. in Act. aſcendit, inquit, Petrus in ſuperiora, vt oraret circa horam ſextã: non dixit, aſcẽdit in ſuperiora circa horam ſextam, vt oraret, vt recto quidem ordine dicendum erat, ſi tempus aſcenſus notare voluiſſet, ac non potius tempus orationis, quod erat ſexta hora, hoc enim ſignificat illud περὶ ὥραν ἕκτην. Qui igitur dixit, aſcendiſſe, vt oraret circa ſextam horam, planè ſignificauit, obſeruatum fuiſſe tempus ſextæ horæ ad orandum. Huius quoq; horæ ſextæ notatio non vacat myſterio, id eſt, ratione occulta & ſecreta, oramus enim ſexta hora, vt Apoſtolica conſt. docet, quòd ea hora in crucem ſublatus eſt Dominus, & tanquam victima altari impoſita ad mactandum. de ſe autem in crucem ſuſtollendo dixerat in euangelio Ioannis, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Satis igitur cum hoc myſterio Chriſti conuenit viſio illa Petri, cùm aſcendit ad orandum ſexta hora, & vidit linteum illud vſque ad ſeipſum veniens plenum omni genere animalium, quę occidere, & manducare iubebatur; quod quidem ſignificabat in ænigmate, per Chriſtum hora ſexta in cruce immolatum, miniſterio Petri vt vicarij eius eſſe cunctos tãquam agnos & oues rationales ad aram Chriſti adducendos, & peccato mactandos, & vt in Chriſto viuerent, paſcendos. Iam ſi traditionem Apoſtolicam de canonicis horis orationis, vnde orta eſt, vt dixi, conſuetudo omnium eccleſiarũ, ratio confirmat, & fides obſeruat, vt doctus Tertull. in libro de corona militis de omni traditione Apoſt. dixit, videamus, quæ ratio cuiuſq; horæ canonicæ S. Apoſtolis viſa fuit, vt, quod ad orationem pertinebat, honeſtè quoq;, & ſecundum ordinem fieret in nobis. Si enim hoc decebat ſeruare in loquendo linguis in eccleſia, & interpretando, quanto magis, aut cur non etiam in orando? ne facilè contingeret, vt dum alij clerici orarent, alij confabularentur, aut per plateas, vel agrum ambularent, & denique alij aliud agerent, vt libitũ eſſet. Viſum igitur eſt S. Apoſtolis æquum & ſalutare, vt clerici tanquã publici miniſtri eccleſię pro omnibus hominibus canonicè, id eſt, ſecundum regulam eccleſiaſticã à S. Apoſtolis traditam orarent, gratias agentes Deo mane quidem, quòd tranſacta nocte dies illuxerit, ac in primis, quòd dignos nos fecerit, ſicut Apoſt. ait, in partem ſortis ſanctorũ in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum dilectionis filij ſui. hanc horam primã canonicam precandi mane initio diei, id eſt, in ortu ſolis, Ioannes Caſſianus ſuo tempore in eccleſiis Occidentis inſtitutã eſſe exiſtimauit, vt ex libro eius 3. de inſtitutis cœnobiorũ c. 4. intelligi poteſt, ſiue quia hanc Apoſt. traditionem nondum in occidente didicerant, ſiue quia iam erat deſita, occaſione nata ex laſſitudine pſalmodiarũ, & vigiliarum nocturnarũ, & matutinarum laudum. Cùm ergo poſt pſalmos nocturnos, ac deinde poſt laudes matutinas quæ paruo ſpatio interpoſito ante aurorã celebrabantur, reliquo tempore vſq; ad tertiam, pluſquã conueniret & deceret, multi ſomno indulgerent, decretum fuit à ſenioribus, vt ait Caſſianus, vt mane ad ſolis ortum ſurgerent oraturi, ſed, vt dixi, non fuit hæc tunc noua horæ primæ matutinæ inſtitutio, quin potiùs Apoſt. traditionis vel nondum auditæ promulgatio, vel iam deſitæ repetitio & renouatio. Tertia autẽ hora, & ſexta, ac nona memoriam paſſionis Domini complectuntur. hora enim tertia pronunciatum eſt à Pilato contra Dominum: Sexta crucifixus Dominus: nona emiſſo ſpiritu, terra mota eſt. quãobrem iuſtum viſum eſt, vt quia commune beneficium redemptionis ex paſſione Domini accepimus, tanquã miniſtri eccleſiæ matris omnium pro cuncto populo horis iſtis canonicis, id eſt, ſecundum regulam Apoſt. nobis traditam præſcriptis oremus, gratias agentes Deo pro tanto beneficio. Veſpere item vt oraremus, gratias agentes Domino, qui noctẽ dederit ad requieſcendum à laboribus diurnis, viſum eſt S. Apoſtolis, & iuſtum, & vtile, & Deo acceptũ. hic cum hora canonica veſpertina, quæ ἐπιλύχνιος dicitur, & à Ioanne Caſſiano Lucernaris, comprehenſa eſt hora completorij, quæ cum ipſa fere continuatur paruo interuallo. Hactenus horarum canonicarum, quę diurnæ ſunt, diſtinctio, quæ à prima incipiens, id eſt, mane, deſinit in horam veſpere cum cõpleta. cum reliqua hora canonica, quæ dicitur officij matutini laudum diuinarum, quod ad gallicantũ aduentante die, ante auroram, id eſt, ante confinium noctis, & diei celebratur, in quo ſemper canitur pſal. 62. Deus Deus meus ad te de luce vigilo, comprehenſæ ſunt velut continuatè pſalmodiæ nocturnæ in ternas pſalmodias diſtributæ cum totidem lectionibus, vt iam ante annos mille cẽtum, & amplius tempore Ioannis Caſſiani fiebat, vt ex c. 8. eiuſdẽ libri 3. perſpici poteſt. non meminit hic traditio Apoſt. de oratione nocturna, quæ ex pſalmodiis nocturnis conſtat, ſicut meminit de matutina, quæ conſtat ex pſalmis matutinis laudum, quia de ſurgendo media nocte ad orationẽ non eſt traditum omnibus in commune; ij enim ſurgunt, qui pro deuotione ſua volunt ad exemplum Dauid media nocte ſurgentis, & Pauli, atque Silæ media etiam nocte orantium, & laudantium Deum in carcere: aut qui ſponte ſua hac lege teneri voluerunt, vt in cœnobiis fit, & in plurimis eccleſiis canonicorum. itaque qui horam matutini officij anticipant, ſurgentes media nocte ad nocturnos pſal. hi acceſſionem adiungunt virtuti & pietati. Confirmat autem traditionem huius horæ matutini officij ad gallicantum ratio ipſa: quid enim iuſtius, & rationi pietatis magis conſentaneum eſſe poteſt, quàm orare miniſtros eccleſiæ, gratias agentes Deo pro omnibus hominibus propter beneficium commune omnium aduentantis diei ad facienda opera lucis, vt tanquam in die honeſtè ambulemus, & quia nox præceſſit, dies autem appropinquauit: idcirco enim nocturni pſalmi antecedunt laudes matutinas. Hactenus breui de horis canonicis orandi, quas S. Apoſtoli eccleſiæ catholicæ tradiderunt, quę vt in eccleſiis occidentis vſq; in hodiernum diem ſemper obſeruatæ ſunt, ſic etiam in eccleſiis orientis ad regulam in earum typicis, quæ vocant, deſcriptam & propoſitam, quas Græci ſuis nominibus appellant: illi μεσονυκτικὸν, nos nocturnos: ὄρθρον illi, nos matutinas laudes, licet illi ὄρθρον coniungant cum prima: vt nos matutinas laudes cum nocturnis. illi πρώτην, τρίτην, ἕκτην, ἐννάτην: nos primam, tertiam, ſextam, & nonam. ἑσπερινὸν illi, nos veſperam: ἀπόδειπνον, vocant completorium, quia poſt cœnam adhibetur; nos completorium ab horis orandi completis.

*2 En Apoſtolica doctrina, quæ neceſſariò conuincit, nullas eccleſias habere Proteſtantes; cùm enim iubet epiſcopo, vt congreget in domo aliqua fideles, ſi propter infideles non poteſt congregare in eccleſia; quòd ſi nec in domo quapiam poteſt congregare, vt duo ſaltem, aut tres ad pſallendum, & orandum conueniant; planè docet, vbi auctoritate epiſcopi ad orationem publicam & communem non congregantur fideles, quia non eſt epiſcopus, ibi non eſſe eccleſiam, neque congregari in nomine Domini, ſi qui congregentur, quia epiſcopus eſt, qui in nomine Domini congregat eccleſiam, ſiue paruam, ſiue magnam. hoc ipſum docuit Dominus in euangelio Matth. vt hic locus Apoſtolicæ doctrinæ cum illo collatus demonſtrat. poſtquàm enim dixit Dominus, ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus,



& publi-

& publicanus, ſtatim docuit, qui eſſent quibus hanc poteſtatem excommunicandi, id eſt, eiiciendi ex eccleſia, daret, ſubiungens, amen dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erant ligata & in cælo; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo: Apoſtolis enim hoc dixit, qui quidem quia morte, ſicut Apoſt. ait, permanere prohibebantur, id ipſum dictum eſſe voluit iis qui S. Apoſtolis vicaria ordinatione ſucceſſuri erant, qui ſunt epiſcopi. Quibus autem huiuſmodi poteſtatem eiiciendi ex eccleſia in nomine ſuo dedit, eiſdem quoque, vt ratio conſequentiæ poſtulat, & quidem prius poteſtatem congregandi item in nomine ſuo eccleſiam ſiue ex multis, ſiue ex paucis dedit. idcirco enim ſubiungit, vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Vtrumque horum cernitur in Paulo, qui intuens in hunc locum euangelij, & eum veluti interpretās, cùm Corinthium illum inceſtum omnibus iam notum excommunicat, quia eccleſiam, quæ tales non admittit, non audiebat, in nomine, inquit, Domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu, iudicaui cum virtute Domini noſtri tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis. Sicut ergo Dominus loquens de eccleſia ab illis congregata, quibus poteſtatem excommunicandi dedit, dixit, vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum; ſic Paul. eccleſiam Corinthiorum deſignat, cùm ait, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis vobis, & meo ſpiritu, (ſpiritum enim ſuum vocat diuinum chariſma poteſtatis ſuæ ſpiritualis, in qua epiſcopi, quorum eſt congregare eccleſiam, & ex ea eiicere, ſuccedunt) iudicaui huiuſmodi hominem tradere Satanæ. quare cùm Proteſtantes non habeant ſucceſſores Apoſtolorum, id eſt, epiſcopos, quibus conuenit ſecundum euangelium poteſtas, vt dixi, congregandi in nomine Domini eccleſias, & ex eis exterminandi; conſequens eſt vt nec eccleſias vllas habeant niſi malignantium.

Cap. xxxv. Iacobi fratris Domini conſtitutio de veſpertina oratione.

*Et* [*1] *ego Iacobus frater quidem Chriſti ſecundum carnem, ſeruus verò eius vt Dei vnigeniti, epiſcopus verò Hieroſolymitanus ab ipſo* [*2] *Chriſto, & ab Apoſtolis ordinatus hæc dico: Congregabis epiſcope eccleſiam ad veſperā. & poſt recitatum pſalmum veſpertinum edicat diaconus, quæ precaturi ſunt pro catechumenis, energumenis, baptizatis, & pro pœnitentibus, vt antea diximus. Poſtquàm verò dimiſſi fuerint, dicat diaconus: Omnes fideles oremus Dominum. & poſtquàm edixerit illa quæ in primis precibus, dicet tunc:*

*1 Quia erat Iacobus frater Domini in oratione vſqueadeò aſſiduus, vt aſſiduitas orandi flexis genibus callum genibus eius obduxiſſet, vt Euſ. Cæſ. lib. 2. eccl. hiſt. ſcribit, idcirco conſtitutio de congreganda eccleſia veſpere ad orationem aptiſſimè ei aſſignata eſt.

*2 Ordinatus eſt Iacobus ab Apoſtolis, id eſt, à Petro, Ioanne, & Iacobo, vt S. Anacl. in epiſt. 2. teſtatur, à Chriſto autem ordinatus dicitur, quia eius voluntate, & ſpiritu ordinatus eſt, ſicut eſt in libro 8. c. 3. veſpertinum pſal. vocat pſal. 140. Domine clamaui ad te.

Cap. xxxvi. Denūciatio obſecrationis nocturnæ poſt incenſa lumina.

*Salva, & ſuſcita nos Deus per Chriſtum tuum, ſurgentes imploremus miſericordias Domini, & miſerationes eius, angelum pacis præſidem, quæ honeſta & vtilia ſunt, finire vitam Chriſtianè, veſperam, & noctem quietam, & à peccatis vacuam, & vniuerſum vitæ noſtræ tempus à crimine liberum: ac noſipſi, & alios viciſſim Deo per Chriſtum eius commendemus, & epiſcopus precationem faciens dicat:*

Cap. xxxvii. Nocturna gratiarū actio poſt incenſa lumina.

*Devs ſine origine, & immortalis, auctor omnium per Chriſtum, & procurator, & ante † omnia ipſius Deus, & pater, Dominus † ſpiritus, & cadentium ſub intelligentiam, & cadentium ſub ſenſum rex, qui feciſti diem ad opera lucis, & noctem ad infirmitatis noſtræ requiem, tuus eſt enim dies, & tua nox; tu perfeciſti lucem, & ſolem: Et nunc Domine qui es ſumma in homines charitate, & vndique bonus, accipe beneuolè hanc noſtram gratiarum actionem veſpertinam: Qui traduxiſti nos per ſpatium longum diei, & adduxiſti nos ad principium noctis, cuſtodi nos per Chriſtum: da veſperam tranquillam, ac noctem, quæ à peccatis vacet; & dignare nos vita æterna per Chriſtum tuum, per quem tibi gloria, honor & cultus in ſancto ſpiritu in ſæcula, Amen. & diaconus dicat, Inclinate ad impoſitionem manus. Et dicat epiſcopus, Deus patrum, & Domine miſericordiæ, qui ſapientia tua hominem animal rationis particeps, præ cæteris quæ in terra ſunt, tibi Deo charum fabricatus es, eidemque vt iis quæ in terra ſunt dominaretur, conceſſiſti: quique tuo arbitratu & voluntate magiſtratus, &* [*1] *ſacerdotes conſtituiſti, illos quidem ad tutelam vitæ, hos verò ad legitimum Dei cultum: & nunc ipſe flectere Domine omnipotens, & oſtende faciem tuam ſuper ſeruos tuos, qui ceruicem cordis ſui flexerunt: & benedic eis per Chriſtum, per quem nos lumine cognitionis illuminaſti, & teipſum nobis patefeciſti. Cum quo tibi, & ſpiritui ſancto omnis natura rationis particeps, & ſancta dignam venerationem debet in ſæcula; Amen. & dicat diaconus, Exite in pace. Simili modo mane, poſtquàm erit pſalmus matutinus recitatus, & diaconus dimiſerit catechumenos, energumenos, & eos quibus inſtat baptiſmus, ac pœnitentes. & poſtquàm edixerit quæ edicere debet, ne eadem rurſus repetamus, ſubiungat poſt illud, ſalua eos Deus, & ſuſcita in gratia, ſubiungat,*



*ſubiungat, inquam, hæc: Petamus à Deo miſericordias & miſerationes eius, & vt hoc matutinum tempus, & hunc diem, immò vniuerſum tempus peregrinationis noſtræ in pace, & extra peccatum tranſigamus. Petamus item angelum pacis, finem Chriſtianum, Deumque habeamus propitium ac beneuolum: Noſq; ipſi, & alios mutuò Deo viuenti per vnigenitum filium eius commendemus. Et epiſcopus orando dicat:*

*1 En rurſus Apoſtolicæ doctrinę teſtimonium in magiſtros Confeſſioniſtarum, qui negant, vllum eſſe ſacerdotem in nouo teſtamento præter Chriſtum. Vnde Illyricus in defenſ. Antuerp. Confeſſ. c. 15. nunquam, inquit, miniſtri eccleſiæ vocantur ſacerdotes, ſed tantùm presbyteri, & doctorum variis nominibus. Sic ille. at hęc Apoſtolica traditio, quā Clemens à S. Apoſtolis, non per ſcripturam, ſed per ſermonem didicit, teſtatur, ſacerdotes dici, & eſſe, quos nouum teſtamentum presbyteros vocat. Cur autem in noui teſtamenti ſcriptura nunquam vocentur ſacerdotes, hæc fuit cauſſa, non quidem ne viderentur iudaizare Apoſtoli ſic vocantes, ſicut Iudæi vocabant, ſiquidem Gentiles quoque ſuos vocabant ſacerdotes, etſi falsò; nec enim in nomine communi erat iudaiſmus, ſed in genere ſacrificij, quod faciebant ſacerdotes, & in ritu ſacrificandi iudaico. hæc ergo fuit cauſſa, vt nouo nomine presbyterorum doceret ſcriptura nouum genus eſſe ſacerdotij, præſertim cùm Gentiles, vt dixi, ſuos quoque vocarent ſacerdotes tametſi eo nomine indignos, vt falſorum deorum cultores. quòd ſi ſecundum Apoſtolicam traditionem presbyteri ſunt noui teſtamenti ſacerdotes ad cultum ſecundum legem euangelicam Deo adhibendum conſtituti, conſequens neceſſariò eſt, vt habeant aliquid ſacerdotij ſui proprium ad offerendum in eo cultu præter hoſtias ſpirituales communes omnium Chriſtianorum, quas habent ſacerdotes ex baptiſmo, qui ſunt omnes fideles; non autem ſunt omnes fideles ſacerdotes ex ordinatione, ſed qui ſecundum Apoſtolicam traditionem ab epiſcopo acceperunt manus impoſitionem.

Cap. xxxviii. Gratiarum actio matutina.

*Devs ſpirituum, & omnis carnis, cum quo nullus conferri poteſt, & qui nullius indiges, qui dediſti ſolem, vt præeſſet diei, & lunam, & ſtellas, vt præeſſent nocti; & nunc ipſe aſpice nos oculis beneuolis, & ſuſcipe noſtras gratiarum actiones matutinas, & miſerere noſtri. Neque enim manus tetendimus ad Deum alienum: quia non eſt in nobis Deus recens, ſed tu æternus, & immortalis, qui largitus es nobis per Chriſtum, vt eſſemus; & nobis item per eundem, vt in bono ſtatu eſſemus, tribuiſti. Ipſe ergo dignare nos per eum vita æterna: Cum quo tibi gloria, & honor, ac veneratio, & ſancto ſpiritui in ſæcula, Amen. Deinde dicat diaconus, Inclinate ad benedictionem. & epiſcopus orando dicat:*

Cap. xxxix. Impoſitio manus matutina.

*Devs fidelis, & verax, qui facis miſericordiam in millia, & in multa decem millia diligentibus te, amicus humilium, & pauperum propugnator, quo omnia indigent, quia omnia ſunt ſerua: Reſpice populum hunc; hos dico, qui tibi capita ſua inclinarunt: & benedic eis benedictione ſpirituali, cuſtodi eos, vt pupillā oculi, conſerua eos in pietate, & iuſtitia. Cum quo tibi gloria, honor, & veneratio, ac ſancto ſpiritui nunc, & ſemper, in ſæcula ſæculorum, Amen. & dicat diaconus, Abite in pace. pro primitiis verò collatis ſic agit gratias epiſcopus:*

Cap. xxxx. Imploratio propter primitias.

*Gratias agimus tibi Domine omnipotens, omnium effector & gubernator per vnigenitum filium tuum Chriſtum Dominum noſtrum, pro oblatis tibi primitiis, non quantas debemus, ſed quantas poſſumus. Quis enim hominum poteſt meritas gratias agere pro iis quæ ipſis ad participandum dediſti, Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, & omnium ſanctorum, qui cuncta verbo tuo ad maturitatem perduxiſti, & omnis generis fructus ad lætitiam et alimentum noſtrum terræ iuſſiſti è ſe fundere; qui dediſti mollioribus, & lallantibus ſuccum lactis, herbiuoris herbam, aliis carnem; aliis ſemina, nobis verò frumentum ad alendum idoneum & accommodatum præbuiſti; ac multa alia, partim ad vſum, partim ad ſanitatem, partim ad oblectationē. præter hæc igitur omnia, ſuperas omnes laudes propter beneficium à te in nos collatum per Chriſtum, per quem tibi gloria, honor, & veneratio, & ſancto ſpiritui in ſecula, Amen. Pro defunctis verò, qui in Chriſto requieuerunt; poſtquàm diaconus edixit, orandum eſſe, ne eadem repetamus, adiunget etiam hæc:*

Cap. xxxxi. Denūciatio obſecrationis pro mortuis.

*Oremvs pro fratribus noſtris qui in Chriſto requieuerunt, vt Deus ſummæ erga homines charitatis, qui animam defuncti ſuſcepit, remittat ei omne peccatum voluntarium, & non voluntarium; & propitius ac beneuolus ei factus collocet eam in regione piorum qui* [*1] *laxati † ſunt, in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob, cum omnibus qui à ſæculo condito Deo placuerunt, voluntatique eius paruerunt, vnde fugit dolor, mæror, & gemitus. Surgamus, noſque viciſſim ſempiterno Deo*

*per*

*1 En Apoſtolica conſtitutio, quę Illyrici mendacium redarguit, cùm in defenſ. Conf. Ant-

*per verbum, quod erat in principio, commendemus. & epiſcopus dicat: Qui natura & immortalis & ſempiternus, à quo effectum eſt, quicquid immortale eſt, & interitui obnoxium: qui hominem animal ratione præditum, mundi ciuem, mortalem in ſua fabricatione effeciſti, ac etiam immortalitatem promiſiſti: qui Enoch, & Eliam mortem experiri non permiſiſti: qui es Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, non tanquam Deus mortuorum ſis, ſed tanquam viuentium, quia omnium animæ apud te viuunt, & ſpiritus iuſtorum in manu tua ſunt, quos non tangit tormentum, cuncti enim ſanctificati, ſub manibus tuis ſunt: & ipſe nunc reſpice hunc ſeruum tuum, quem in aliam ſortem elegiſti, & aſſumpſiſti: & condona ei, ſi quid tum volens,*[2] tum nolens peccauit: & exhibe ei angelos beneuolos; ac colloca eum in ſinu patriarcharum, & prophetarum, atque Apoſtolorum, & omnium*

uerp. c. 20. Dionyſij auctoritatem de purgatorio negans, ſic ait: nullã enim prorſus mẽtionem facit ignis purgatorij, aut vllarũ pœnarum, in quibus ſuſpicetur mortuũ detineri; ſed ita orat pro eo, vt eum Deus ad ſeſe recipiat, perinde ac ſi iã primum animã exhalaret. hęc ille. ſed ſi iamdiu mortuus eſt, & ſecundũ Illyricum & condiſcipulos eius in nullis pœnis detinetur, quomodo ſacerdos precatur mortuo, quem in nullis pœnis eſſe ſuſpicatur, vt adipiſcatur quod iam habet & poſſidet? Sed conferamus nunc quæ Dionyſ. dicit, cum Apoſtolica conſtitutione de orando pro mortuis, ſic enim ait Dionyſ. oratio igitur diuinam bonitatem precatur, vt remittat defuncto, quæcunque per humanam infirmitatem peccauit, eumque collocet in lumine, & regione viuentium, in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob, in loco vnde fugit dolor, mæſtitia, & gemitus. idem precatur Apoſtolica conſtitutio partim eiſdem verbis, partim clarioribus, vt cùm orat, vt collocetur anima defuncti in ea regione vbi ſunt pij laxati. Laxatos vocat à vinculis liberos & ſolutos, hi enim ſunt ἀνειμένοι. Teſtatur igitur Apoſtolica conſtitutio eſſe poſt hanc vitam carcerem aliquem piorum, non clauſum, vnde qui in eo vincti ſunt aliquando poſſint laxari, & emitti. ex quo rurſus fit, vt in eo carcere non clauſo ſit locus ſoluendi debitum, vel patiendo, vel per huius vitæ preces, eleemoſynas, indulgentias, non autem ſit in carcere impiorum, qui clauſus eſt, quia nemo poteſt inde exire, de quo ait Iob c. 3 clauſit enim cõtra eum Dominus. in carcere itaque eſt anima, pro qua ſic orat, vt adducatur in regionem piorũ, qui ſunt à vinculis laxati. nõ enim laxati dicuntur, quia cùm eſſent in hac vita, tanquã in carcere eſſent, ne quis iſtorum hoc reſpondeat; ſiquidem non eſt hęc vita carcer, neque dicitur, ſed potius militia, & curriculũ, ac ſtadium; neque corpus, in quo anima continetur, carcer eſt animę, qui fuit error Origenis περὶ ὑπάρξεως animarum, & animas in corpora propter peccata detruſas cum Platone ſomniantis, ſed eſt indumentum animæ, comes in via, quod Græci dicunt συνοδοιπόρον, & ἐργαλεῖον, id eſt, officina. Carcer igitur, à quo laxantur piè mortui, locus eſt extra hãc vitam, in quo quia pœnas luendo ſordiculæ repurgantur, purgatorium dicitur. qui quidem locus quia tenebris obſitus eſt, oratio Dionyſij precatur, vt collocetur anima in lumine; erat igitur prius in tenebris, in quibus pœnas dabat: non enim piè, & in charitate viuentes in hac vita in tenebris eſſe dicuntur, ſed potius in lumine, ſicut ſcriptum eſt, qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt. itaque piè, & in charitate mortui, in carcerem propter parua peccata incluſi, non in tenebras interiores, ſed exteriores incluſi ſunt, de quibus Eſa. 44. prophetans de aduentu Chriſti, dedi te, inquit, in fœdus populi, vt ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas, vt diceres iis qui vincti ſunt, exite; & iis qui in tenebris, reuelamini: quod in deſcenſu Chriſti ad inferos impletum eſt. idem ſenſit Cyrill. Hieroſ. in S. catecheſi. De eiſdem prophetauit Zacharias c. 9. cùm ait, tu quoq; in ſanguine teſtamenti emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua, id eſt, de inferno, in quo nõ eſt vita. non hoc dixit Propheta de vinctis damnatis in inferno, alioqui non dixiſſet, vinctos tuos, neque de patriarchis, & prophetis, aliiſque ſanctis, qui nec in tenebris, nec in carcere, aut vinculis erant, ſed in ſinu Abrahæ, id eſt, in receptaculo diuinæ lætitiæ pleno. reſtat igitur, vt de vinctis in carcere tenebricoſo purgatorij Propheta loquatur. Quare cùm orat Dionyſius pro anima defuncti, vt collocetur in lumine, vt è tenebris educatur, orat, quod vniuerſa etiam eccleſia confirmat, quæ in officio funebrium exequiarum in perſona defuncti orat inquiens, libera me Domine de viis inferni, qui portas æreas confregiſti, & viſitaſti infernum: dediſti eis lumen, vt viderent te qui erant in pœnis tenebrarum. Similiter Apoſtolica doctrina cùm orat, vt ibi collocetur anima, vbi eſt cœtus laxatorum, ſimul orat, vt laxetur à vinculis ſecundum prophetiam Zachariæ paulò ante citatam. neq; ſic obſcuratur, & ſepelitur redemptio Chriſti, vt Illyricus blaſphemè fingit. ſiquidem Chriſtus ſua pro nobis ſatisfactione perfecit, vt noſtra ſatisfactio pro temporali pœna propter peccata ſecundum legem iuſtitiæ naturæ inſitam debita, in virtute ſatisfactionis eiuſdem Chriſti valeret. Ad eundem modum, & eadem ratione eccleſia Græcorum in Miſſa B. Baſilij, & Chryſoſt. orat etiam pro iamdiu mortuo, vt collocetur ἐν τόπῳ φωτεινῷ, id eſt, in loco lucente, in quo ſimul orat, vt dixi, vt educatur ex loco tenebricoſo, in quo eſt; qui eſt, & dicitur purgatorium. nihil enim refert, quòd Apoſtolicæ doctrinæ traditio non vocet hic ignem, quæ ſatis eſſe iudicauit, quòd ſic Paulus vocaſſet, quod ego lib. 4. defenſ. epiſtolarum pontificum Apoſtolicorum c. 13. ita perſpicuè collatis hinc inde ſcripturis, vt opinor, demonſtraui, vt ſcripturas negare cogatur, qui quod docemus, neget. probaui etiam purgatorium ibidem c. 12. ex duobus locis epiſt. B. Petri in epiſt. 2. legat ibi cui libet, ne eadem hic repetamus. Sed quia Illyricus obiicit nobis, quòd Dionyſius Areop. non meminerit de igne purgatorij, vbi nos illum de purgatorio loquentem producimus, obiiciamus nos rurſus illi duos fratres teſtes grauiſſimos ſanctitate, doctrina, & antiquitate inſignes Magnum Baſilium, & Greg. Nyſſ. hic enim in ſermone de mortuis ſcripſit, vt ergo ea poteſtas naturæ libera maneret, & malum abeſſet, hanc diuina ſapientia rationem inuenit, nempe vt ſineret hominem, in quibus voluiſſet, verſari, vt guſtatis malis, quæ concupiuiſſet, & quæ quibus mutaſſet, expertus, per deſiderium ad primam beatitudinem ſponte recurreret, poſtquàm paſſiones, & affectus à ratione alienos tanquam onus quoddam naturæ depoſuiſſet, ἢ κατὰ τὴν παροῦσαν ζωὴν διὰ προσοχῆς καὶ φιλοσοφίας ἐκκαθαρθεὶς, ἢ μετὰ τὴν ἐνθένδε μετανάστασιν διὰ τῆς τοῦ καθαρσίου πυρὸς χωνείας; depoſuiſſet, inquam, vel in hac vita per ſtudium ex virtute viuendi, aut poſtquàm hinc in alteram vitam migraſſet, per purgatorij ignis fornacem expurgatus. ad Pauli locum reſpexit Gregorius, in quo Apoſtolus ſordiculas cum auro, argento, lapidibus pretioſis, id eſt, cum variis operibus fidei gloria regni Dei dignis admixtas per ignem repurgandas eſſe ait ſine detrimento auri, argenti, lapidum pretioſorum. idem in duobus aliis locis eiuſdem ſermonis affirmat nominato igne purgatorio. Venio iam ad Baſilium, is enim in comm. Eſa. c. 9. explanans illum locum, vt gramen ſiccum vorabitur ab igne, & comburetur in denſo ſiluæ; quòd ſi exuerimus, inquit, peccatum per confeſſionem, gramẽ areſecimus: & dignum fit, vt purgatorio igne conſumatur, ac deuoretur. ipſum autem exuritur in denſo ſiluæ. denſum ſiluæ vocat tectos & obſcuros, qui in corde multa vitiorum genera ſeruant. Ergo niſi peccatum, vt gramen, ſiccum efficiatur, non exuretur. & paulò poſt, explanans illud proximum, & erit populus tanquam ab igne conſumptus homo, non minatur, inquit, interitum, ſed purgationem deſignat, iuxta illud Apoſtoli, ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe tamẽ ſeruabitur, ſic autem quaſi per ignem. citat hoc Baſilij teſtimonium Gennadius ſcholarius patriarcha Conſt. defendens purgatorium ignem aduerſus Græcos auctor Græcus, vt erubeſcat Illyricus, qui in eadem apologia Antu. Confeſſ. audet dicere homo impudentiſſ. nunquam Græcos purgatorium ignem agnouiſſe. Audis ergo, inquit Gennadius, patrem Baſilium, quemadmodũ abluitur, & deponitur hic ἀνομία, id eſt, peccatum graue, in futuro autem δοκιμάζεται, id eſt, probatur ab igne, & purgatur; & ad beneficiũ animæ ab optimo Domino ignis ille puniens οἰκονομεῖται, id eſt, gubernatur, & quod materia peccati parata deletur, & inſtar graminis areſcentis comburitur, ſi nudetur per confeſſionem: ſin verò non nudetur, non exeditur & deuoratur ab igne purgatorio; & quòd non minatur ἀφανισμὸν, id eſt, interitum, ſed innuit purgationem. Et hæc inquiens Baſilius, ſubiungit, ait Genn. dictum illud apologeticum, ipſe autem ſeruabitur, ſic tamen quaſi per ignem. Seruari enim incolumitatem ſignificat ſecundum rectam rationẽ, non autem interitum. Hactenus Gennadius, & ſcholiũ hoc.

*2 Hic locus Apoſtolicæ doctrinæ Illyricum quoque redarguit, cùm in eadem Apologia Confeſſ. Antuerp. his verbis purgatorium vaniſſimè & impiè impugnat, quàm teter, inquit, & peſtilens error fuerit, dicere, peccata remitti in altera vita. ergo & ibi habebimus ſacrificos nos expiantes, ergo non eſt neceſſe hic ſolicitè remiſſionem peccatorum quęrere, & cõſequi, quę adhuc in altera vita nobis contingere



*omnium qui à ſæculo tibi placuerunt; vbi non eſt triſtitia, neque dolor, neque gemitus, ſed potius chorus piorum laxatus, & terra rectorum ſimul laxata, & eorum qui ibi gloriam Chriſti*[3] *tui vident, per quem tibi gloria, honor, & veneratio, gratiarum actio, & adoratio, ac ſancto ſpiritui in ſæcula, Amen. Et dicat diaconus, Inclinate, & accipite benedictionem. Et epiſcopus agat pro eis gratias hæc dicens: Conſerua Domine populum tuum; et benedic hæreditati tuæ, quam pretioſo ſanguine Chriſti tui acquiſiſti: Paſce eos ſub dextra tua, et protege eos ſub alis tuis; eiſq; concede, vt bonũ certamen certẽt, curſum conſummẽt, fidẽ ſeruent ſine*[4] *mutatione, & extra querelam, ac crimen per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum dilectum filium tuũ, cum quo tibi gloria, honor, veneratio, & ſpiritui ſancto in ſæcula, Amen.*

poſſit. hæc ille. idẽ obiiciebat Aërius hæreſiarcha apud Epiph. li. 3. hęr. 77. his verbis: orat, inquit, qui viuit, aut œconomiam cult' fecit, & quid proderit mortuo? Sin verò oratio eorum qui in hac vita ſunt, omnino illis qui illic ſunt, vtilis fuit; ergo nemo ſit pius, nemo quod bonũ eſt, agat, ſed ſibi potius paret amicos in morte, quomodo ei libeat, pecunia, aut conciliatione amicitiæ, & orent pro eo. hæc Aërius, qui ſimiliter, vt Illyricus, non diſtinguebat remiſſionem peccatorum magnorum, ſic enim ſcriptura vocare ſolet peccata mortalia, à remiſſione paruorum, quæ venialia dicantur. at Apoſtolica doctrina parua peccata ait in altera vita per orationes, & ſacrificia remitti, non autem magna. Cui enim, inquit, viuenti fuit Deus inimicus, liquet, eſſe quoque eum inimicum defuncto. Deus verò propter peccatum mortale eſt inimicus; parua ergo peccata dicit Apoſt. doctrina remitti in altera vita, cùm tradit orandum eſſe pro defuncto, vt Deus condonet ei, ſi quid voluntariè, aut non voluntariè peccauit. hæc enim diſtinctio voluntarij, neceſſe eſt vt ſit diſtinctio leuium, ſiue paruorum peccatorum; & non diſtinctio grauium, ſiue magnorum: ſiquidem nullum peccatũ graue, & mortale eſt non voluntarium: neque rurſus omne peccatum voluntarium eſt graue; quin potiùs multa peccata ſunt leuia & parua; quæ cùm ſimilia ſint & paria non voluntariis, ea ſunt quæ in hanc diſtinctionem cadunt coniuncta cum non voluntariis. idem dixit Dionyſius Areop. remitti illic maculas humanæ infirmitatis, ſic vocauit parua peccata, id eſt, venialia, quæ humana infirmitas non poteſt declinare omnia omni tempore. Et S. Epiphanius, vtilis, inquit, eſt oratio pro mortuis; & ſi enim non reſcindit tota crimina, (mortalia peccata dicit.) vtilis tamen eſt, quia ſæpe in mundo voluntariè, & non voluntariè labimur. Redarguitur igitur hic quod Illyricus obiicit in remiſſionem peccatorum, quæ in purgatorio ſit, inquiens, ergo non eſt neceſſe hic ſolicitè remiſſionem peccatorum quærere, quæ adhuc in altera vita nobis contingere poſſit: immò neceſſe eſt Illyrice, peccatorum mortalium, quæ ſunt omnia charitatis contraria, & inimicitiam Dei vobiſcum conciliant, remiſſionem hic quærere ſtudioſè, vt piè in Chriſto moriamur. peccata enim mortalia non remittuntur in altera vita: immò de eo qui cum huiuſmodi peccatis hinc receſſit, ſcriptum eſt in Iob c. 3. vt ſuperiùs dixi, clauſit Deus contra eum, quia non licet inde vnquam exire. contra hæc peccata grauia citauit hunc locum Dionyſius Areop. pro quo vertit Hier. ex Hebræo, circumdedit Deus eum tenebris, ſcilicet æternis. Illud præterea Illyrici mendacium non eſt in hoc ſcholio diſſimulandum, quòd dum metuit, ne cum Aërio hæreſiarcha damnatus eſſe videatur, negat damnatum eſſe Aërium, quia negaret oblationes pro mortuis; Epiphanius enim, inquit Illyricus, multos errores Aërij recenſet, nihil tamen dicit de oblationibus pro mortuis, aut illum illas negaſſe. immò verò negabat, & id Epiphanius apertè dicit, ſed Illyricus aut non intellexit, aut diſſimulauit. Cùm enim dixit Aërius, orat, qui viuit, pro mortuo, aut œconomiam cultus fecit, Miſſam intellexit, quæ œconomia cultus, ſiue cultus œconomiæ dicitur, vt ex eodem Epiphanio proſpici poteſt in epitome de fide catholica, & Apoſtolica eccleſia: ſic enim loquens de varietate temporis ad ieiunia, & Miſſas, in quibuſdam, inquit, locis fit λατρεία οἰκονομίας, id eſt, cultus œconomiæ, Miſſa, inquam, quinta feria (magnæ ſcilicet hebdomadæ, de hac enim loquitur) hora nona, etc. in aliis locis non fit cultus œconomiæ niſi die Dominico, die inquam Paſchæ reſurrectionis. & paulò poſt, in exequiis, inquit, mortuorum celebrant memorias defunctorum nominatim, adhibentque orationes, καὶ λατρείας οἰκονομίας, id eſt, cultus œconomiæ; Miſſas ſignificat, in quibus quia fit cultus myſticus corporis & ſanguinis Domini in commemorationem incarnationis, & paſſionis, ac redemptionis noſtræ, quæ omnia verbum œconomiæ ſignificat ſecundum conſuetudinem veterum Theologorum, idcirco Miſſa dicitur œconomia cultus, vt Aërius dixit, ſiue potius cultus œconomię, vt Epiph. immò ex iis quæ paulò ante idem Aërius apud Epiphanium dixerat, manifeſtum efficitur, quòd dico vocaſſe Miſſam œconomiam cultus, quam tradebat fruſtra fieri in exequiis funebribus defunctorum. recitat ergo S. Epiphanius, quemadmodum Aërius preſbyteros æquabat epiſcopis, vnus, aiebat, ordo eſt, & vnus honor, ac dignitas; ordinat epiſcopus, & preſbyter item: baptizat epiſcopus, ſimiliter & preſbyter: œconomiam cultus facit epiſcopus; facit & preſbyter oblationem, ſiue Miſſam dicit. ſtatim autem paucis interiectis, recitat verba, quibus idem Aërius orationes, & Miſſas, ſiue oblationes pro mortuis negabat, eiſdem verbis vtens, id eſt, œconomia cultus pro Miſſa. Miſſas etiam pro defunctis fieri cum Epiphanio, & Aërio licet hæretico affirmant beatus Athanaſius in ſermone de mortuis, his verbis: ſi aliquis piè defunctus ſit, ne recuſes cereos, & oleum ad ſepulchrum eius incendere, vt opem Chriſti eidem implores; hæc enim accepta ſunt Deo, & magnam ab eo ferunt remunerationem. deinde ſubiungit, oleum enim & cera holocauſtum eſt: ſacrificium autem altaris propitiatio. & beatus Hier. in comm. Prou. c. 11. notandum, inquit, eſt, quòd etſi impiis poſt mortem ſpes veniæ non eſt, ſunt tamen qui de leuioribus peccatis, cum quibus obligati, defuncti ſunt, poſt mortem poſſunt abſolui, vel pœnis videlicet caſtigati, vel ſuorum precibus, vel eleemoſynis, Miſſarumque celebrationibus. omitto reliquos teſtes.

*3 En Apoſtolicæ doctrinæ teſtimonium, non differri vſque ad diem iudicij iuſtis & ſanctis aſpectum Dei, & gloriæ eius fruitionem, immò ſtatim, vt nihil purgandum habent animę, gloriam Dei videre, & frui. Conuenit cum hac Apoſtolica doctrina, quod Apoſt. in epiſt. ad Coloſſ. ſcribit, coarctor autem è duobus, deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. nunquàm enim hoc dixiſſet Apoſt. niſi certum habuiſſet, non differri beatitudinem poſt ſeparationem animarum ſanctarum à corporibus. item in Apocalyp. de ſanctis martyribus, hi, inquit, ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni, ideò ſunt ante thronum Dei & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius, &c. Huc pertinet illud in eadem Apoc. c. 22. & regnauerunt cum Chriſto mille annis, & cæteri mortuorum non vixerunt. Vocat enim mille annos Apocalypſis vniuerſum tempus vitæ huius, quouſque euangelij prædicatio perficiatur. Denique apertè dixit Dominus latroni, hodie eris mecum in paradiſo. nec enim aliud petiit latro ad Dominum conuerſus, & aliud promiſit Dominus. petierat autem, vt meminiſſet eius in regno ſuo; nomine regni intelligebat frui bonis Chriſti, & vita eius beata. Quia verò paradiſus inter cætera bona notior erat, quod gens Hebræorum propter doctrinam Chriſti non ignorabat, idcirco Dominus paradiſum illi ſpondet, & non aliud pro alio donat; nec aliud promittit, quàm quod ille cupiebat. Cupiebat autem, vt haberetur memoria eius in regno ſuo, quod erat frui bonis beatis. hæc Photius in reſponſis ad quæſtiones Amphilochij archiepiſ. Cizici.

*4 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ Lutheranos de manifeſta hæreſi condemnat, quippe qui fidem à patribus & maioribus ſuis vſque ab ipſo initio religionis Chriſtianæ Germanorum fideliter cuſtoditam, & poſteris traditam non ſeruarunt conſtanter, & ſine mutatione ſecundum præceptum Apoſtolicæ doctrinæ; vt, ſicut Apoſt. ad Coloſſ. ſcripſit, exhiberent ſe ſanctos, immaculatos, & irreprehenſibiles, ſi tamen permanerent in fide ſtabiles, & immobiles ab ſpe euangelij, quod audiſtis, inquit, quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura quæ ſub cælo eſt. at Confeſſioniſtæ, qui varij iam & multiplices ſunt. mutato euangelio, quod patres eorum ſemper ab initio audierunt, & quod vbique terrarum, vbicunque Chriſtiani ſunt, vſque in hodiernum diem prædicatur, aliam fidem ſibi inuenerunt ſecundum euangelium, quod ſub ſcamno latuerat, quod Martinus Lutherus ſe inde protuliſſe gloriatur. Hi nomen nouum à Luthero primo magiſtro, & proprio eorum propheta, cuius euangelium ſecuti ſunt, ſibi impoſuerũt, vt Lutherani dicerentur, vt Caluiniani à Caluino, cùm alioqui in eccleſia catholica nullum nomen à diſciplina fidei ductum ſit præterquam illud, quod Antiochiæ impoſitum eſt, vt à Chriſto Chriſtiani dicerentur. Vnde magnus Athan. in quæſtionibus ad Antiochum principem q. 44. Antiochiæ, inquit, primò datum eſt oraculũ, id eſt, facta à Deo reuelatio S. Apoſtolis, vt Chriſtiani vocaremur. quamobrem noſcat diligenter omnis homo, qui ad fidem Chriſti volens venit, quòd omnis fides quæ in terra ab hominis nomine nomen accipit, vt à Simone, inquam, Simoniani, à Marcione Marciani, ab Arrio Arriani, ab Eunomio

Eunomio Eunomiani, hæ omnes, & reliquæ à nominibus hominum, & propter ipſos ſic nominatæ, non ſunt fides Dei, neque Deus in ipſis eſt. ſi enim Dei fides ſunt, quare ſic nominantur, & gloriantur? Deinde ſubiungit reſponſionem claudens, καύχημα τοίνυν καυχημάτων ἡ καθολικὴ ἐκκλησία καὶ τὸ κηρύττεσθαι καὶ ὀνομάζεσθαι χριστιανοὺς ἡμεῖς ἐπ' αὐτῆς φωτισθέντες, ὡς μὴ παρ' ἀνθρώπου ὀνομασθέντες, ἀλλ' ὑπὸ θεοῦ φωτισθέντες· id eſt, ſumma igitur gloriatio eſt eccleſia catholica, & quòd in ea prædicamur & nominamur Chriſtiani, vt nō ab homine nominati, ſed à Deo illuminati. mutatio igitur nominis iſtorum teſtimonium clariſſimum eſt mutationis fidei, & ſi illi apud Corinthios Chriſtum diuidebant, qui dicebant, ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, cùm alioqui vnus eſſet baptiſmus ſiue à Paulo, ſiue ab Apollo, ſiue à Cepha miniſtratus; quanto magis Chriſtum diuidunt, qui dicunt, ego Lutheri ſum, cuius euangelium aliud eſt ab euangelio Caluini; ego Caluini, cuius euangeliū aliud eſt ab euangelio Lutheri? & vtriuſque euangelium aliud ab euangelio eccleſiæ catholicæ per cunctum orbem diffuſæ.

Cap. XXXXII. Quomodo, & quādo oporteat fideliū mortuorum memorias fieri: & quòd ex eorū bonis impartiendum ſit pauperibus.

*Exeqviae † verò mortuorum fiant tertio die adhibitis pſalmis, precibus, & lectionibus, propter eum qui tertio die à mortuis ſuſcitatus eſt: die nono ad recordationem eorum qui ſunt ſuperſtites, & eorum qui defuncti ſunt: quadrageſimo fiant ſecundum veterem typum, Moyſen enim ſic populus fleuit. item anno exacto ad habendam memoriam ipſius defuncti, & ſuppeditetur ex bonis eius pauperibus ad recordationem eiuſdem.*

Cap. XXXXIII. Quòd impios mortuos nihil iuuēt memoriæ.

*Sed hæc de piis dicimus; impios enim tametſi omnia bona externa pro eis largiaris, nihil iuuare queas: cui enim viuo inimicus fuit Deus, haud dubium, quin ſit etiam defuncto: non enim iniuſtitia eſt apud eum. iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit. Et ecce homo, & opus eius.*

Cap. XXXXIIII. De ebriis.

*Qvi verò in exequiis mortuorum ad epulum funebre inuitati eſtis, ordine & cum timore Dei epulamini, vt poſſitis preces pro defunctis adhibere Deo. Qui enim presbyteri, & diaconi eſtis, debetis ſemper ſobrij eſſe tum vobis tum aliis, vt poſſitis eos qui incompoſitè & immoderatè viuunt monere, ait enim ſcriptura, qui poteſtatem gerunt, iracundi ſunt, ne bibant vinum, ne bibendo, ſapientiæ ſuæ obliuiſcantur: & incorruptè iudicare non poſſint. Presbyteri ergo, & diaconi poſt Deum omnipotentem, & filium eius dilectum, eccleſiæ *1 poteſtates ſunt. Sed hoc non eo dicimus vt non bibant vinum, cùm alioqui non liceat, quod à Deo factum eſt ad lætitiam, id vituperare, ſed vt non fiant temulenti; non enim dixit ſcriptura, non eſſe bibendum vinum: ſed ne, inquit, bibe ad ebrietatem. et rurſus, ſpinæ, inquit, oriuntur in manu ebrij. Verùm hoc non de iis tantùm dicimus qui ſunt in clero, ſed etiam de omni laico Chriſtiano, ſuper quem inuocatum eſt nomē Domini noſtri Ieſu Chriſti, ipſis enim dictum eſt, cui væ? cui tumultus? cui faſtidia, & nugæ? cuius oculi liuidi? cui confractiones incaſſum? nonne eorum hæc ſunt, qui in vino multum temporis ponunt, & vbi conuiuia ſint, ſpeculantur?*

*1 Ecce Apoſtolica doctr. aduerſus dogma Lutheranorū, qui tradunt ad magiſtratus Chriſtianos pertinere etiā curam religionis, & eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac bona eccleſiaſtica diſpenſandi, vt eſt in Antitheſi 13. & 14. Heinrichi Bullingeri. at Apoſtolica doctrina preſbyteros, & epiſcopos, qui preſbyteri quoque vocantur, & diaconos dicit eſſe poteſtates eccleſiæ, non autem laicos, qui ſunt extra clerum, vt hæc eadem doctrina hic teſtatur, cùm ait, hæc autem non tantùm dicimus de iis qui ſunt in clero, ſed de omni laico. ergo Apoſtolicam doctrinam negant, qui clerum, & eccleſiaſticam hierarchiam, quæ ex clero conſtat, nō ſeparāt à laicis, quin potiùs eam prorſus tollunt. Hinc licet intelligere, quos dicat Apoſtolus δυνατοὺς, id eſt, potentes, in epiſt. ad Rom. c. 15. interpres vetus vertit firmiores; vocat ſcilicet ſic, quos hic vocat δυνάστας, hoc eſt, poteſtates eccleſiæ, vt epiſcopos, & preſbyteros, quorum eſt portare, id eſt, tollere iuxta conſuetudinem verbi βαστάζειν à B. Baſilio in regulis breu. 174. & 178. notatam, tollere inquam ſcilicet per remiſſionem infirmitates ἀδυνάτων, id eſt, infirmorum; ſic vocat laicos, qui tālem poteſtatem non habent remittendi peccata, quæ ſcriptura vocare ſolet infirmitates, vt Dionyſ. quoque vocat ἀσθενείας.

Cap. XXXXV. De recipiendis iis qui propter Chriſtum exagitantur.

*Eos qui propter fidem exagitantur, & ex alia in aliam ciuitatem fugiunt, quia meminerunt eorum quæ Dominus dixit, recolligite; quia enim ſciunt ſpiritum quidem promptum eſſe, carnem verò infirmam, fugiunt, & bonorum ſuorum direptionem negligunt, vt nomen Domini non negent: ſuppeditate ergo eis neceſſaria, vt mandatum Domini perficiatis.*

Cap. XXXXVI. Quòd oporteat in quo quiſque gradu cleri locatus eſt, permanere, & ordinē ſeruare, & non rapere ad ſe quę non ſunt impoſita.

*Illvd verò omnes communiter præcipimus, vt vnuſquiſque in ordine ſibi dato maneat, neque tranſeat regulas; non enim noſtræ ſunt, ſed *1 Dei: Qui enim vos audit, inquit Dominus, me audit; & qui me audit, audit eum qui miſit me: & qui vos ſpernit, me ſpernit; qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. Etenim ſi quæ effecta ſunt, & anima carent, ordinem ſeruant, vt nox, dies, ſol, luna, ſide-*

*1 Ecce teſtimonium Apoſtolicæ doctrinæ, eſſe canones Apoſtolorum regulas non humanas, ſed diuinas. Quare qui canones Apoſtolorum negant, vt Confeſſioniſtæ, non regulas hominum, ſed Dei negant.



*na, ſidera, elementa, mutationes temporum, menſes, hebdomades, horæ, eaque vſui conſtituto ſeruiunt, ſicut dictum eſt, terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur: & rurſus de mari, poſui ei terminos circumpoſitis clauſtris & oſtiis, & dixi, huc uſque venies, & non tranſibis: quanto magis debetis vos nihil audere dimouere eorum quæ nos vobis ſecundum Dei *2 ſententiam & auctoritatem conſtituimus. Cæterùm quia hoc plerique negligenter curandum eſſe putauerunt, & ordines confundere, & ordinationem cuiuſque mouere audent, non collatas dignitates ſibi rapiendo, ac per vim poteſtatem ſibi ſumendo ea dandi aliis quæ dare non poſſunt; ex quo fit vt Deum irritent, ſicut Coritæ, & *3 Ozias, qui præter dignitatem, ac ſine auctoritate Dei pontificatum inuaſerunt, ex quibus illi igne arſerunt, hic lepra in fronte affectus eſt: irritēt præterea Chriſtum Ieſum, qui hæc ordinauit ac conſtituit, contriſtentque ſpiritum ſanctum, cuius *4 teſtimonio derogant auctoritatem; idcirco neceſſitas poſtulat, vt de hoc moneamus, quia iis qui talia committunt, periculum, vt par eſt, impendere præuidemus, negligi etiam ſacrificia, & gratiarum actiones, quòd ab illis adhibeantur quibus non eſt fas, qui ludicrum, & iocularem putant honorem pōtificalem, qui imitationē habet magni pontificis Ieſu Chriſti regis noſtri. Iam enim nōnulli de recta deflexi, vanitatem ſuam ſequūtur. Ergo Moyſes famulus Dei, cum quo Deus ore ad os loquebatur, vt ſi amicus cū amico loquatur, cui dixit, noui te præter omnes, cū quo loquebatur in cōſpectu eius, † et nō per obſcura vel per ſomnia, aut per angelos, aut ænigmata, hic, inquam, Moyſes cùm diuinas leges deſcripſit atq; conſtituit, diſtinxit quidē quæ nā à pontificibus fieri oporteret, et quæ à ſacerdotibus, quæ item à Leuitis, aſſignans cuiq; religionē, quæ eſſet cuiuſq, miniſterij propria, eūmq; decens: ita vt quæ pontificibus facere iuſſiſſet, ad hæc ſacerdotibus fas nō eſſet accedere; et quę ſacerdotibus prę́ſcripta eſſent, hæc Leuitæ nō attingerent: ſed potius ſinguli miniſteria certa et definita, quæ ſuſceperunt, cuſtodirent: Siquis verò præter ius traditū accedere volebat, morte mulctabatur. Hoc verò in eo potiſſimum demonſtratū eſt, quod Saul expertus eſt: qui cùm exiſtimaret ſacrificaſſe ſine propheta, et pōtifice Samuele, inde peccatū & maledictionem inexpiabilem ſibi hauſit; neq; prophetā mouit, quòd regē vnxiſſet. idē docuit Deus, et quidem clariùs in Ozia: de cuius ſcelere ſine vlla mora ſuppliciū ſumpſit: qui enim in ſummū ſacerdotiū furore bacchatus eſt, idē regno etiā priuatus eſt. Apud nos verò quæ ſint acta, fortaſſe non ignoratis: Scitis enim planè, eos qui à nobis per orationē, & manuum impoſitionē epiſcopi, presbyteri, & diaconi nominati ſunt, differentia nominū differentiam rerum declarare: neq; enim quicunq; volebat, apud nos manus implebat, vt in illo falſo et adulterino ſacerdotio vitularū, rege Hieroboā, ſed qui vocabatur à Deo. Etenim ſi nō eſſet aliqua lex poſita, et aliquod diſcrimē ordinū, ſatis erat, vno nomine affectos, omnia iſta miniſteria perficere; verùm cùm à Deo conſequentiam rerum didicerimus, *5 epiſcopis quidem aſſignauimus, et attribuimus, quæ ad principatum ſacerdotij pertinent: presbyteris verò, quæ ad ſacerdotium; deinde diaconis, quæ ad miniſtrādum vtriſque: vt purè & caſtè fiant quæ ad religionem pertinent. Neque enim fas eſt diacono ſacrificium offerre, aut baptizare, aut benedictionem ſiue paruam ſiue magnam facere: neque presbytero ordinationes clericorum*

O facere.

*2 Hinc licet intelligere, cùm Paulus ait in epiſtol. 1. ad Cor. nam cæteris ego dico, non Dominus, &c. perinde eſſe, vt ſi diceret, ego dico ſecūdum ſententiam & voluntatem Domini; vt nullo modo ſit dicendū, præcepta & ſtatuta Apoſtolorū humanæ ſententiæ ac voluntatis eſſe.

*3 Ecce Apoſtolicę doctrinæ teſtimonium, fuiſſe Martinum Lutherum virum ex Coritis, & alterum Oziam, is enim fecit in eccleſia, quod non erat officij ſui, ſicut Ozias, cùm voluit adolere incēſum in templo, quod erat ſacerdotum, id eſt, filiorum Aaronis. Siquidem cū eſſet alioqui presbyter tātùm, auſus eſt rapere ſibi officium epiſcopi, id eſt, miniſtros eccleſiæ ordinare, & in ea re ſimul ſacramēta, ac ſacrificia, quæ epiſcopi & presbyteri miniſtrāt, contēnere, ſicut Ozias; qui ideò eſt in frōte lepra affectus, vt de manifeſto ſcelere legis Dei violatæ notaretur. Lepra enim legis trāſgreſſionē ſignificat: frōs verò quod in aperto eſt. Quod enim ſcelus manifeſtius eſſe poteſt, aut quæ manifeſtior in Deū cōtumelia, aut quæ magis publica, & tyrannica violētia, quā facere ſe epiſcopum ſine ordinatione, & à ſe ordinatum mittis laicis, quod non potuit, poteſtatem dare ſacramēta miniſtrādi? Si ideò Dominus ſtatuit, vt ait S. Anaclet. in epiſtola 2. ne epiſcopus ab vno, nec à paucioribus quàm à tribus, reliquis epiſcopis comprouincialibus conſentientibus, ordinaretur, ne aliquid, inquit, cōtra fidem eccleſię vnius tyrannica auctoritas moliretur, & regula, vel fides confunderetur credentium: ſi, inquam, ab vno epiſcopo ordinatus tyrannus eſt à Domino iudicatus, quanto magis tyrannus eſt, qui à nullo ordinatus epiſcopus, ſed presbyter tantùm, aliis dare voluit, quod niſi epiſcopus dare non potuit? hac igitur ſtirpe nati ſunt miniſtri Proteſtantium habitantes, ſicut de Ozia ſcriptum eſt, cum iis quibus miniſtrant, in domo ſeparata pleni lepra, propter quam eiecti ſunt ex eccleſia fide, & eccleſiaſticis regulis confuſis.

*4 Teſtimonium dicit, quod ſpiritus S. dedit Chriſto, quòd eſſet filius Dei, cùm ſuper eū in ſpecie columbæ deſcendit, & ecce vox de cælis dicens, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

*5 Ecce Apoſtolica doctrina, quæ falſitatem doctrinæ Lutheranæ coarguit, quæ principatum ſacerdotij, & ſacerdotium negat, rerum, ac nominum differentia contra naturam, & ſcripturam ſublata. Videmus enim, inquit Ioannes Damaſcenus in oratione de Triſagio, nomina ſeparantia ſpeciē ab ſpecie, ſeparantia itē hypoſtaſim ab hypoſtaſi, & definitiones, ac leges poſitas hactenus viguiſſe. ait enim ſcriptu.

*facere. Siquidem non licet ordinem inuertere, cùm non ſit Deus diſſenſionis: vt inferiores quæ ſunt ſuperioris, per vim ſibi vendicent, nouam legem in malum ſuum refingentes; ignorantes durum eſſe ſibi contra ſtimulum calcitrare. Neque iſti nos aut epiſcopos ſolummodo oppugnant, ſed omnium epiſcopum, et pontificem Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum. A Moyſe nanque, qui fuit Deo chariſſimus, conſtituti ſunt pontifices, ſacerdotes & Leuitæ; à Chriſto autem Saluatore noſtro nos tredecim† Apoſtoli: ab Apoſtolis verò ego Iacobus, & ego Clemens, & alij nobiſcum, ne omnes iterum recenſeamus; communiter verò à nobis omnibus presbyteri diaconi, hypodiaconi, & lectores. Primus igitur † natura Pontifex vnigenitus Chriſtus non ſibi honorem rapuit, ſed à patre conſtitutus eſt: qui factus propter nos homo, & *6 hoſtiam ſpiritualem Deo ſuo, eidemque patri ante paſſionem offerens, conſtituit nobis ſolis, vt hoc faceremus: cùm eſſent alioqui nobiſcum alij etiam ex eorum numero qui in eum crediderant: ſed non protinus quicunque credidit, factus fuit ſacerdos, aut gradum pontificalis dignitatis obtinuit. Nos verò poſt aſſumptionem eius offerentes, vt idem conſtituit, ſacrificium mundum & incruentum, elegimus epiſcopos, presbyteros, et diaconos ſeptem. Ex quibus eſt beatus martyr Stephanus: qui non minus quàm nos Deum dilexit; qui adeò pietatem erga Deum fide declarauit, & charitatem in Chriſtum Dominum noſtrum, vt pro eo animam ſuam daret, à Iudæis Chriſti interfectoribus lapidatione confectus: & tamen talis ac tantus vir, qui erat ſpiritu feruens, qui Chriſtum ad dextram Dei vidit, & cæleſtes ianuas apertas, nuſquam cernitur iis vſus eſſe, quæ miniſterio eius non eſſent conuenientia:*

ra, inquit idem, & adduxit Deus omnia animalia ad Adam, vt videret quid vocaret ea. omne enim quod vocauit Adam animę viuentis, ipſum eſt nomē eius. & B. Baſilius in Hexaemero hom. 9. cùm fœnum, inquit, audiui, fœnum intelligo, ſimiliter cùm arborem, cùm piſcem, cùm beſtiā, cùm iumentū, omnia, vt dicta ſunt, accipio. & Eccleſiaſtes, ſi quid, inquit, factum eſt; iam vocatum eſt nomen eius: & ſcitur quòd homo ſit, & non poſſit cōtra fortiorem ſe iudicio contendere. hūc locum interpretās Gregorius quidā auctor Gręcus eruditiſſ. & elegantiſſ. nihil eſt, inquit, in rerum natura, quod nomen nō habeat ſibi conueniēs, ſciebat enim qui omnia fecit De⁹, diuidēdum eſſe ſermonē in infinitam varietatem linguarum, idcirco quamuis conaretur aliquis rem quampiam aliter atque aliter nominare, naturam tamen rei non poſſe mutatione nominis mutari. Quare cùm ſancti Apoſtoli à Domino didicerunt, vt Apoſtolica doctrina teſtatur, epiſcopos eſſe, & dici ἀρχιερεῖς, id eſt, præſides, ſiue principes ſacerdotij, nulla noui nominis ratio efficere poteſt, quin ſit in eccleſia ſacerdotij principatus, qui epiſcopis conuenit; & ſacerdotium, quod presbyteris, quibus epiſcopi præſunt. ergo licet iſti nomina confundant ad decipiendum, & nouas rationes nominum inueniant, nunquam tamen res, & rerum differentias mutare poterunt. Sic enim ait Confeſſio eccleſiarum Heluetiæ, Tiguri, Bernæ, & aliarum, in cap. de miniſtris & eorum inſtitutione, & officiis, epiſcopi ſunt inſpectores, & vigiles eccleſiæ, qui victum & neceſſaria eccleſiæ diſpenſant; presbyteri ſunt ſeniores, & quaſi ſenatores, patreſque eccleſiæ gubernantes eam conſilio ſalubri, paſtores ouile Domini cuſtodiunt, doctores erudiunt, & veram fidem ac pietatem docent. Licebit ergo nunc eccleſiarum miniſtros nuncupare epiſcopos, presbyteros, paſtores, & doctores. hactenus iſta Confeſſio. at Apoſtolica doctrina apertè dicit, voluiſſe ſanctos Apoſtolos ſic à Chriſto inſtitutos differentia nominum epiſcopi, presbyteri, & diaconi differentiam rerum declarare. ergo qui iſta quæ recitauimus, tradunt, veritati reſiſtunt, ſicut Iannes, & Mambres Moyſi reſtiterunt: nec aliud quicquam proficiunt reſiſtendo, quàm quòd in malum ſuum contra ſtimulum calcitrant, quod durum eſt. Sed obiicit iſta Confeſſio B. Hieronymi auctoritatem, quæ vt magna eſt, ita cum iſtis non facit, immò eandem auctoritatem in eos retorquebimus. citant igitur ex comm. in epiſt. ad Tit. c. I. antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, communi presbyterorum conſilio gubernabantur; poſtquàm verò vnuſquiſque eos quos baptizauerat, ſuos putabat, non Chriſti; decretum eſt, vt vnus de presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis eccleſiæ cura pertineret: & ſchiſmatum ſemina tollerentur. Deinde ſubiungit Confeſſio: hoc tamen decretum Hieron. non pro diuino venditat; mox enim ſubiicit, ſicut presbyteri ſciunt ſe ex eccleſiæ conſuetudine ei qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubiectos; ita epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate presbyteris eſſe maiores, & in commune debere eccleſiam regere. hæc Hier. ſubiungit deinde Confeſſio concludens, ideoque nemo iure prohibuerit ad veterem eccleſiæ Dei conſuetudinē redire, & illam præ humana conſuetudine recipere. Hactenus iſta Confeſſio; quæ ſi duos Hieronymi verſus ſequētes aut legiſſet, aut non diſſimulaſſet, aut fortè intellexiſſet, nunquā hoc ita fatuè cōcluſiſſet. Cùm enim dixiſſet Hieronymus, epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicę veritate presbyteris eſſe maiores, & in cōmune debere eccleſiam regere, vt doceret, nequis erraret, quēadmodum in cōmune deberent eccleſiam regere epiſcopi cum presbyteris, ſubiungit, imitantes Moyſen, qui cùm haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſraël, 70. elegit, cum quibus populum iudicaret; at 70. illi non erant æquales Moyſi, ſed infra Moyſen, qui illis ipſis præerat. quod ergo dixit Hier. magis ex conſuetudine, quàm ex diſpoſitionis Dominicæ veritate eſſe epiſcopos maiores presbyteris, non ſignificat, non eſſe à Domino conſtitutum, vt gradus, ſiue ordo epiſcoporum non eſſet maior ordine presbyterorum, quod pluribus locis idem Hier. teſtatur, vt paulò pòſt indicabo, ſed hoc ſignificat, quòd cùm à principio vnus & idem eſſet epiſcopus, & presbyter, vt in eodem loco epiſt. ad Tit. & in epiſt. ad euang. dicit, cùm ſcilicet propter paucitatem fidelium non opus erat in ſingulis eccleſiis alio epiſcopo & alio presbytero, ſiquidem in epiſcopo presbyter continebatur, poſtea tamē cœpit propter multitudinem fidelium opus eſſe pluribus presbyteris per eccleſias, cùm iam non amplius erat vnuſquiſque idem presbyter, & idem epiſcopus; ne tot eſſent epiſcopi, quot presbyteri: atque ita fieret, vt vnuſquiſque ad ſe trahens Chriſti eccleſiam rumperet. itaque vt ſchiſmatum ſemina tollerentur, factum eſt, vt ordo ſiue gradus epiſcopi, & ordo presbyteri ſepararentur, non quidem eſſentia, ſic enim ſemper fuerāt ſeparati ac diſtincti, ſed ſubiecto, & perſona; ita vt eſſent multi presbyteri tantùm, quibus præeſſet vnus, qui eſſet presbyter & epiſcopus ſimul. Hoc ergo eſt quod Hieronymus dixit, non eſſe à Domino diſpoſitum, ſed conſuetudine receptum, eſſe ſcilicet alios presbyteros & epiſcopos, & alios presbyteros tantum; ſic enim factum eſt, vt eſſent epiſcopi maiores presbyteris. vbi enim omnes presbyteri ſunt epiſcopi, ibi epiſcopi non ſunt maiores presbyteris; alioqui eſſe epiſcopi ordinē ſuperioris gradus quàm presbyteri. idē Hieronymus pluribus locis planè teſtatur; ſic enim ſcripſit in epiſt. ad Euagriū 85. quod Aaron, & filij eius, atq; Leuitæ fuerunt, hoc ſibi epiſcopi, presbyteri, & diaconi in eccleſia vindicent. Conſtat autē in tēplo vetere maiores fuiſſe pōtifices, quàm ſacerdotes. idem affirmat in epiſt. ad Nepotianū. ac rurſus idem in epiſt. ad Euagr. quid, inquit, facit epiſcopus, quod non faciat presbyter excepta ordinatione? maior igitur eſt epiſcopus, ſiquidē generat presbyteros, ſicut ait S. Epiphanius in Aërium hæreſiarcham, cuius fuit hæc hæreſis æquandi presbyteros cum epiſcopis. & in epiſt. ad Marcellum aduerſus Montanum, apud nos, inquit, epiſcopi locum tenent Apoſtolorum: At presbyteri non Apoſtolorum, ſed LXX. diſcipulorū locum tenent, vt antiqui patres teſtantur.

*6 Ecce Apoſtolicę doctrinæ diuinum teſtimonium, ſacrificaſſe myſticè Dominum Ieſum in nouiſſima cœna; & idem vt ſancti Apoſtoli facerent, conſtituiſſe: ac de ſacrificio, quod ipſe obtulit, præcepiſſe eis, cùm dixit, hoc facite: item Apoſtolos iuſſu Domini elegiſſe poſt aſſumptionem in cælos epiſcopos, qui ſunt ἀρχιερεῖς, id eſt, principes ſacerdotum, & presbyteros, qui ſunt ἱερεῖς, id eſt, ſacerdotes; non enim poterant eſſe epiſcopi principes ſacerdotum, niſi presbyteri eſſent ſacerdotes.



*uenientia: non ſacrificium obtuliſſe, aut manus vlli impoſuiſſe; ſed potius diaconi ordinem vſque ad extremum cuſtodiſſe: Sic enim martyrem Chriſti decebat compoſitionem ordinis ſeruare. Quòd verò nonnulli Philippum diaconum, & Ananiam fidelem fratrem accuſant, quòd ille quidem Eunuchum baptizauit, hic verò me Paulum, non intelligunt quod nos dicimus; dicimus enim neminem ſibi dignitatem ſacri ordinis ſumere, ſed vel à *7 Deo accipere, vt Melchiſedec, & Iob; aut à pontifice, vt Aaron à Moyſe. Itaque & Philippus & Ananias non ſeipſos elegerunt, ſed à Chriſto pontifice, & Deo, cum quo nemo comparari poteſt, electi ſunt.*

*7 Ecce Apoſtolicæ doctrinæ ſententia, quæ miniſtros Proteſtātium, & omnium Confeſſioniſtarum cōdemnat. qui cū nec à Deo patre ſacram dignitatē accipiāt, vt Iob, vt Melchiſedec, & alij ante legē; nec à pōtifice, id eſt, ab epiſcopo, vt Aaron à Moyſe; neq; à Chriſto electi ſint ad miniſterium, vt Ananias & Philippus; conſequens eſt ſecūdum Apoſt. doctr. vt à ſeipſis dignitatē accipiant, & à ſeipſis electi ſint.

# CANONES ECCLESIASTICI.

EPISCOPVS *à duobus aut tribus epiſcopis ordinetur: presbyter ab vno epiſcopo: item diaconi, & reliqui clerici.* I.

SIQVIS *epiſcopus aut presbyter, exceptis iis quæ Dominus ad ſacrificium conſtituit, aliqua alia ad aram obtulerit, mel, aut lac, aut pro vino ſicera artificio facta, aut aues, aut aliqua animalia, aut legumina præter conſtitutionem, deponatur, præterquam nouas ſpicas frumēti opportuno tempore, aut vuam, ne ſit fas quicquā aliud offerre ad altare, aut præterquā oleū ad lumina ſanctorum lychnorum, & thymiama in tempus diuinæ oblationis:* Reliqui *fructus mittantur domum primitiæ epiſcopo, & presbyteris: & non mittantur ad altare. Conſtat autē, quòd epiſcopus, & presbyteri impertiunt diaconis, et reliquis clericis.* II.

EPISCOPVS, *aut presbyter, aut diaconus vxorem ſuam ne prætextu religionis eiiciat; quòd ſi eiecerit, excommunicetur; ſi perſeuerauerit, deponatur.* III.

EPISCOPVS, *aut presbyter, aut diaconus ſi ſanctum Paſchæ diem ante vernum æquinoctium cum Iudæis celebrauerit, deponatur.* IIII.

SIQVIS *epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut aliquis ex numero clericorum facta oblatione, non ſumpſerit communionem, vel dicat cauſſam, & ſi probabilis fuerit, tribuatur venia; vel ſi non dixerit, excommunicetur, vt qui populo nocuerit, & ſuſpicionem mouerit in eum qui obtulit, quaſi non rite obtulerit.* V.

OMNES *in ſanctam Dei eccleſiam ingreſſos, et qui ſacras ſcripturas audiunt, non tamen in oratione perſeuerant, neque in ſancta communione, oportet excommunicare tanquam eccleſiæ ſanctæ ordinem perturbantes.* VI.

SI*quis precationē fecerit vnà cum excōmunicato, quāuis in domo, deponatur.* VII.

SIQVIS *clericus cum depoſito tanquam cum clerico precationem fecerit, ipſe quoque deponatur.* VIII.

SIQVIS *clericus, aut laicus excommunicatus, aut non * admiſſus, abiens ad aliam ciuitatem, ſine litteris commendaticiis admiſſus fuerit, excommunicentur qui admiſerint; & qui admiſſus fuerit. Quòd ſi fuerit antè excommunicatus, prorogetur ei excommunicatio, vt qui mentitus ſit, & eccleſiam Dei fefellerit.* IX.

* Non admiſſus ſcilicet in eccleſiam ad communionem orationis in ea, ſed tantùm ad audiendum verbū, ex lib. 2. c. XXXIX.

NE *epiſcopo liceat dimiſſa parœcia ſua ad aliam tranſilire, tametſi à pluribus cogatur: niſi cauſſa aliqua probabilis vim adhibeat ad hoc faciendum, quod maiorem aliquam vtilitatem illic ratione pietatis afferre poſſit: Ac ne tum quidem voluntate atq; auctoritate ſua, ſed potius iudicio multorum epiſcoporum, & hortatu maximo.* X.

SIQVIS *presbyter, aut diaconus, aut denique ſi quis ex numero clericorum parœcia ſua derelicta, ad aliam abierit, & cùm omnino migrauerit, in alia parœcia præter voluntatem, & ſententiam epiſcopi ſui moratus fuerit, iubemus, ne amplius miniſtret; præſertim ſi epiſcopo reuocanti non paruit perſiſtens in perturbatione ordinis: communicet tamen vt laicus. Sin verò epiſcopus, apud quem ſunt iſti, pro*

*nihilo ducens vacationem miniſterij decretam, receperit eos inter clericos, excommunicetur tanquam magiſter perturbati ordinis.*

XII. QVI *poſt baptiſmum ſecundarum nuptiarum fuit, aut cõcubinam habuit, non poteſt eſſe epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut deniq; ex numero clericorum.*

XIII. QVI *viduam duxit in matrimonium, aut repudiatam, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam ex iis quæ in ſcena verſatæ ſunt, non poteſt eſſe epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut denique ex numero clericorum.*

XIIII. QVI *accepit in matrimonium duas ſorores, vel neptem ex fratre, aut ſorore, non poteſt eſſe clericus.*

XV. CLERICVS, *qui ſponſiones fecerit, deponatur.*

XVI. SI *quis violentia hominum factus ſit Eunuchus, aut in perſecutione exectus eſt, vel ſic* natus eſt, ſi alioqui dignus eſt epiſcopatu, fiat epiſcopus: Qui ſeipſum excecuit, ne fiat clericus; homicida enim ſui eſt, & inimicus fabricationis Dei. Si quis clericus ſeipſum execuerit, deponatur, homicidij enim reus eſt. laicus à ſe exectus, ſit excommunicatus annis tribus: ſuæ enim vitæ inſidiator eſt.*

* In alio erat, καὶ οὕτως ἔφυγε, id eſt, & ſic fugit.

XVII. EPISCOPVS, *aut presbyter, aut diaconus in ſcortatione, vel periurio, vel furto deprehenſus, deponatur, & ne excommunicetur: ait enim ſcriptura, non vindicabit Dominus bis in idipſum in tribulatione. idẽ intelligitur in reliquis clericis.*

XVIII. EX *iis qui cælibes facti ſunt clerici, iubemus, vt ſolis lectoribus, & cantoribus liceat, ſi voluerint, vxores ducere.*

XIX. SI *quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus fideles propter delictum verberet, vel infideles propter factam iniuriam, & per eos qui huiuſmodi ſunt, terrere volunt, iubemus, vt deponantur. hoc enim Dominus nunquam nos docuit: immò verò cùm verberaretur, non reuerberabat; cùm malediceretur, non viciſſim maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur.*

XX. SI *quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus iuſtè propter crimina manifeſta depoſitus, auſus fuerit tractare miniſterium, quod aliquando ſibi commiſſum fuit, * penitus ab eccleſia abſcindatur.*

*Penitus ab eccleſia abſcindi, eſt non relinqui locum ſatisfactionis, vt reſtitui poſſit abſciſſus. ſic Nicolaus primus interpretatur in epiſt. ad archiepiſc. & epiſcopos in regno Ludouici.

XXI. SI *quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus pecuniis hãc dignitatẽ obtinuerit, deponatur, tum ipſe, tum is qui illum ordinauit: & abſcindatur penitus etiam à communione, vt Simon magus à me Petro abſciſſus eſt.*

XXII. SI *quis epiſcopus magiſtratibus vſus ſæcularibus, per eos eccleſiam obtinuerit, deponatur, & excommunicetur, & omnes communionem cum eo habentes.*

XXIII. SI *quis presbyter epiſcopo ſuo contempto, ſeorſum congreget eccleſiam, & aliud altare collocet, cùm nihil quod ad religionem & iuſtitiam pertineat, in epiſcopo damnauerit, deponatur, vt præſidendi cupidus; tyrannus enim eſt; & reliqui item clerici, quicunque ei adhæſerint: Laici verò excommunicentur: atque hoc quidem fiat poſt vnam & alteram, vel etiam tertiam epiſcopi monitionem.*

XXIIII. SI *quis epiſcopus, aut presbyter ab epiſcopo excommunicetur, hunc ab alio recipi ne liceat, præterquam ab eo qui excommunicauit eum; niſi accidat, vt epiſcopus, qui eum excommunicauit, moriatur.*

XXV. NEMO *ex epiſcopis peregrinis, aut ex presbyteris, aut diaconis ſine litteris commendaticiis recipiatur; iis verò allatis, excutiantur ipſi, & examinentur: & ſi fuerint prædicatores religionis Chriſtianæ, recipiantur; ſin verò non fuerint, poſtquàm ſuppeditata eis erunt neceſſaria, ad communionem eos ne admittatis; multa enim per ſurreptionem fiunt.*

XXVI. DEBENT *epiſcopi cuiuſque nationis agnoſcere eum qui in ipſis primus eſt, habereque eum vt caput, & præter ſententiam illius nihil exuperans facere, ſed illa*



*illa tantummodo, quæ ſuæ cuiuſque parœciæ, & locis ei ſubiectis competunt: immò nec ille ſine voluntate & ſententia omnium quicquam faciat. Sic enim concordia erit: & glorificabitur Deus per Chriſtum in ſpiritu ſancto.*

XXVII. EPISCOPVS *ne audeat extra fines ſuos in ciuitatibus, aut locis non ſuæ ditioni ſubiectis ordinationes facere: Sin autẽ conuictus fuerit, feciſſe hoc præter ſententiam eorũ qui ciuitates illas et loca tenent, deponatur ipſe, & ij quos ordinauit.*

XXVIII. SI *quis factus epiſcopus miniſterium & curam populi ſibi mandatã non ſuſceperit, ſit excommunicatus, quoad ſuſcipiat; idem intelligatur in presbytero, & diacono. Sin verò epiſcopus ad eum profectus non recipiatur, non propter voluntatem ſuam, ſed propter peruerſitatem populi; ipſe quidem maneat epiſcopus, clerus autem ciuitatis excommunicetur; quia eiuſmodi populi non obedientis, non fuerunt clerici correptores.*

XXIX. HABEATVR *concilium epiſcoporum bis ſingulis annis: & de dogmatibus Chriſtianæ religionis inter ſe alij ab aliis exquirant: & controuerſias eccleſiaſticas exortas diſſoluant. habeatur dico ſemel quidem quarta hebdomada Pentecoſtes: iterum verò duodecimo die menſis Hyperberetæi, hoc eſt octobris.*

XXX. OMNIVM *rerum eccleſiaſticarum curam epiſcopus habeat, & eas adminiſtret, tanquam in conſpectu Dei; neque fas ei ſit, aliquid inde ſibi auertere, aut ſuis propinquis, quæ Dei ſunt, largiri. Si verò fuerint pauperes, ſuppeditet eis tanquam pauperibus; ſed ne eorum cauſſa, quæ ſunt eccleſiæ, diuendat.*

XXXI. PRESBYTERI, *aut diaconi, niſi volente epiſcopo, nihil efficiant: ipſe enim eſt cui populus Domini cõcreditus eſt, à quo ratio ipſarum animarũ repoſcenda eſt.*

XXXII. SINT *manifeſtæ res epiſcopi propriæ, ſiquidem proprias habet: ſint item manifeſtæ res Dominicæ, tum vt epiſcopus poteſtatem habeat moriens ſua cui volet, & vt volet, relinquendi, tum vt propter res eccleſiæ non dilabantur res epiſcopi, cui ſunt aliquando vxor, & liberi, vel propinqui, vel famuli: hoc enim apud Deum & homines æquum eſt: vt neque eccleſia ignoratione rerum epiſcopi damnum faciat: neque res eccleſiæ in cauſſa ſint, vt cognati epiſcopi proſcribantur, vel litigent, & mors eius infamiam habeat.*

XXXIII. IVBEMVS, *vt epiſcopus poteſtatem habeat rerum eccleſiæ. Etenim ſi hominum animæ tanti alioqui pretij & æſtimationis illi concredendæ ſunt, longè abeſt, vt in pecuniis* contracti ſimus; vt poteſtas ei ſit omnia egentibus per presbyteros & diaconos adminiſtrandi, & cum timore Dei & reuerentia ſuppeditandi: ſibi verò, ſiquidem indigeat, ſumendi inde ad vſus ſuos neceſſarios, & fratrum hoſpitum, vt nihil eis deſit; lege enim Dei ſancitum eſt, vt qui ad altare permanent, inde alantur: Nam neque miles ſuis ſtipendiis arma fert aduerſus hoſtes.*

* Sic erat in exemplari vetuſtiſſimo & emendatiſſimo, τῷ αὐδιοικεῖν τῶν χρημάτων συγχωρεῖσθαι.

XXXIIII. EPISCOPVS, *vel presbyter, aut diaconus, aleæ deditus, & ebrietati, aut deſinat, aut deponatur; hypodiaconus, aut lector, aut cantor, qui idem commiſerit, vel ceſſet, vel excommunicetur; ſimiliter & laicus.*

XXXV. EPISCOPVS, *aut presbyter, aut diaconus qui vſuras exigit ab iis quibus mutuo* dat, aut ceſſet, aut deponatur.*

* In alio excẽpl. eſt; mutuo dedit.

XXXVI. EPISCOPVS, *aut presbyter, aut diaconus, qui cũ hæreticis orauit, excõmunicetur tantùm: Sin verò eis etiã cõmiſit tãquam clericis aliquid facere, deponatur.*

XXXVII. EPISCOPVS, *aut presbyter, aut *1 diaconus, qui baptiſma *2 hæreticorum, aut ſacrificium, gratum acceptumque habuerunt, iubemus, vt deponantur. Quæ enim conſenſio Chriſti cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?*

*1 Etſi nõ eſt diaconi baptizare, neque ſacrificium facere; tamen quia eius eſt miniſtrare epiſcopo, & presbytero in baptiſmo, & in ſacrificio, & in aliis, idcirco ſanctio huius canonis, & pœnæ ad diaconum quoque ſicut ad epiſcopum, & presbyterum pertinet.

*2 Lege quæ in expoſitionem huius canonis notata ſunt in extrema parte explanationum libri viij.

XXXVIII. EPISCOPVS, *aut presbyter, ſi eum qui verum baptiſmum habet, denuo*

 *bapti-*

*baptizauerit, vel eum qui ab impiis inquinatus eſt, non baptizauerit, deponatur, vt irriſor crucis, & mortis Domini, & qui ſacerdotes à falſis ſacerdotibus non diſcernit.*

XXXIX. *S I quis laicus vxore ſua eiecta, aliam duxerit, aut duxerit ab alio dimiſſam, excommunicetur.*

XXXX. *S I quis epiſcopus, vel presbyter, vt Dominus conſtituit, non baptizauerit in patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, ſed potius aut in tres principio carentes, aut in tres filios, aut in tres paracletos, deponatur.*

XXXXI. *S I quis epiſcopus, vel presbyter non*[*1] *tres merſiones vnius myſterij fecerit, ſed potius vnam merſionem in mortem Domini, deponatur: non enim dixit nobis Dominus, in mortem meam baptizate, ſed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. vos igitur epiſcopi baptizate terna merſione in vnum patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, ſecundum Domini ſententiam, & noſtram in ſpiritu ſancto conſtitutionem.*

*1 Baptiſmus in nomine patris, & idem baptiſmus in nomine filij, & idē in nomine ſpiritus ſancti eſt, & dicitur tria baptiſmata, ſiue tres merſiones vni⁹ myſterij, tria, inquam, baptiſmata ratione trium perſonarum: & vnum myſterium, ſiue vnum ſacramentum baptiſmi, quia vna eſt virtus totius trinitatis, hoc eſt baptizare terna merſione.

XXXXII. *S I quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut vllus denique ex numero clericorum à nuptiis, & carne, & vino abſtinet non propter* *exercitationem, *ſed propter abominationem, oblitus, quòd erant omnia valde bona, & quòd maſculum & feminam fecit Deus hominem; quin potiùs blaſphemè accuſat creationem; aut corrigatur, aut deponatur, & ex eccleſia eiiciatur; item & laicus.*

* Exercitationem appellat ſtudium pium abſtinentiæ.

XXXXIII. *S I quis epiſcopus, aut presbyter reuertentem à peccato non recipit, ſed reiicit, deponatur; quia triſtitia afficit Chriſtum, qui dixit, gaudium eſſe in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente.*

XXXXIIII. *S I quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus in diebus feſtis abſtinet carne, et vino, deponatur; vt qui* *cauteriatā conſcientiam habeat, et multis ſit cauſſa ſcādali.*

* Cauteriatā conſcientiā vocat, quæ amiſit ſenſum peccati inſtar partis cauterio vſtæ; quod malum ei accidit, qui peccando non curat, quod aliis ſcandalum creet, vt qui à carne, & vino diebus feſtis abſtinet, quaſi natura mala ſint, facit, vt creatura Dei vituperetur, quæ vituperatio in Deum creaturæ auctorem redundat. hoc ipſum dixit Apoſt. de eiſdem 1. Tim. c. 4.

XXXXV. *S I quis clericus deprehendatur qui in caupona comedat, excommunicetur; niſi cum neceſſe eſt de via diuertere ad hoſpitium.*

XXXXVI. *S I quis clericus contumeliam in epiſcopum* *iniquè iactauerit, deponatur; principi enim, inquit, populi tui non maledices.*

* Quod Paulus fecit in Ananiam, & Stephanus in pontifices, & magiſtratus, & populum, docent, fieri aliquando poſſe, vt non ſit iniuſta clerici in epiſcopum contumelia.

XXXXVII. *S I quis clericus in presbyterum, aut diaconū contumeliā iaciat, excōmunicetur.*

XXXXVIII. *S I quis clericus ſurdum,* *aut cæcum, aut cui ſunt plantæ vitiatæ, irriſerit, excommunicetur; item & laicus.*

* In alio vetuſtò exēplari erat, ſurdū, aut claudū, &c.

XXXXIX. *E P I S C O P V S, aut presbyter clerum, vel populū negligens, & non eos in religione erudiens, excommunicetur: ſin verò in ſegnitie perſtiterit, deponatur.*

L. *S I quis epiſcopus, aut presbyter cuipiam ex clericis indigenti quæ opus ſunt, non ſuppeditauerit, excommunicetur: Sin verò perſtiterit in eo, deponatur, vt qui fratrem ſuum occiderit.*

LI. *S I quis libros impiorum falsò inſcriptos tanquam ſanctos in eccleſia in perniciem populi & cleri ediderit, deponatur.*

LII. *S I quæ ſit accuſatio in aliquem fidelem fornicationis, aut adulterij, aut vllius facti vetiti, & conuictus ſit, ne ad clerum promoueatur.*

LIII. *S I quis clericus propter metum hominis Iudæi, aut Gentilis, aut hæretici nomen Chriſti negauerit, excommunicetur: Si nomen clerici, deponatur. Si verò pœnituerit, vt laicus recipiatur.*

LIIII. *S I quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut vllus denique ex numero clericorum carnem in ſanguine animæ eius comederit, aut captum à beſtia, aut morti-*



*morticinum, deponatur. hoc enim lex* *quoque prohibuit. Si autem laicus ſit, excommunicetur.*

* Hoc lex prohibebat nō propter vmbrā futurorum, ſed propter rationē naturæ inſitam, quæ contaminationes ſimulachrorum vnicuique propter conſcientiam ſuam, aut alterius prohibet, ſicut ante legem Gen. 9. habebatur enim omnis ſanguis animantiū diis ſacratus apud gentiles. vnde ſuffocatū, quod propter ſanguinem retentum caro in ſanguine animæ eius vocatur, item morticinum, & à beſtiis captum ad menſam dæmoniorum pertinebant, vt Iſychius Hier. in Leu. c. 22. teſtatur. Sed de his plura libro vj. ca. XII. & libro defenſionis canonum Apoſt. primo c. v.

*S I quis clericus Dominico die, aut ſabbato* *ieiunauerit, vno tantùm excepto, deponatur: Si verò laicus fuerit, excommunicetur.* LV.

* Lege quæ in cap. xxiiij. libri vij. ſcripta ſunt.

*S I quis clericus, aut laicus ingrediatur in ſynagogam Iudæorum vel hæreticorum ad orandum, deponatur, & excommunicetur.* LVI.

*S I quis clericus aliquem in pugna pulſauerit, & vna pulſatione cædem fecerit, deponatur propter petulantiam: Si fuerit laicus, excommunicetur.* LVII.

*S I quis habet virginem non deſponſatam, cui vim intulit, excommunicetur, & ne liceat ei accipere aliam in matrimonium, ſed illam retinere, quam elegit, licet ſit illa pauper.* LVIII.

*S I quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus ſecundam ordinationem ab aliquo accipiat, deponatur ipſe, & qui eum ordinauit; niſi demonſtret, habere ſe ab hæreticis ordinationem: qui enim à talibus* *baptizati, vel ordinati ſunt, neque fideles, neque clerici eſſe poſſunt.* LIX.

* Lege quæ in explanationē canonis xxxvij. collata ſunt.

*S I quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut hypodiaconus, aut lector, aut cantor ſanctam quadrageſimam non ieiunat, aut ſextam feriam, aut quartam, deponatur, niſi imbecillitas corporis obſtet: Sin verò laicus ſit, excommunicetur.* LX.

*S I quis epiſcopus, aut alius clericus ieiunat cum Iudæis, aut dies feſtos cum eis celebrat, aut ab eis dona feſti diei accipit, vt azyma, aut aliquid huiuſmodi, deponatur: Si verò laicus, excommunicetur.* LXI.

*S I quis Chriſtianus oleum ad templum gētilium deferat, aut ad ſynagogam Iudæorum, aut lychnorum lumina in eorum feſtis accenderit, excommunicetur.* LXII.

*S I quis clericus, aut laicus auferat ex eccleſia ſancta ceram, aut oleum, excommunicetur; & ad id quod abſtulit,* *quintam amplius partem addat.* LXIII.

* Hoc quoque lex Leuitici iuſſit c. 5. ſic enim ait: Si quis peccauerit in iis quæ ſunt ſanctificata Domino, (huiuſmodi ſunt cera, & oleum eccleſiæ, & alia eiuſmodi) ipſum quod intulit damni, reſtituet, & quintam partem ponet ſupra.

*R E M ex argento, vel auro, aut etiam linteo conſecratam nemo in vſum ſuum vindicet; eſt enim hoc nefas. Si quis verò manifeſtò deprehenſus fuerit in eo crimine, excommunicatione plectatur.* LXIIII.

*S I epiſcopus de aliquo crimine accuſatus ſit à viris fide dignis & fidelibus, neceſſe eſt, vt ab epiſcopis vocetur: & ſiquidē occurrerit, ac*[*1] *reſponderit, conuictusq; fuerit, decernatur ei pœna: Sin verò vocatus non paruerit, vocetur iterum miſſis ad eū duobus epiſcopis:*[*2] *et ſi per contēptum non adfuerit, pronūciet ſynodus aduerſus eum quæ videbuntur decernēda, ne videatur profeciſſe illi fuga, et declinatio iudicij.* LXV.

*1 In alio exēplari erat, cōfeſs⁹ fuerit.

*2 In alio exēplari antiquo etiam erat hoc, ſin verò vel ſic non paruerit, vocetur etiā tertiò, duobus rurſus epiſcopis ad eum miſſis. hæc forma ſeruata eſt in conc. Epheſino, vt ex epiſtola conc. ad Neſtorium intelligi poteſt.

*A D dicendum teſtimonium aduerſus epiſcopum, ne hæreticum recipiatis, immò neq; vnum fidelem: ait enim lex, in ore duorū vel trium teſtiū ſtabit omne verbum.* LXVI.

*N O N oportet epiſcopum, fratri, aut filio, aut alij propinquo dignitatem epiſcopatus largiendo, ordinare quos ſibi libet; non enim æquum eſt, hæredes epiſcopatus facere, largiendo humano affectui ea quæ Dei ſunt; neque debet eccleſiam Dei hæreditati ſubiicere. Si quis verò hoc commiſerit, eius ordinatio irrita habeatur, ipſe verò pœna excommunicationis afficiatur.* LXVII.

*S I quis captus ſit oculo, aut ſit crure læſo, alioqui dignus qui epiſcopus ſit, fiat: non enim læſio corporis polluit, ſed animi inquinatio. Surdus autem, aut cæcus, ne fiat: non quia pollutus ſit, ſed ne eccleſiaſtica impediantur.* LXVIII.

*S I quis dæmonem habet, clericus ne fiat: immò ne oret quidem cum fidelibus: cùm verò emundatus fuerit, recipiatur: et ſi dignus extiterit, fiat clericus.* LXIX.

Eum

LXX. *EVM qui è gentilibus acceſſit, & baptizatus eſt, aut ex praua vita, non eſt æquum ſtatim facere epiſcopum: iniquum enim eſt, eum qui nondum ſpecimen dedit, aliorum eſſe magiſtrum: niſi fortè ſecundum* * *Dei gratiam id fiat.*

* Id eſt, niſi aliquid accidat, quod planè declaret, voluntatem Dei eſſe vt ordinetur. vt cùm Ambroſius Neophytus ſubita acclamatione populi electus eſt.

LXXI. *DICIMVS, non oportere, vt epiſcopus, aut presbyter ſe in populares adminiſtrationes deiiciat, ſed potius eccleſiæ rebus neceſſariis opportunum tẽpus impendat. aut igitur obediat, & ne hoc faciat, aut deponatur; nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire, ſecundum præceptum Domini.*

LXXII. *FAMVLOS ſine voluntate dominorum clericos fieri non permittimus, ita vt domini eorum dolore afficiantur; hoc enim domos euertit. Si verò aliquando aliquis famulus viſus fuerit ordinis gradu aliquo dignus, vt viſus eſt Oneſimus noſter, & id permittunt domini, & eum libertate donant, atque à ſe dimittunt, fiat.*

LXXIII. *EPISCOPVS, aut presbyter, aut diaconus, qui militiæ operam dat, & vtrumque retinere vult magiſtratum Romanum, & adminiſtrationem ſacram, deponatur: quæ enim Cæſaris ſunt, Cæſari debentur; quæ Dei, Deo.*

LXXIIII. *SI quis* * *iniuſtè in regem, aut magiſtratum contumelioſus fuerit, ſoluat pœnas; ſiquidem clericus ſit, deponatur; ſi verò laicus, excommunicetur.*

* Cùm dixit Paul⁹ Ananiæ, quem videbat iudicio præeſſe, paries dealbate, ſiue ſignum ferret, vnde agnoſceretur pontifex, ſiue non, iuſtè conuicium fecit, vt impietatem eius in Deum coërceret ac reprimeret. iuſtè item Stephanus in Iudæorum tum principes, tum populũ inuectus, dura ceruice, incircumciſos corde, homicidas, & proditores vocauit; quæ iuſta verborum contumelia erat ad reprimendam impietatem adhibita. Sic martyres in tyrannos, cùm opus erat, audebant.

LXXV. *SINT verò vobis omnibus clericis & laicis biblia veneranda & ſancta, veteris quidem teſtamenti quinque libri Moyſis, Geneſis, Exodus, Leuiticum, Numeri, & Deuteronomium; Ieſu Naue vnum volumen; Iudicum vnum; Ruth vnum; Regnorum quatuor; Paralipomenon libri dierum duo volumina, Eſdræ duo, Eſther vnum, Iudith vnum, Machabæorum* * *tria, Iob vnum, Pſalmi centum quinquaginta, Salomonis libri tres, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Cantica canticorum, Prophetæ ſedecim: Extra hæc verò vobis inſuper commemoratum ſit, vt iuuenes veſtri ſapientiam Sirach auctoris multæ eruditionis legant. Noſtra verò, id eſt, noui teſtamenti ſunt euangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ,* * *Ioannis; Pauli epiſtolæ quatuordecim, Petri duæ, Ioannis tres, Iacobi vna, Iudæ vna, Clementis epiſtolæ duæ, & cõſtitutiones vobis epiſcopis per me* * *Clementem octo libris prolatæ; quas nõ oportet coram omnibus vulgare propter myſtica quæ in eis ſunt, &* * *acta noſtra, qui ſumus Apoſtoli. Hæc nos vobis, epiſcopi, conſtituimus. Vos verò in eis perſeuerantes, ſalui eritis, & pacem habebitis: non obedientes verò puniemini, & perpetuum bellum vobiſcum geretis, pœnas abiectæ obedientiæ accommodatas ſoluentes. Deus autem, qui ſolus eſt ingenitus, & vniuerſorum creator, vos omnes vinculo pacis in ſpiritu S. copulabit, conſummabit in omne opus bonum, immutabiles, à querela, & crimine liberos, & vita æterna nobiſcum dignabitur per mediatorem dilectum filium ſuum Ieſum Chriſtum Deum Saluatorem noſtrum. Cum quo gloria ipſi ſuper omnia Deo, & patri in ſpiritu ſancto Paracleto nunc, & in ſæcula ſæculorum.*

* Reſponſum eſt libro primo defenſionis canonum Apoſtolorum ca. XI. ad ea quæ obiiciũtur de libro tertio Machabæorum, & de euãgelio Ioannis, item de epiſtolis & libris cõſtitutionum Clementis, ac de Actis Apoſtolorum.

AMEN.

# FRANCISCI TVRRIANI ANNOTATIONES, VEL EXPLANATIONES DEFENSORIÆ

## LOCORVM OBSCVRIORVM IN LIBROS VIII. Apoſtolicarum Conſtitutionum, & Catholicæ doctrinæ CLEMENTIS ROMANI.




ANTVERPIÆ
Ex officina Chriſtophori Plantini, Architypographi Regij.
M. D. LXXVII.

# FRANCISCI TVRRIANI PROOEMIVM IN DEFENSORIAS EXPLANATIONES.

SI TEMERITATIS *eſt in libris quorumcumque quicquam antequam exploratè cognitum ſit, improbare, aut etiam reprehendere, multo id profecto maioris audaciæ fuerit in libris magnorũ auctorum facere. ego enim, vt de me loquar, auctoritati præſtantium ſcriptorum, ac maximè antiquorum ſemper hoc deberi exiſtimaui, vt ſi quid prima ſpecie reprehendendum eſſe videretur, me potius non aſſequi putarem, quàm auctorem, quid ſcriberet, ignoraſſe. Sunt in his libris Clementis non pauca huiuſmodi; quæ quidem aliquando tanquam falſa opinione ſua eſſent, notarunt; quæ ſunt tamen, ſi rectè intelligantur, ſcripta ſapienter. Hinc ego non contentus tum iis, quæ nonnullis audiebam, aliquando cùm de iis iudicium fieret, minus probata fuiſſe, tum aliis, quæ mihi etiam lubrica videbantur, rogaui quendam egregium animaduerſorem, cui ego valdè familiaris eram, vt quæcunque ingenij ſui, quo præſtat, ſagacitate, & ſolertia odorari poſſet, aliquam reprehenſionis cauſam, vel malæ intelligentiæ præbere poſſe, ea mihi ad explanandum, vel defendendum indicaret. Ex locis ergo à me, vel ab aliis notatis extiterunt noſtræ locorum obſcuriorum apologeticæ, ſiue defenſoriæ explanationes; quibus iudicio quidem meo, neſcio an aliorum, quæcunque difficiliora videri poterant, & ad reprehenſionem magis parata, expediſſe videor. erant autem ex iis, qui iſta notabant, quibus omnium difficillimum videretur conſtituere, vtrum in his libris de ſancta & homouſio Trinitate ſanctè, purè, & caſtè vbique doceretur. nam & ætate Photij, vt in proœmio diximus, non defuerunt, quibus neſcio quid in his libris fœtorẽ Arrij redoleret; quod idem Photius facile eſſe aiebat ad refellendum. meminerat enim doctiſſimus auctor errorem Arrij auctoritate Apoſtolicæ doctrinæ apertè euerti; cùm ait libro viij. cap. xij. vt alios locos non paucos nunc præteream, Filium eſſe à Patre genitum ſine medio. in quo planè, ac neceſſariò docet, Filium non eſſe creaturam, ſed Deum de Deo, Patri conſubſtãtialem. Etenim ſi creatura eſſet, eſſet creatio eius media inter creantem, & creatum. Sic enim ait beatus Baſilius libro quarto contra Eunomium: Si Filius eſt opus factum, & non Filius genitus ex Patre, non eſt ipſe ille qui operatus eſt, nec operatio. operatio enim aliud eſt præter operantem, & opus. immo neque per ſe ſubſiſtit; nulla enim operatio per ſe ſubſiſtit. Quod ſi eſt opus factum, tertius eſt à Patre, & non immediatus. Primum enim eſt, qui operatus eſt; deinde operatio; tertium opus. Item Gregorius Nyſ. libro ſecundo τῶν ἀντιρρητικῶν confutans Eunom. qui aiebat, Filium eſſe ſigillum operationis Dei Patris, tertium, inquit, facit illum poſt Patrem per operationem illam intermediam, quæ per ſe non ſubſiſtit. Ac S. Maximus in diſputatione contra Pyrrhum Monothelitam: Sicut, inquit, inflammatio ſecum infert inflammantem, & inflammatum; refrigeratio refrigerantem, & refrigeratum; viſio videntem, & viſum; item intelligentia intelligentem, & rem intellectam; non enim poteſt habitudo, ſiue reſpectus intelligi ſine habentibus intermediam habitudinem, ſiue reſpectum; ſic etiam deificatio ſecum inuehit deificantem, & deificatum. ad eundem modum in re noſtra, creatio media infert ſecum creantem, & creatum. Rurſus idem S. Maximus in tertia hecatontade theologica: Quorum, inquit, eſſe diuerſum eſt, horum inter ſe habitudo & reſpectus inſeparabilis eſt; quorum autem diuerſorum habitudo inſeparabilis eſt, proprium eorum eſt, vt ſe viciſſim impediant, ne quid eorum infinitum eſſe exiſtimetur: quorum autem eſſe non eſt infinitum, manifeſtum eſt in eorum ortu & generatione tempus, vel ſæculum antegreſſum intelligi, fieríque ex nihilo. Hactenus S. Maximus. Si ergo generatio Filij ex Patre ſine medio exiſtit ſecundùm Apoſtolicam doctrinam, id eſt neque tempore intermedio, neque ſæculo, nec operatione, neque voluntate; ſequitur neceſſariò, vt generatio Filij ex ſubſtãtia Patris ſit increata, & idem cum eſſe eius, vt naturalis proceſſio. Voluntas enim Dei ad creandum*

*ex nihilo, quæ media eſt inter creantem, & creaturam, differt à ſubſtantia, & natura Dei, quæ neque cœpit, neque poteſt deſinere: voluntas verò Dei, quatenus eſt extra facientem, deſinit, Deo nolente; vt Solem voluit creare, & creatus eſt; & iam non amplius vult Solē creare. Multa præterea in eodem loco dicit Apoſtolica doctrina, quæ vnam & eandem eſſentiam Patris & Filij demonſtrant, vt illud eſſe Deum Patrem natura primum, & eſſe Filium vnigenitum Dei, & primogenitum omnis creaturæ. Primogenitus enim omnis creaturæ non eſſet, niſi eſſet etiam primus natura, id eſt, niſi homo factus, naturalem primatum diuinitatis in omni creatura retineret. Item Deum Patrem dicit eſſe cognitionem ſine principio, & Filium ſapientiam viuentem, quia ſunt ſcilicet vna eſſentia, & vnum eſſe ſimpliciſſimum, & infinitum. Rurſus Deum Patrem dicit eſſe ante ſæcula, ſimiliter & Filium; Patrem creaſſe omnia, & item Filium, ſiquidem per Filium creauit, non quòd indigeret adiutore aut miniſterio intermedio, quem ibidem ait nullius rei indigere, & in lib. 7. cap. 41: Opus eius ſine medio eſſe, ſed vt ex creatione omnium per Filium demonſtraretur, vt ait magnus Athanaſius, eſſe eandem in Filio naturam Patris. Omitto reliqua eiuſdem loci, quæ ſunt omnia eſſentialia, æquè Patri, & Filio conuenientia præterquam ingenitum, quod non ſignificat ſubſtãtiam, neque notionem perſonalem, quæ dicitur γνώρισμα ὑποστατικὸν, ſed negationem tantùm, id eſt, non eſſe ex principio. Illud autem magno argumento eſt, nihil Arrianos in his libris quod ſecum facere videri poſſet, reperiſſe vnquam, quod cùm ſciret alioqui Arrius magnum & illuſtre eſſe Clemētis Romani nomen, vt ex diſputatione Athanaſij cum eo in Synodo Nicæna perſpici poteſt, nunquam tamen contra Catholicum dogma de Filio homouſio aliquid ex his libris obiecit. Æqualitatem verò Spiritus S. ſatis declarat Patris & Filij in Spiritu S. δοξολογία in his libris, & in viij. potiſſimum frequentiſſimè repetita, quam beatus Baſilius grauiſſimè & acerrimè contra Eunomium defendit, & ad celebrandam communem Spiritus ſancti cum Patre, & Filio gloriam pertinere demonſtrat. Sed quæ hactenus contra Arrianiſmum apologeticè præfati ſumus, hanc habeant concluſionem. Pergamus ad reliquas noſtras locorum obſcuriorum defenſorias explanationes.*





# IN LIBRVM PRIMVM DE LAICIS.

QVIA coniugium Laicorum eſt ſecundum naturam, vt ait Plato, principium ciuitatum, ac cæterorum ordinum, idcirco ordinem Laicorum omnium alioqui infimum oportuit primum conſtitutionibus Apoſtolicæ doctrinæ inſtruere, vnde rectè liber de Laicis primo loco collocatus eſt. Secutus itaque eſt Clemens huius Apoſtolicæ doctrinæ ſcriptor præceptum Platonis, cuius fuit perſtudioſus, qui in 4. libro de Legibus ſcripſit, legem de coniugio eſſe, quæ à legiſlatore ob hanc cauſam, quam dixi, prima ſcribenda eſſet. Deinde, quia duo ſunt, in quibus coniuges maximè peccare ſolent, quæq; eos in primis ſolicitant, ſcilicet ſtudium habendi, & ſtudium nimij cultus, vtrumque verò honeſto quodam prætextu, illud quidem acquirendi facultates filiis (parentes enim, ſicut Apoſtolus ait, theſaurizant filiis) hoc verò placendi coniugi, quæ duo potiſſimùm pertinent ad tribulationem carnis, quam Paulus in priore epiſtola ad Corinth. dixit, cùm de coniugibus loqueretur, quæque idem, licet ſubobſcurè, ſignificauit explicans illam ipſam carnis tribulationem, cùm ait, Qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt quæ mundi ſunt, (hoc enim ad auaritiam pertinere poteſt; quomodo placeat vxori, hoc ad libidinem) idcirco Clemens de his duobus ſcribit Laicis doctrinam catholicam. Præterea, quia Apoſtolus de coniugibus ſcribens, Tempus, inquit, breue eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint, præterit enim figura huius mundi, citò enim recedendum eſt ad illum, vbi, iuxta euangelium, neque nubunt, neque nubuntur; idcirco accommodatè ad eiuſmodi breuitatem temporis, & ad hoc genus caducum vitæ coniugalis breuī prætereuntis imitatus Apoſtolum, doctrinam apoſtolicam de Laicis, id eſt, de coniugibus tractatione breuiſſima concluſit. Hoc autem idcirco notaui, ne quis hunc Libellum de Laicis propter breuitatem aut mutilum, aut inabſolutum eſſe ſuſpicaretur. Illud quoque non eſt prætermittēdum, quod nonnullis fortaſſe videbitur humile quid eſſe, & Apoſtolis indignum, de capillo non componendo præcipere, & de non geſtando annulo aureo, & de modo ac tempore lauandi in balneo; quibus reſpondeo, non leue, neque humile eſſe, quicquid ad vitandum offenſionem Dei, & ad declinandum peccatum pertinet, ſed potius graue, & magni momenti. Quod ſi quis hoc reprehendere audet, aut contemnere, reprehendat idem, & contemnat, quod Paulus 1. Timoth. c. 2. ait: Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate, ornantes ſe non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa: & beatus Petrus 1. c. 3. Quarum, inquit, non ſit extrinſecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus.

CAP. III. *pag. 3.*

*Ne pexus, & comatus.*] Non verbum de verbo, ſed ſenſum de ſenſu tranſtuli. ἄσκυλτον enim vocat capillum intonſum καταχρηστικῶς, vt ſi diceret, ſine vexatione; vexare enim videtur capillum, qui eum tondet. Ego verò ſine tropo catachreſis, comatum verti. Dictum eſt autem ſeruare comam ἄσκυλτον ἐκ τοῦ ἐναντίου πρὸς τὸ συγκόπτειν καὶ καθαιρεῖν αὐτὴν, id eſt, non vexanti comā, oppoſuit autor concerpentem, & delentem comam. hæc notaui, ne quis in ipſo ferè principio interpretationis me reprehenderet, priuſquam rationem interpretationis intelligeret.

*Neque anaxyridas.*] Pro hoc verbo, quod in ea editione 70. interpretum, quam nunc habemus, non reperitur; alius interpres vertit ex Hebraico ad verbum ἐντομίδας, id eſt, inciſiones in carne. 70. verò Interpretes quia inſtinctu Spiritus ſancti, vt plerique veterum patrum nobis tradiderunt, interpretati ſunt, vt ad vtilitatem Gentilium, quibus potiſſimùm ſcripturam Hebraicam in Græcum conuertebant, interpretationem accommodarent. Et quia verbis maximè propriis, ſi quæ alia ad res ſignificandas, vt auctor eſt Philo Alexandrinus, vſi ſunt, idcirco non dixerunt ἐντομίδας, quæ ſignificabant inciſiones in carne, ſiue illæ ad religionem aliquam alienam, vt Ægyptiorum, aut aliorum pertinerent; ſiue ad pingendum effeminatè carnem notis in eam inciſis, vt nunc facere ſolent Arabici; ſiue ad vtrumque, ſed potius dixerunt ἀναξυρίδας, quod verbum tum inciſiones illas ſignificat, quæ fiebant nouacula acutiſſima, quam ſignificat ξυρὸς, vt ipſi quoque Rabbini eius loci interpretes ſcribunt, vt ex quodam Hebraicè eruditiſſimo audiui: tum ſignificat braccas longas, & vſque ad pedes tractas, à verbo ἀνασύρειν dictas: item ſignificant anaxyrides cothurnatos calceos aliquanto altiores, & ad extrahendum difficiliores, quàm quibus vulgo vtimur. Hæc igitur omnia, vt ad cultum effeminatum pertinentia, lex voluit prohibere.

*Comam in vnum colligere.*] Huiuſmodi ſunt crines ad verticem cōuoluti: Sic enim vocat Varro lib. 6. de lingua Latina, quos idem ait tutulos olim priſco verbo vocari ſolitos, quòd res alta tanquam tuta tutulus vocaretur. Eſt autem obſeruandum hoc loco, quòd etſi Apoſtoli docebāt fugiendas eſſe huiuſmodi varias formas, & modos capilli componēdi ob venuſtatem, & delicias; tamē Scriptura ſancta, vt Magnus Baſilius in Epiſtola ad Diodorum epiſcopum Tharſenſem admonuit, honeſtatis cauſſa communibus verbis ea quæ turpia ſunt, complecti ſolet. Vt cùm ait:

Fornicatio,& omnis immunditia ne nominetur quidem inter vos.] nomine immunditiæ nefandos concubitus comprehendens. Vnde beatus Petrus in epiſtola priore canonica capite 3. πλοκὴν τριχῶν, id eſt, plicationem capilli prohibuit, reliquas omnes ſpecies componendi capilli, hac ſpecie communi complexus. Item beatus Paulus 1. Timoth.c.2. crines intortos prohibuit, complectens formas omnes quas apoſtolica doctrina complexa eſt. Illud quoque hoc loco obſeruandum eſt, quod hîc ait apoſtolica doctrina, ne circundes digitis tuis annulum aureum] ſatis declarare, quam circundationem auri ſignificauerit. Petrus 1.cap.3.cùm ait, Neque circundatio auri, ſcilicet ſignificauit geſtationem annuli aurei, vſus verbo περιθέσεως, ex verbo περιτιθέναι, quo vſa eſt poſtea hoc loco doctrina Apoſtolorum.

*Quod etiam lex Deuteronomij vetet.*] Deuteroſin vocat hîc Deuteronomion, id eſt, illa quæ poſt decem mandata data ſunt, quæ ad deuteroſim pertinent: quæ quidem quatenus pertinent εἰς τὰ δεσμὰ ἐπείσακτα, id eſt, ad vincula illa aſcita, quæ idem Clemens paulo pòſt cap. VI. & rurſus lib.6. dicit, iam ab illis liberati ſumus. Sed rurſus ſunt quædam, quæ tametſi data ſunt poſt illa decem mandata, tamen quia ſpectant quoque ad legem naturalem, qua decem illa mandata continentur, adhuc ſeruanda ſunt, neque exiſtimanda tantum eſſe τῆς δευτερώσεως, id eſt, ſecũdæ lationis, ſed etiam primæ: cuiuſmodi eſt quod lex prohibet in Leuitico, non facere ſiſoen & anaxyridas, quod ad mollitiem pertinet, quæ lege naturali interdicta eſt. Illud quoque obſeruãdum eſt hîc, vocabulum δευτερώσεως à principio quidem ad ea quæ ſecundo loco poſt decalogũ de cærimoniis, & iudicialibus lata ſunt, pertinuiſſe; poſtea verò ad traditiones Rabinorum tranſlatum eſſe verbum. Similiter factum eſt in quibuſdam verbis Latinis quæ primò in laude ponebantur, poſteà in conuicio, vt ſophiſta, hoſtis, & alia eiuſmodi. Sic Deuteroſis contumelioſum verbum eſt nunc; ſicque accepit Iuſtinianus imperator, cùm eam lege prohibuit. ſic enim ait Conſt. CXLVI. de Hebræis: Quæ verò Deuteroſis ab ipſis dicitur, in vniuerſum interdicimus, vt quæ ſacris libris comprehenſa non ſit: nec à principio ex Prophetis tradita; ſed quæ ſit excogitatio, & inuentio virorum è terra loquentium, & nihil diuinum in ſe habentium: & quæ ſequũtur. Non ſic autem Clemens accepit verbum Deuteroſeos, quo in his libris vſus eſt. quod qui non animaduerterunt, exiſtimauerunt conuicium eſſe in Deuteronomium, quòd Clemẽs Deuteroſin verbo Deuteronomij afficiat; & Deuteronomiũ verbo Deuteroſeos. hoc enim erat ſecũdum in illis tribus, quæ ante annos octingentos nonnulli in his libris criminabantur. auctor eſt Photius in ſua bibliotheca. De primo & tertio reſponſum eſt in procemio. hoc ſecundum idem quoque Photius ait, ῥᾷστον διαλύσασθαι, id eſt, perfacile eſſe ad diluendum. ego perfacile interpretor, quia depulſio huius criminationis ex obſeruatione veteris vſus verbi Deuteroſeos pendeat, quod quidem Clemens in laude, & non in conuicio, & vituperatione ſecundæ legiſlationis diuinæ ponere ſolet.

*Siſoen facere.*] Siſoen ait Suidas ſignificare πλεξίδιον, dictum à plicando, quaſi diceret capillum plicatum: beatus Petrus appellauit πλοκὴν τριχῶν, quod Latinus interpres vertit capillaturam; Paulus verò vocat πλέγμα, id eſt, intortos crines. Latini dicunt, calamiſtratum, ſiue calamiſtris ornatum capillum, quod lex prohibebat. Quod autem Hieronymus vertit ex Hebraico, non tondere comam in rotundum, ex eo fortaſſe factum eſt, quòd exiſtimauit rotunditatem illam in modum annulorum, quæ efficitur in capillo calamiſtrato, pertinere ad rotundam comæ tonſionem, quæ fuit cauſſa, vt ſic verteret. Audiui etiam ex quodam Hebraicè erudito, ſignificare eius loci verba, ſi quis ad verbum verteret, Ne corrumpas angulum capitis tui circum caput. Angulos enim rectos, quos facit capillus promiſſus, is quidem corrumpit, qui in eo facit circulos calamiſtris, quod fieri ſolet circum caput. Vt iam duplex ſit rotunditas, altera in capillo ipſo calamiſtrato, altera in tonſione circum caput, in quam ſolam aſpexit Hieronymus interpretans, quod quidam vertunt ad verbum, corrumpere angulum circum caput, pro eo quod eſt, tondere in rotundum. Addam etiam hoc, videri mihi 70. Interpretes feciſſe ſiſoën, quo verbo vſi ſunt, ex Hebraico ſiſin, quod tradunt Hebræi ſignificare cincinnos capitis.

*Non radetis* (inquit lex) *barbas veſtras: hoc enim, vt mulieres deceret, fecit Deus, qui earum fuit auctor: viros contrà, vt non deceret, idem iuſtè ſtatuit. Tu verò ſi hæc feceris, vt alicui placeas, id quod eſt contra legem, execrabilis apud Deum eris, qui te ad imaginem ſuam effecit.*] Sunt quibus hæc conſtitutio de barba non tondenda non probetur, neque digna Apoſtolorum auctoritate videatur. Quomodo enim (inquiunt) mortale peccatum erit, radere barbam, idque quia lex iubeat non radere? Scimus enim legem, ſicut Apoſtolus ait, iis, qui ſub lege ſunt, loqui: nos verò iam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Verùm quibus non probatur hæc interdictio tonſionis barbæ, mirum, ſi eiſdem probetur illa mulieris comæ apud Paulum interdicta tonſio. Sed vt melius præceptum de barbis non tondendis intelligamus, videamus quæ ſit cauſſa, cur iubeantur mulieres orare velato capite, ac ſimul vetentur tõdere capillum, quia ſcilicet capilli dati ſunt ad velamen; vt admoneat, inquam, natura ipſa, virum eſſe caput mulieris, & mulierem ſubiectam viro: quaſi naturæ vox ſit; ne tondeat mulier capillum, ne tondendo ſubiectam ſe viro negare videatur. ex quo fit, vt ſi mulier aliqua quapiam honeſta cauſſa capillum tondeat, vt valetudinis, aut religionis,



gionis, ſicut virgines Deo dedicatæ facere conſueuerunt, quibus non licet nubere; aut cùm vult mulier amiſſo viro vidua permanere, id quod in Italia nonnullæ profiteri ſolent capillum tondẽdo, & eum funeri, cùm effertur, imponendo; quæ ſic comam tondent, non erunt præcepti Pauli reæ; quia vbi cauſſa præcepti non ſubeſt, vitium non imputatur, vt de ſimilibus dixit beatus Ambroſius in epiſt. ſua, cui exprobrabatur, quod in eius ordinatione vtpote neophyti violatum eſſet præceptum Apoſtoli de non ordinandis neophytis, cuius præcepti cauſſa erat, vt ne neophytus (inquit) ſuperbia elatus, ſcilicet ob ordinationem, in iudicium Diaboli incideret; at in Ambroſio iudicatum fuit non reperiri præcepti huius cauſſam, id eſt, nullam eſſe de eo futuræ elationis ſuſpicionem. Similiter ergo dicendum eſt hîc de barba Laicis non tondenda, vt Paulus dixit de coma mulieri nutrienda. An natura non docet nos, quod vir ſæculi ſi barbam nutriat, gloria eſt ei? ſin verò effeminatè radat, ignominia? quia barba ad gloriam virilitatis data eſt illi, vt ſcilicet qui ſecundum naturam præeſſe debet mulieri, vel de barba admoneatur, vt fortis & virilis ſit, & mollitiem atque impudicitiam omnem fugiat: hæc eſt gloria & decus barbæ. vt iam ſi quis effeminatè, & impudicè aut radat, aut radere exiſtimetur, is quidem cõtra naturæ doctrinam faciat, & diuinam legem violet, quæ in Leuitico iubet non radere barbam: quam quidem legem moralem eſſe, & hanc eius cauſſam, ac rationem extitiſſe, ſcilicet ne hoc effeminatè fieret, docuit hęc apoſtolica conſtitutio. Sic quoque intellexit ſanctus Epiphanius apoſtolicarum conſtitutionum ſtudioſiſſimus: ſcribens enim aduerſus Meſſalianos; Alij, inquit, eorum barbam formam viri detondent. & quæ ſequuntur. Conſiderandum igitur eſt, quibus nam hoc præcipiãt Apoſtoli: præcipiunt enim laicis, vtpote in eo libro qui De laicis inſcriptus eſt; tum quia decebat, vt vir, qui caput eſt mulieris, quod virum natura decet, id eſt, barbam ne corrumperet effeminatè, & muliebriter: niſi enim viros barba deceret, non eis natura barbam dediſſet; vt contrà mulieribus non dedit, quia eas non decebat: tum quia Laici, vt occaſione acquirendi filiis facilè in vitium auaritiæ labuntur, ita occaſione placendi vxoribus, facilè item declinãt in vitium aliis placendi, quod tonſa barba fieri ſolet. Ex hac ergo doctrina manauit, vt per omnes eccleſias catholicorũ Orientis & Occidentis, barbas laici ferant, immò ſit ignominia, ex barbatis imberbes fieri: niſi fortè cùm iam ſenes ſunt, aut ætate prouecti, hi enim ſuſpicione carent, quòd barbam effeminatè, ac propter mollitiem tondeant: aut niſi iuuenem, vt radat, aliqua priuata & honeſta cauſſa excuſet. Contrà verò, Barbari, & infideles, vt Machometani, propter mollitiem, & impudicitiam omnes vulgò nullo ætatis diſcrimine radunt. Si quis autem vult contentioſus eſſe, dicam quod Apoſtolus de velando capite mulieribus, apud nos Chriſtiani Laici; niſi aliqui ſenes, talem conſuetudinem non habent; Clericos verò, qui Laici eſſe deſierunt, id eſt, coniugia reliquerunt, vt alius habitus decet, ita quoque alia forma barbæ. Hos radere non eſt turpe; vt olim per totum Occidentem fieri ſolitum, teſtatur Gregorius ſeptimus libro VIII. regiſ. epiſt. X. ad Glorioſum iudicem Carolitanum: Nolumus, inquit, prudentiam tuam moleſte accipere, quòd Archiepiſcopũ veſtrum Iacobum, conſuetudini ſanctæ Romanæ eccleſiæ obedire coëgimus; ſcilicet, vt quemadmodum totius Occidentalis eccleſiæ clerus ab ipſis eccleſiæ Chriſtianæ primordiis barbam radendi morem tenuit, ita & ipſe frater noſter, veſter Archiepiſcopus, raderet. Vnde eminentiæ quoque tuæ præcepimus, vt ipſum ceu paſtorem, & ſpiritualem patrem ſuſcipiens, & auſcultãs cum conſilio eius omnem tuæ poteſtatis clerum radere facias atque compellas: res quoque omnino renuentium niſi demum conſenſerint, publices; id eſt, iuri Carolitanæ eccleſiæ tradas: & ne vlterius inde ſe intromittant, conſtringas: neque non ipſum ad honorem eccleſiarum defendendum promptiſſimè adiuues. Quod ergo apoſtolica doctrina execrabiles eos eſſe dicit qui barbas radunt, ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, conſtat ſic intelligendum eſſe, ſiquidem radere ad turpitudinem, & laſciuiam ſpectet, & referatur.

CAP. VI. *pag. 3.*

*Siue ſophiſtica (id eſt ſcripta ſapientum) & poëtica cupis, habes Prophetas, Iob & Prouerbia.*] Non ſignificat poëtica eſſe, id eſt, fabuloſa, quæ à Prophetis ſcripta ſunt, abſit: Libro enim 6. cap. 27. ait doctrina apoſtolica, Cauete ab omnibus hæreticis, qui Legem, & Prophetas improbant. Neque dicit, Prophetas propoſuiſſe ſibi poëtas, & ſophiſtas, id eſt, ſapientes Gentilium ad imitandum: ſed potius cùm ſophiſtica & poëtica dicit, illa philoſophica intelligi voluit, quæ ſapientes Græcorum in fabulis poëtarum Orphei, Heſiodi, Homeri de natura rerum, & morum diſciplina argutè per allegorias interpretabantur, vt ex lib.X. Recognitionum Clementis, & copioſius ex vj. alterius editionis Recognitionum, & ex libro 3. Euſebij de Præp. Euang. atque ex aliis perſpici poteſt. Verùm in hoc genere, cùm non ſunt prorſus ea quæ ſonant verba, ſed alia inde eruditè, acutéque intelliguntur, longè maius ingenij, & ſolertis intelligentiæ acumen, in Prophetis, Iob, ac Prouerbiis Salomonis eſt, vt apoſtolica doctrina hîc teſtatur, quàm in omni poëtarum arguta, & ſapienti ſcriptione reperitur. Quid enim conferri poteſt cum illo acumine, & ſolertia deſcriptionis ingenij Satanæ, & operationis eius multiplicis in Iob cap. 40. & 41. aliud verbis ſonantibus, aliud inde mente ſolerter intelligente? Quid illud apud Es.c.7. de Aſſyriis delendis, in illa die radet Dominus nouacula cõducta in rege Aſſyriorum, & pilos pedum, & barbam vniuerſam,


uerſam,

uerſam, & quod ſequitur de loco ob vaſtitatem ſilueſcente, & in vepretum mutato, cum ſagittis,& arcu ingredientur illuc; vepres enim & ſpinæ erunt in vniuerſa terra. Item illud in Ioële de hoſtilibus depopulationibus, quibus inſtar meſſis deleti ſunt Iſraëlitæ alij aliis temporibus ab aliis & aliis gentibus, reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduũ locuſtæ comedit bruchus, & reſiduũ bruchi comedit rubigo. Infinita huiuſmodi ſunt in Prophetis. Plenus quoque eſt liber Prouerbiorum Salomonis hoc genere. vt illud, In manu ebrij naſcuntur ſpinæ. & illud ad thorum immaculatum coniugis pertinens, Bibe aquam de vaſis tuis, ſiue de ciſterna tua, & fluenta putei tui; effundantur tibi aquæ è tuo fonte; in plateas tuas tranſeant tuæ aquæ;habe eas ſolus,ne ſint alieni participes tui. Præterea etiam, quæ in poëtis plurimùm delectant, tranſlationes dico ſimilitudines, exempla, metonymias, proſopopœias,hyperboles, ironias, narrationes figuratas, deſcriptiones, imitationes morum, & conſuetudinum,quas Græci vocant ἠθοποιΐας, dramaturgias, & repræſentationes, ac mutationes perſonarum,& reliquas figuras ſententiarum & tropos verborum. hæc, inquam, omnia, quibus poëtæ abundant, ita à Prophetis,& prius,& melius, atque aptius, diuina mentis ſolertia ac perſpicientia adhibita ſunt; vt iam verè dixerit doctus Tertullianus in Apologetico, Quis poëtarum, quis ſophiſtarum,non omnino de Prophetarum fonte potauit? Inde igitur Philoſophi ſitim ingenij ſui rigauerunt; vt quæ de noſtris habent, ea nos comparent illis. Et paulo pòſt, Homines gloriæ,& eloquentiæ ſolius libidinoſi, ſi quid in ſanctis ſcripturis offenderunt, pro inſtituto curioſitatis ad propria opera verterunt. Itaque cùm dixit, quis poëtarum, quis ſophiſtarum non omnino de Prophetarum fonte potauit, videtur imitatus hunc locum Clementis, Si ſophiſtica & poëtica cupis, habes Prophetas. Et cùm dixit, homines gloriæ,& ſolius eloquentiæ libidinoſi,videtur interpretatus nomen ſophiſtæ, vt Plato, Iſocrates, & Ariſtoteles interpretati ſunt, tametſi prius in bonam partem acciperetur. Sic enim Socrates in Minoë Platonis Iouem vocat ſophiſtam, id eſt ſapientem. Laudat enim & Themiſtius in oratione 4. quam Sophiſtam inſcripſit,ait; Nam Sophiſtæ nomen quàm olim graue ac magnificum fuerit, & quod Solonem & Pythagoram ij qui tunc erant, Sophiſtam appellabant, perſpicuum eſt: ineptúſque ſim, ſi quod dico, comicorum & hiſtoricorum auctoritate velim comprobare. Sed tamen hi non me eadem ratione ſophiſtam vocant, nec enim honore, ſed ignominia afficere me volunt. Verùm quando nominis huius vis & proprietas diuerſa eſt ab ea quæ antea erat, id quod temporis diuturnitate ipſis quoque nummis videmus euenire; quod tamen accidit, ex quo primum Protagoras de omnibus cœpit ambigere, & omnia in controuerſiam vocare. Itémque Prodicus Chius, Gorgias Leontinus, qui cùm ſapiẽtiam profiterentur, venalem eam exponebant, multúmque pecuniæ à diſcipulis exigebant; hinc profectò nomen traxere ij, qui in me nunc cauillãtur. hactenus Themiſtius in eos,à quibus vocabatur Sophiſta vetere quidem verbo, & olim honeſtæ ſignificationis, poſtea verò turpis, & inuidioſæ, atque infamis vitio illorum,qui philoſophiam venalem facere cœperunt.itaque primùm Socrates, vt ait idem Themiſtius, vocatus eſt ſophiſta arrogans, & nouarum rerum ſtudioſus: poſteà Plato, & Ariſtoteles eiſdem conuiciis iactati ſunt:& Photius in reſponſionibus ad Amphilechium Cyzici metropolitani verbum Sophiſtæ πολύσημον eſſe ait, id eſt, multa ſignificare. Dicitur enim,inquit,Sophiſta, qui artem diſſerendi docet: item,qui in genere diſſerendi exercitatus eſt; tum etiam,quicunque exercitationem diſſerendi in diſcipulis ad contentionem, & controuerſiam pugnacem prauè contulit. Illud quoque obſeruandum eſt hîc, quòd Clemens ſic poëtica & ſophiſtica coniunxit hoc loco, vt beatus Petrus 2.cap.2. μύθους dixit σεσοφισμένους, id eſt, fabulas doctas, vt vetus interpres vertit; ſcilicet fabulas illas dicit, quas aiebat Clemens in perſona Appionis in altera editione Recognitionum, ἔχειν τινὰ λόγον οἰκεῖον καὶ φιλόσοφον ἀλληγορίᾳ φρασθῆναι δυνάμενον, id eſt, habere rationem quandam cognatam & philoſophicam, quæ per allegoriam exponi poſſet. Eiuſmodi erant fabulæ de transfigurationibus Iouis variis, quas idem Clemẽs per eandem perſonam Appionis interpretans allegoricè, ſubiungit: αὗται δὲ αἱ μεταμορφώσεις, τοῦ πανταχῆ διήκοντος διὸς αἱ πολλαὶ νοείσθωσαν τροπαί, i. hæ verò transfigurationes intelligantur multiplices cõmutationes, cõuerſionéſq; Iouis, i. aëris omnes partes permeãtis. Sic enim paulò antè Iouẽ aërem interpretatus erat. At trãsfiguratio Domini Ieſu, de qua ibid. in epiſt. Petri ſequitur,& cuius teſtis præſens fuit beatus Petrus, non fuit talis, ſed vera & glorioſa, cùm in lumine illo mirabili mirabiliter creato, tanquã in ſpeculo increatum lumen diuinæ gloriæ ſanctis Apoſtolis oſtenſum eſt. Sic enim intelligi, ſeu potiùs corrigi volo, quod de lumine illo Thaborio in meo de reſidentia Epiſcoporum Antapologetico iam pridem ſcripſeram. de quo plura poſteà libro VI. cap. XIX. σοφιστείαν ergo vocat Clemens illam, quæ ab illis priſcis gentilibus ſapientia putabatur; & quam iactabant qui non tam erant ſapientes, quàm videri & dici volebant; δοξοσόφοι potius, aut ἐθελοσόφοι, quàm σοφοί: de quibus Apoſtolus ait, Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Qui quidem ſententioſè de moribus, & de occultis naturis rerum per allegorias fabularum acutè, vt videbantur, tradebant; vt in Theologia Phœnicum, Ægyptiorum & Græcorum cerni poteſt; de quibus Euſeb. lib.3. De præparatione euangelica, ita inquit: Generoſa Græcorum & Ægyptiorum Theologia ad ſublimiora nos perducere fabularum allegoriis pollicita, ad corpora rurſus reducit. & paulò pòſt,



pòſt, Qui ſecundum Apoſtolum, inquit, dicentes ſe eſſe ſapiẽtes, ſtulti facti ſunt. Hanc quoque ſolet ſcriptura ſancta appellare ſapientiam, vt cùm ait: Perdam ſapientiam ſapientium. Sunt prætereà aliæ duæ ſapientiæ, quas diſtinxit Apoſtolus, vt Theodoretus in commentariis prioris epiſtolæ ad Corinth. obſeruauit: Vnam quæ hominibus, inquit, data eſt, in qua ratione vtimur, & quid agendum, quid non, diſcernimus; & qua artes & diſciplinas adinuenimus, & Deum cognoſcere poſſumus: alteram, quæ in mundi fabrica cernitur, & in contemplatione naturæ verſatur. Vtramque harum vocare quoque ſolet ſcriptura Sapientiam, vt cùm ait: Ecce vocaui Beſeleel, & repleui eum ſpiritu ſapientiæ. & Apoſtolus; Nam quia, inquit, in Dei ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiã prædicationis ſaluos facere credentes. Omnem igitur σοφιστείαν, quam Clemens vocat, vocare ſolet ſcriptura ſapiẽtiam, in qua quidquid acuminis & ſolertiæ eſt, id omne ſuperatur acumine, & ſolertia diuini ſpiritus, qui in Prophetis ſpirat; quorum figuras & ſententias ſolerter & ingenioſè imitati ſunt Poëtæ ac Sophiſtæ. Spirat item in Pſalmis, quos ait Origenes plenos eſſe multis & ſapientibus dogmatibus: ac rurſus ſpirat in Prouerbiis, immo in toto Salomone, cuius opera habent, inquit idem Origenes, μεγάλην ἐν βραχυλογίᾳ περίνοιαν, id eſt, magnam ſenſus comprehenſionem cum breuiloquentia coniunctam: item in Iob, Cuius dialogi, inquit, mirabiliter arguti ſunt, & omni doctrina referti. Nemo igitur hunc locum malè intelligens reprehendat, falsò exiſtimans comparari hîc poëſim, & ſapientiam gentilium cum ſcripturis ſanctis; quaſi ſcripturæ ſanctæ ab illis mutuatæ ſint, cùm potius, vt iterum dicam, quæ de noſtris habent, vt dixit Tertullianus, ea nos comparent illis. quę enim in Prophetis ſunt ex poëtis ſumpta, non imitationis gratia ſumpta ſunt, ſed potius, ſicut ait Gregorius Nyſſenus in commentariis Cant. cant. c. 4. vt illis nominatis ſtatim intelligatur quod ſcriptura intelligi vult; vt cùm ſirenas apud Eſaiam legimus, & onocentauros, ad ſignificandam vaſtitatem loci: & in libro Iudith, Titanis filios, vt ſtatim intelligamus homines robuſtos ac viribus valentes: & in Iob, cornu Amalthææ, vt continuò laudem filiæ Iob intelligeremus, ſcilicet omni genere virtutis præditam fuiſſe. Illa quoque poëtica ſunt, vt arcturus, orion, & Pleiades apud Iob & Amos, explanationis cauſſa, & non imitationis, aut approbationis fabularum adhibita. Illud verò de Adonide in Eſaia cap. 18. & in Ezechiele, ad accuſationẽ idololatriæ pertinet. notauit Anaſtaſius Antiochenus in lib. Variarum quęſtionũ tam multa dicere Salomonem de vera ſapientia, ne quis propter homonymiam ſapiẽtiæ in ſophiſmata gentilium aut hæreticorum incideret; ſiquidem Gentiles promittunt ſapientiam, & profitentur: ſimiliter hæretici ſe putant ſapientes. hæc Anaſtaſius, poſtquam totum hunc locum Clementis deſcripſit. Itaque videtur planè ſophiſtica iſta, quæ Clemens dicit, interpretari ſapientiam Gentilium, illam dico quæ falsò videtur ſapientia. Clemens verò Alexandrinus in 1. libro Strom. Has, inquit, partes veritatis fures, & latrones philoſophi Gentilium ante aduentum Domini ab Hebraicis prophetis acceperunt, οὐ κατ᾽ ἐπίγνωσιν, id eſt, non agnoſcentes ea ſcilicet aliena eſſe, ſed tanquam propria dogmata partim ſibi tribuentes, partim deprauãtes, & Ariſtoteles ſophiſticen ait furem eſſe ſapientiæ. Idem Clemens Alexand. in principio libri primi: Scriptura, inquit, vocat ſophiſtas τοὺς περὶ τὰς λέξεις καὶ τὰς τέχνας περιττούς. Vnde Græci eos qui in quauis re ſunt multum curioſi, Sapientes & Sophiſtas παρωνύμως appellarunt, vt Homerus Fabrum vocat ſapientem. Hactenus explanatio in Clementis Romani locum, Si ſophiſtica & poëtica cupis, habes Prophetas, & quæ ſequuntur.

## CAP. VII. *pag. 4.*

*Audiamus quid in ſapientia dicat ſanctus ſermo.*] Perinde eſt hoc quaſi diceret, Audiamus quid ſanctus ſermo in ſapientia dicat, quæ per Salomonem ſcilicet locuta eſt, quæ eſt filius Dei, quod quidem conuenit in omnes libros Salomonis, vt intelligi poteſt ex capite octauo: ait enim de eo, quod in Prouerbiis quoque ſcriptum eſt: Vt de te maritus tuus per ſapientiam laudetur: cùm ait per Salomonem, & quæ ſequuntur. Sic in hoc loco non ex libro, qui inſcribitur Sapiẽtia, verba citantur, ſed ex libro Prouerbiorum, in quo ſapientia Dei per Salomonem loquitur. Sicut idem Clemens in epiſtola ad Iacob. quod eſt in Cant. cant. c. 8. de ſapiẽtia citauit, Dicente, inquit Sapientia, valida eſt dilectio, vt mors. Admonui de hoc, ne quis exiſtimaret Clementem quaſi memoria lapſum, vt aliis euenire interdum ſolet, citaſſe librum Sapientiæ pro libro Prouerbiorum. Quod autem ſapientia Salomonis ſapientia Dei per Salomonem locuta intelligatur, in extrema parte eiuſdem capitis octaui auctor explicauit. Qui enim dixerat, [Vt de te maritus tuus per ſapientiam laudetur] poſteà dixit, [Intellexiſtis quas laudes mulier pudica à Domino Deo ferat?] Similiter intelligatur, quod in extrema parte eiuſdem libri ſumptum eſt ex libro Prouerbiorum [Verbum, quod in ſapientia ſcriptum eſt] in ſapiẽtia ſcilicet Salomonis, id eſt, Dei: Dei enim ſapientia eſt, quicquid Salomon per ſapientiam Dei ſcripſit. Non eſt diſſimile quod beatus Cyprianus Prouerbia Salomonis citat ſub nomine & titulo Sapientiæ Salomonis libro 3. ad Quirinum cap. 6. In ſapientia, inquit, Salomonis; In locis impiorum gemunt iuſti: in illorum autem perditionem abundabunt iuſti] quod perinde eſt quaſi diceretur, apud ſapientem Salomonem.

# IN LIBRVM SECVNDVM DE EPISCOPIS, PRESBYTERIS, ET DIACONIS.

## CAP. I. *Pag. 6.*

SIT *ætate inclinante ſiue delabente.*] Græcè eſt καθήκων τῇ ἡλικίᾳ, quaſi κάτω ἥκων κατὰ τὴν ἡλικίαν. qui enim annos quinquaginta, quos apoſtolica doctrina in epiſcopo, ſi fieri poteſt, requirit, natus eſt, iam delabitur ætate, ſiue iam eſt ætate delabēte, quaſi aſcēdamus, dum ad mediā ætatem tēdimus, quæ media ætas vſq; ad quinquageſimū annū, ætas conſtans eſt: vnde delabi ad extremā ætatē, eſt καθήκειν τῇ ἡλικίᾳ. Ex quo intelligimus eū eſſe & dici prouectū ætate, qualē oportet eſſe Epiſcopum, qui attigit annum quinquageſimum. Sic enim appellat ſtatim προβεβηκότα τῷ χρόνῳ. hinc rurſus intelligimus τὴν νεότητα, id eſt, adoleſcentiam Timothei epiſcopi Paulum vocaſſe, quòd non eſſet ætate prouectus, vt proceſſu ætatis euaſiſſet iuueniles motus, & adoleſcentium petulantias, licet ratione & moderatione vitæ eas euaſiſſet. Hinc eſt quod aiebant Iudæi Chriſto: Quinquaginta annos nondum habes, &c. quod perinde eſt quaſi dicerent, nondum ætate proceſſiſti, ſiue nondum ætate prouectus es, &c. De ætate verò Epiſcopi ſynodus Neocæſarienſis iubet canone XI. vt fiat presbyter non minor natu quàm triginta annorum, quia Chriſtus, inquit, trigeſimo anno baptizatus eſt, & cœpit docere. Hunc canonem tribuit ſynodo Nicænæ Hippolytus Thebanus in fragmento quodam, quod reperi, Chronicorum, quæ ſcripſit. Cùm enim ſcribit de ætate Chriſti, qua baptizatus cœpit prædicare, ſubiungit idcirco in concilio Niceno decretum fuiſſe, ne quis ante triginta annos fieret Sacerdos; debet enim diſcipulus incipere quando eius dominus. Hactenus Hippolytus. Fortaſſis hunc canonem ſynodo Nicenæ tribuere maluit, quàm Neocæſarienſi, quæ canone XI. hoc ipſum ſanxit, & quæ Nicænam anteceſſit, quod magna ſynodus, id eſt, Nicæna, illam Neocæſarienſem confirmauit, vt etiam ſynodus Florentina act. 7. teſtatur. Sed dicet aliquis, Si hæc eſt apoſtolica conſtitutio de ætate epiſcopi, quomodo non eſt in eccleſiaſtica & canonica conſuetudine, quæ ex apoſtolica traditione profecta ſit, vt ea ætas nunc requiratur, id eſt, quinquaginta annorum? Reſpondemus, non eſſe hanc conſtitutionem dogmaticam, vt eius traditio perpetua ac neceſſaria ſit, ſed eſſe cōſtitutionem decentis ætatis, quæ ad honorandum magis epiſcopum, & ad caſtimoniam vitæ multum momenti adferat, ſi facilè & commodè fieri poſſit, vt ea ætate aliquis reperiatur, modò cætera omnia conueniant, & nihil præterea obſtet, &c.

## CAP. III. *Pag. 7.*

*Excutiatur, ſi in vſu vitæ à vitio vacat: Scriptum eſt enim, Inſpicite an ſit macula & vitium corporis in eo qui eligitur ad Sacerdotium. Ergo ſit etiam non iracundus: & quæ ſequuntur.*] Interpretatur apoſtolica doctrina allegoricè, quid ſignificaret quod lex iubebat in Leuit. cap. 21. vt careret omni macula & vitio corporis, qui eligeretur ad Sacerdotium; ſcilicet ſignificabat ſacerdotes nouæ legis, quorum illi veteres erant vmbra, debere in iis quæ ad vitam pertinent, iis item vitiis carere quæ ſunt communia corporis & animæ, id eſt, quæ anima non operatur ſine corpore, vt eſt iraſci, & non commoueri miſericordia, & alia huiuſmodi. Itaque hominem iratum ſignificabat in ænigmate cæcus; iracundia enim excæcat, & veluti oculum prudentiæ eruit. Deinde, quia ſicut ait Salomon in Prouerb. ira non facit miſericordiam, idcirco poſtquam præcepit non eſſe iracundum, addidit, vt eſſet miſericors. Præterea ad miſericordiam quoque pertinebat debere non eſſe claudum, neque trunca manu, & aure, quod ſignificabat in ænigmate, debere eſſe omnibus modis præſto ad opitulandum egenti: hic enim eſt non claudus, immo pes claudo, ſicut de ſe Iob aiebat; & præſto ad audiendum pauperem, hic eſt non ſine aure; & promptus ad largiendum, hic eſt non mutila manu. Cùm autem ad illud, ſine fracto pede & manu cum reliquis eiuſmodi, quæ omne genus ſubueniendi & opitulandi egentibus ſignificāt, addat lex illud, non lippis oculis, & non ſine palpebris, quæ quidem oculos cuſtodiunt; profectò ad eum ſecundum ſpiritum retulit conſtitutio apoſtolica, qui rectè videt cui potius ſit opitulandum & largiēdum, vt prudenter largiatur, ſicut hoc loco præcipit, cùm ait, non ignoret quiſnam dignior ſit ſubleuatione. Iubet etiam vt nihil habeat epiſcopus in quo erubeſcat, quod in ænigmate ſignificabat, vt nos apoſtolica doctrina admonuit, non habere ſcabiem & impetiginem in corpore. Illud verò, non hernioſus, ſiue vt eſt apud 70. vnius teſticuli, ſignificat omnia quæ dixit pertinere ad beneficentiam; qua qui caret, velut ſterilis eſt.

## CAP. V. *Pag. 8.*

*vt Scripturas accuratè interpretetur; Euangeliū, vt Prophetis & Legi conſonet; Legem & Prophetas, vt Euangelio.*] & paulò pòſt: *Habe igitur curam verbi, Epiſcope, vt poſſis omnia ſecundum verbum interpretari.*] Hæc igitur apoſtolica conſtitutio ac doctrina quæ à ſanctis Apoſtolis Eccleſiæ catholicæ tradita eſt, & ab antiquis patribus & Eccleſiæ doctoribus in interpretandis ſcripturis ſemper ſeruata redarguit nuper exortum, vel potius iam olim extinctum, & non ita diu reuocatum genus interpretandi veterem ſcripturam κατὰ λέξιν quidem, vt illi putant, id eſt, ſecundum litterā, vt nunc loquimur, ſed non vt conſonet Euangelio; ac proinde non ſecundùm litteram interpre-

tantur.



tantur. Littera enim veteris ſcripturæ non eſt ducenda littera ſcripturæ diuinæ, ſi neque ea conſonat Euangelio; nec Euangelium ei. Lex enim, ſicut Apoſtolus ait, ſpiritualis eſt. Sed quia adhuc ſuperſtites eſſe dicuntur qui hoc ſtudium interpretandi excitarunt, & in eos in Hiſpania inquiri audio, operæpretium eſt cognoſcere quis olim primus auctor huius generis interpretandi fuerit, & qua ſpecie deceptus, & quo illud tempore, & quo Pontifice primùm Eccleſia damnauerit. Hæc enim cognoſcere tum iis qui adhuc in iudicio ſunt, tum iis qui eorum iudicio præſunt, prodeſſe poterit; illis quidem vt eo magis ſe aberraſſe agnoſcant, quòd alios prius in eodē errore antiquis temporibus fuiſſe ab Eccleſia videant iudicatum; his verò vt facilius & maturius cauſſam & iudicium expediant; & vt intelligamus non eſſe interpretandas prophetias de Chriſto κατὰ ἔκβασιν, ſed κατὰ λέξιν, id eſt, vnumquodque dictum prout dictum fuit, non autem prout euenit; vt Theodorus Mopſueſtiæ faciebat primus huiuſmodi interpretationis inuentor. Recitabo igitur quoſdam locos propheticos ab eo in commentariis minorum Prophetarum & Pſalmorum ſpecioſè quidem, ſed falsò expoſitos. Vnde fiet manifeſtum quid ſit rectè interpretari κατὰ λέξιν ſecundùm apoſtolicam doctrinam; & quid non. Incipiam à Ioële: Et erit, inquit, in nouiſſimis diebus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ; & filij veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt. & paulò pòſt: Et dabo prodigia in cælo ſurſum, & in terra deorſum, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi; Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifeſtus. Hæc Theodorus Mopſueſtiæ, ſiue Antiochenus, interpretatur ſecundum hiſtoriam de rebus feliciter geſtis à populo Iſraëlitico ſtatim poſt liberationem ex captiuitate Babylonica; cùm, vt ait idem Theodorus, Scythas eorúmque imperatorem Og diuino auxilio freti vicerunt Iſraëlitæ: Effundam ergo, inquit, de Spiritu meo, id eſt, proſpiciam illis abundè. Præterea etiam admiratione digna edam in cælo & in terra, cædem hoſtium eorumq́ue ſupplicium; & vaporem fumi, iram diuinam oſtendentem. Vertetur autem Sol in tenebras, & Luna in ſanguinem, ſecundum exiſtimationem quam habebunt ob magnitudinem malorum. Hæc autem euenient ante illum diem quo Deus hoſtes ipſos pœnis grauiſſimis afficiet, & omnibus ſæculis notiſſimis. ex quibus malis omnibus, qui nomine meo vocabuntur, liberationem conſequentur, qui ipſi in montem Sion & in Hieruſalem aſcendent; ſiquidem hæc promiſit Deus iis omnibus qui reuocandi & reducendi ſunt. deinde ſubiungit, atque hæc quidem eſt horum verborum ſententia πρόχειρος, id eſt, quæ in promptu eſt, ſenſum dicit ſecundum litteram. deinde ſubiungit: Petrus verò diſſerens cum Iudæis in aduentu Spiritus ſancti, his vſus eſt meritò; ſiquidem Lex vmbram habebat futurorum bonorum; & populo illi tam accuratè proſpiciebat Deus propter expectationem eorum quæ in Chriſti aduentu extiterunt. Erant itaque quæ ad illos pertinebant parua omnia, & tanquam in vmbra facta, vt iam magnificentiora atque grandiora eſſent verba, quàm res ipſæ ſubiectæ; veritas verò rerum ipſarum dictis ipſis par & æqualis in Chriſti aduentu habuit exitum, perductáque eſt ad effectum; tunc enim omnia magna, & noua, & verè admirabilia fuerunt; & quæ maximè illa quidem quæ in lege geſta fuerunt, ſuperarunt. vt iam illa vetera vice ænigmatis, hæc verò in Chriſto veritas ipſa fuerint. Sic Dauid dixit de populo, Non eſt derelicta anima eius in inferno; neque caro eius vidit corruptionē: quod quidem reipſa completum in populo intelligi non poteſt, ſed dicit metaphoricè hyperbolicè ſcilicet liberatum fuiſſe populum à periculo & interitu; res verò, & veritas eorum quæ dicta ſunt, in ipſo Chriſto extitit & demonſtrata eſt, quando nec anima eius in inferno remanſit, vtpote reuerſa ad corpus per reſurrectionem; neque corpus interitū vllum ſuſtinuit; immo non ſolùm non māſit vt erat cùm eſt affectus morte; ſed immortalis factus eſt, & ab omni interitu alienus: vt iam illud in populo ænigma & vmbra fuerit, hoc verò in Chriſto veritas ipſa. Ad eundem modum vſus eſt his eiſdem verbis Petrus in Actis Apoſtolorum in aduentu Spiritus ſancti, tanquam dicta eſſent antea ratione quadam metaphoricè, id eſt, tranſlatè; nunc autem ad exitum ipſius rei & ad veritatem ipſam perducta ſint; vt maior nunc fides præſentibus adhiberi debeat, quàm illis ſuperioribus admiratio tūc adhibita fuerit. cùm multa ſint huiuſmodi in ſacris libris, hoc eſt, de illorum numero in quo Deus diſſerens cum Iudæis per Prophetam, & colloquens vt ſolebat, promittebat ſe illis abundè & largè prouiſurum, ſicut expoſitum eſt, quæ omnia vera, vt dixi, extiterunt in Chriſto; quoniam Sol verè obſcuratus eſt & Luna cum eo, & multa tum in cælo tū in terra facta ſunt prodigia; & ſanguis ſalutaris Chriſti Domini noſtri effuſus eſt; & ignis ſpecies oſtenſa, quæ aduenientis Spiritus vim & energiam præ ſe ferebat. quem ignem anteceſſit vapor fumi, ad ſignificandum ſupplicium eorum qui auſi fuerant Chriſtum agere in crucem. Tunc omnes facti ſunt participes gratiæ Spiritus ſancti communicatis multis variiſque chariſmatibus. alij enim prophetabant; alij miracula faciebant plurima ad faciendam fidem iis quæ audierant, & ad congruendos eos qui aliter de Chriſto ſentiebant. vt iam quæ per Prophetam dicta fuerint tranſlatè, & ſuperlatè ſiue hyperbolicè, nunc adeò ſint in rem ipſam & exitum collata atque perducta, vt verba ſint infra res ipſas. Horum ergo & aliorum huiuſmodi verborum, quæcunque de aliis rebus à Prophetis dicta, & ad œconomiam, id eſt, ad aduētum Chriſti Apo-

ſtoli

ſtoli tranſtulerunt & accommodarunt, hæc cauſſa & ratio meritò exiſtimari poteſt; ne hiſtoria rerum illarum ficta eſſe videatur, & vt rerum præſentium magnitudo ex comparatione illarum magis appareat; ſimúlque oſtendatur illorum cum his noſtris affinitas; abeſſe tamen illa ab his tantum, quantum vmbra à corpore, quamuis ſimilis eſſe videatur. Hactenus Theodorus ad verbum à me tranſlatus. Specioſa quidem ſunt hæc, quæ primo aſpectu, probabilitate quadam nonnullis ſuaderi poſſe facilè videantur; ſed fallunt tamen. Petrus enim interpretans prophetiam Ioëlis eodem Spiritu quo eam Propheta ſcripſit, non affirmat dicta eſſe hæc de Iudæis illis in ænigmate, ſiue in vmbra & hyperbolicè, vt Theodorus iſte ait, ſed dicta eſſe ſecundùm hiſtoriam de iis quæ tunc fiebant, & iis quæ paulo antè in paſſione facta fuerant. Non enim dixit, Hoc eſt quod adumbratum aut figuratum fuit per Prophetā; ſed, Hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam: vt intelligamus ſecundum litteram accipiendam eſſe prophetiam, de quo Petrus eam interpretatur. Itaque Spiritus ſanctus non tunc primùm per Petrum prophetiam Ioëlis tranſtulit & accommodauit ad rem Chriſti, vt Theodorus vult, ſed ipſe Propheta de ea κατὰ λέξιν, id eſt, ſecundum hiſtoriam prophetauit, intuens eam in ſpiritu. Similiter interpretatus eſt idem Petrus ſecundum hiſtoriam rei in Euangelio geſtæ dictum eſſe de reſurrectione Chriſti, & non de populo illud, Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Si igitur, vt Apoſtolica conſtitutio præcipit, ſic oportet Legē & Prophetas interpretari ſecundū litteram ſiue hiſtoriā, vt Euangelio conſonent, conſequens eſt, non licere ſic interpretari Legem & Prophetas, vt non ſecundū litterā Euangelio cōſonent; tunc autem conſonant, quando res Euangelij in ipſo Propheta vel Lege ſecundum litteram continetur. Alius locus eſt Actuum xv. ex propheta Amos. Reſpondit Iacobus dicens: Viri fratres audite me, Simon narrauit quemadmodum primum Deus viſitauit ſumere ex gentibus populum nomini ſuo, & huic concordant verba Prophetarum, ſicut ſcriptum eſt: Poſt hæc reuertar, & reædificabo tabernaculum Dauid quod decidit, & diruta eius reædificabo; & erigam illud, vt requirant cæteri hominum Dominum, & omnes gentes ſuper quas inuocatum eſt nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. Hanc prophetiam interpretans idem Theodorus, Hoc loco, inquit, reditum Babylone prædicit, quando Zorobabelem ex ſtirpe Dauid Regem habuere. Deinde ſubiungit: Iacobus verò in actis Apoſtolorum hunc locum ad Dominum Chriſtum tranſtulit, in quo res eſt ad exitum verum perducta, quia ſcilicet regnum Dauid quod ceciderat, perfectam ſtabilitatem accepit; tunc, inquam, firmitatem cepit regnum ex ſucceſſione Dauid ſimilem diebus ſæculi, quod in perpetuitate quadam continuationis conſiſtit. Præterea, illud cognoſci Deum à reliquis hominum, & ab omnibus gentibus tunc reipſa verum extitit. Vt iam verba quidem dicta fuerint à Propheta, qui hactenus euentura in reditu ex Babylone prædicebat; ipſorum autem dictorum veritas firmiſſima, & nullo modo mutabilis in Chriſto apparuerit. vnde meritò Iacobus hoc teſtimonio vſus fuerit. Hactenus Theodorus. Hanc quoque prophetiam malè ſuo more interpretatus eſt, quaſi non eſſet dicta ſecundum litteram de Chriſto, ſed per tranſlationem quandam ab hiſtoria reditus populi Iſraëlitici ex captiuitate, & inſtaurationis regni terreni Dauid à beato Iacobo ad Chriſtum, & eius regnum ſpirituale in terris accommodata; cùm apertè dixerit beatus Iacobus. Et huic concordāt verba Prophetarum, ſignificans ſecundum verba, &, vt loqui ſolemus, ſecundum litteram, & non ſecundum vmbram ſiue figuram, aut ſimilitudinem de Chriſto prophetatum eſſe. Non enim dixit, Et huic concordant quæ dicta ſunt de Iudæis in ænigmate, ſiue in vmbra & figura futurorum atque hyperbolicè, ſed huic concordant verba Prophetarum. Hinc beatus Hieronymus in com. Amos, affirmat non licere aliter hunc locum interpretari, quàm interpretatus eſt beatus Iacobus. Theodoretus quoque contendit, nullo modo de Zorobabele poſt reditum Babylone accipi poſſe; quia ſcilicet neceſſe eſt interpretari hanc prophetiam κατὰ λέξιν, id eſt ſecundum verba, & vt conſonet Euangelio, ſicut beatus Iacobus nos docuit. Ad eundem modum interpretabatur iſte promiſſionem factam Abrahæ de benedictione omnium gentium in ſemine eius; & factam Dauid de perpetrando regno in ſtirpe eius. Hæc, inquit ille, primo aſpectu & ſpecie quadam populum illum, in quo hæc futura erant, declarabant, re autem & veritate exitum habuerunt in Chriſto, & Chriſti rebus, in quo verè eſt gentibus benedictum, & cuius factum eſt perpetuum regnum, & ab omni mutatione liberum. Sic ille. At Apoſtolus interpretans benedictionem Abrahæ factam in epiſt. ad Galatas, Abrahæ, inquit, dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius: non dicit, Et ſeminibus, quaſi in multis; ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Ergo vt prophetia illa de benedictione omnium gentium in ſemine Abrahæ conſonet Euangelio, & vt eam interpretemur κατὰ λέξιν, id eſt, ſecundum litteram, non de populo, qui erat ſemina, interpretari oportet, ſed de Chriſto vno & ſolo, qui erat ſemen Abrahæ. Similiter quod Dominus promiſit Dauid inquiens 2. Reg. 7. Suſcitabo ſemen tuum poſt te quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius; ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum eius vſque in ſempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium; interpretatur idem Apoſtolus in epiſt. ad Hebr. dictum eſſe de Chriſto, quare prophetia illa de regno Dauid ſtabiliendo vſq; in ſempiternum, non conſonabit Euangelio, vt neceſſe eſt conſonare, ſi primo aſpectu, vt vult





Theodorus iſte, de alio primùm, & non de Chriſto interpretemur; quod eſt ex theologia demōſtratiua, vt Dionyſius vocat; quæ, vt idem ait in epiſt. ad Titum, fidem facit, & veritatem aſtringit, facere theologiam ſymbolicam, quæ hanc vim non habet, vt idem Dionyſius affirmat. Iſta ergo quæ hactenus dixi contra Theodorum, interpretanda eſſe primùm de Chriſto ſecundùm hiſtoriam, ſimilia fecit Theodorus illis, quæ Paulus ait in figura contigiſſe illis, quæque erant vmbræ futurorum; quæ ſic erant rebus ipſis futuris inferiora, vt vmbra corpore, imago veritate, corpus ſpiritu. Vt Ionas figura fuit Chriſti ſecundum Euangelium. Sicut enim, inquit, fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; & ſerpens ille æneus figura item Chriſti ſecundum Euangelium; & ſicut Moyſes, inquit, exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. præterea, ſemel ingredi ſolum Pontificem in ſecundum tabernaculum non ſine ſanguine, & munera, & hoſtiæ Legis, & de cibis & potibus, & variis baptiſmatibus, & iuſtitiis carnis, & de ſanguine hircorum ac vitulorum, & de cinere vitulæ aſperſis ad emundationem carnis, item tranſitus maris rubri, Moyſes, nubes, potus aquæ ex petra, & petra ipſa. item de proſtratis illis in deſerto, quæ Apoſtolus ait in figura noſtri contigiſſe illis: Hæc, inquam, quæ Euangelium & Apoſtolus teſtantur, figuras fuiſſe rerum futurarum; de ipſis illis rebus quæ vmbræ & figuræ erant, ſecundùm litteram accipienda & interpretanda ſunt; ſecundum verò ſpiritum de illis futuris, quorum vmbræ & figuræ erant. Quare nimium à via rectè interpretandi ſcripturam aberraret, qui ea quæ ſecundum verba, ſiue ſecūdum litteram de figuris & vmbris dicta ſunt, de ipſis rebus adumbratis ſecundum litteram interpretaretur. vt quæ de duobus filiis Abrahæ, altero ex libera, altero ex ancilla natis ſcripta ſunt, qui ſecundum litteram de duobus teſtamentis figuratis interpretaretur, & non de illis ipſis quæ in figura contigerunt; ſanè quidem iſte Paulo Apoſtolo contradiceret, qui non ſecundum hiſtoriam, ſed per allegoriam in epiſt. ad Galatas de duobus teſtamentis accipienda eſſe docuit. Pari igitur errore labitur, qui quæ ſcriptura noui Teſtamenti teſtatur dicta eſſe ſecundùm litteram de Chriſto, non de Chriſto primùm, ſed primo aſpectu de alio tanquam in figura interpretatur, vt iſte Theodorus facit in iſtis locis propheticis, quos hactenus in eius commentariis obſeruauimus, & qui deinceps obſeruabuntur. vt in Michæa propheta, quod ſecundum euangelium Matthæi de Chriſto ſecundum hiſtoriam ortus eius in Bethlehem Iudæ ſcriptum eſt à propheta, de Zorobabele cum Iudæis huius ætatis interpretatur Theodorus: Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es, &c. Rex, inquit, veſter ex Bethlehem, quamuis pauci eſſe videamini cum hoſtibus comparati, tamen meo fauore & auxilio fretus, maximè quidem ſufficiet tanto bello gerendo, & tantæ multitudini ac robori hoſtiū ſuperando, quandoquidem iam olim huius regis electio conſtituta & decreta eſt ex eo tempore, quo Deus promiſit Dauid ſeruaturum ſe regnum ſtirpi eius. Ab illa ergo promiſſione profectus hic rex ſufficiet tantis ærumnis ferendis, ſignificat autem Zorobabelem, is enim erat futurus rex Iſraëlitarum ex genere Dauid ortus, quo tempore eſſet futurus reditus ex captiuitate Babylonica, & venturus exercitus Scythicus contra Hieruſalem. deinde ſubiungit: Illud tamen conſtat, quòd quamuis hæc in Zorobabelem quadrent, & de eo dicta ſint tanquam ex ſtirpe Dauid orto, tamen ipſorum dictorum ſumma & vltima veritas ad exitum atque effectum plenum perducta eſt in Chriſto Domino noſtro; ſiquidem omnis promiſſio facta Dauid de regno generi eius ſeruando κατὰ πρῶτον λόγον, pro quo aliàs dicere ſolet τῷ δοκεῖν, id eſt, primo ſermone, & primo aſpectu in reges ex genere Dauid ortos, cōuenit; re autem & veritate Dominum noſtrum Chriſtum declarat, qui & ipſe ex ſtirpe Dauid, quatenus homo erat, profectus, regnum habet omniū & verum & ſtabile, quod mutari non poteſt, quod ipſum ex octuageſimo octauo Pſalmo ita eſſe perſpici poteſt, vbi ſignificat promiſſiones regni competere profecturis ex genere Dauid ſecundum ſucceſſionem, de quibus ait, Si reliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint, & iuſtificationes meas profanauerint, & præcepta mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus iniquitates eorum; miſericordiam autem meam nō diſpergam ab eis. Deinde ſubiungit Theodorus: Perſpicuum eſt autem congruere hæc poſteris Dauid, eiſdémque regibus futuris Iſraël, quos promittit ſuppliciis quidem ſe affecturum, ſi peccauerint, non tamen omnino regno ſpoliaturum. Progrediens autem declarat Chriſtum, in quo omnium promiſſionum veram ἔκβασιν, id eſt, verum exitum, ſiue verum euentū oſtendit Deus; ſequitur enim, Ponam in ſæculum ſæculi ſemen eius; & thronum eius vt dies ſæculi, & ſemen eius in ſæculum manebit; & thronus eius tanquam Sol coram me, & tanquam Luna perfecta in ſæculum. Quæ verba, inquit, manifeſtum eſt in nullo quidem alio ex ſucceſſoribus Dauid habitura eſſe locum; apertè verò Chriſti regnum perpetuum & ſtabile declarare cum omni potentia & ſplendore in omne reliquum tempus duraturum. Deinde ſubiungit: Sic hoc præſens Michææ teſtimonium perſpici poteſt conuenire quidem re ipſa & veritate, quæ refelli non poſſit, in Chriſtum ſecundum auctoritatem ipſius Euangelij; dictúmque eſſe etiam de regibus Iſraël ex genere Dauid ortis ſecundum promiſſionem diuinam. Vnde nunc Propheta de Zorobabele accepit. Quia enim de bello Scythico atque exercitu Gog, déque pœnis inflictis illi à Deo poſt reditum Babylone meminerat, conuenienter meminit eius; qui ſecūdum promiſſionem diuinam

ex ſucceſſoribus Dauid regnum tunc tenebat, & moderabatur, vt oſtenderet quæ is ipſe præclarè contra exercitum fecit, facere illa quidem potuiſſe propter promiſſionem factam Dauid. vnde dixit, Egreſſus eius à principio ex diebus ſæculi: quod perinde eſt atque diceret, quæ iam olim à principio dicta promiſſaque ſunt, illa hunc Zorobabelem ad capeſſendum regnum adduxerūt, fecerúntque vt talia atque tanta facere poſſet, &c. Hæc Theodorus; quæ ideo non pœnitet ad verbum à me conuerſa recitare omnia, quòd ita ſint ad decipiendum apta, vt niſi quis aduertat probè, non ſit mirum ſi in errorem eundem adducatur. Non enim licet dicere eſſe quidem hanc prophetiam dictam de alio κατὰ λέξιν, habuiſſe verò plenum exitum rei, & euentum perfectæ & abſolutæ veritatis in Chriſto: ſed neceſſe eſt dicere, vidiſſe Prophetam in ſpiritu Chriſtum, dum dixit, Ecce rex tuus, vt Apoſtolica doctrina teſtatur lib. 5. Clem. c. 19. & non eſſe dictam de vllo alio, quia habemus teſtimonium Euangelij dictam eſſe ſecundum hiſtoriam de Chriſto. quare euangelio conſonare non poteſt prophetia iſta, ſi eam κατὰ πρῶτον λόγον, vt iſte ait, de alio quàm de Chriſto accipiamus. Sed excutiamus teſtimonium euangelij: Cùm natus, inquit, eſſet Ieſus in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis. & paulo pòſt, Et congregans omnes principes Sacerdotum, & Scribas populi, ſciſcitabatur ab eis vbi Chriſtus naſceretur. at illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ; ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam, &c. Quæro quam fidem faceret teſtimonium Micheæ prophetæ de Chriſto in Bethlehem Iudæ nato, ſi de alio ſecundum verba dicta eſſet prophetia, & de Chriſto non ſecundum verba, ſed ſecundum euentum & exitum rei? quis vnquam ſic producit teſtem, vt in re ad quam probandam producitur, non ſit ei credēdum ex ipſo dicto, ſed ex euentu & exitu rei? aut quis teſtis erit fide dignus, ſi rogatus de vno, de altero reſpondeat? talem facit Micheam Theodorus iſte, ſi fingamus Herodem non principes Sacerdotum & Scribas populi interrogaſſe vbi Chriſtus naſceretur, ſed Prophetas ipſos. reſpondiſſet autem vnus ex eis Michæas ſecundum hiſtoriam non de Chriſto, de quo Herodes interrogabat, ſed de Zorobabele, quo nihil delirius. At cùm propheta Aggæus de Zorobabele tanquā typo Chriſti prophetat, Zorobabelem vocat nominatim, Et aſſumam, inquit, te Zorobabel fili Salathiel ſerue meus, dicit Dominus; & ponam te quaſi ſignaculum; quia te elegi, dicit Dominus exercituum. In quo loco Cyrillus, Magis, inquit, conuenit hic ſermo Chriſto in typo Zorobabelis expreſſo ex tribu Iuda, duci redemptorum ex captiuitate, præſidi ædificantium domum Domini, formam ſerui induto, ſigillo Patris, in cuius propria pulchritudine natura genitoris reſplendet; in quo & nos ſignat Deus in ſimilitudinem ſuam; ſiquidem in Chriſtum formati imaginem Dei acquirimus. Hactenus Cyrillus in commentariis Prophetæ huius. Eodem modo interpretatus eſt prophetiam Malachiæ, qui eſt vltimus Prophetarum minorum, cùm ait: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, &c. Quandoquidem, inquit Theodorus, hæc dicitis, & à me requiritis iuſtitiæ curam, & ſtudium in ſuppliciis irrogandis, mittam quidem angelum meæ voluntatis miniſtrum. illud enim, Præparabit viam tuam ante faciem meam, perinde eſt vt ſi diceret, Studium adhibebit tanquam quidā præcurſor, vt efficiantur quæ mihi viſa ſunt: adero autem derepente in eo ſcilicet oſtendens me ipſum factis ipſis in templo; quoniam in omnibus effectis ex ipſius Dei præſcripto & mandato effectio quidem Dei intelligitur, miniſtratio verò angelorum per quos iubet illa effici. Sic manna cibus dicitur Angelorum tanquam miniſtrorum. Et paulò pòſt: Quod verò, inquit, dicta quoque ſint hæc de aduentu Ioannis Baptiſtæ, non eſt mirandum; ſiquidem tunc ipſa rei veritas extitit, cùm Ioannes adfuit præcurſor, & adminiſter eorum quæ antea definita decretáque fuerant; & ſimul adfuit is, cui teſtimonium Ioannes perhibebat, Dominus Ieſus. Hactenus Theodorus, qui prophetiam Malachiæ more ſuo auſus eſt interpretari contra auctoritatem Chriſti, qui in euangelio Matthæi tribuēs teſtimonium Ioanni, Sed quid, inquit, exiſtis videre? prophetam? etiam dico vobis, & plus quàm prophetam. hic eſt enim de quo ſcriptum eſt, Ecce ego mitto angelum meum, &c. Angelum dicit Ioannem Baptiſtam, non ſolùm propter officium præcurſoris, ſed propter ſingularem vitæ abſtinentiam, de quo Dominus dixit, Venit Ioannes neque manducans neque bibens. hæc eſt huius prophetię interpretatio κατὰ λέξιν, & cum Euangelio conſonans. illa verò Theodori non eſt κατὰ λέξιν, id eſt, ſecundum verbum, quia verbum angeli non eſt interpretatus; vt dictum eſt; ſiquidem non eſt dictū hic propriè pro perſona naturæ ſpiritualis, ſed tranſlatè pro homine vitæ angelicæ Ioanne conuenienter euangelio. Vt iam interpretari omnia κατὰ λέξιν; quod Apoſt. conſtitutio præcipit, ſit vnumquodque dictum ſecundum dictionem, prout dictum eſt, interpretari, & vt ſcriptura vetus conſonet cum noua, & noua cum vetere. Si dictum eſt verbum propriè, interpretari propriè; ſi dictum metaphoricè, interpretari metaphoricè; quæ verò per allegoriam dicta ſunt, hæc non κατὰ λέξιν, ſed ſecundum ſpiritum interpretamur. Simili errore interpretatur Theodorus iſte illam Zachariæ prophetiam: Ecce rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis, quam euangeliſta Matthæus de Chriſto dictam eſſe teſtatur, cùm ſic, vt ipſe narrat, & Propheta prædixit, in ſanctam ciuitatem in die Palmarum ingreſſus eſt. Theodorus verò de Zorobabele ex captiuitate Babylonica redeunte; & ſubiungit poſt interpretationem: Ego verò miror eos qui ad ſententias ineptas ſe vertunt, ita vt partim ea de Zorobabele,





partim de Chriſto accipiant; ac rurſus ad Zorobabelem redeant, deinde ad Chriſtum, quod nihil aliud eſt quàm prophetiā Chriſto & Zorobabeli diuidere, quod eſt ſummæ ſtultitiæ. Vera autem ſententia illa eſt quam ſuprà memini dixiſſe, nempe quòd lex vmbram quandam continebat eorum omnium quæ ad Chriſtum pertinebant. Multa igitur eorum quæ admirabiliter, & præter omnium opinionem ſiue in populo, ſiue in viris ad res aliquas gerendas electis facta ſunt, ſcriptura narrat hyperbolicè verbis ipſis primo aſpectu veritate carentibus in ipſis illis rebus, in quibus exponendis poſita ſunt; at tunc deprehenduntur eſſe vera, cùm comparantur cum ipſo Chriſto, ad eúmque referuntur; qui cùm in omnibus vmbram legis ceſſare fecerit, veritatémque introduxerit, meritò huiuſmodi etiam verborum veritatem declarauit. Hactenus Theodorus. Hoc loco patefecit vnde duxerit errorem iſtum ſic interpretandi prophetias de Chriſto dictas, quia exiſtimabat abſurdum eſſe non continuari hiſtorias, dum rationes, vtilitates, & occaſiones variandi prophetias non conſiderabat, quas Eccleſiaſtici interpretes conſiderare & obſeruare ſolēt, vt cum Malach. c. 3. quia dicebant illi, Vbi eſt Deus iuſtitiæ? hac occaſione, inquit Cyrill. aduentum eius qui factus eſt noſtra iuſtitia, prædicit Propheta, inquiens: Ecce ego mitto angelum meum, & quæ ſequuntur. Ad eundem modum interpretabatur Theodorus iſte Pſalm. 21. Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Sic enim ait, Pſalmus ex perſona Dauid dictus, quando perſequebatur eum Abſalon, cùm permiſit Deus vt in eiuſmodi tentationem incideret propter peccatum Berſabe. Similitudine verò rerum maximè habuit exitum in paſſione Chriſti: vnde factum eſt, vt nonnulli exiſtimarent dictum eſſe Pſalmum ex perſona Chriſti. Verùm particulares ſimilitudines non totum argumentum Pſalmi euertunt; fieri enim poteſt vt & hiſtoria ſeruetur, & ſimilitudo contingat; nec alterum altero tollitur. Et paulò pòſt, explicans illum verſum, Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluet eum, quoniam vult eum: Hæc, inquit, verba conuenerūt Domino; &, vt dixi, nihil prohibet & argumentum Pſalmi ſeruari, & ſimilitudines magis propriè exitum habuiſſe in Domino. Similis error eſt commentariis eiuſdem Theod. Pſal. 15. Conſerua me Domine, &c. ſic enim ait, Pſalmus dictus ex perſona populi ad agendas gratias pro liberatione ab allophylis circumhabitantibus Moabitis, Ammanitis, Amalecitis, Iſmaëlitis. ac paulò pòſt interpretans illum verſum, Quoniam non derelinques animam in inferno, neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem. In actis, inquit, Apoſtolorum hæc verba beatus Petrus de Domino accepit; non tamen lædens hiſtoriam ſic accepit, ſed quia magis quadrarent in Dominum Ieſum, quàm in eos de quibus dicta erant. Siquidem euentus rerum magis propriè demonſtrabat veritatem horum verborum in Domino, quàm in iis ſcilicet Iſraëlitis qui breui quidem vixerunt, poſtea verò mortui ſunt. Nihil igitur, inquit, prohibet, & hiſtoriam ſeruari, & hæc verba de Domino accipi. Hæc eadem ſcripſit idem Theodorus in commentariis Ioëlis, vt anteà dixi, immo & in comment. Zachariæ c. 9. Sic iſte Theodorus putabat ſe ſcripturam κατὰ λέξιν, vt Apoſtolica doctrina præcepit, interpretari; ſed non ita eſt. non enim licet huiuſmodi prophetias de Chriſto, vbi Apoſtolos & Euangeliſtas habemus interpretes, ad Chriſtū ex euentu rerum ac per ſimilitudinem accommodare, ſed προηγουμένως ex propoſito Spiritus ſancti, ac ſecundum præcognitionem ſanctis Prophetis reuelatam, & per Euangelium & Apoſtolos nobis traditam & expoſitam. & qui ſic interpretatur, vt Euangelio conſonet prophetia, is κατὰ λέξιν, id eſt, ſecundum litteram ad regulam Apoſtolicæ doctrinæ & conſtitutionis interpretatur. Hoc igitur genus interpretandi prophetias de Chriſto vnum fuit ex LX. capitibus Theodori Mopſueſtiæ miſſis à catholicis Epiſcopis per Benignum epiſcopum ad Vigilium pontificem, & ab eo damnatis in ſynodo Romana, in qua ſubſcripſerunt Epiſcopi XX. extat deſcriptio & condemnatio horum capitulorum à Vigilio Pont. facta in variarum epiſtolarum veterum Pontificum codice illuſtriſſimi & reuerendiſſimi D. Antonij Aug. archiepiſcopi Tarracon. quem ille iam pridem cùm Romæ eſſet, à bibliotheca Vaticana, ſi rectè memini, deſcripſit. Itaque in 22. capite recitata Theodori Mopſueſtiæ interpretatione illius loci prophetici, Non derelinques animā meā in inferno, neque dabis ſanctū tuum videre corruptionem, ſubiungit Pont. Vigilius, in ſupradicto capite hoc videtur dici, prophetiam, quæ ex perſona Chriſti loquens ait, Non derelinques animā meam in inferno, non de ipſo Chriſto prædictam fuiſſe, ſed de populo Iſraëlitico, hoc autem verum euentum ex ipſis rebus accepiſſe in Domino, & ideò beatum Petrum ad Chriſtum hanc prophetiam per euentum aptare voluiſſe, qui hæc ita ſapit, docet, credit, prædicat, anathema ſit. Rurſus cap. 23. in ſupradicto, inquit, capite exponendo quædam verba Pſalm. 21. quibus dicitur, Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, &c. negatur Ieſu Chriſto Domino noſtro conuenire, ſed quod Dauid propter quædam mala quæ perpeſſus eſt, de ſe dixerit, Euangeliſtam ex euentu ad Chriſtum traxiſſe, quia non poterat, inquit Theodorus, Dominus Chriſtus, qui peccatum non fecit, dicere longè à ſalute mea verba delictorum meorum, & ideo, qui hæc ſapit, docet, credit, & prędicat, & non ea in quibus delictorum meminit, ad corpus ipſius, quod eſt Eccleſia, quæ in hoc mundo ſine delicto eſſe non poteſt, intelligit pertinere; illa autem de diuiſione veſtimentorum non ſpecialiter de ipſo capite, id eſt, Domino Deo noſtro Ieſu Chriſto prædicta, & in ipſo credit eſſe completa, anathema ſit. & 24. capite recitat Theodori interpretationem illorum verborū,

Foderunt manus meas, & pedes meos, &c. Omnia, inquit, perſcrutabantur, & quæ agebam, & quæ conabar. nam foderunt ex tranſlatione dixit eorum, qui perfoſſione ſcrutari ſolent quæ in profundo ſunt; dinumerauerunt omnia oſſa mea totius meæ fortitudinis, & totius meæ ſubſtantiæ detentores facti ſunt, & etiam numero mea ſubiecerunt. Iſtud autem ex conſuetudine quam hoſtes habent, dixit, qui quando obtinuerunt, numero etiam ſubtilem notitiam inuentorum faciunt. Idcirco dicens, Dinumerauerunt, & conſpexerunt me, conſequenter intulit, Diuiſerũt ſibi veſtimenta mea. Conſiderantes enim me ait, & conſpicientes quòd omnia eis euenerunt in me deſiderata conſpicere, ita vt apud nos dicitur, vidit eum, quæ volebat pati, tanquam me omnino malis dedito, ſicut hoſtes poſt meam vaſtationem & captiuitatem diuiſerunt ſorte. Et Euangeliſta quidem in Domino verba ex rebus aſſumens, eis vſus eſt, ſicut & in aliis diximus. Beatus verò Dauid hyperbolicè iſta magis ex iis quæ ab Abſalon facta ſunt, dixit. quoniam dum receſſiſſet Dauid, iure belli metropolim ingreſſus, omnes quidem obtinuit res regales; non piguit autem eum etiam patris cubile inquirere. Deinde ſubiungit Pontifex cum Synodo, in ſupraſcripto 24. capite aſſeritur verba illa non de Chriſto eſſe prædicta, ſed Dauid hæc de ſe dixiſſe propter tyrannidem Abſalonis, qui regiam vrbem ſubſtantiamq́ue peruaſerat, & in terra omnia dinumerauerat patris; ſed Euangeliſtam hæc ex euentu ad Chriſti traxiſſe perſonam. Qui igitur hæc ita ſapit, docet, credit, aut prædicat, anathema ſit. Poſtremo notans interpretationem illorum verborum, Dederunt in eſcam meam fel, hoc quoque, inquit, de Dauid dicto propter nimiam eius triſtitiam, & iracundiam aiebat vſum fuiſſe Euangeliſtam ex euentu in Domino; qui hæc ita ſapit, docet, credit, aut prædicat, anathema ſit. Hactenus de falſis ſcripturæ interpretationibus Theodori Mopſueſtiæ hæretici, & de condemnatione earum à ſynodo Romana Vigilio pōtifice decreta, quæ ad intelligendum melius & vtilius locum Apoſtolicæ doctrinæ de interpretāda ſcriptura κατὰ λέξιν non mediocriter appoſita & accommodata ſunt. De Theodoro autem Mopſueſtiæ ſic ſcripſit Leontius monachus temporibus Iuſtiniani imperatoris 18. annos natum cœpiſſe ſcribere παροινίας, καὶ παρεξηγήσεις, id eſt, deliras & prauas interpretationes in ſacram ſcripturam; Iob è numero ſacrorum librorum eieciſſe, & epiſtolam Iacobi, immò omnes Catholicas; item librum Cant. ab omnibus ſemper receptum & probatum repudiaſſe, & impudicè atq; amatoriè interpretatum eſſe; deleuiſſe præterea omnes Pſalmorum inſcriptiones, & pſalmos omnes Iudaicè de Zorobabele & Ezechia expoſuiſſe, exceptis tribus, quos ſolos de Domino interpretabatur. Scripſit etiam negaſſe duos libros Paralip. & Eſdram. eius errores enumerat idem Leontius, & eos de ſcriptis eiuſdem variis recitat, quos ego conſulto prætermiſi, ne aures lectoris inficerem. Ait præterea idem auctor ſcripta huius Theodori in linguam Chaldaicam & Armeniacam fuiſſe tranſlata. propoſitum erat mihi nihil amplius hîc addere: ſed quia legi, poſtquā hæc ſcripſeram, argumenta quædam etſi leuiſſima, quibus vſi, vel potius decepti quidam hoc tempore genus illud Mopſueſtienſis, & Iudaicæ interpretationis reuocaſſe feruntur, quia non omnium eſt ſcientia, ſicut Apoſtolus ait, non erit alienum ad præcauendum incautis, admonere hîc de obſeruatione loci epiſtolæ beati Petri, qui vel ſolus iſtorum fallacem interpretationem planè conuellit & euertit, cùm tradunt nunquam Prophetas de Chriſto ſecundum hiſtoriā prophetare, ſed aut de Zorobabele figura Chriſti, aut de Dauid, aut de alio quopiam; id eſt, nunquam informatam fuiſſe diuinitus mentem Prophetarum viſione Chriſti ad prophetandum de eo, ſed viſione figuræ Chriſti, vt Zorobabelis, aut cuiuſpiam alterius, quos beatus Petrus planè redarguit, cùm ait, De qua ſalute exquiſierunt & ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes in quod vel quale tēpus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti prænuncians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias, quibus reuelatū eſt, quia non ſibi ipſis, ſed vobis miniſtrabant ea quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos qui euangelizauerunt vobis Spiritu ſancto miſſo de cælo. Multa licet hîc obſeruare quæ litterales ſiue hiſtoricos iſtos interpretes Prophetarum de mendacio conuincunt. Primum, quod ea quæ nobis nunciata ſunt & prædicata per ſanctos Apoſtolos, hæc fuerũt reuelata ſanctis Prophetis; id eſt, hæc viderunt in ſpiritu; & eorum cognitio clara mentibus Prophetarum diuinitus informata fuit. Hæc enim eſt quæ in ſcriptura dicitur ἀποκάλυψις, id eſt, reuelatio. Secundum verò iſtos nunquam Prophetæ habuerunt reuelationem de Chriſto & myſteriis eius, in quibus ſalus noſtra conſiſtit, & beato Petro contradicunt, qui affirmat reuelationem habuiſſe, ſiquidem nunquam de eo ſecundum hiſtoriam prophetauerunt: aut ſi habuerunt reuelationem, & non prophetarunt de Chriſto ſecundum hiſtoriam, ſiue litteram, fruſtra nobis, id eſt, ad nullum vſum noſtrum talem reuelationem habuerunt. Deinde ſi nunquam ſecundum hiſtoriam de noſtra ſalute, vt ait beatus Petrus, id eſt, de Chriſto, qui eſt noſtra ſalus, prophetabant, quorſum attinebat de ea ſalute exquirere & ſcrutari? de quo enim exquirebant & ſcrutabantur, de eo ſtudium eis erat per gratiam Dei prophetare. Quis enim ſanæ mentis dicat de alio ſecundum hiſtoriam prophetaſſe, & de alio exquiſiſſe & ſcrutatos eſſe? Sit exemplum Daniel vir deſideriorum, qui poſt ieiunium trium hebdomadarum, poſt aſſiduas & vehementes preces pro liberatione populi Iſraël ex ſeruitute Babylonica adhibitas meruit doceri per angelum de vera liberatione per Chriſtum, quando, & qualis, & quomodo futura. Ego, inquit, veni vt docerem te, & intelligeres. Tu autem aduerte ſermonē,





& intellige viſionem. Quomodo diceret angelus, Aduerte ſermonem, ſi non erat prophetia iſta intelligenda ſecundum ſermonem, id eſt, ſecundum voces propriè vel trāſlatè Chriſtum, & myſteria eius ſignificantes? alioqui potius dicendum erat, Aduerte figuram, ſi voces res, quæ eſſent figuræ Chriſti, vt iſti volũt, & myſteriorum eius, & non ipſum Chriſtum, & eius myſteria ſignificaſſent. Sed videamus quæ ſequuntur. 70. inquit, hebdomadæ abbreuiatæ ſunt ſuper populū tuum, & vrbem ſanctam tuā, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & vngatur Sanctus ſanctorum, hic eſt Chriſtus, qui per Eſ. dixit, Spiritus Domini ſuper me, cuius cauſa vnxit me Dominus. & beatus Petrus, Ieſum à Nazareth quomodo vnxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute. Dicunt igitur iſti, Quomodo impletur viſio & prophetia in nouo Teſtamento, ſi res noui Teſtamenti, id eſt, Chriſtum, & quæ Chriſti ſunt, non viderunt Prophetæ, vt de eis ſecundū voces, quæ illa ſignificarent, hiſtoricè prophetarent, vel propheticè narrarent? Quomodo impleta eſt viſio & prophetia, niſi quatenus fecit & paſſus eſt Chriſtus omnia, quæ Prophetæ facturum eum & paſſurum eſſe propheticè narrarunt? Vt cùm Dominus dixit in euang. Lucæ, recitato loco Eſaiæ, Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris, apertè docuit de ſe ſecundum hiſtoriam, id eſt, ſecundum voces propriè aut tranſlatè Chriſtum, & opera eius ſignificātes prophetaſſe Eſaiam, cùm dixit, Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me; euangelizare pauperibus miſit me; ſanare contritos corde; prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum; dimittere confractos in remiſſionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis. Sed redeo ad locum Danielis, quomodo in nouo Teſtamento impleta eſt prophetia de Chriſto, ſi non impleta eſt viſio? vtrumque enim coniunctum eſt; nec alterum ab altero ſeparari poteſt. Prophetæ enim videntes dicebantur: viſio autem prophetica quomodo impleta eſt in Chriſto, ſi Chriſtum Prophetæ non viderunt, vt de eo ſecundum ſermonem ſuum prophetarent? aut quomodo poterat eis dici quod dixit angelus Danieli, Aduerte ſermonem? Poſtremo, vt finiam, niſi Eſaias de aduentu Chriſti ſecundum hiſtoriam prophetaſſet, vt cùm dixit, Inuentus ſum à non quærentibus me; palàm apparui eis qui me non interrogabant, quorſum Apoſtolus diceret, Eſaias autem audet, & dicit, Inuentus ſum, &c. quod iſtud facinus audax & periculoſum erat, ſi ſecundum hiſtoriam de alia perſona prophetabat, quæ eſſet figura Chriſti? quotus enim quiſque illud intelligeret? at in litteralem ſenſum illis vocibus partim propriis, partim tranſlatis ſubiectum omnes, qui audiebant, penetrare poterant. Vnde beatus Chryſoſtomus in homilia de vtilitate obſcuritatis prophetiarum de Chriſto: Quia, inquit, videbat Paulus aliquantum apertè noſtra bona per Chriſtum ſcilicet afferenda, & futura Iudæorum mala Eſaiam prophetaſſe, admirans periculoſam eius audaciam dixit: Eſaias autem audet, & dicit, Inuentus ſum à non quærentibus me, & quæ in cap. LXV. ſequuntur. Sed de his hactenus.

CAP. XIII. *pag. 11.*

*Pœnitentem verò caſtigando recipe, memor Domini.*] Hunc locum paulo pòſt magis declarat, cùm præcipit Apoſtolica doctrina non recipere pœnitētem, niſi indicto ieiunio plurium aut paucorum dierum proportione peccatorum ad ſatisfaciendum pro eis, quæ dici ſolet iniunctio pœnitentiæ. Huiuſmodi verò pœnitentiæ vim vis ipſius verbi, quo doctrina vſa eſt, declarat; eſt enim στύφειν, ſtringere & obthurare, quod quidem facit pœnitentia pro peccatis iniuncta, ne ſcilicet is cui impoſita eſt, diſſolutè deinceps viuat, ſed potius metu ſupplicij quaſi aſtrictus ad obedientiā mādatorum, & quaſi obthuratus, ne effluant monita & mandata; ſicut Apoſtolus ait in epiſtola ad Hebræos: Quapropter abundantius oportet obſeruare ea quæ audiuimus, ne fortè perfluamus: & ſubiungit ſtatim de ſupplicio, quod vim habet τοῦ στύφειν, id eſt, obthurandi ad non perfluendum. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus? Simili verbo ſolet vti aliâs in eadem re Apoſtolica doctrina, quod eſt στιβεῖν, id eſt, comprimere.

CAP. XIIII. *pag. 12.*

*Neque obſtent tibi qui inhumanè aiunt, non oportere talium conuictu inquinari.*] Hîc quoque admonitus ſum, futuros eſſe fortaſſe, qui ſuſpicarētur ſcripta eſſe hæc in Nouatianos inhumanos, qui pœnitentiam lapſis negabant: quod quidem ſi concedatur, conſequens eſſe aiebant vt non ſint hi libri Clementis. At non neceſſe eſt hoc ſuſpicari. Si enim Nouatus quia malè intellexit quod Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos ſcripſit, Impoſſibile eſſe eos qui ſemel illuminati ſunt, (id eſt baptizati) & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, in errorem illum ſuum inhumanum ac crudelem incidit, quid mirum ſi tempore Apoſtolorum alij etiam eodem modo perperam locum illum intelligebant & interpretabantur? Immo ante ſua tempora, id eſt, ante tempora Nouati ſcribit beatus Cyprianus lib. 4. epiſtolarum epiſt. 3. quoſdam epiſcopos Africanos idem ſenſiſſe contra mœchos, quos ad pœnitentiam non recipiebant. Sed obſeruandus eſt totus hic locus, vt de hoc quoque breuiter admoneam, ad probādum auctoritate huius doctrinæ Apoſtolicæ eſſe eccleſiam communem ex iuſtis & peccatoribus conſtantem, quodq́; hi illos non inquinent neque lædant, immo ſicut Apoſtolus præcipit viro fideli, ne vxorem infidelem dimittat

ſecum habitare volentem: Vnde enim, inquit, ſcis vir, ſi mulierem infidelem ſaluam facies? Sic eccleſia ſecundum carnem ambulantium, quandiu obedientiam eccleſiæ ſanctæ non abiicit, manet in ſocietate & coniunctione quadam eorum qui ambulant ſecundum ſpiritum, qui ſunt eccleſia ſpiritualis, vt eorum conuictu & ſocietate ſanctificentur, & lucrifiant.

CAP. XVIII. *pag. 16.*

*Alleua in remiſſione.*] Dubitarit fortaſſe qui leget hæc, quid ſit Leuare, ſiue Alleuare in remiſſione, quod ad Epiſcopos & Presbyteros pertinet, qui aliis præſunt: de vtriſque enim ait apoſtolica doctrina in hoc eodem libro: [& vos paſtores cum diaconis] nomine paſtorum epiſcopos & presbyteros complexus. Alleuare igitur in remiſſione, eſt, leuare alios onere peccatorum, remittendo eis; quod quidem ad eos, quos dixi, ſpectat: eſt, inquam, remittere peccata ſecundum legem Domini de poteſtate remittendi peccata illis tributa, ſicut ſcriptum eſt: Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis; & quæ ſequuntur. Qui autem ſic exonerantur, leues ſiunt, qui dicuntur Græcè ἐλαφροί: & leuem facere exonerando, dicitur ἐλαφρύνειν. Hæc autem ita eſſe docuit Apoſtolus in epiſtola ad Galatas cap. v. cùm præcipiens eis, qui ſpiritualia adminiſtrant, verbum ſcilicet & ſacramenta, vnde Græcè vulgò πνευματικοὶ, id eſt, ſpirituales vocantur, vt apud nos, patres ſpirituales: Alter, inquit, alterius onera portate, id eſt, auferte: hoc enim ſignificare in eo loco βαςάζειν, id eſt, τὸ αἴρειν, idque ad auferenda onera peccatorum pertinere, notauit (ne ſine auctore loquar) Magnus Baſilius in regulis breuioribus cap. 78. quod ſe ait ex conſuetudine ſermonis patrij didiciſſe: idem notauit cap. 177. interpretans in eandem ſententiam illud in epiſt. ad Rom. cap. 15. Debemus infirmitates infirmorum portare nos qui potentes ſumus. vocat autem potentes, quibus talem ac tantam poteſtatem dedit Dominus, vt poſſent in terra remittere ſecundum legem Dei peccata pœnitentibus: propter hanc enim poteſtatem vocat Clemens libro 2. cap. 26. epiſcopos δυνάςας: infirmitates verò infirmorum portare, eſt auferre peccata, remittendo ea pœnitentibus: infirmitates enim ſunt, & vocantur peccata, vt tradit Dionyſius Areopagita in libro De diuinis nominibus cap. 4. Sic etiam vocat ſcriptura Eſaiæ, cùm ait, prophetans de Chriſto, Qui abſtulit peccata: ipſe infirmitates noſtras portauit, id eſt, abſtulit, ſicut de eo dicit Ioannes Baptiſta, interpretans Prophetam: Ecce qui tollit peccata mundi. Sed redeo ad locum Apoſtoli ex epiſtola ad Galatas; ſubiungit enim, & ſic adimplebitis legem Dei; legem dicit de remittendis peccatis eis qui per pœnitentiam digni ſunt remiſſione. Cur verò dixerit (vt hoc quoque obiter explanemus) Alter alterius onera portate, id eſt, auferte, cùm de patribus ſpiritualibus, vt dixi, loquatur, eadem quæſtio eſt in epiſtola Iacobi, cùm loquens de presbyteris ad ægrotos pœnitentes vocandis & introducendis, Confitemini, inquit, alterutrum peccata veſtra] ſiue alter alteri, idem enim verbum eſt Græcè ἀλλήλοις; ſcilicet dixit, vt presbyteros, qui aliorum confeſſiones audiunt, de eorum peccatis admoneret, eiſque opus eſſe, vt iidem viciſſim aliis confiterentur, ne ſcilicet poteſtate illa aliorum peccata remittendi & retinendi inſolentiores fierent: & vt pœnitentes minus grauatè presbyteros ad confitendum adirent, ſi ipſos illos presbyteros peccare, eiſdémque remiſſione aliorum presbyterorum opus eſſe intelligerent. Idcirco in epiſtola beati Iacobi ſubiungitur: Confitemini alterutrum, id eſt, alter alteri peccata veſtra, admonens eos, vt dixi, de peccatis eorum; vt humanius peccata confitentium curarent. Similiter ergo Paulus in epiſtola ad Galatas, quia ſpiritualibus iſtis, id eſt, ſacerdotibus, qui ſunt, & dicuntur, vt dixi, patres ſpirituales, præcipiebat vt in ſpiritu lenitatis aliorum peccata curaret remittendo, vt eos ipſos ſpirituales ſimiliter de peccatis eorum propriis admoneret, ne & ipſi ſuperbi eſſent, & vt alij minus erubeſcerent, neq; recuſarent eis confiteri, qui ſimiliter vt alij peccarent, & ſimili medicina atque miniſterio indigerent: poſtquam dixit, conſiderás temetipſum, ne & tu tenteris] valde opportunè & conuenienter ſubiūgit ſtatim [alter alterius onera portate] quaſi diceret, auferte alterutrum peccata veſtra. Itaque quod dixit beatus Iacobus, Confitemini alterutrum peccata veſtra, perinde eſt quaſi diceret, Confitemini presbyteris: & confiteantur ipſi ſimiliter aliis presbyteris. & quod Paulus dixit, Alter alterius onera portate, perinde eſt quaſi diceret, Vos ſpirituales auferte peccata ab aliis, & auferant ſimiliter alij ſpirituales à vobis. Elucidaui hunc locum copioſius, vt intelligant qui legerint, quemadmodum Apoſtolica doctrina conſonet loco Pauli in epiſtola ad Galatas; & quod ille dixit onera alterius portare, id eſt, auferre, hoc loco dixerit ἐλαφρύνειν ἐν ἀφέσει, id eſt, leuem facere in remiſſione, exonerando ſcilicet à peccatis, quod epiſcopis & presbyteris præcepit, quos illic Paulus vocauit τὲς πνευματικές.

CAP. XXII. *pag. 19.*

*Scriptum eſt in quarto de Regibus libro, & in ſecundo Paralipomenon, id eſt, prætermiſſorum in libro dierum.*] Sic legendum eſt vt erat in exemplari Cretenſi, quod in editione Græca ſecuti ſumus, melius quàm in Calabro, quod prius inueneram. Docet hic locus inſcriptionem librorum Hebraicam, quæ eſt Verba dierum, interpretatos eſſe LXX. cùm inſcripſerunt libros παραλειπομένων, id eſt, de prætermiſſis; vt intelligeremus prætermiſſa ſcilicet in verbis dierum, ſiue in libro dierum. Vt iam nulla ſit dubitatio, quin libri dierum, qui frequenter in libris Regum citantur, non ſint exiſtimandi libri ipſi Paralipomenon, vt quidam ſuſpicati ſunt, ſed alij libri, in quibus

quæ



quæ fuerant de rebus Regum Iuda & Iſraël prætermiſſa, in libris Paralipomenon poſtea ſcripta ſunt; vt hoc loco planè Apoſtolica doctrina teſtatur. Qui autē libri illi eſſent, aut quales eorum auctores, colligere licet ex extrema parte prioris libri Paralipomenon, cùm ait: Geſta autem Dauid regis priora & nouiſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis Videntis, & in libro Nathan prophetæ, atque in volumine Gad Videntis, vniuerſique regni eius, & fortitudinis, & temporum quæ tranſierunt ſub eo, ſiue in Iſraël, ſiue in cunctis regnis terrarum. In illis igitur libris dierum Regum Iuda & Iſraël continebantur geſta Regum eorum temporibus ſcripta copioſè à pluribus Prophetis, ab alio alia: vt geſta Dauid à Samuele, Nathan, Gad: geſta Rhoboam à Semeia, & Addo: Abiæ item ab Addo, & ſic de cæteris. pro quibus auctoribus, qui ipſi in Paralipomenis citantur, in libris Regum, vbi de eodem agitur, Verba dierum citātur. Vt hinc iam planè appareat ſcriptorem Paralipomenon facere voluiſſe, vt referendis quæ in illis libris prætérita erant, hiſtoria Regum ſuppleretur. Sic itaque citantur libri dierum Iuda & Iſraël, & interdum huius aut illius Prophetæ; vt ſi geſta Cæſarum contineantur in vno volumine diuerſis auctoribus, & ego nunc quidem illos libros Cæſarum citem, nunc verò ſingulos auctores, vt Trāquillum, aliâs Tacitum, poſtea Herodianum, & ſimiliter alios, vt res poſcit. alius enim alia memoriæ prodidit, quæ omnia in vnum volumen poſteà collata ſunt; quæ geſta Cæſarum ſiue Imperatorum vocātur, & ſunt; ſicut illa verba dierū Regum Iuda & Iſraël. Falſum verò eſſe quod alij opinati ſunt, eſſe libros Paralipomenon verba dierum, vel ex eo conſtat quòd in libris Regum citantur Verba dierum; Paralipomena verò liquet poſt libros Regum ſcripta eſſe, cùm ſint etiam de prætermiſſis in libris Regum. Deinde non ſemel citantur verba dierum in Paralipomenis. vt 1. Paral. c. 10. & 2. Paralip. c. 33. Item quia de Nadab, Hela, Zambri, Amri regibus nihil habetur in Paralip. de quibus tamen ſcriptum eſt in Verbis dierum, vt libri Regum teſtantur. Quòd autē verba dierum ex variis ſcriptis propheticis conſtarent, perſpici poteſt ex 2. Paralip. c. 20. Reliqua, inquit, geſtorum Ioſaphat priorum & nouiſſimorum ſcripta ſunt in Verbis Iehu filij Hanani, quæ digeſſit in libro regum Iſraël, id eſt, in libro dierum Regum Iſraël: Regum enim non liber, ſed libri dicuntur.

CAP. XXIIII. *pag. 22.*

*Vtentes datis à Deo, non tanquam aliena ſint, ſed tanquam Dei propria.*] & paulo pòſt: [*Vtatur bonis eccleſiæ non tanquam alienis, ſed moderatè tamen.*] Non eſt in his vlla repugnantia, ſed potius interpretatio antecedentium. Præcipit Apoſtolicus canon 33. vt diſtinctæ ſint res epiſcopi propriæ, & res eccleſiæ, quæ hîc vocantur κυριακὰ, id eſt, bona Dominica; quæ eadem hîc quoque vocantur δόματα τȣ̃ Θεȣ̃, id eſt, data, ſiue dona Dei. Præcipit deinde vt rerum eccleſiæ habeat epiſcopus poteſtatem, vt ſcilicet ſecundum poteſtatem eius diſtribuantur egentibus tanquam Dei propriæ, non tanquam alienæ. Aliena enim nunc vocantur, quæ non ſunt dedicata Deo in ſubſidia egentium. Itaque ad largiendum egentibus vti iubet bonis eccleſiæ non tanquam ſuis, ſed tanquam Dei propriis, vt ea ſibi tanquam diſpenſatori commiſſa, ſecundum voluntatē Domini, qui commiſit, aliis largiatur. Quia verò dignus eſt operarius mercede ſua, concedit quoque epiſcopo vti eiſdem bonis non iam tanquam alienis, ſed tanquam ſuis, moderatè tamen ac conuenienter neceſſitati naturæ. Itaque ad vſus ſuos, & familiæ, atque hoſpitum moderatos cenſenda ſunt vt bona epiſcopi. Ne enim exiſtimaret epiſcopus licere ſibi iis ſaltem bonis quæ ad ſuſtentationem tributa ſunt, tanquam ſuis, vti immoderatè; docet Apoſtolica doctrina non ita eſſe; ſed potius de ipſis quoque tanquam de bonis Dominicis reddendam eſſe rationem. Itaque quæ epiſcopus habet à Deo ad largiendum egentibus, ea tanquam non ſua, ſed Dei propria, diſpenſet ſecundum Deum; quæ item habet à Deo ad ſuum vſum, eis quidem vtatur vt ſuis, ſed ſecundum Deum, moderatè inquam; eorundem enim eſt vt Gregorius Nazianz. in Oratione de caritate in pauperes ait, habere aliquid à Deo, & eo ſecundum Deum vti. Huc pertinet quod narrat Leontius Cyprius dixiſſe Ioannem cognomento Eleemonem patriarcham Alexandrinū, Si quæ dantur, mea, ac mecum nata eſſent, fortaſſe, inquit, liceret mihi vt in eis tenax eſſem: ſed ſi ea quæ à nobis tribuuntur, Dei ſunt, vtique in ſuis præceptum ſuum cuſtodiri vult: Omni petenti à te tribue. ita ille. Quòd ſi ita vir ſanctus & in ſcripturis ſanctis eruditus, de omnibus bonis externis ſenſit, quanto magis idem ſentiendum eſt de iis bonis quæ primū à Deo donata ſunt, vt inde miniſtri eius viuant, & pauperes alantur? Quare autem debeat vti bonis eccleſiæ epiſcopus ad vſus ſuos, docet eadem doctrina, ſubiungens ſtatim: Dignus eſt enim operarius mercede ſua. Ergo qui non operatur, huic non licet vti bonis eccleſiæ, quæ vt cedant ſibi in rationē mercedis, facit operando in eccleſia ſibi commiſſa, vbi eſſe debet, ſi ei placere velit qui eum delegit, vt ibi tanquā in præſidio eſſet, vbi hoſtes ſunt, aduerſus quos vt arma ferret, à Domino per Pontificem eius, tanquam in caſtris propriis collocatus eſt. Vnde canon Apoſtolorum qui concedit epiſcopis vti bonis eccleſiæ ad vſus vitæ neceſſarios ſibi, familiæ ſuæ, & hoſpitibus, ſubiungit: neque enim miles vnquam ſuis ſtipendiis arma fert contra hoſtes. Ex quo fit, vt ſi non det operā eccleſiæ ſuæ miniſtrando ei, & in caſtris ſuis arma ferendo, & decertando aduerſus hoſtes pro ouibus fidei ſuæ commiſſis; is quidem non ſit dignus ſtipēdio: & illud ſi accipiat, reſtituere debeat,

 ſi poſſit,

ſi poſſit, non ſecus atque miles ſæcularis ſi arma aduerſus hoſtes non fert, cùm ſtipendium accipit, alienum rapit, & reſtituere tenetur. Quod ſi operetur, debet bonis eccleſiæ vti quidem tanquam ſuis, ſed moderatè iuxta Apoſtolicam conſtitutionem: ita vt de iis quæ immoderatè conſumpſerit, licet operarius ſit, ratione̅ redditurus ſit Deo: nec enim quia operatur, idcirco quod ſuperat mercedem ſufficientem ad alendum ſe, qua dignus eſt operarius, continuo ſuum facit ad diſſipandum ſine obligatione reſtitutionis propter opus quod fecit, quod dignam alioqui habuit hic mercedem, præter illam quam in cælo exſpectat; qui enim bene præſunt presbyteri, duplici mercede, ſicut Apoſtolus ait, digni ſunt.

CAP. XXV. *pag. 24.*

*Portiones ſeparatæ, & decimæ, primitiæ Chriſto pōtifici, & miniſtris eius, & decimæ ſalutaris, principium nominis eius.*] Quia miniſtri eccleſiæ offerunt pro ſalute hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, cuius nominis Ieſu prima littera iota eſt nota decadis, hoc eſt, numeri decem, offerūt, inquam, vt huiuſmodi hoſtiis liberemur ab omni plaga, & omnibus malis, quæ illæ decem plagæ Ægyptiæ præſignificarunt, à quibus liberatus fuit populus Dei. idcirco decimas ait ſalutaris, principium nominis eius, quaſi interpretans hoc ſignificaſſe, vel ipſis nominibus in ænigmate veteres decimas Græcè δεκάτας, & primitias, Græcè ἀπαρχὰς, quæ Deo ad alendos miniſtros eius offerebantur, ſcilicet venturum eſſe eum, cuius nomen Ieſus ſalutem ſignificaret, & cuius nominis initium ac prima littera eſſet iota, index apud Græcos numeri decem; totidem enim ſunt mandata decalogi, in quibus ſeruandis ſita eſt ſalus, & liberatio ab omnibus plagis ſpiritualibus, quas illæ Ægyptiæ præſignificabant, per Ieſum Saluatorem pro nobis oblatum Deo tanquam veram decimam, ac veras primitias oblatas Deo. Ipſe enim eſt primus, ſicut Euangeliſta ſignificauit, cùm recenſens genus Chriſti, vſque ad Adam perduxit genealogiam, qui eſt, inquit, Chriſti. Omnis enim familia & progenies, vt Origenes ait, eorum qui ad Deum referuntur, à Chriſto cepit originem; qui vt eſt Deus vniuerſi, ſic eſt pater omnis animę, vt Adam pater omnium hominum. ita fit vt neque vnum iota in vetere Lege à myſterio vacet, id eſt, vt nihil in Lege ita minutum & humile poſſit videri ſecundum litteram, quin impleatur in nouo Teſtamento ſecundum ſpiritum. Sapientia enim Dei, vt ait idem Origenes, μέχρι τοῦ τυχόντος γράμματος, id eſt, in quauis etiam vulgari littera cernitur. Vt enim in mundo, ait idem, ars diuina non ſolùm in cælo, & ſole, & luna, & aſtris cernitur, ſed in terra in materia vili; ita aliquando in ſingulis litteris impreſſit dator ſcripturæ ſanctę Deus, ſapientiæ ſuæ veſtigia, quantum fieri poterat. Et vt in mundo quædam ſunt quorum cauſas non aſſequitur natura humana, neq; tamen propterea accuſandus eſt Deus; ſic in ſcriptura. De hoc quoque myſterio iotæ meminit Epiphanius Apoſtolicam doctrinam ſecutus lib. 2. hæreſi 30. & in hær. 50. contra Teſſareſcædecatitas, &, Accipimus, inquit, agnum à decima die, agnoſcentes nomen Ieſu per iota, quę ſcilicet littera index & nota eſt numeri decem, ne quid lateat nos ſecundum omnem veritatem huius tractationis eccleſiaſticæ, & veræ de Paſcha. hæc Epiphanius. Illud quoque obſeruandum eſt hîc, quòd ſtatim Apoſtolica doctrina poſt notationem nominis Ieſu ſubiūxit: Audi ſacra catholica eccleſia, quæ ex decem plagis effugiſti.] Videtur retuliſſe ad etymologiam vocabuli Ieſu. Significat enim θεραπευτὴν ἤτοι ἰατρὸν καὶ σωτῆρα, id eſt, curatorem, ſiue medicum, & Saluatorem, vt idem ſanctus Epiphanius notauit, cùm de Nazaræis tractat. Hinc primos illos Chriſtianos ſancti Marci apud Alexandriam diſcipulos, veriſimile eſt appellatos eſſe θεραπευτὰς, à curandis animarum ægritudinibus, vt putat Philo Alexandrinus, ad exemplum ſcilicet Domini Ieſu, qui ſanabat omnes languores. Atque vt illi ſecundum etymologiam verbi Ieſu videntur dicti θεραπευταὶ, quo etiam verbo Dionyſ. in eccleſ. hierarc. monachos dictos eſſe ait, ἀπὸ τῆς θεραπείας καθαρᾶς, id eſt, à cultu puro, quem Deo adhibent: ſic idem Philo alios quoque ex primis Chriſtianis ſecundum paronomaſiam à Ieſu Ieſſæos, de quibus ſcripſit idem, vocaſſe videtur, quaſi curatores ſecundum etymon, vt dixi, verbi Ieſu, ſiue vt ide̅ S. Epiphanius putat, à Ieſſe patre Dauid, ex cuius ſemine natus eſt IESVS. De his & de Philone ſcriptore loquens beatus Hieronymus, In noſtrorum, inquit, laude verſatus eſt: & eorum habitacula dicit monaſteria. Ex quo apparet, inquit, talem primum Chriſto crede̅tium fuiſſe eccleſiam, quales nunc monachi eſſe nituntur, & cupiunt. De his quoque meminit Plinius lib. v. hiſt. natural. cap. 17. quos paulum deflexo nomine, vocat Eſſenos: Gens, inquit, ſola, & in toto orbe præter cæteras mira, ſine vlla femina, omni Venere abdicata, ſine pecunia, ſocia palmarum. in diem ex æquo conuenarum turba renaſcitur, largè freque̅tantibus, quos vita feſſos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat, &c.

*Leuitæ veſtri ſunt, qui nunc diaconi, & qui lectores veſtri, & cantores, & ianitores; item veſtræ diaconiſſæ, & virgines, & viduæ, atque orphani.*] Dubitabit aliquis fortaſſe quomodo diaconiſſæ, & virgines, & viduæ, & orphani ad Leuitas pertineāt? hac ſcilicet ratione, quòd ſicut ex primitiis, & decimis, & ex hoſtiis ac oblationibus liberè accipiebant ſecundum legem Dei Leuitæ, & eorum vxores, & filij atque filiæ eorum, vt paulò antè dixit Apoſtolica doctrina: ſic nunc ex bonis eccleſiaſticis ſecundum Apoſtolicam doctrinam, præter presbyteros & epiſcopum, viuunt etiam diaconi, lectores, cantores, ianitores, & diaconiſſæ, & virgines, ac viduæ & orphani, quaſi

ſint



ſint hi illorum filij & filiæ, & illi horum patres. ex quo fit vt epiſcopus & presbyteri, qui iſtos defraudant, familiam ſuam fraudent.

CAP. XXVIII. *pag. 26.*

*Ad conuiuium, quod agape.*] Nemo exiſtimet præcipi hæc de conuiuiis quæ aliquando in eccleſia agitabantur, quæ non probat Paulus, vt perſpici poteſt ex epiſt. ad Corinth. 1. cap. 11. ſed de conuiuiis quæ agitantur domi, vt illud conuiuium quod fecit apud Lucam Leui in domo ſua, cap. 5. quod Euangeliſta vocat δοχὴν, vt vocauit Dominus apud eundem Lucam cap. 14. conuiuium, quod in domo fit, ad quod iubet vocare non vicinos domui, ſed pauperes; & beatus Ignat. in epiſt. ad Smyrnen. præcipit vt non fiat ſine auctoritate epiſcopi, ſed ab eo qui ſecundum voluntatem Dei videatur epiſcopo. Cùm igitur admonuerit Apoſtolica doctrina de cōuiuio quod Dominus vocauit δοχὴν, & illud in domo, non in templo fieret, non debemus quæ præcipiūtur hîc, accipere de conuiuiis quæ in eccleſia fiebant, quæ nunquam probata fuerunt, ſed de conuiuiis communibus domeſticis, quæ benignitatis & eleemoſynæ cauſſa fiebant. Sic enim ait Caſſianus in collatione 24. cap. 12. quod fortaſſis ex hoc loco mutuatus eſt: Hoc denique maiorum noſtrorum definitio habet: Qui quicquid, inquit, ad neceſſitatem quotidiani victus inſumitur, quod opere manuum noſtrarum effectum partúmque non fuerit, ad agapen referri debere ſanxerunt, ad huiuſmodi agapen pertinet illa exhortatio beati Petri in epiſt. Clementis ad Iacobū fratrem Domini, cuius charitatis & recipiendæ & habendæ maximum erit fomentū, ſi frequenter inter voſmetipſos communem cibum veſtrum menſámque faciatis, & inquantum vnuſquiſque præualet, crebriùs panes ac ſales ſuos cum fratribus ſuis ſumat. Charitas enim eſt cauſa beneficentiæ, & beneficentia eſt cauſa ſalutis. ſic enim eſt in Græco clarius quàm in Latino. deinde ſubiungit, Propter quod communes facite cibos veſtros cum iis qui ſecundum Deum fratres ſunt. Quantum verò cuique viduæ impartitur, altero tanto plus diaconis impartiatur, vt ſit munus Chriſto.] Præmuniendus quoque eſt huius loci ſenſus: quidam enim ex eo quod Clemens ait cap. 26. honorandas eſſe diaconiſſas, tanquam quæ Spiritum ſanctum repræſentent, & ex eo quòd hîc præcipit, præbere ex agape diaconis in honorem Chriſti altero tanto plus quàm diaconiſſis, quas vocat presbytidas, quas vocauit viduas Apoſtolus, & ex eis annoſiores vocauit presbytidas, id eſt, anus, vt ex Epiphanio lib. 3. hæreſi 79. contra Collyridianos intelligi poteſt, falſo concludunt inæqualitatem Chriſti & Spiritus ſancti: cùm contrà potius concludenda ſit diſtinctio perſonarum diuinarum, & conſortium volūtatis, ac naturæ ex eo quod ait, Epiſcopum honorandum in honorem Dei patris, diaconiſſam in honorem Spiritus ſancti, diaconos in honorem Chriſti. Hanc enim æqualitatem ſatis docuit idem Clemens, verbis ac ſententiis Euangelij vtens: Diaconus, inquit, aſſiſtat epiſcopo vt patri, ac miniſtret ei ſanctè in omnibus, vt Chriſtus nihil à ſeipſo faciens, quæ placita ſunt Patri facit ſemper. Sic enim dixit Dominus in Euangelio: Ego à meipſo facio nihil, id eſt, nihil facio ſine Patre, ſicut interpretatur Ignatius in epiſt. ad Epheſios. Nihil autem facere ſine Patre, ſignificat virtutem operandi quæ in Filio eſt, eſſe ex Patre non ſecundum participationem aut abſciſſionem, ſed ſecundum identitatem ſubſtantiæ Filij cum Patre, ſecundum quam Filius eſt in Patre, & Pater in Filio. Cùm igitur Clemens verbis Euangelij vtens, quæ ſignificant, vt veteres Theologi ac Patres interpretati ſunt, vnam naturā perſonarum diuinarum, ac proinde honorem vnum atque eundem, conſequens eſt, non fuiſſe Clementis mentem, vt ex inæqualitate eorum quæ diaconis & quæ diaconiſſis dantur, inæqualitas perſonarum colligatur. Conueniunt hîc quæ Didymus lib. 2. de Spiritu ſancto dicit de Filio: Si quando, inquit, legimus, Dixit Dominus Domino meo: &, Dixit Deus, fiat lux; & illud, Sicut audio, & iudico; & aliâs; Non poteſt Filius facere, niſi quod viderit Patrem facientem. Hæc, inquit, & ſi quæ alia ſimilia, dignè Deo accipere debemus. In his enim omnibus vnius naturæ in Patre & Filio, conſenſúſque ſignificatio eſt. Rurſus idem Clemens: Diaconiſſæ, inquit, habeatur à vobis honor, vt Spiritum ſanctum repræſentanti; nihílque agat aut loquatur abſque Diaconi opera, ſicut Spiritus ſanctus nihil priuatim agit aut loquitur, quin potius in honorem Chriſti voluntatem eius expectat. Idem Didymus in eodem loco ſic de Spiritu ſancto ait: Spiritus quoque ſanctus, qui ſpiritus veritatis eſt, & ſapientia, non poteſt, Filio loquente, audire quæ neſciat, cùm hoc ipſum ſit, quod procedit à Filio, conſolator manans de conſolatore, Deus de Deo. Denique ne quis illum à Patris & Filij volūtate & ſocietate diſcerneret, ſcriptum eſt: Non à ſemetipſo loquetur, ſed ſicut audiet, loquetur: cui etiam ſimile Saluator ait, Sicut audio, & iudico: & alibi, Non poteſt facere, niſi quod viderit Patrem facientem. Hactenus Didymus. In eandem ſente̅tiam eruditiſſimè interpretatur magnus Athanaſius in Dialogo orthodoxi & Macedoniani: Omnis, inquit, natura creata rationalis ἀφ' ἑαυτῆς λαλεῖ, id eſt, à ſeipſa loquitur. vt cùm Abraham ait, Obſecro, ne iraſcaris ſi loquar adhuc ſemel; & Moyſes, Impeditioris & tardioris linguæ ſum, obſecro Domine elige alium, que̅ mittes. ſic enim eſt apud 70. & Hier. Puer ſum, & non poſſum prophetare; ita vt diceret Dominus: Noli dicere, puer ego ſum. & Ionas à ſeipſo conſilium cepit, & aſcendit in nauim, vt fugeret in Tharſis à facie Domini. Deinde ſubiungit Athanaſ. Spiritus ſanctus non ſic, nec enim habet naturam, vt habeat aliam voluntatem

quæ

quæ non ſit Dei, ſed potius quæcunque loquitur, Dei verba ſunt, idcirco dictum eſt, non loquetur à ſeipſo; & de Filio idem dictum eſt, quia non eſt in ipſo alia volũtas, quæ non eſt Patris. Hactenus Athan. Cùm igitur Clemens vtens, vt dixi, verbis Domini, & Euangelio conſonans,cõſubſtantialitatem diuinarum perſonarum ſignificet, ac proinde ſocietatem honoris earum, quomodo ex inæqualitate eorum quæ diaconis & diaconiſſis dantur, liceat intelligere blaſphemam inæqualitatem honoris diuinarum perſonarum? An non decet minus quidem dare diaconiſſis, vtpote minus dignis; plus verò diaconis, vt magis dignis? Vt autem honorare ſicut decet, id eſt, plus quidem diaconos, qui Chriſtum repræſentant, ad honorem Chriſti pertinet; ſic honorare, vt decet, id eſt,minus diaconiſſas,quę Spiritum ſanctum repræſentant,ad honorem quoque pertinet Spiritus ſancti. Itaque quòd diaconos & diaconiſſas inæqualiter honoremus, in cauſa eſt inæqualitas dignitatis eorum, non autem inæqualitas,quæ nulla prorſus eſt,earum perſonarũ,quas repræſentant, id eſt, Filij & Spiritus ſancti. Verùm æqualitas trium perſonarum diuinarum, expreſſa eſt cùm aliâs, tum lib.3. cap.17. in doctrina myſtica de ſancto Baptiſmo, qui fit non in inuocationibus, ſed in inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; vt quorum eſt vna virtus,item ſit vna inuocatio, ſicut idem Clemens ibidem cap.16. nominat.

CAP. XXX. *pag. 27.*

*Vt enim Chriſtus ſine Patre nihil agit, ſic neque diaconus ſine epiſcopo: & vt Filius non eſt ſine Patre, ſic neque diaconus eſt ſine epiſcopo: item vt Filius eſt debitor Patri, ſic omnis diaconus epiſcopo.*] Eò ſpectant hæc, & quæ capite proximo dixit, ne presbyteri diaconos contemnant, & vt populus eos honoret, cùm eorum dignitatem, & quo loco habendi ſint, intellexerint. Quia verò epiſcopum facit eſſe loco Dei Patris, & diaconum loco Chriſti filij eius, cùm dicit, item vt Filius eſt debitor Patri, ſic omnis diaconus epiſcopo: ſatis ſignificat Clemens, ne quis erret, de Chriſto Dei patris filio ſecundum humanitatem accipiendum eſſe, quod hic ait, Filium Dei debitorem eſſe Patri; vt illud quoque in Euangelio, Pater maior me eſt, plerique patres Theologi ſecundum humanitatem Chriſti acceperunt. Poteſt etiam accipi hoc ſecundum diuinitatem, vt Filius dicatur eatenus debitor Patri, quatenus omnia ab eo accepit, ſicut ipſe dixit, Omnia mea tua ſunt.] & illud: A meipſo non loquor. & rurſus: Non poteſt facere Filius quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem.] & illud: A me ipſo facio nihil] id eſt, nihil facio ſine Patre: quæ perinde ſunt, quaſi diceret, ſe omnia, vt ita dicam, debere Patri, id eſt, illi ferre accepta omnia, quæ vim habent homouſij. Sic magni etiam auctores, vt Athanaſius & Gregorius Nazianz. & alij, illud Pater maior me eſt, de diuinitate quoque acceperunt: vt maior dicatur, quia ſit Pater principiũ totius diuinitatis Filij, ſitque ex Patre auctoritas Filij, non quòd inæqualis vel non conſubſtantialis.

CAP. XXXVI. *pag. 29.*

*Noſce creationem diuerſam quæ per Chriſtum cœpit: & agitabis ſabbatiſmum propter eum qui deſiuit quidem creare, non autem deſiuit prouidere.*] Similiter libro 7. cap.40. præcipit Apoſtolica doctrina, vt catechumenus diſcat ordinem variæ creationis, id eſt, corporalis & ſpiritualis. Ergo quia requieuiſſe Deum poſt perfectum mundum ſabbato, ſignificabat in ænigmate myſtico futurum eſſe, vt Deus, quem operibus noſtris terrenis laborare, vt ita dictum ſit, feceramus, poſt creationem nouæ creaturæ per Chriſtum, in nobis deinceps in nouitate vitæ ambulantibus requieſceret, idcirco mandatum vetus de quieſcendo die ſabbati ad recordationem creationis mundi, & meditationem legis, quod mandatum in decalogo continebatur, interpretatur nunc Apoſtolica doctrina mutatum eſſe in nouum mandatum de nouo ſabbatiſmo tanto ſanctiore illo vetere, quanto eſt huius ſabbatiſmi cauſa excellentior. Illud enim vetus ſabbatum agitabatur quieſcendo die ſeptimo ab operibus manuum, propter recordationem creationis mundi huius, & meditationem legis veteris: ſabbatum verò noſtrum, id eſt, noui Teſtamenti, agitatur quotidie quieſcendo à peccatis propter prouidentiam Dei, à quo ſumus creati in Chriſto Ieſu, ſicut Apoſtolus ait, in operibus bonis, quæ præparauit, vt in illis ambulemus. Vt initium ergo creationis mundi cœpit per Chriſtum Dei verbum, omnia enim per ipſum facta ſunt, ſic creatio nouæ creaturæ per idem verbum carnem factum, id eſt, per ſecundum hominem de cælo cæleſtem, id eſt, Chriſtum cœpit: qualis autem cæleſtis, tales & cæleſtes. Homo verò vetus initium cepit per primum hominem de terra terrenum: qualis autem terrenus, tales & terreni. Ad hoc initium nouæ creationis capiendum hortatur Apoſtolus, cùm ſubiungit: Igitur ſicut portauimus imaginem terreni, ſic & portemus imaginem cæleſtis, ſcilicet per imitationem vitę eius ſpiritualis, qui factus eſt in ſpiritum viuificantem. De hoc eodem initio dixit idem Apoſtolus in epiſtola ad Hebr. Facti ſumus participes Chriſti, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum teneamus; id eſt, ſi imaginem & imitationem illius hominis Chriſti, à quo ortum ſpiritualem cepimus, vſque ad finem cõſeruauerimus. Rurſus beatus Iacobus de hoc ipſo initio loquens, Voluntariè, inquit, genuit nos verbo veritatis, lauacrum regenerationis dicit: deinde ſubiungit, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius.] ſic enim legendum eſt, melius quàm eſt in exemplaribus Græcis, quæ nunc feruntur. Expoſui hactenus rationẽ variæ & diuerſæ creationis,

quam



quam Apoſtolica conſtitutio hîc dicit; quæ per Chriſtum cœpit. Poteſt quoque legi vt alter interpres ante me legit, vt dicat conſtitutio, Noſce creationem, quæ diuerſum principiũ per Chriſtum cepit; eadem enim ſententia eſt, vtrocunque modo legatur. Creatio igitur quæ diuerſum principium cepit per Chriſtum, eſt, ſicut antè expoſui, illa de qua dicit Apoſt. in epiſt. ad Epheſ. Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu, &c. Hæc noua creatura varia & diuerſa à creatura mundi, diuerſum principium per Chriſtum cepit; quia per mortem Chriſti facta eſt: creatio verò mundi per Chriſtum cepit diuerſo modo, id eſt, per filium Dei nondum factum hominem; omnia enim per ipſum facta ſunt. Hæc eſt ergo vna eadémq; excellens creatio à prima illa creatione longè diuerſa: Quæ quidem creatio quia ad admirabilem Dei prouidentiam pertinet, qua nos à mortuis ſuſcitatos cum Chriſto conuiuificauit, donans omnia delicta, delens quod aduerſus nos erat chirographum, & quæ apud Paulum ſequuntur; idcirco ait Apoſtolica doctrina, agitãdum eſſe hunc ſabbatiſmum propter eum qui deſiuit quidem creare quia ſemel mortuus eſt, qui morte ſua nos viuificauit; in mortem enim eius baptizati, facti ſumus nouæ creaturæ; ſed nõ deſiuit prouidere, ſignificans hanc mirabilem Dei in noua creatura prouidentiam. Vnde libro 6. cap.23. loquens Apoſtolica doctrina de ſabbato Iudaico abrogato & deſito, & ſanciens rurſus hunc eundem ſabbatiſmum noui Teſtamenti, ait; Qui tunc iuſſit Lege vt ſabbatum quiete & vacatione agitarent ad meditandum legem, nunc iuſſit vt quotidie legem creationis & prouidentiæ conſiderando, gratias ageremus Deo. Illam creationem dicit illo loco, quam dicit hîc, cùm de vno & eodem ſabbatiſmo noui Teſtamenti loquatur. Ipſum verò nouum Teſtamentum, quod alioqui in vetere continebatur ſecũdum ſpiritum (lex enim ſpiritualis erat) vocat hîc legem creationis & prouidentiæ, quia continet nouum Teſtamentum hanc nouam creationem, de qua prophetabat Dauid inquiens, Populus qui creabitur laudabit Dominum, quam ſecũdus Adam Chriſtus mirabili prouidentia redemptionis ſuæ operatus eſt in terra; ad quam prouidentiam & creationem nouæ creaturæ capiendam, & conſeruandam vſque ad finem, vniuerſa lex Euangelica ſpectat. vnde aptiſſimè eam vocauit Legem creationis & prouidentiæ, ad quam meditandam ſabbatiſmus noſter ſpectare & referri debet, ſicut Apoſtolica doctrina præcipit.

*Et agitabis ſabbatiſmum propter eum qui deſiit creare, ſed non deſiit prouidere.*] Quod Deum Clemens dicit deſiiſſe creare, ſed non deſiiſſe prouidere; perinde eſt ac ſi diceret, ceſſaſſe quidẽ Deum ab opificio mundi, ſed non à prouidentia & procuratione eius: ad illúdque ſpectat quod Moyſes de ſabbato ſcripſit, dicens: Et requieuit Deus die ſeptimo ab vniuerſo opere quod patrarat: quod quidem non ſignificat, vt rectè Ariſtobulus interpretatus eſt, ſicut teſtatur Euſebius lib.15. præparat. Euangelicæ, quòd Deus nihil poſteà fecerit, aut faciat, ſed potius requieuiſſe, inquit, dicitur, vt ſignificaretur fixus ſtatus rerum, qui nunquam mutatus eſt. Non ergo ſignificat quod impius Eunomius malè intelligens ſcripturam, aiebat, ceſſaſſe iam Deum ab omni creatione. Vnde tradebat idem non creari animas, ſed generari in materia, quòd exiſtimaret verbum creandi ſolum ſignificare, facere ex non ente: à quo genere creationis requieuiſſet Deus, vt falsò putabat. at non hoc ſolùm ſignificat, ſed etiam facere aliquid nouum, vt notauit Nemeſius Adamantius lib.2. de homine, à quo genere creationis dicit ceſſaſſe quidem Deum, ſicut ſcriptum eſt in Eccleſiaſte: Nihil nouum ſub ſole; neque enim vel reſurrectio corporum, vt ait Gregorius Nyſſenus hunc locum Eccleſiaſtis explicans, aliquid noui erit, ſed reſtitutio in priſtinum ſtatum: idcirco (inquit) ſubiungit Eccleſiaſtes, Extra vetus nihil eſt. Sic enim eſt apud 70. Creari ergo animam, non eſt aliquid nouum, ſed tale quid quale à principio factum eſt, cùm fecit Deus hominem, & ſecundum imaginem Dei fecit eum, ſicut ſemper facit, nihil varians. Deſiit itaque creare, id eſt, operari primordia rerum; ſed non deſiit prouidere & gubernare; atque adeò propriè & verè operari ea quæ iam alioqui à principio erant, vt ita dictum ſit; id eſt, erant quodammodo in ipſis primordiis rerum creatarum. Vnde ait Eccleſiaſtes, Quid eſt, quod fuit? ipſum quod futurũ eſt. Quid eſt, quod factum eſt? ipſum faciẽdum. Nihil nouum ſub Sole. Significat enim, vt alius quidam Gregorius vetus interpres Græcus interpretatur, nõ ſolùm ea quæ à principio facta ſunt, ſeruitutem ſuam erga auctorem ſuum demonſtrare, illiúſque infinitam ſapientiam, poteſtatem, ac magnificentiam teſtari, ſed quæ nondum exiſtunt, ſed futura ſunt, ipſa quoque rationem ordinis ac ſubiectionis illorum primorum erga auctorem ſuum ſecutura eſſe. Ita vt nihil eorũ quæ ſunt futura, aut facienda ſiue creanda, diuerſum ab iis quæ primum facta ſunt, inueniatur, immo ſecundum ſeriem primis illis à poteſtate Dei omnium operatrice ac gubernatrice impoſitam, ortum, & motum ac conſeruationem habitura eſſe, vſque ad præſcriptum à Deo finem omnium, nihilque prorſus reperiendum eſſe quod alium ortum, aut motum, aut ordinem habeat, vnde poſſit aliquis occaſionem ſumere dicendi, hoc nouum eſt: hactenus ille auctor & interpres optimus, cuius cognomentum nondum reperi. Interpretatus itaque eſt hic Eccleſiaſtes, quod Moyſes dixit in Geneſi, requieuiſſe Deũ die ſeptimo ab omni opere quod patrarat. Quare illud apud Ioannem, Pater meus vſque modò operatur, & ego operor; non, vt falsò tradebat idẽ Eunomius, de ſola prouidentia, id eſt, de ſola œconomia & conſeruatione eorum quæ ſemel facta ſunt, accipiendum eſt; de qua ſcriptum eſt illud, vt beatus Gregorius Nazianz. lib.2. de Filio interpretatur,

tur, Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. & illud: Qui fundat terram ſuper ſtabilitatem ſuã. & illud: Qui firmat fulgur, & creat ſpiritus, quæ ſemel, inquit, ſunt facta & firmata, continuatur verò nunc operatio Dei, ſcilicet in conſeruandis eis, ſed etiam intelligendum eſt de creatione eorum quæ à Deo fiunt, licet non ſint, ſicut Eccleſiaſtes dicit, noua ſub Sole. Si ergo Iudæi non accuſabant Deum, qui in ſabbatis etiam mundum gubernat, & alia opera facit, neque Filium eius accuſare debebant: idcirco aiebat Dominus: Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Sed Apoſtolica doctrina, vt explicaui, non ab huiuſmodi operatione ceſſaſſe Deum ait, ſed ab opificio mundi, & à cætera creatione rei nouæ, quæ neque ipſa, neque alia ſimilis prius extiterit. Sed quo magis, quæ hactenus in explanationẽ huius loci Apoſtolicæ doctrinæ hinc inde contulimus, illuſtrentur, non pœnitebit adiungere quæ Photius Conſt. in illum locum Ioannis, Pater meus vſque modò operatur, & ego operor, ſcripſit reſpondens ad quæſtiones Amphilochij archiepiſc. Cyziceni: Quatuor ſunt, inquit, operationes Dei; prima, qua fecit à principio naturas rerum omnium diebus vij. ſecundum hanc ſignificationem dictum eſt, requieuiſſe Deum ſeptimo die ab omni opere, &c. ſecunda operatio eſt conſeruatio ex illo tempore vſque in hunc diem, eorum quæ ſemel extiterunt, quæ operatio non permittit vllam ſpeciem perire. hæc operatio Prouidẽtia vocatur. ab hac operatione nunquam deſiſtit, neque deſiſtet Deus, μέχρις ἂν τὸ περίγειον τόδε σύγκριμα τὴν ὑπόστασιν ἔχῃ, id eſt, dum terrena hæc concretio conſiſtet. tertia operatio, qua facit vt natura cuiuſque nihil diſſimile aut à ſe alienum faciat, quin potius ſui ſimile generat; & ſucceſſionem legitimam oſtendit. hæc quoque operatio ad prouidentiam referri poteſt. Præter has tres vnam περὶ οὐσιώσεως, id eſt, de creatione ipſius naturæ, aliam de duratione & conſeruatione, aliam de ſimilitudine, ad quam referenda eſt ſucceſſio ordinis, vt in ſole, luna, ortu, occaſu, coniunctionibus & diſceſſibus, aliiſque energiis, quas Deus illis indidit, in viciſſitudine dierum & noctium, in naturis temporum & ſucceſſionibus, præter has, inquam, eſt alia operatio φιλανθρωπίας δεσποτικῆς, id eſt, charitatis Domini erga homines, quæ duplex eſt, altera ad corpus hominis pertinens, altera ad animam. illa cæcis viſum tribuit, paralyticis robur, quatriduanum ſuſcitat, &c. hæc animam infinitis malis vexatam liberauit, & in priſtinum ſtatum imaginis ſuæ, ad quam facta erat, reſtituit. Populus ergo Iudæorum in beneficia Saluatoris ingratus, inuidiæ ſuæ prætexebat ſabbati religionem, accuſans Dominum quòd ſabbato ſanaret, cui Saluator δεσποτικῶς καὶ διδασκαλικῶς, id eſt, tanquam dominus & magiſter: Pater meus, inquit, vſque modò operatur, & ego operor. ſic enim eos qui curationem corporis in ſabbato factam calumniabantur, redarguit. Hactenus Photius.

*Quia dictum eſt eis, Iuſtum iudicium iudicate: & rurſus, Eſtote boni trapezitæ.*] Hoc quoq; quia nuſquam ſcriptum ſit in ſcripturis, nemo ſtatim apocryphum ſuſpicetur, aut carere auctoritate: huiuſmodi enim eſt illud quod Paulus in actis Apoſtolorum ait, Dominus dixit, Beatius eſt dare, quàm accipere. Quod quidem Paulus ex Apoſtolis audiuit, vt perſpici poteſt ex libro 4. De orphanis cap. 3. vbi Apoſtolica doctrina tradit dixiſſe hoc Dominum. Hoc ipſum obſeruauit prius Euthalius epiſcopus Sulcenſis, qui temporibus Athanaſij Alexandrini in acta Apoſtolorum, & in euangelium Lucæ ſcripſit; notas enim vnde ſumptum eſſet hoc, Dominus dixit, Beatius eſt magis dare, quàm accipere, ex doctrina, inquit, Apoſtolorum. Huiuſmodi eſt etiam illud, quod vt à Domino dictum citat Iuſtinus martyr in libro contra Tryphonem Iudæum: In quibus, inquit, te reperiam, in iis te iudicabo. Idem citat Origenes in quadam homilia in Hieremiam. itẽ Auguſtinus à Domino ait dictum, Qualem te inuenero, talem te iudicabo. Idem citat Ioãnes Scholaſticus cap. 7. de luctu, illud quoque dixit beatus Petrus dictum eſſe à Domino, τὰ ἀγαθὰ ἐλθεῖν δεῖ, μακάριος δὲ φησὶ δι' οὗ ἔρχεται, ὁμοίως καὶ τὰ κακὰ ἀνάγκη ἐλθεῖν, οὐαὶ δὲ δι' οὗ ἔρχεται. Oportet venire bona; beatus autem, inquit, per quem veniunt: ſimiliter neceſſe eſt venire mala, væ autem per quem veniunt. legi hoc in 7. libro narrationum, quas Clemẽs de diſputationibus Petri cũ Simone Mago ſcripſit in altera editione Recognitionum. Item illud: Ecce homo, & opus eius coram facie eius, citat Ignatius in epiſtola ad Symrnenſes, & Gregorius Nazianz. in libro De bono ordine diſſerendi, & plerique alij. Quod quidem ex hac doctrina Apoſtolorum ſumptum eſt, lib. 2. cap. 14. & lib. 8. ſicut hoc, Eſtote boni trapezitæ, de quo etiam meminit Damaſcenus in libro 4. De fide orthodoxa, tanquam dictum ſit à Domino, & nobis ſine ſcripto traditum. Idem teſtatus eſt ante Damaſcenum Hieronymus, ſcribens ad Minerium & Alexãdrum: Omnia probate, & quod bonum eſt, tenete. & Saluatoris, inquit, verba dicentis, Eſtote probati nummularij. Iis igitur Dominus bonos trapezitas, id eſt, menſarios eſſe iuſſit. Quemadmodum verò rectè hoc fiat, videtur à Ioanne Caſſiano in prima Patrum collatione his verbis probè explicatum: Vltima verò, inquit, obſeruatio huius probabilis trapezitæ, quam de inquiſitione ponderis eſſe prędiximus, taliter à nobis implebitur, ſi quicquid agendum cogitatio noſtra ſuggerit, omni ſcrupulo retractantes, atque in noſtri pectoris trutina collocantes, æquilibratione perpẽdamus: an plenum ſit honeſtate communi, an timore Dei ſit graue, ſi integrum ſenſu: ſi humana oſtentatione, aut aliqua nouitatis inſolentiæque præſumptione non leue: ſi meriti eius pondus inanis cenodoxia non imminuerit, vel arriſerit gloria; & ſic ea protinus ad publica appendentes examina;





id eſt, ad Prophetarum & Apoſtolorum actus, & teſtimonia conferentes, illorúmque exemplis comparantes, & quodammodo contraria ea lance penſantes, vel tanquam integra atque perfecta, illiſque collibrantia ſuſpiciamus; vel tanquam imperfecta atque damnoſa; neque illorũ ponderi conſonantia omni cautione vitemus. Chryſoſtomus quoque hoc dictum Domini citat, idque explicat in homilia, quòd non vacet periculo tacere quæ in eccleſia audiuntur; & quare acta Apoſtolorum non legantur in Pentecoſte: & quòd maior vis ſit in miraculis Apoſtolorum ad demonſtrationem reſurrectionis Chriſti, quàm ſi viſa fuiſſet ipſa reſurrectio. interpretemur Latinè. Trapezitas, inquit, vocauit vos Deus, vt doceret omnes idem ſtudium adhibere in excutiẽdis probandiſque iis quæ dicuntur, quantum adhibent trapezitæ, id eſt, menſarij in probandis nummis. Vt igitur illi adulterinum nummum eiiciunt, & legitimum ac iuſtum probant, & legitimum à non legitimo ſecernunt; ſic facias tu: ne omnem ſermonem amplectaris, quin potius adulterinum exclude: & ſalutarem trade menti. Habes enim lances & pondera non ex ære facta, ſed quæ ex fide conſtant. his proba omnem ſcripturam. Idcirco enim ait, Eſtote probi trapezitę, non vt in foro nummos numeremus, ſed vt ſermones omni diligentia excutiamus. Ob hãc cauſam ait Apoſt. Omnia probantes; quod bonum eſt, tenete. Neque propter probationem tantùm vocauit vos menſarios, ſed etiam propter diſtributionem eorum quæ vobis conferuntur. Hactenus Chryſoſt.

CAP. LII. *pag. 36.*

*Immo pluribus diebus cum multa deliberatione ac conſultatione; & interjecto velo inquiritur in eum.*] Velis vtebantur magiſtratus, & iudices, vbi ius dicebant, quibus tum ipſi; tum eorum conſiliarij, & aſſeſſores ab iis qui cauſſas agebant, ſeparabantur. Imperatores Honorius & Theodoſius nauiculariis per Africam, quorum conſtitutio extat in codice Theodoſiano lib. 13. tit. 9. cõſtit. 6. & in codice Iuſtiniani lib. 11. tit. 5. conſt. 5. De ſubmerſis nauibus decernimus, vt leuato velo iſtæ cauſſæ cognoſcantur; & ſi quiſquam de talibus negotiis aliquid accepiſſe detegitur, iudex, apud quem conſtiterit, iis conquerentibus, qui nudantur, pro qualitatibus perſonarum mulctandi, remouendi, proſcribendíque habeat poteſtatem. Leuato, inquiunt, velo; quaſi dicant, non adhibitis conſiliariis, neque magna deliberatione, quæ in ordinariis iudiciis adhiberi ſolebant; ſed vt hodie dicunt, ſummariè, & de plano. Si quid enim ſtatim iudicandum erat, id fiebat, non interiecto velo. At ſi de concilij ſententia pronunciandum, prius magiſtratus, vel iudices, ac conſiliarij, & aſſeſſores cauſam excutiebant. Huc quoque pertinere poteſt quod eſt à Gratiano ex epiſtola Silucrij papæ deſcriptum & notatum 23. q. 4. Beliſarius patricius noſter, inquit, mandauit me ad ſe venire pacificè pro quibuſdam eccleſiaſticis diſpoſitionibus in palatium Pincis: & ad primum & ſecundum velum retinuit omnem clerum & populum qui mecum veniebat, & nullum permiſit introire, niſi me ſolum, & Vigilium diaconum meum. & in ſynodo Romana Zachariæ pontificis regionarius, & nomenclator dixit, Reuerendus & religioſus presbyter legatus Bonifacij ſanctiſſimi archiepiſcopi prouinciæ Germaniæ apud veſtrum ſanctiſſ. Apoſtolatum prę velo eſt, & petitis ingredi. Et beatus Hier. velum interpretatus eſt quod pendebat ante fores eccleſiæ, in epiſtola S. Epiphanij, quam vertit è Græco:

CAP. LV. *pag. 38.*

*Alios correxit in diluuio per Noë: Sodomitas per Lot: poſt diluuium per Melchiſedec.*] Admonitus ſum videri poſſe ineptè appoſitum eſſe illud, Sodomitas per Lot, quaſi hoc factum fuerit tempore diluuij, præſertim cùm ſtatim ſubiungat, poſt diluuium per Melchiſedec. At Clemens huius doctrinæ catholicæ ab Apoſtolis traditæ ſcriptor, non dixit in diluuio per Noë, & Sodomitas per Lot: ne tempora Noë & Lot in vnum tempus copulare videretur; ſed ſine coniunctione dixit, vt diſiuncta tempora intelligeremus. Cur verò hoc loco poſuerit hoc, ſubiũgens poſt diluuium correptos fuiſſe homines per Melchiſedec, cùm hæc correctio gentis Sodomitanæ poſt diluuium quoque facta fuerit; hæc eſt collocationis huius ratio: imitatus eſt Scripturam, quæ de illa conflagratione pentapolitana loquens, ait: Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulfur, & ignem à Domino de cælo, & ſubuertit ciuitates has. Incendium itaque illud facit Scriptura quaſi diluuium quoddam. ſimiliter beatus Petrus, quem Clemens videtur hic ſecutus in epiſtola 2. cap. 2. cum diluuio Noë coniunxit ignem illum Sodomitanum tanquã cum diluuio aqueo diluuium igneum; & originali, inquit, mundo non pepercit, ſed octauum Noë iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, diluuium mundo impiorum inducens. Deinde ſubiungit ſtatim: Et ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens, euerſione damnauit.

CAP. LVII. *pag. 39.*

*Ac primum quidem ſit ædes oblonga verſus Orientem, vtrinque paſtophoria.*] Si Plato ratione naturali duce, ſollerter conſecutus eſt, vt in 5. libro de Legibus ſcripſit, non eſſe metuendam legiſlatori opinionem σμικρολογίας, id eſt, non eſſe metuendum, ne de rebus minutis curam habere videatur, ſi iubeat vt omnia vaſa quæ ciues habent, menſura non careant; quanto magis S. Apoſtoli, qui ſapientia Spiritus ſancti inſtructi omnia eccleſiaſtica diſponebant, intelligere potuerũt, non eſſe indecorum neque minutum ac ſordidum, ea etiam quæ parua ſunt, cõponere, ordinare;

quare quæ in hoc capite continentur, non debent videri cōficta, nec eſſe in eis κακοπλαςίαν, quaſi leuiora & indigna videantur, quæ ab Apoſtolis conſtituerentur de forma ædis ſacræ, & de ſedendo in templo. alioqui videatur etiam humilis, & ſapientia Dei indigna illa deſcriptio tabernaculi Moſaici ac veſtium pontificalium. Et qui fortaſſis hæc Apoſtolica contemnit, contemnat item Moſaica illa, & ſapientiam Beſeleel, & Oliab artificum, qua teſtatur ſcriptura repletos fuiſſe eos ad ædificandum tabernaculum, & facienda cuncta vaſa eius, & excogitandum quidquid fabrefieri poteſt ex auro, argento, & ære, marmore, & gemmis, & ſignis variis. Aut ſi illa non fuerunt indigna Deo, cur fuerit indignum Apoſtolis conſtituere qua forma eſſet ædes ſacra? præſertim ſi eiuſmodi architecturæ ratio ad ſpiritum referenda ſit, vt quidem referri voluerunt ipſi architecti ſpirituales, cùm voluerunt ſcilicet vt eſſet ædes ſacra oblonga verſus Orientem: quod vſque in hodiernum diem per vniuerſas propè mundi eccleſias, cùm commodè fieri poteſt, ſeruatur. Sunt enim oblongæ inſtar nauis, vt ipſa forma ædificij admoneat eſſe nos in mundo, tanquam in mari, quod fluctibus & tempeſtatibus aſſiduè agitatur: quod nauigari oportet in naui eccleſiæ ab iis qui ad portum ſalutis peruenire volunt. Huc accedit quòd eccleſiæ à Prophetis frequentiſſimè dicuntur inſulæ, vt apud Eſaiam: Propter hoc, inquit, in doctrinis glorificate Dominum: in inſulis maris gloriam Domini Dei Iſraël. quem locum interpretans beatus Cyrillus in commentariis Prophetæ huius, Sic, inquit, vocat eccleſias, quæ tanquam in mari poſitæ in mundo, turbas eius ſuſtinent: & Deo ſeruante ſuperant, non ſinente eas vndis perſecutorum deprimi. Congruit cum his quod ἀπὸ τῆς νήσου, quæ inſulam ſignificat, quæ ipſa in ænigmate ſignificat eccleſiam, dicitur ναῦς, id eſt, nauis, quæ eccleſiam quoque ſymbolicè declarat: quæ in modum nauis eſſe debet verſus Orientem; vt admoneamur de vero Oriente, qui Chriſtus eſt, ſplendor Patris, cuius ortus in mundo tenebras diſcuſſit peccati & ignorantiæ, & de tenebris nos vocauit in admirabile lumen ſuum. Idcirco in Orientem ſpectantes, precationem faciunt fideles: quod Magnus Baſilius in libro De Spiritu ſancto ab Apoſtolis ait ſine ſcriptura, ſcilicet canonica traditum eſſe. Et hoc hodie in cuncto ferè orbe ſeruatur, vt altare primum, quod vocare ſolemus maius, verſus Orientem extruatur, ſitque collocatum quaſi in puppi nauis eccleſiæ: ſic enim vulgo conſuetudine ſermonis quotidiani appellatur nauis eccleſiæ. vbi epiſcopus velut gubernator nauis in puppi ſedens, clauum tenet: ſacrum facit, & populum docet & hortatur, quaſi nauim gubernans. Libenter hæc notaui, quamquam parua fortaſſe videantur, ne quid tam paruum & tenue in his libris appareat, quin magna prudentia, & ad noſtram vtilitatem non paruam ſcriptum exiſtimetur. Eſt itaque hæc traditio Apoſtolica de extruenda æde ſacra in modum nauis oblongæ verſus Orientem non quidem dogmatica, vt ſemper & neceſſariò ſeruanda ſit, ſed practica ad colendam pietatem vtilis.

*In medio autem lector ex loco edito legat libros Moyſis, Ieſu Naue, Iudicum, Regum, item Paralipomena, Eſdram de reditu populi, præterea Iob, Salomonem, & quæ ſequuntur.*] Ne quis enumerationem librorum canonicorum hoc loco non integrè factam reprehendat; admonere volui, non fuiſſe hic propoſitum Clementi, qui hanc doctrinam Apoſtolicam litteris mandauit, recenſere omnes libros canonicos ſui temporis. argumentum huius rei eſt, quòd hîc Eccleſiaſticum prætermiſit, quem tamen librum habuiſſe pro canonico ex eo conſtat; quòd eum citat tanquam ſcripturam ſacram libro quarto De orphanis. Item libros Machabæorum reticuit, quos etiam pro diuinis & canonicis habuiſſe ex eo liquet, quòd ex illis petit teſtimonium, cùm ſacrificium Mattathiæ & filiorum eius in zelo Dei commemorat inter alia ſacrificia, quæ ex ſanctis quoque ſcripturis collegit lib. 7. Iam librum Iudith & Eſther pro canonicis habuiſſe declarat idem, cùm libro 3. de pudicitia & precatione Iudith meminit tanquam ex ſacra ſcriptura, & lib. 5. de ieiunio Iudith & Eſther. Vt igitur hos libros prætermiſit, quia non neceſſe erat omnes enumerare (neque enim hoc agebat) ſic potuit prætermittere epiſtolam Iacobi & Iudæ, & duas Petri, atq; epiſtolas Ioannis euangeliſtæ, etſi has fortaſſe Ioannes poſt Clemētis mortem ſcripſit, vt quidem ſcripſit Apocalypſim. Illud verò de binis lectionibus vſque in hodiernum diem tum in eccleſia Oriētalium, tum Occidentalium, ſeruatur in Miſſa, in qua nos Euangelium, & epiſtolas Pauli, aut aliam partem ſcripturæ ſanctæ vel veteris vel nouæ legere in rato & ſollemni more habemus ex traditione (vt hinc licet intelligere) Apoſtolorum. De populo autem ſuccinente acroſtichia Pſalmorum, ad eccleſias Orientis pertinet, quibus ea conſuetudo tradita eſt, & à quibus ſuſcepta.

*Euangelium, quod ego Matthæus & Ioannes tradidimus.*] Sunt qui exiſtiment non potuiſſe Clementem meminiſſe de euangelio Ioannis, quòd Clemens mortuus ſit Veſpaſiano imperatore, Ioannes verò ſub Domitiano in Pathmo relegatus Euangelium ſcripſit. ſed falluntur iſti; ſiquidem vltimo anno imperij Domitiani, quo fuit Ioannes relegatus in inſulam Pathmos, vnam ex Cycladibus, ad extremum imperij Domitiani, vt Irenęus libro 5. teſtatur, vidit Apocalypſim: cùm prius Euangelium ſuum ſcripſiſſet & prædicaſſet, vt ex epiſtola Dionyſij Areopag. ad Ioannem, cùm eſſet in exilio, miſſa intelligi poteſt. Appellat enim Ioannem Solem Euangelij: & Euangelium quod ſcripſerat, appellat memoriam & renouationem veræ Theologiæ eius: cuius lectione fieri ait, ne radio illius ſolis priuari poſſent qui legerēt. Idem affirmat ſanctus Maximus in ſcholiis

in hanc



in hanc epiſtolam Dionyſij; & Georgius Pachimerus eum imitatus, idem quoque affirmat Euſeb. libro 3. hiſtoriæ Eccleſ. cap. 24. ſcripſiſſe poſt Euang. Apocalypſ. & Epiſtolas. Hieronymus quoque narrat, rogatum Ioannem ab epiſcopis Aſiæ, ſcripſiſſe Euāgelium aduerſus Cerinthum: cuius meminit Clemens in octauo libro. Affirmat item ſanctus Dorotheus epiſcopus Tyri, propter Euangelij prædicationem, quod Epheſi & in cuncta Aſia prædicauerat, relegatum fuiſſe à Domitiano. Idem affirmat Hippolytus martyr in libro De duodecim Apoſtolis, & eorum martyriis. dicit enim ſcripſiſſe Euangelium, deinde dicit ſcripſiſſe Apocalypſim. Idem dicit in homilia contra hæreſim Noëtianorum: licet in eo non ſit ei aſſentiendum, quod vtrumque in inſula Pathmos ſcripſiſſe ait: quam opinionem alij poſteà ſecuti ſunt. Sed melius ſanctus Dorotheus epiſcopus Tyri, temporibus Licinij & Conſtantini, in libello quem de eiſdem duodecim Apoſtolis, & de eorum martyriis ſcripſit, fortaſſe corrigens Hippolytum, dicit ſcripſiſſe Euangelium, deinde ſcripſiſſe Apocalypſim. Prædicato enim Euangelio Epheſi, miſſum eſſe à Domitiano in exilium propter Euangelij prædicationem; poſteà reuocatum à Traiano, rurſus Epheſum rediſſe. Hinc factum eſt, vt nonnulli ſuſpicarentur priùs ſcriptā eſſe Apocalypſim, quā in inſula Pathmos ſcriptam eſſe conſtat; & poſtea Euangelium, quod aiunt ſcripſiſſe Epheſi, vbi fuit Ioannes poſt obitum Domitiani vſque ad mortem ſuam. Sed notare debuerunt iſti, fuiſſe bis Epheſi, vt Dorotheus teſtatur, & beatus Hieronymus, qui etiam ait poſt mortem Domitiani rediſſe Epheſum. Cùm verò fuit primùm Epheſi, tunc eſt probabile ſcripſiſſe Euangelium; quod ibi prædicauit, & in cuncta Aſia: & propter prædicationem Euangelij relegatum fuiſſe à Domitiano. Præterea ſcribit S. Epiph. libro 1. contra hæreſes tomo 2. cap. 28. fuiſſe Cerinthum vnum ex illis, qui fratres Antiochiæ ad ſeruandam circumciſionem & legem Moyſi commouerunt, de quibus ſcripſerunt Apoſtoli, Quoniam audiuimus quia quidam ex vobis exeuntes turbauerunt vos verbis, & quæ ſequuntur; item fuiſſe vnum ex illis qui reſtiterunt S. Petro, cùm iuit ad Cornelium: & huius Cerinthi doctrinam ait ibidem idem Epiph. valde in Aſia viguiſſe: item Euſebius libro 3. hiſt. Eccleſ. cap. 28. hæreſim huius exponit; & quæ Irinæus & Dionyſius Alexādrinus de eo ſcripſerunt, recitat, & ſtatim capite proximo 19. Sic incipit, eodem tempore, & Nicolaitarum hæreſis haud diu durauit. Conſtat autem Nicolaum vnum fuiſſe ex ſeptem diaconis. Si igitur rogatu epiſcoporum Aſiæ, vt beatus Hieronymus teſtatur, contra hæreſim Cerinthi in Aſia ortam ſcripſit, quomodo veriſimile eſt tam multis annis poſt alios Euangeliſtas, & poſt hæreſim Cerinthi ante annos amplius 30. in Aſia ortam vſque ad tempus imperij Domitiani Euangelij ſcriptionem differre voluiſſe? à ſexto enim anno Claudij, quo Simon Magus expugnatus fuit à Petro, & Iudæi ac Chriſtiani ex vrbe pulſi, quando Simonis ſucceſſores, ex quibus fuit Cerinthus, Irinæo auctore, ſuas hæreſes diſſeminare cœperunt, vſque ad extremum imperij Veſpaſiani, cùm Clemens mortuus eſt, fluxerunt anni 31. auctore Euſebio. Quomodo igitur, vt iterum dicam, non potuit tot annorum ſpacio aut Ioannes Euangelium ſcribere ante mortem Clementis? aut Clemens ſcriptum videre? Sed de his plura adhuc ſcripſimus libro primo defenſionis canonum Apoſtol. cap. 11. cùm ad ea reſponderemus, quæ quidam alius in hunc locum obiiciebat.

Pag. 40. *Deinde hortentur populum presbyteri, non omnes ſimul, ſed ſingulatim.*] Congruit hoc cum loco epiſtolæ Pauli 1. Cor. cap. 14. Prophetæ, inquit, duo aut tres dicāt, & cæteri diiudicent: quod ſi alij reuelatum fuerit ſedenti, prior taceat; poteſtis enim omnes per ſingulos prophetare, ita vt omnes diſcant, & omnes exhortationem audiant. Hæc quoque eſt traditio Apoſtolica ad honeſtatem, & ordinem in eccleſia ſeruandum pertinens, de numero eorum de quibus Apoſtolus dixit: Omnia autem honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in vobis: loquebatur autem de iis quæ in eccleſia fiebant, ſeruatúrque hoc vſque in hodiernum diem vbique; ita vt nuſquam in eccleſia, quamuis ampliſſima ſit & frequentiſſima, duo aut plures ſimul ſermonem habeant de doctrina, ſed ſingulatim vnus, manè, ſi ita opus eſſe videatur: & alius, ſi idem non poteſt, poſt meridiem, tertius poſt veſperam, etiam vſque in multam noctem, ſi opus ſit. Sic intelligendum eſſe arbitror quod Paulus ait: Prophetæ duo aut tres dicant. Vt enim nunc fieri videmus, vt aliquando vnus bis, aut etiam ter in eccleſiis diuerſis ſermonem habeat, aut bis in eadem, quod fit non raro: ſic fieri poteſt, vt dico, aut tres in eadem eccleſia concionari velint; quod quidem, quo honeſtas & ordo in eccleſia ſeruetur, ſic erit faciendum, vt iubet Apoſtolica traditio, non ſolùm per ſermonem Apoſtolorum, ſed per epiſtolam Pauli apoſtoli nobis commendata. Quod verò hic Apoſtolica doctrina iubet, vt poſt exhortationem presbyterorum, poſtremus omnium exhortetur epiſcopus, nemo ſuſpicetur primas partes docendi verbum Dei dari presbyteris, & poſtremas epiſcopis, quaſi eccleſiæ gubernatione occupatis: immo ipſa Apoſtolica conſtitutio, quomodo intelligendum ſit, interpretatur, licet ſubobſcurè, ſubiungens ſtatim, Qui eſt ſimilis gubernatori nauis; vt intelligamus ſic loquendum eſſe in eccleſia epiſcopo poſt presbyteros, qui ſermonem habuerunt, quemadmodum gubernator nauis ſoleat poſt aliorum ſermones, ac ſententias de eo, quod orta tempeſtate faciendum eſſe videatur. Is enim poſtremus ſententiam ſuam dicit improbando, aut approbando aliorum iudicia, cui tandem parere oportet. Hoc hodie ſeruatur, vt audiui ex iis qui nauigarunt, quíque in periculum adducti, hoc experti ſunt. Similiter presbyteri

 quibus

quibus licet docere & interpretari verbum Dei, quos Paulus in epiſtola ad Corinth. cùm de hoc ageret, vocauit Prophetas, poſtquam ſermonibus exhortati ſunt populum, epiſcopus, qui præeſt eccleſiæ, tanquam princeps cæterorum, qui in primis diiudicare debet eos qui prophetāt, ſtatim poſt illos prophetas loquitur, exhortans populum vt faciant quæ à presbyteris illis ſiue prophetis dicta ſunt, & approbans ea; cui tandem oportet obedire omnes, & iudicium eius ſecundum fidē ſequi etiam prophetas illos. Ac ne exiſtimarent Corinthij gratiam prophetiæ tollere ordinem & ſubiectionem, poſtquam dixit Apoſtolus, Poteſtis per ſingulos prophetare, ſubiungit: Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt; quod Apoſtolica doctrina libro 8. interpretatur, cùm ait, Prophetas minores non ſe feciſſe pares maioribus, vt neque Silam & Agabum Apoſtolis; neque Timotheum Paulo; neque Aaron Moyſi: non enim illos tranſiſſe modos ſuos. Hoc igitur quod Paulus dixit, Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt, loquens de munere prophetandi, ſiue interpretandi verbum Dei ad ædificationem, exhortationem, & conſolationem. hoc, inquā, clarius expoſuit hîc Apoſtolica doctrina, cùm ait, Poſt exhortationem presbyterorum poſtremus omnium exhortetur epiſcopus; qui, inquit, eſt ſimilis gubernatori nauis. Ergo eſt propheta maior qui præeſt naui, id eſt eccleſiæ, & huic ſunt alij presbyteri ceu minores prophetæ ſubiecti. Hinc redarguitur illa peſſima conſuetudo, quam beatus Hieronymus ſcribit in epiſtola ſecunda ad Nepotianum, fuiſſe ſuo tempore in quibuſdam eccleſiis, vt præſentibus epiſcopis presbyteri non loquerentur; quaſi aut inuideant, inquit, aut non dignentur audire, quod vir ſanctus, & in conſtitutionibus Apoſtolorum eruditus, reprehendit, recitans locum Pauli 1. Cor. 14. Poteſtis enim per ſingulos prophetare. & quæ ſequuntur.

*Si quis autem repertus fuerit qui ſedeat loco non decente.*] Quod Apoſtolica conſtitutio præſcribit de ordine ſedendi in eccleſia, non eſt intelligendum quaſi præceptum Apoſtolorum ſit, ſic ſedere omnes omni tempore, ita vt quia non videmus ſeruari hoc ſemper, cōtinuò exiſtimemus violari Apoſtolicam traditionem: aut ſi violari non dicamus, neque præceptum fuiſſe arbitremur; vt ſic ſedendo ordines diſtinguantur, ſicut quidam alioqui graues & eruditi viri ſimili ratione adducti, quod præcepit Apoſtolus de velando capite mulieribus in eccleſia, exiſtimant non eſſe præceptum, quia ſcilicet, vt iidem aiunt, non videatur ſeruari; neque reprehendi, quia non ſeruetur. Quid igitur dicemus? Si præceptum eſt ſic ſedere, ergo qui ſecus faciunt, præceptum violant. Si nōn eſt præceptum, quid eſſe dicemus? quomodo præcipiunt Apoſtoli ſic ſedere? Aduertendum igitur eſt eſſe quidem hoc præceptum Dei & Apoſtoli, vt in eccleſia omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant: quod quidem latè patet. Sunt enim propè infinita in quæ cadit hoc præceptum: ad honeſtè verò ſedendum hæc fuit velut forma quædam perfecta τοῦ εὐσχήμου καὶ τάξεως ab Apoſtolis propoſita, vt ad eam collimarent, ac quamproximè accederent paſtores eccleſiarū. Itaque honeſtas ac decentia ſedendi eſt huius conſtitutionis ratio: contra hanc verò formam & rationem præcepti de ſedendo honeſtè, id eſt, contra decentiam eccleſiæ qui peccat, is quidem præcepti violator eſt. at ſi ſedendo nihil fiat in eccleſia contrà quàm deceat eccleſiam, non violatur Apoſtolica conſtitutio & Dei ordinatio de ſedendo honeſtè & ordine in eccleſia; ita vt ſi ſit probabilis cauſſa ſedendi aliter quàm hinc deſcribitur, modò contra decentiam eccleſiæ non fiat aliquid, poſſint fideles aliter ſedere, ſalua Apoſtolica conſtitutione. Neque enim aliquid indecenter fit in eccleſiis noſtris, quòd virgines aliquæ cum matronis ſedeant: neque quòd interdum aliquis iuuenis cum ſenibus; ſi aliqua probabilis ratio id poſtulet, honeſtum habebitur. Contrà verò, vbi nulla decentiæ ratio fuerit, vt adoleſcens quiſpiam inter ſenes ſedeat, & vbi appareat ratio indecori, quis neget malefieri, ſi neglecta decentia eccleſiæ non moueatur loco?

### CAP. LVIII. *pag. 41.*

*Si verò aliquis presbyter ex vlla paræcia adueniat, excipiatur à presbyteris* κοινωνικῶς: (ita enim legendum eſt, vt in quibuſdā exemplis manuſcriptis erat) *Si fuerit diaconus, à diaconis; ſi verò epiſcopus, ſedeat cum epiſcopo.*] Eſt autem excipi κοινωνικῶς, excipi communicanter, ſi verbum verbo placet reddere; aut ſi Latinius malis, excipi amicè. Iubet ergo Apoſtolica conſtitutio, vt presbyteri cum presbytero peregrino, diaconi cum diacono, epiſcopus cum epiſcopo, tanquam cum æqualibus honorem, vt par eſt, communicent, ita vt presbyter cum presbyteris, diaconus cum diaconis, epiſcopus cum epiſcopo ſedeat: & cætera in eccleſia, tanquam amici (hoc enim iuſtum eſt) habeant communia: in communicatione enim eſt amicitia, vt Ariſtoteles in octauo De moribus libro tradit: & vbi amicitia, eadem vtrinque iuſtitia propter æqualitatem, ſecus atque in alio genere amicitiæ, quam idem auctor vocat καθ' ὑπεροχὴν, vt patris & filij, ſenis & adoleſcentis, viri & vxoris, domini & ſerui, magiſtratus & ſubditi: in his enim ſuperiores diligunt inferiores, non quidem κοινωνικῶς, ſed προνοητικῶς, vt ait Dionyſius Areopag. cap. 4. De diuinis nominibus; inferiores verò diligunt ſuperiores, & cum eis amicitiam habent ἐπιστρεπτικῶς, vt idem ait, id eſt, quatenus ad illos veluti tutelæ & perfugij gratia ſe conuertunt: æquales verò alios æquales atque eiuſdem ordinis diligunt, (inquit idem) κοινωνικῶς, eodem verbo vſus eſt quo Clemens: quod perinde eſt quaſi diceret φιλικῶς, id eſt amicè. Hac verò conſtitutione cauetur, vt in recipiendis presbyteris, aut diaconis, aut epiſcopis peregrinis, nulla in eccleſia appareat acceptio perſonæ. Vbi enim



enim non eſt illud κοινωνικὸν, quod æqualibus debetur, neceſſe eſt vt ibi ſit acceptio perſonæ. Vt ſi ei qui habet annulum aureum in veſte candida, ſicut ait beatus Iacobus, dicatur in eccleſiaſtico conuentu, Tu ſede hic bene; & pauperi dicatur, Tu ſta illic, acceptio perſonæ fit. diuitiæ enim, ſi idem ſit gradus & æqualis ordo, non faciunt ſuperiorem ex ſe: ſic, eſſe presbyterum aut diaconum in eccleſia huius epiſcopi, aut in eccleſia illius, quatenus presbyter aut diaconus eſt, non facit ſuperioris gradus eſſe, quàm eſſe presbyterum aut diaconum in alia. Illud etiam venit mihi in mentem obſeruare hoc loco de ratione verbi cœnonici, quo Apoſtolica doctrina hîc vtitur, olim clericos ex communi ſumptu eccleſiæ viuere in commune ſolitos, vt ex epiſtola Vrbani primi intelligi poteſt, à vita communi, quam ad exemplum Apoſtolicæ inſtitutionis viuebant, cœnonicos fuiſſe vocatos: quo verbo vſus quoque eſt Euſebius archiepiſcopus Alexādriæ, non eius quæ eſt in Africa, ſed quæ in Aſia, ad quam ex parua ciuitate tranſlatum eſſe affirmat Antherus pontif. Sic ergo Euſebius in ſermone de die Dominico, hortans ad permanendum in eccleſia vſque ad extremum Miſſæ, iuxta canonem Apoſtol. IX. Siue, inquit, ſit cœnonicus, ſiue non ſit, debet permanere μέχρι τῆς ἀπολύσεως τῆς ἐκκλησίας, id eſt, quouſque dimittatur eccleſia, cùm ſcilicet dicitur, vt hodie ſolet, Ite, miſſa eſt, ſcilicet peracta. Cùm dixit, Siue cœnonicus ſit, ſiue non ſit, cùm omnes ingredientes in eccleſiam complecti voluerit, conſequens eſt, vt perinde ſit hoc quaſi diceret, Siue clericus vel religioſus ſit, ſiue laicus. Quia igitur non ſolùm illis temporibus Apoſtolorum, ſed etiam diu pòſt, vt teſtatur ſanctus Vrbanus pontif. & martyr, adhuc vitæ communis inſtitutum vigebat maximè, inquit, inter eos qui in ſortem Domini erant electi, id eſt, inter clericos: his enim maximè, vt Clemens quoque in epiſt. quinta ſcribit, vita communis neceſſaria eſt, qui Deo, inquit, irreprehenſibiliter militare cupiunt; & vitam Apoſtolorum eorúmque diſcipulorum imitari volunt; de clericis dicit, Clerici enim dicuntur in ſcriptura militare Deo, idcirco præcipit Apoſtolica doctrina, vt cùm ex alia parœcia clericus aduenerit, vt recipiatur cœnonicè, id eſt, in commune: ita enim decebat, vt qui in commune viuerent, in commune quoque reciperentur à ſuis ſimilibus, id eſt, à viuentibus in commune. Itaque non præcipit hoc de laicis qui ſua poſſident. hoc fit hodie in cœnobiis, peregrinos enim cœnobitas in commune excipiunt. Ad huiuſmodi clericos pertinet quod beatus Hieronymus in epiſtola ad Nepotianum de vita clericorum ſcribit, fuiſſe ad refrenandam auaritiam clericos vnà cum monachis prohibitos lege non ſolùm euangelica, ſed ciuili, capere hæreditates, quia ſcilicet vitam communem inſtituiſſent ſecundum Apoſtolicum inſtitutum nihil proprium poſſidēdi. Tales clericos habuit in eccleſia ſua beatus Auguſtinus, de quibus eſt in 12. q. 1. cap. Nolo, & cap. Non dicatis. De his ſcribit ibidem beatus Gregorius ad Auguſt. Anglorum epiſcopum, Quia tua fraternitas monaſterij regulis erudita, ſeorſum non debet fieri à clericis ſuis in eccleſia Angl. hanc debet inſtituere cōuerſationem, quæ initio fuit patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex iis quæ poſſidebat, proprium habebat, ſed erant illis omnia communia. Ab hoc inſtituto vitæ communis, id eſt, participandi omnia inter ſe communiter, & nihil proprium poſſidendi ſub eccleſiaſtica regula pſalmos horis canonicis canendi, qui à principio κοινωνικοὶ, ſiue cœnonici dicebantur, dici cœperunt poſteà Canonici cœnobiorum; vnde ad canonicos in cœnobiis ſcribit beatus Baſilius; à Latinis dicti ſunt Canonici regulares, quia ad regulam eccleſiaſticam canendi pſalmos horis canonicis, regulam Sancti Auguſtini viuendi ex eccleſia in commune nihil proprium poſſidentes ex voto, adiungere voluerunt. Qui verò hoc non ſuſceperunt, canonici ſolùm vocantur. Hactenus de verbo Cœnonici, quod etſi in vſu non ſit, nihil enim refert, eſt tamen adhuc in conſuetudine res ipſa verbo ſubiecta, id eſt, communitas vitæ ſecundum Apoſtolicam inſtitutionem in monaſteriis & cœnobiis, & in eccleſiis non paucis clericorum. Sed de his latiùs nuper ſcripſimus in 5. libro defenſionis epiſtolarum pontificum Apoſtolicorum cap. 2.

*Si autem cùm iam ſedetur, alius quiſpiam adueniat honeſtus & nobilis, ſiue externus ſiue eius regionis, tu epiſcope, cùm de Deo ſermonem habes ad populum, aut cùm pſallentem & legentem audis, caue ne acceptio perſonæ faciat, vt miniſterium verbi intermittas, vt illi locum ſedendi ante alios deſtines: quin potius quieſce.*] & paulo pòſt: *Sin autem pauper, aut ignobilis, aut peregrinus quiſpiam ſenex vel adoleſcēs aduenerit, neque ſit locus vacuus, hic quoque diaconus toto animo locum faciat.*] Mirificè conueniūt hæc cum epiſtola beati Iacobi: Fratres, inquit, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ, id eſt, glorioſi: deinde ſubiungit: Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir annulum aureum habens in veſte ſplendida, introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei, Tu ſede hic bene: pauperi autem dicatis, Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum; nonne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum? Cùm conuentum dicit, eccleſiam intelligit. Deinde ille qui dicit, Tu ſede hic bene, ſcilicet intendens in eum qui indutus eſt veſte præclara; epiſcopus eſt, qui intermiſſo ſermone quem habet ad populum, & interrupta audientia nobilem honoris gratia ſeſſum recipit; quaſi hoc placeat Deo, vt magis honoretur diues, quàm fides & miniſterium verbi Dei: & vt pauper propter diuitem inhonoretur: aut quaſi diuitiæ abſque virtute Deo ſint acceptæ, quæ quidem ſunt cogitationes iniquæ. Hoc igitur vocauit beatus

Iacobus hic, habere fidem in acceptione perſonæ: id eſt, exiſtimare eſſe miniſterium in eccleſiâ acceptum Deo propter acceptionem perſonæ: Sic enim iubet conſtitutio epiſcopo, dare locum pauperi in eccleſia, vt, inquit, non fiat acceptio perſonæ, & ſit miniſterium eius Deo acceptum. Eſt itaque traditio non ſolùm per ſermonem Apoſtolorum, ſed per epiſtolam beati Iacobi relicta nobis, vt in eccleſia ne cum dedecore pauperis detur locus diuitibus: & ne interrũpatur miniſterium verbi Dei, & ſermo, vt recipiatur, ſeſſum nobilis. Libenter hæc obſeruaui, vt intelligatur ex omni parte, quanta ſit doctrinæ huius conuenientia cum ipſa ſcriptura Apoſtolorum.

CAP. LIX. *pag. 41.*

*Cùm autem doces, ô epiſcope, hortare populum & mone, frequentare eccleſiam quotidie manè & veſpere, vt omnino abeſſe nolit, immo aſſiduè conueniat.*] & paulo pòſt: *Quinimmo conuenite in eccleſiam ſingulis diebus manè & veſperè, ad canendum pſalmos, & precationes in templo faciendas, potiſſimum autem die Sabbati & die Dominico, qui eſt dies reſurrectionis.*] Vt in eccleſiam conueniant fideles ad audiendum verbum Dei, & ad precationes faciendas, & ad cantum pſalmorum, & ad ſacrũ, traditio eſt, non ſolùm per ſermonem Apoſtolorum, ſed per epiſtolas eorum mandata: quæ vſque in hodiernum diem in cuncto orbe Chriſtiano ſeruatur. De huiuſmodi quotidiano conuentu in eccleſiam, qualem hîc deſcribit Apoſtolica conſtitutio, loquitur Paulus 1. Cor. 11. cùm ait, Igitur conuenientibus vobis in vnum, & quæ ſequuntur. Rurſus de eodem conuentu in eccleſiam ad pſallendum, & docendum verbum Dei; 1. Cor. 14. Si ergo, inquit, conueniat vniuerſa eccleſia in vnum, & omnes linguis loquantur; & quæ ſequuntur. Et beatus Iacobus de eiuſmodi conuentu in eccleſiam, qualis hîc deſcribitur: Si ingrediatur aliquis in conuentum veſtrum, & reliqua. Et in Act. cap. 11. Quotidie perdurantes vnanimiter in templo: in qua autem re perdurarent, paulò ſuprà explicauerat Lucas: Erant, inquit, perſeuerantes, ſiue perdurantes (idem enim verbum eſt vtrobique) in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. In altero itaque loco dixit; in quibus perſeuerarent; in altero, vbi perſeuerarent. Rurſus Paulus Apoſtolus de huiuſmodi conuentu in eccleſiam loquitur in epiſtola ad Hebræos cap. 10. Hortans enim ad accedendum poſt baptiſmum cum vero corde, & plena fide ad eum qui idem eſt hoſtia & ſacerdos magnus, qui eſt ſancta Euchariſtia; quæ in domo Dei, quæ eſt eccleſia, celebratur; ſimul hortatur, vt non deſinamus frequentare eccleſiam, vbi corporis & ſanguinis Domini communio ſumitur: Non deſerentes, inquit, collectionem veſtram, ſicut conſuetudo eſt quibuſdam, ſed inuicem prouocantes; & quæ ſequũtur. Collectionem vocauit conuentum in eccleſia, eodem verbo vſus quo beatus Iacobus; niſi quòd Iacobus συναγωγὴν dixit, Paulus verò ἐπισυναγωγὴν, vt præpoſitione illa ἐπὶ ſignificaret eſſe eccleſiam congregationem fidelium in vnum, & hos in regno cælorum eſſe congregandos. Sed dicet aliquis: Si traditio eſt Apoſtolica, vt hæc conſtitutio docet, vt ſcilicet quotidie manè & veſperè conueniant fideles in eccleſiam ad verbum Dei audiendum, & pſalmos, & ad Dominum, qui ibi nobiſcum ſemper eſt præſens, ergo qui non veniunt, traditionis violatæ rei ſunt; at non eſt hæc iuſſio, ſed hortatio, quam quidem qui contemnit, is violator eius dicendus eſt: non autem, qui non contemnit, præſertim ſi probabilem abſentiæ cauſam habeat. quod quidem ex lib. 8. cap. 14. magis adhuc intelligere licet, vbi ſacerdos poſt oblationem ſic precatur in eccleſia, inquiens: Obſecramus te quoque pro iis qui ſont abſentes. Deinde interpretans quoſnam abſentes dicat, ſubiungit, qui abſentiæ ſuæ habent cauſam probabilem. Is igitur huius traditionis hortatoriæ violatæ tenebitur, qui per contemptum, vt dixi, abeſt, & is fructu congregationis carebit, qui temerè ac ſine cauſa abeſt, cùm adeſſe poſſit. Etſi enim eccleſia pro omnibus membris ſuis deprecetur, in primis tamen ac magis pro iis qui adſunt præſentes: aut corpore quidem abſentes ſunt, ſed ſpiritu & deſiderio præſentes; quod dici ſolet, voto adeſſe. Quòd autem die quoque ſabbati potiſſimùm conuenire in eccleſiam præcipit, ſicut die Dominico, ad reſurrectionis etiam cultum & honorem pertinet & refertur. Reſurrectioni enim, ſcribit Leo primus epiſc. 81. ad Dioſcorum Alexand. à veſpera ſabbati initium conſtat aſcribi: idcirco cõtinuato ieiunio ſabbati iubet manè die Dominico ordinationes epiſcoporum celebrari. eodem pertinet, quòd in eccleſiis Orientis omni ſabbato, excepto vno magnæ hebdomadæ, non ieiunant; neque, niſi ſabbatis quadrageſimæ, à carne abſtinent. De ratione pſalmi matutini 62. & veſpertini 140. dictum eſt in ſcholio.

## IN LIBRVM TERTIVM DE VIDVIS.

CAP. II. *pag. 45.*

VIDVAE *adoleſcentiores ne cooptentur in gradu viduali, ne excuſando non poſſe ferre feruorem ætatis, inito ſecundo matrimonio, in negotio ſint.*] Dixerat in principio libri huius, quid euenire ſoleret, cùm adoleſcens vidua inter viduas eccleſiæ cooptatur; idcirco hoc loco omnino iubet non eligere tales, ne inito ſecundo matrimonio, ſint in negotio, ſcilicet fornicationis: Paulum imitatus eſt Clemens, qui ſic vocauit in epiſtola 1. ad Theſſal. cap. 4. cùm ait; Hæc eſt enim voluntas Dei, vt abſtineatis vos à fornicatione, vt ſciat vnuſquiſque veſtrûm vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore: & ne quis ſupergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem ſuum. ἐν τῷ πράγματι dixit cum articulo, vt referret ad rem ſiue negotium fornicationis, de qua paulò ſuprà dixerat; Abſtinete vos ab omni fornicatione. Ac rurſus quia de re valdè neceſſaria loquebatur Clemens, Paulum imitatus, cùm ait in epiſtola ad Philipp. Mihi eadem dicere non eſt pigrum, vobis autem neceſſarium; repetit eandem conſtitutionem, iubens opitulari huiuſmodi viduis adoleſcentioribus, ne excuſando, inquit, ſe derelinqui, turpi negotio implicentur. Iam hîc apertius ſignificauit quod voluit. Quis non intelligat ex tanta repetitione, quàm ſit neceſſarium ad ſalutem animæ fidem continentiæ Deo obligatam, non violare?



*Quartum verò coniugium planè & libidinem eſſe, & manifeſtam impudicitiam.*] Non damnat hęc Apoſtolica conſtitutio quartas nuptias, cùm Apoſtolus ſimpliciter dixerit, Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut & ego: quòd ſi non ſe continent, nubant: melius eſt enim nubere, quàm vri. Non dixit, nubant ſemel, aut iterum: aut melius eſt nubere ſemel & iterum, quàm vri: ſed ſimpliciter dixit, nubãt: melius eſt enim nubere, quàm vri. Rurſus idem Apoſtolus; Quòd ſi dormierit, inquit, vir eius, liberata eſt à lege, cui vult, nubat, tantùm in Domino. Et in epiſtola ad Timotheum de viduis; Iuniores, inquit, nubere volo, filios procreare, matresfamilias eſſe. Simpliciter dixit, cui vult, nubat, & nubere volo. Non ergo hoc loco, vt dixi, damnat Apoſtolica doctrina quartas nuptias, ſed incontinentiam quarto nubentis. Cuius quidem incontinentiæ non eſt ſolùm indicium in quartis nuptiis, vt eſt in tertiis, immò in quartis iam eſt manifeſta oſtenſio: ita vt doctrina Apoſtolica tetragamiam dicat eſſe planè libidinem, & manifeſtam impudicitiam. quam quidem beatus Baſilius ſecutus Apoſtolicam doctrinam canone 75. vocat belluinam, & à genere humano alienam, ſcilicet propter manifeſtam impudicitiam, cuius non magis pudet huiuſmodi polygamon; neque magis ei parcit, quàm ſi bellua eſſet furenti libidine incitata. Vnde beatus Auguſtinus: Neque contra, inquit, humanæ verecundiæ ſenſum audeo dicere, vt quoties voluerint, nubant. A genere autem humano alienam dixit, quia, vt hîc ait Apoſtolica doctrina, Deus vnam vxorem dedit viro, hic autem tetragamos quatuor duxit. Ex quibus ſi filios ſuſcipiat, odiis & ſimultatibus eos implicet neceſſe eſt propter diuerſitatem matrum, quod quidem inhumanum eſt. Ergo, vt beatus Baſilius ait canone 4. trigamiam dictam eſſe à Patribus moderatam fornicationem, quam tamen, quanquam infamem, & turpem, vt idem ait canone 47. publico iudicio non damnat. Sic conſtitutio Apoſtolica tetragamiam, id eſt, quartas nuptias, manifeſtam impudicitiam vocat, non ipſum coniugium quartum damnans, ſed manifeſtam incontinentiam ac libidinem. Vnde idem Baſilius exaggerando grauius, fornicationem eſſe dicit; quia, vt Zonaras huius canonis interpres ait, Qui fornicatur, ſe tantùm lædit; tetragamos verò, aut pentagamos, ſe, & canones offendit: & filios odiis ac ſimultatibus implicat. tametſi mitius cum eo agatur, quàm cum fornicatore, qui à beato Baſilio annis ſeptem, à veteribus annis quatuor puniebatur. Immò recitemus etiam canonem quartum eiuſdem Baſilij de trigamis, & polygamis, quo faciliùs hæc Apoſtolica conſtitutio ex veterum patrum ſenſu ac iudicio, & eccleſiaſticis regulis ſanè intelligatur. De trigamis, inquit, & polygamis, ſimilem atque de digamis canonem ſanximus. Etenim digamos annua eccleſiæ interdictione mulctant: alij biennio: trigamos triennio: & ſæpenumero quadriennio. Vocant autem huiuſmodi non iam nuptias, ſed polygamiam, hoc eſt, multiplices nuptias, vel potius fornicationem moderatam. Quamobrem Dominus Samaritanæ, quæ quinque viros iam habuerat, quem nũc, inquit, habes, non eſt tuus: tanquam non eſſent digni vel viri, vel vxoris nomine, qui digamiæ, hoc eſt, binarum nuptiarum numerum tranſiſſent. Nos autem in vſu habemus, non ex canone, ſed ex maiorum exemplo, trigamos quinquennij ſpatio eccleſia prohiberi; ſunt autem prohibendi eccleſia non ex toto, ſed biennio, aut triennio, ad audiendos ſermones admittendi: poſtea verò reſtituendi in eccleſiam, ita vt à ſacra communione arceantur: quæ tunc quidem concedatur, cùm aliquem pœnitentiæ fructum oſtenderint. hactenus canon. In quem Zonaras ſcholion ſcripſit: De trigamia, inquit, extat tomus, ſiue decretum factum in concilio Conſtant. ad reconciliandos monachos, & clericos habito, quod dictum eſt ἑνώσεως, id eſt, vnionis, temporibus Conſtantini, & Romani Imperatorum, in quo trigamia interdicitur viris quadraginta annos natis, niſi liberis careant. interdicitur autem ob honeſtatem, & decorum. Atque ita ſancitur pœna non ipſa trigamia, ſed intemperantia, & turpitudo ipſius hominis, exemplúmque indecorum. Ob eandem cauſam Synodus Neocæſarienſis prohibet presbyteris canone 7. intereſſe conuiuio huiuſmodi nuptiarum; & Synodus Laodicen. non ſtatim huiuſmodi coniuges ad ſacram communionem admittit. Hæc Zonaras. Sic igitur intelligenda eſt Apoſtolica conſtitutio, non quaſi nuptias, tertio, aut quarto, aut ſæpius etiam repetitas damnet: ſed ipſam incontinentiam. quod ex ipſis verbis Clementis, ſi eorum vis ponderetur, videtur mihi intelligi poſſe. Cùm enim ait, trigamiam, ſiue tertias nuptias ſignum eſſe ſiue indicium incontinẽtiæ, ſatis ſignificat, fieri poſſe, vt aliquando honeſtæ ſint, & non propter incontinentiam, & libidinem repetitæ. Non enim ſignum naturale eſt hoc, vt eſt fumus index ignis, quin poſſit videri ſignum eſſe incõtinentiæ, non eſſe tamen reuera incontinentiam, quia ſit cauſa aliqua honeſta huiuſmodi nuptiarum; vt ſi nec

ex primis, nec ex ſecundis, neque tertiis nuptiis liberi ſuſcepti ſint. Etenim niſi hoc ſignificare voluiſſet, nunquam ſic dixiſſet, eſſe tertias nuptias ſignum incontinentiæ. Quare cùm ſubiungit, quartas verò, manifeſtam fornicationem, ex antecedentibus, quid ſibi velit, intelligendum eſt; ſignificat enim rarum, ac difficile eſſe, reperire, qui honeſtè quartum matrimonium repetat, ita vt dici poſſit, quartum matrimonium non indicium impudicitiæ, vt de tertio matrimonio dixit, ſed manifeſtam impudicitiam eſſe, quam grauiore vocabulo exaggerandi cauſſa vocauit πορνείαν, id eſt, fornicationem. Quod autem ait Hieronymus libro priore contra Iouinianum, vt hoc quoque aduertamus, vbi vnus exceditur, nihil referre, ſecundus, an tertius ſit, quia deſinit eſſe monogamus, non ſic accipiendum eſt; quaſi vir ſanctiſſimus, & eruditiſſimus digamiam & trigamiam pares fecerit: ſed hoc voluit dicere, quantum pertinet ad amittendam gloriam monogamiæ, nihil referre; referre tamen quoad turpitudinem maiorem, aut minorem. Illud autem eſt hic aduertendum, cùm ait hæc doctrina, quartum coniugium planè libidinem eſſe, quia Dominus vnam dedit vni viro, non improbare digamiam, id eſt, ſecundum coniugium hac auctoritate, neq; ſolam monogamiam ſancire, qui fuit error Tertulliani: iam enim approbauerat apoſtolica doctrina digamiam, ſi nõ eſſet facta promiſſio non nubendi iterum, vt in viduis Eccleſiæ. Sed hac auctoritate Domini Dei, qui vnam vni dedit à principio, qua abuſus eſt Tertullianus ad ſanciendam ſuam monogamiam, voluit docere apoſtolica conſtitutio, ideò tetragamiam eſſe planè libidinoſam, quia ab illa continentia coniugij ſimplicis, quod in principio fuit à Deo inſtitutum, tamquam typus coniugij honorati, & incontaminati, longius diſceſſum ſit. Immo videtur mihi (vt hoc obiter obſeruetur) legiſſe Tertullianus hanc conſtitutionem apoſtolorum, quæ digamiam probat: & trigamiam non damnat. Siquidem in libro de monogamia quærit, cur nõ potuerit poſt Apoſtolos ſpiritus ſuperueniens ad deducendum diſciplinam in omnem veritatem per gradus temporum, ſecundum quod Eccleſiaſtes tempus omni rei, inquit, ſuper terram, iam carni fabulam imponere? poſt apoſtolos dixit, ſignificans quantum ſuſpicor, has conſtitutiones, & doctrinam Apoſtolorum. Locum enim Apoſtoli ad Corinth. 1. cap. 7. de vidua libera ad nubendum cui velit, mortuo viro: & ad Timotheum de viduis iunioribus, quibus præcipit nubere, malè interpretatur. Hanc quoque apoſtolicam doctrinam ſecutus eſt Gregorius Nazianz. ediſſerens illum locum Matth. 19. de quæſtione Phariſæorum ſuper matrimonio: Primæ, inquit, nuptiæ legis ſunt: ſecundæ indulgentiæ: tertiæ verò ex tranſgreſſione. Quod quidem intelligendum eſt propter ſignum intemperantiæ, non quòd dicat per ſe illicitas, vt diximus. Pari ratione Athenagoras in apologia pro Chriſtianis ad Antoninum, & Commodum imperatores ſecundum cõiugium decorum adulterium eſſe dicit.

CAP. IIII. *pag. 45.*

*Dicite quibuſcunque bona diſpertitis, quis illa dederit, vt nominatim pro eo precentur.*] Apertè condemnat hæc Apoſtolica conſtitutio Ioannem VVicleff, qui aiebat orationes pro animis defunctorum factas in Eccleſia, præferentes vnum ex nomine plus quàm alium, eſſe falſum fundamentum eleemoſynæ. His verbis docebat ille hæreticus, non licere precationem pro illo facere nominatim. quem errorem eruditè confutat Thomas VValdenſis 3. Tom. de Sacr. cap. cvij. hæc verò Apoſtolica doctrina proprio etiam verbo refellit. præcipit enim ἐξ ὀνόματος, id eſt, nominatim, pro eo qui eleemoſynam tribuit, Deum precari; quod nobis per Apoſtolicam traditionem in Eccleſiaſtica conſuetudine relictum, vſque in hodiernum diem ſeruamus & frequentamus.

CAP. VI. *pag. 46.*

*Erat enim nobiſcum mater Domini, & ſorores eius; præterea Maria Magdalena, ac Maria Iacobi; item Martha & Maria ſorores Lazari.*] Hic quoque locus defenſionẽ poſtulat, ne reprehenſionẽ incurrat, quia fortaſſe non deerunt quibus falſus videatur. Sed illud primum admonere neceſſe eſt, vt omnia caueamus; omnemq; ſcrupulum eximamus. Cùm eccleſia ſancta Mariam Magdalenam tanquam ſororẽ Lazari celebrat, quia ſcit multos doctores hoc ſenſiſſe, non continuò decretum facit, ita in re eſſe, id eſt, ſororem Lazari fuiſſe, quia ſcit rurſus multos quoq; magni nominis, & multæ antiquitatis auctores contradicere. in hac verò varietate ſententiarũ de quæſtione facti, illam partem eccleſia elegit, quæ ſecundum ſanctas & pias rationes probabilior ſibi viſa eſt: præſertim cùm hanc opinionem apud multitudinẽ populorum reperiſſet, in qua electione ſancta errare non potuit, ſiue in re ita ſit, ſiue non ita. hic enim dicendum eſt, quod Natalis Beda eruditus theologus Pariſienſis in confutatione Iacobi Fabri, & Iudoci Clitouæi de tribus Magdalenis in tertia parte declarationis ſuæ ſcholaſticæ, ſic enim appellat, Eccleſia, inquit, non errat, quando agit ſecundũ morales & Theologicas probabilitates. Practica enim, & moralia, quæ opus dirigunt, iudicia vera ſunt, & fidei, atque prudentiæ effectus. Deinde ſubiungit, ſiue vna ſit, ſiue non, non errat nunc. hoc in illos ſcripſit, qui audebant dicere eccleſiam errare, quòd vnã tantum Magdalenam celebraret, in quo illi potius maximè errabant. Nemo igitur de cætero mihi moleſtus ſit, ſi quod Clemens apoſtolicus auctor, & multi antiqui auctores cum eo ſentiunt, mihi probabile viſum eſt, quamdiu hoc eccleſia permittit nullo decreto contrario interpoſito: Sicut

ego



ego rurſus moleſtus eſſe non debeo ijs quibus contraria ſententia probabilior videtur. ego interim cum eccleſia Mariam Magdalenam ſororem Lazari in officio eccleſiaſtico voco, & ſororem eſſe piè cum eccleſia dico, ſicut ipſa dicit; in hac eccleſiaſticæ prædicationis pietate error eſſe non poteſt, licet ponamus non eſſe hoc in re quod eſſe dicit eccleſia. Sed dicamus iam quæ ad probabilitatem ſcripturæ Clementis pertinent. Vna enim fuit Maria Magdalena, quæ apud Matthæum venit veſpere ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, id eſt, venit ad multam noctem, vt Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Baſilidem de hora reſurrectionis Domini interpretatus eſt, quod eſt, vt beatus Ioannes ſcripſit, valde mane veniſſe ad ſepulchrum. Hæc eſt illa mulier in ciuitate peccatrix, ex qua ſeptem dęmonia eiecit Dominus, quę in domo Phariſæi pedes Domini lachrymis rigauit, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur, & vnguento vngebat: cui primò apparuit Dominus, poſtquam reſurrexit, vt Marcus, & Ioannes teſtantur: & quæ non eſt permiſſa tangere Dominum, ſcilicet cùm flebat; quia nondum credebat: quæ rurſus permiſſa eſt tangere, quando gaudere cum alia Maria iuſſa eſt; quando quidem poſt viſionem angelorum iam Deum eſſe credebat, non autẽ ſolum hominem, ſicut cùm lugebat, quia nõ credebat. ſic enim Euſebius Cæſar. in epiſtola ad Marinum, Euangeliſtas hoc loco concordare interpretatus eſt. Narrat præterea idem Euſebius in eadem epiſtola fuiſſe ſuo tempore, qui opinarentur, duas fuiſſe Magdalenas, vnam, quæ veſpere ſabbati apud Matthæum, alteram apud Ioannem, quæ valde mane ad ſepulchrum veniſſet, ex qua ſeptẽ dæmonia Dominus eieciſſet: & hanc quidem illud audiſſe, noli me tangere: illam verò apud Matthæum cum altera Maria tenuiſſe pedes eius. Deinde ſubiungit: Sed ſi quis dicat, eandem eſſe, ſic quoque concordant euangelia. rationem verò concordiæ attulit idem, quam paulò antè retuli, ne idem repetam. Deinde hæc Maria Magdalena ex Galilæa erat, vt ex Marci euangelio intelligere licet, cùm ait cap. 15. erant autem & mulieres de longè aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater, & Salome: & cùm eſſet in Galilæa, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei: ſcilicet quia erant mulieres Galilææ, ſequebantur eum, & miniſtrabant ei, cùm eſſet in Galilæa; vnde probabile eſt dictam eſſe Magdalenam à Magdalo, quæ eſt, vt tradunt, ciuitas in vno latere maris Galilęæ, ſiue Geneſareth in Galilæa; aut à Magda ciuitate Galilææ, ſic enim vocat Epiphanius presbyter. Conſtantinopolitanus in vita Virginis Mariæ, quam diligentiſſimè, & grauiſſimè ſcripſit, cuius auctoris, & operis meminit Nicephorus Caliſtus. in hac ciuitate Magda ait hic auctor exceptum fuiſſe Dominum à Maria muliere diuite & nobili, Magdalenam intelligere, ex nomine ipſius ciuitatis coniecturam facere licet. ex quo iam fit, vt hæc Maria Magdalena non ſit illa Maria ſoror Lazari, & Marthæ; illa enim ex Iudæa fuit ex caſtello Bethaniæ, quæ, vt ſcriptura teſtatur, quaſi quindecim ſtadiis ab Hieruſalem diſtabat; quę quidem, vt ait Photius Conſt. ἐπ' εὐλαβείᾳ ἐγνωρίζετο, id eſt, erat inſignis, ac nobilis pietate, quæ, inquit, pedes Domini vnxit ſine lachrymis, quia erat gratiarum actio, quam adhibebat pro lætitia, & beneficio fraternæ ſuſcitationis. ait præterea idem Euſeb. videri tres fuiſſe Magdalenas, duas peccatrices, tertiam, quæ Lazari, & Marthæ ſoror fuiſſet, non peccatricem, ſed religione inſignem, & claram. Sed ſiue duæ Mariæ Magdalenæ peccatrices ſint, quod minus probabile eſt, ſiue vna, quod verius, Maria certè, quæ non cognomento Magdalena, ſed Maria ſoror Lazari, & Marthæ in euangelio dicta eſt, alia prorſus eſſe videtur, & multis viſa eſt; vt ex obſeruationibus euangelij, quas idem Photius collegit, & quiuis colligere poteſt, perſpicitur. Licet aliquid Photius, immo etiam Chryſoſtomus, & Auguſtinus videantur tribuere in euangelio Mariæ Magdalenæ peccatrici, quod potius Mariæ Lazari, & Marthæ ſorori tribuendum eſſe videtur, vt illud, quod eſt apud Matthæum, & Marcum de muliere, quæ in domo Simonis leproſi fracto alabaſtro effudit vnguentum ſuper caput Domini, & quæ ſequuntur, quæ vnctio per recapitulationem ab eis narrata, non eſt diuerſa ab illa quam Ioannes euangeliſta cap. 12. narrat de Maria ſorore Lazari, & Marthæ. hæc enim cœna in Bethania facta eſt: & eadem æſtimatio vnguenti in illa cœna effuſi trecentorum ſcilicet denariorum: eadem item murmuratio ſecuta, in Iuda quidem, ſimulata in pauperes miſericordia, de quo ſolo ob hanc cauſam Ioannes meminit; in diſcipulis verò, de quibus Matthæus, & Marcus, non ſimulata miſericordia, ſed vera. Hæc autem cœna facta eſt ante ſex dies paſchæ, vt ait Ioannes, ſed quia ex ea cœna propter vnguenti effuſi iacturam occaſionem cepit Iudas prodendi Dominum; idcirco Matthæus, & Marcus poſtquam de concilio Iudæorum ad deliberandum de capiendo Chriſto biduo ante paſcha habito, id eſt, quarta feria, meminerunt, opportunè de cœna illa, & vnctione ſtatim narrarunt per recapitulationem, id eſt, repetentes, quod præteritum erat, & ſuperius ob hanc cauſſam prætermiſſum, & in hunc locum reſeruatum, quod eſt euangeliſtis familiare. ad cætera verò, quæ ad diſtinguendas vnctiones iſtas obijci poſſunt, eruditè & accuratè reſpondet Cornelius Ianſenius Hulſtenſis in euãgelica concordia. Error igitur Iacobi Fabri, quem Iudocus Clitouæus ſecutus eſt de tribus Magdalenis, nõ nouus fuit; ſed prius fuit Photij, qui falſò ſibi viſus eſt hiſtoriam de tribus Magdalenis in euangelio obſeruaſſe propter tres varias narrationes apud tres euangeliſtas. immo Origenes fuiſſe ait nonnullos, qui dicerent, quatuor fuiſſe mulieres quæ Dominũ vnxerunt propter quatuor item varias narrationes apud quatuor. & tempore

pore

pore quoque Euſebij erant quidam, vt idem ait, qui tradebant duas Magdalenas eſſe in euangelio, quibus poſt reſurrectionem apparuiſſet Chriſtus, & vnam earum peccatricem: nullos tamen Euſebius notauit, qui dicerent Mariam peccatricem fuiſſe Mariam ſororem Lazari, & Marthæ; nec ipſe Photius, qui duas plane Magdalenas peccatrices eſſe putauit, auſus eſt alteram earum, ſororem Lazari & Marthæ dicere. Immo hanc dixit fuiſſe non peccatis, ſed religione & pietate, contrà atque illæ duæ fuiſſent, claram, & celebrem. idem dixit Origenes in Matth. tractatu 35. item Theophylactus. Chryſoſtomus quoque Mariam illam Lazari & Marthæ ſororem, quæ ſecus pedes Domini ſedens, audiebat verbum illius, in homilia 81. in Matth. & in Ioan. homil. 61. affirmat non eſſe illam, ex qua ſeptem dæmonia Dominus eiecit, quam euangelium vocat mulierem peccatricem. item Hieronymus in prima homilia Origenis in Cantica, Mariam Magdalenam aliam à Maria ſorore Lazari fuiſſe teſtatur. idem ſenſit Macarius Ægyptius in homilia 12. ſed de his ſatis.

## Cap. x. *pag. 49.*

*Immo neque Laico permittimus facere aliquod opus ſacerdotale, vt ſacrificium, aut baptiſmum, aut impoſitionem manus, aut benedictionem, ſiue paruam, ſiue magnam. & lib. viij. cap. xliij. nec enim fas eſt diacono ſacrificium offerre, aut baptizare, aut benedictionem ſiue paruam, ſiue magnam facere.*] Quia in ſcholio huius capitis demonſtratum eſt vocari hic benedictionem paruam, remiſſionem tum minorum peccatorum, tum pœnarum, quæ pro peccatis maioribus remiſſis debentur; indulgentias verò, vt nunc vocamus, quibus huiuſmodi remiſſiones continentur, Lutherus in Aſſertionibus artic. 17. impiè irridet, & ſola extrauagante Clementis VI. ex opinionibus Thomæ, vt ille ait, concepta, probari falſo nobis obiicit, exiſtimaui non alienum ab hoc loco eſſe, ſi pauca quædam præter illa, quæ in quarto libro De dogmaticis characteribus verbi Dei iam pridem ſcripſi, hic adderem, quæ ad intelligendum hunc locum Apoſtolicæ doctrinæ, & ad probandas indulgentias, & earum antiquitatem, & auctoritatem oſtendendam pertinerent. Incipiam igitur à ratione S. Thomæ, quæ grauior eſt, quàm primo aſpectu videtur. Ab omnibus, inquit, ponitur, indulgentias valere, & impium eſſet dicere, quòd eccleſia aliquid vanum facit, ergo ſunt indulgentiæ. Hæc, inquam, ratio & ſi prima ſpecie non ita grauis eſſe videtur, eſt tamen meo quidem iudicio grauiſſima, ſiquidem ducitur ex traditione, ſi, vt ego interpretor, accipienda eſt. Perinde enim eſt, ac ſi diceret, ſemper hactenus in omnibus eccleſiis prædicatum eſt, indulgentias eſſe; ergo eſſe indulgentias Apoſtolica traditio eſt Eccleſiæ Catholicæ relicta. Sic probat Apoſtolus quod in epiſt. ad Corinthios priore docebat de ratione docendi in Eccleſia, & de ſubiectione inferiorum prophetarum ad ſuperiores, & ne mulier doceret in eccleſia, eſſe traditionem apoſtolicam; Sicut, inquit, & in omnibus eccleſiis ſanctorum doceo. & paulò pòſt, an à vobis proceſſit verbum Dei, aut ad vos ſolos peruenit? quaſi diceret, non proceſſit à vobis, ſed à veſtris anteceſſoribus; in quo notatur origo, & antiquitas: nec vſque ad vos peruenit, ſed vlterius progreſſum eſt; in quo notatur vniuerſitas, & conſenſio. Sic nunc hoc dogma, ſcilicet indulgentias eſſe, in omnibus eccleſiis docetur, & hoc audiuimus per multos teſtes, & non à nobis proceſſit, ſed ab iis qui fuerunt ante noſtra ſæcula, non dico ab illis qui fuerunt ante annos ducentos, id eſt, à ſæculo Clementis VI. vt Lutherus finxit, ſed ab aliis ante 450. & ab aliis item ante 500. & item aliis ante 900. & rurſum ab aliis antiquioribus, nec ad nos ſolos peruenit, ſed ad omnes eccleſias Catholicorum, ita vt, ſicut Apoſtolus dixit Corinthijs de eo, quod prædicabat, ſicut in omnibus eccleſiis doceo, ſimiliter nos dicere poſſimus, ſicut in omnibus eccleſiis docemus, indulgentias eſſe, id eſt, pœnarum in purgatorio ſoluendarum redemptiones, quæ fiunt per remiſſionem obligationis ſatisfactionum, quæ ſecundum iudicium eccleſiæ pro iniuriis peccatorum maiorum per pœnitentiam remiſſorum debentur. Sed doceamus iam, quomodo nõ à nobis proceſſit verbum, quod de indulgentiis prædicamus. vt appareat origo, antiquitas, vniuerſitas, & cõſenſio, qui ſunt characteres, & ſigna traditionum Apoſtolicarum. Extat igitur bulla indulgentiarum Clementis VI. ante annos 200. & amplius de pleniſſima indulgentia conceſſa viſitanti eccleſiam Sancti Ioannis Later. triginta diebus, ſi Romæ habitaret, & quindecim, ſi eſſet peregrinus. Et paulò ante eum bulla Bonifacij VIII. ſed aſcendamus ſuperius. Extat Romæ in eccleſia S. Sabinæ inciſa in lapide marmoreo Gregorij IX. indulgentia conceſſa verè pœnitentibus & confeſſis, vnius anni & XL. dierum de iniuncta ſibi pœnitentia in dedicatione eiuſdem eccleſiæ vſque ad octauam. Rurſus ante Gregorium IX. extat Alexandri IIII. relaxatio de iniunctis pœnitentiis, ſic enim vocat, inciſa item in lapide marmoreo, conceſſa omnibus pœnitentibus & confeſſis in dedicatione S. Mariæ de Campo. Sed aſcendamus adhuc ſuperius. Extat indulgentia Veronæ in templo eccleſiæ collegiatę S. Helenæ, inciſa in tabula lapidea ante annos CCCC. & XXX. in ſollemni dedicatione illius eccleſiæ hac formula, Annuam denique XXX. dierum abſolutionem, & tertiam partem minorum peccatorum, & fraudem pœnitentiarum venientibus ad ſacri huius templi reuolutam dedicationem. eſt autem hæc formula indulgentiæ ſic intelligenda, vt quia per indulgentias remittuntur tum pœnæ temporales debitæ in ſatisfactionem pro peccatis mortalibus remiſſis, tum pœnæ debitæ pro peccatis venialibus, de pœnis quidem debitis pro mortalibus remiſſis dicat iſta

formula



formula concedi abſolutionem XL. dierum, id eſt, tantum pœnæ debitæ remitti, quantum remitteretur, ſi XL. diebus pœnitentiam ſecundum Canones pœnitẽtiales impleremus. de pœnis verò debitis pro peccatis paruis, ſiue venialibus dicat, & tertiam partem minorum peccatorum, venialia enim vocat minora peccata, ſicut ſcriptura vocat mortalia peccata peccata magna; vt cùm Dauid ait, tunc emundabor à delicto magno, id eſt, mortali, vt nunc loquimur, quod Paulus in epiſt. ad Rom. vocat peccatum damnationis. quod verò adiecit, & fraudem pœnitentiarũ, ſignificat cõdonari inſuper ac remitti pœnas debitas pro peccatis maioribus remiſſis, quę aliâs fuiſſent ſolutæ, ac deletæ per pœnitentias canonicè iniunctas, ſi fuiſſent perſolutæ, vt poſtulabat ratio Canonum pœnitentialium, qui fuerunt à principio quidem ſecũdum iudicium eccleſiæ iuſtè & ſanctè conſtituti, poſtea verò propter infirmitatem noſtram œconomicè, & prouidenter relaxati. Quod ergo non eſt ſolutum implendo Canonicas pœnitentias iudicio eccleſiæ, vt dixi, præſcriptas & impoſitas, vocat fraudem pœnitentiarum; & huiuſmodi fraudem Canonicarum pœnitentiarum condonat ſummus Pont. condeſcendens infirmitati noſtræ per œconomiam, & prouidentem diſpenſationem indulgentiæ. Reuertamur ad ætatem indulgentiarum. Extat etiam bulla Vrbani ſecundi ante annos 450. de indulgentia pleniſſima conceſſa in ſynodo Claramontana, cùm erat ſuſcipiendum bellum Hieroſolymitanum aduerſus Sarracenos duce Godofrido Bullonenſi; ſed nec ab hoc pontifice proceſſit verbum de indulgentijs, ſed ante eum Gregorius VII. id eſt, ante annos quingentos multas huiuſmodi indulgentias conceſſit, vt perſpici poteſt ex epiſtola ad Epiſcopos, & clericos Britanniæ. Ecce in quàm multis regnis, & eccleſijs prædicatum eſt hoc verbum, quod non à nobis proceſſit. Sed aſcendamus adhuc ad ſuperiora tempora, id eſt, ad ætatem Gregorij magni ante annos nongentos, eſt in Regeſto eius libro vij. in epiſt. ad Recharædum regem Viſigothorum exemplum indulgentiæ, licet formula ſit ab ea, qua nunc pontifices noſtri vtuntur, diuerſa. Sed hoc parum refert. Clauem ergo, inquit, paruulam à ſacratiſſimo beati Petri corpore pro eius benedictione tranſmiſimus, in qua eſt ferrum de catenis eius incluſum, vt quod collum eius ad martyrium ligauerat, veſtrum ab omnibus peccatis ſoluat. indulgentiam vocat hic benedictionem vetere verbo illo tempore vſitato. Simile exemplum eſt in eodem libro in epiſtola ad Secundinum; & aliud item libro vj. in epiſtola ad Theotiſtum, & Andream. hunc Gregorium imitatus alter Gregorius vij. indulgentiam, inquit, omnium peccatorum veſtrorum promittimus, & abſolutionem cum benedictione concedimus. Eſt autem obſeruandum in exemplo indulgentiæ Gregorij magni, miſiſſe clauem paruulam, quæ erat ſignum & index indulgentiæ peccatorum per poteſtatem clauium conceſſæ, in qua auctoritate ſucceſſit beato Petro, quod nunc Pontifices alijs verbis ſignificant, & alio modo teſtantur, cùm dicunt, auctoritate Petri &c. mittentes non clauem, ſed litteras, quas vocant bullas cum clauibus pictis. illud verò, quod ait hic Gregorius de ferro ex catenis Petri incluſo in clauem, non temerè factum eſt; potuit enim ſeorſum mittere, & non includere in clauem, niſi aliquid ſpiritualiter, & ſpiritualibus ſignificare voluiſſet, illud ſcilicet, indulgentias ipſas peccatorum quæ ſunt velut catenæ, & vincula, niti in meritis Chriſti, & paſſionibus eius, non ſolùm quas in ſe paſſus eſt, ſed quas in ſanctis ſuis; quod nunc ipſi pontifices in huiuſmodi bullis dicunt, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli meritis, & auctoritate confiſi concedimus, &c. merita enim Petri fuerunt eius martyrium, quod ſignificat ferrum de catenis eius, quod precatur Gregorius, vt ſicut ligauerat collũ illius ad martyrium, ita veſtrum, inquit, à peccatis ſoluat. quod quidem nihil aliud eſt, quàm offerre Deo martyrium Petri, immo merita omnium ſanctorum in virtute paſſionis Chriſti pro impetranda huic venia peccatorum; paſſiones enim ſanctorũ, & merita eorũ, etſi æra minuta ſunt, quæ cum infinito theſauro paſſionum, & meritorum Chriſti comparari non poſſunt, tamen quia paſſiones Chriſti ſunt, quas in ſanctis ſuis paſſus eſt, & patitur, idcirco paſſionibus, & meritis ſanctorum cumulatur theſaurus indulgentiarum, qui eſt infinitus theſaurus paſſionum, & meritorum Chriſti, ex quo omnis gratia remiſſionis & indulgentiæ peccatorum & pœnarum manat. hoc autem exemplum beati Gregorij, quod paulo antè dixi, de mittendis indulgentijs, non ſolùm imitatus, ſed quodãmodo interpretatus eſt idem Gregorius vij. cuius paulo ſuprà etiã memini; ſic enim ſcripſit ad Alfonſum regem Hiſpaniarum, vt eſt in libro vij. Regeſti eius: Ex more ſanctorum miſimus vobis clauiculam auream, in qua de catenis beati Petri benedictio continetur, vt omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia nexibus ferreis liberauit, eius meritis & interceſſionibus vos ab omnibus peccatorum veſtrorum vinculis abſoluat, & ad gaudia perducat æterna. obſeruandum eſt hic, quod dixit, miſimus ex more ſanctorum, in quo ſatis ſignificauit morem, & vſum veterem huiuſmodi benedictionum, ſeu indulgentiarum in eccleſia ſui temporis. Deinde cùm dicit mittere ſe clauem, in qua continetur benedictio de catenis S. Petri, ſatis declarat mittere ſe per poteſtatem clauium indulgentias, hoc enim ſignificat cõtineri in claue benedictionem; deinde dicit benedictionem de catenis, quia catenæ illæ, vt idem Gregorius interpretatur, merita, & interceſſionem beati Petri ſignificabant, & vincula etiam peccatorum, à quibus per interceſ-

ſionem

ſignificare verbum Græcum, docet magnus Athanaſius in ſermone De fide, cùm ait, filium Dei corpus ſumpſiſſe, vt factus particeps corporis, pro nobis morte ſatiſfaceret: eodem enim verbo Græco vſus eſt hic inquiens, ἱκανὸς ὑπὲρ ἡμῶν τῷ θανάτῳ. Obiurgatio, quæ fit à pluribus, verbum Græcum ἐπιτιμία ſignificat punitionem, ſiue pœnam; ex quo auctoritate Pauli liquet, non eſſe ſatiſfactiones documenta ſolùm, & teſtificationes pœnitentiæ, vt ait Caluinus, ſed punitiones, ſiue vindictas eius qui eiuſmodi eſt. Cauſa verò diſpoſitiua in eo, qui ad indulgentiæ gratiam idoneus eſt, contritio eſt, ſiue triſtitia ſecundum Deum propter peccatum. Sequitur, ita vt magis donetis, & conſolemini: hic Corinthij presbyteri indulgent auctoritate Pauli ad conſolandum Corinthium illum in magna illa triſtitia, & mœrore, qui eſt finis & ſcopus indulgentiæ, ſic ſcilicet conſolari, ne abundantiore triſtitia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt: Propter quod, inquit, obſecro vos, confirmate in eum charitatem. Hæc eſt cauſa excitans pontificem ad condonandum, ſiue indulgendum: nam & ego quòd donaui, ſiquid donaui, propter vos in perſona Chriſti donaui. Cauſa ergo meritoria huiuſmodi indulgentiarum Chriſtus eſt, id eſt, Chriſti paſſiones quas in ſe paſſus eſt, & in ſanctis ſuis patitur, vt omnis remiſſio Chriſto Domino meritoriè, & efficienter accepta feratur. Propter vos, inquit, hæc eſt occaſio dandi indulgentias, interdum ſcilicet deuotio petentis, vt petierant Corinthij indulgeri Corinthio illi: aliquando ſupplicatio Dei in aliqua magna neceſſitate, quæ indulgentiis honoratur, & adiuuatur; aut gratiarum actio pro aliquo magno beneficio adepto, aut velle ad noſtram vtilitatem ſpiritualem honorare memoriam alicuius ſancti, aut augere religionem alicuius loci ſancti, aut excitare ad aliquod ſubſidium, vel opus pium, &c. Cùm verò ait, donaui in perſona Chriſti, miniſtrum ſe Chriſti dicit in hac indulgentia: eſt igitur cauſa miniſterialis, vt nunc loquimur, poteſtas ipſa clauium, quæ aperit ei tabernaculum cæleſte, cui propter parua peccata, aut propter pœnas pro reliquiis peccatorum debitas nondum patebat aditus. Hactenus de traditione apoſtolica remittendi indulgenter obligationem ſatiſfaciendi canonicè pro reliquiis peccatorum, & remittendi peccata parua, & de exemplo Pauli in epiſtola eius ſecunda ad Corinthios, quæ ad duas quæſtiones, quæ de indulgentiis poni ſolent, pertinent, An ſint in eccleſia indulgentiæ, & quando cœperunt. Supereſt, vt aliquid de tertia quæſtione breuiter dicatur; qua lege ſcilicet ſancitæ ſint, & vbi. Sunt enim ſancitæ lege diuina de ſoluendo & ligando, quandiu in terra ſunt, qui hanc poteſtatem acceperunt: ſic enim Dominus dixit in Euangelio, Quæcunque ſolueritis ſuper terram, non enim dixit, quæcunque peccata, ſed quæcunque: vt reliquum quoque debitum pœnæ pro remiſſis peccatis intelligeremus; quod magis adhuc explicans, ſubiungit, Si duo conſenſerint ex vobis, de omni re, quamcunque petieritis à patre meo, fiet vobis: de omni re dixit, & non de omni peccato, aut de omni pœna, vt de vtroque ſcilicet acciperemus. quod quidem conuenienter antecedentibus intelligendum eſt; id eſt, quatenus huiuſmodi conſenſio in petendo, eò pertinet, vt aliquid ſoluatur, ſiue remittatur ab eo, qui poteſtatem ſoluendi accepit, qui quidem conuenire debet cum eo, qui abſolui petit: ſic enim accepit Baſilius in regulis breuioribus C. LXI. Si duo conſenſerint, is ſcilicet, qui corrigit, & qui corrigitur: etenim ſi is, qui corrigitur, & veniam poſtulat, aliquid afferat, quod obſtet corrigenti, ſiue abſoluenti, non fiet ratum in cælo, neque quod ille petit, vt abſoluatur; neque quod hic petit à Deo, vt abſoluat. Accedit huc auctoritas Dionyſij Areopagitę, qua etiam probamus non modò per modum ſuffragij, vt nunc loquuntur, valere indulgentias, id eſt, non ſolum per ſuffragia peti, & impetrari eas, ſed etiam per poteſtatem clauium. tractans enim Dionyſius de precibus, quas ſacerdos pro defuncto adhibet, dicit ferre ſecum piè defunctos leues quaſdam maculas ex humana infirmitate, quas ſacerdos ſanctè poſtulat iis remitti, qui piè mortui ſunt, & mandata Domini ſeruarunt, & donum huiuſmodi remiſſionum non neglexerunt; ijs enim proficit illius precatio: at pro impiè mortuis, non ſic, inquit, precatur, quia debet ſecundum iudicium, & voluntatem Dei, & non ſuam ſoluere, vel ligare, de quo admonuit Dominus, cùm dixit, Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. hactenus Dionyſius. Itaque huiuſmodi poteſtatem vocat ἀφοριςικὴν, quam nos poteſtatem ligandi vocamus ſecundum Euangelium. vocat quoque ἐκφαντορικὴν, id eſt, poteſtatem pronunciandi ſententiam. item vocat διαπορθμευτικὴν, vt ſi dicas, traiicientem, quia per hanc poteſtatem ſoluendi traiicitur, &, vt ita dicam, tranſportatur nobis remiſſio Dei. Cùm autem eadem poteſtate tribuantur viuis indulgentię, id eſt, remittantur peccata venialia, & pœnæ pro peccatis mortalibus remiſſis debitæ, quia ab epiſcopis, & presbyteris petitur, vt remittatur defunctis, hæc autem eſt poteſtas clauium, vt Dionyſius tradit: ſequitur, vt illa quoque ſit poteſtas clauium: immo vna & eadem poteſtas eſt, qua viuis, & mortuis indulgentia conceditur; ex quo fit, vt cùm ſacerdos dicit pro defunctis, non quidem ego te abſoluo, quia non eſt præſens is, quem abſoluit, ſed ſic; abſolue Domine, &c. perinde ſit, quaſi dicat, Ego auctoritate Domini abſoluo piè defunctum, ſcilicet quatenus poſſum; abſoluit enim ſecundum menſuram donationis Dei, non enim omnium benedictiones paruæ, ſiue remiſſiones æquales ſunt, ſicut non eſt æqualis omnium propinquitas ad Deum, propinquitatem dico non loci, ſed dignitatis; itaque ſacerdos imponendo ſatiſfactiones pœnitentibus, remittit quidẽ per eas ex vi poteſtatis ſibi datæ





debitum pœnæ pro peccatis remiſſis, & venialibus; remittit, inquam, ſecundum menſuram benedictionis, ſiue remiſſionis, cuius poteſtatem accepit, quam ſummus pontifex accepit ſummam à Deo, qui eſt benedictus in ſæcula.

CAP. XVI. *pag. 51.*

*Vnges oleo ſancto caput eorum in typum ſpiritualis baptiſmi.*] Quia oleum ſymbolum eſt ſpiritus ſancti, vt idem Clemens dicit, & caput, in quo reſidet ſenſus, eſt ſymbolum animæ, quæ præeſt corpori, vt ex Dionyſio cap. 9. de diui. nomin. intelligi poteſt; idcirco oleum, quo lampas ardet, aſperſum capiti in baptiſmo, ſignificat illuminari animam in baptiſmo, qui inde dicitur φώτισμα à ſanctis patribus; atque ita baptiſmum eſſe non corporalem, qualis eſt quo maculæ, & ſordes corporis eluuntur; ſed ſpiritualem, quo aſperguntur corda à conſcientia mala, ſicut Apoſt. ait Hebr. 10.

*Pag. 52. Poſtea epiſcopus vngat baptizatos chriſmate.*] Hoc eſt ſacramentũ confirmationis, ſic enim vocat eccleſia Romana ſecundum apoſtolicam traditionem, quòd ſit confirmatio catholicę confeſſionis, vt ait idem Clemens cap. 17. hanc vnctionem ex chriſmate in fronte prohibet eccleſia Romana presbyteris, non illam quæ fit in vertice capitis. Græci verò, non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, hic etiam calumniantur eccleſiam Romanam, vt magnus Nicolaus in epiſtola ad Igmarum archidiaconum Remenſem & cæteros archidiac. & epiſcopos in regno Caroli teſtatur. Enumerãs enim ea de quibus nos Græci accuſant, & inſimulare, inquit, nos tentant, quòd eoſdem presbyteros chriſmate linire baptizatorum frontes inhibemus. Quod tamen chriſma nos ex aqua fluminis conficere, fallaciter arbitrantur. Hactenus Nicolaus.

CAP. XVII. *pag. eadem.*

*Patris mentio tanquam cauſæ, & emiſſoris.*] Cauſæ dixit propter filium, quẽ pater tamquam principium, & non ὡς αἴτιος γενεσιουργὸς, ideſt, non vt cauſa faciens, è ſubſtantia ſua generat ſibi conſubſtantialem: emiſſoris verò propter ſpiritum S. qui à patre procedit: exit itaque filius à patre per generationem æternam: ſpiritus S. à patre, & filio per emiſſionem, quæ in ipſo ſpiritu emiſſo proceſſio eſt, & dicitur. *Spiritus ſancti coaſſumptio, vt teſtis.*] Ad illud retulit, quod Chriſtus dixit Ioanni, Super quem videris ſpiritum ſanctum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto. ergo ſpiritus ſanctus, in quo clamamus, abba pater, qui deſcendens ſuper Chriſtum dedit teſtimonium, quòd ipſe Chriſtus eſſet filius Dei natura (tunc enim audita eſt vox patris, Tu es filius meus dilectus, teſtimonium quoque, vt Apoſtolus ait, reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei gratia adoptionis, quicunque in Chriſto baptizati ſumus. quia per ipſum ſpiritum habitat verbum in nobis: & eo adoptante, ad adoptionem filiorum aſcendimus illius participatione reformati. Sic beatus Cyrillus in theſauris de Trinitate interpretatur. Quia verò ſpiritus ſanctus coaſſumitur cum patre ſcilicet & filio vt teſtis, & eſſe teſtem, eſt αἰτιολογικὸν, id eſt, dicit cauſſam; ſequitur, ſicut diuinus Dionyſius cap. 2. De diuinis nominibus tradit, vt ſit commune Trinitatis: ſicut ait Ioannes, Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, ſcilicet quòd ex Deo nati ſumus; & hi tres, inquit, vnum ſunt. Hic quoque docuit Clemens eſſe ſpiritum ſanctum vnius ſubſtantiæ cum patre, & filio; quia hoc, quod dixit, coaſſumptio ſpiritus vt teſtis, ad locum quoque epiſtolę Ioannis retulit: Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælis, Pater, Verbum, & Spiritus. deinde ſubiungit, & hi tres vnum ſunt. Deinde pater, inquit, Deus eſt ſuper omnia] ſcilicet creata: eſtque hoc quoq; commune totius Trinitatis. eſt enim pater ſuper omnia; quia ἀγένητος, id eſt, non factus; ſicut filius item eſt non ex numero omnium, ſed ſupra omnia. Vnde illud: Omnia per ipſum facta ſunt, ſcilicet omnia creata: extra enim creata, & ſupra creata Deus eſt. Hinc illud Apoſtoli de filio quoque dictum: qui eſt Deus ſuper omnia in ſæcula, Amen. loquitur autem de Chriſto. Chriſtus vnigenitus] quia γνωριςικὸν, id eſt, vt nunc loquimur, notionale nomen eſt, proprium eſt perſonæ Chriſti: idemq́. dilectus filius] Alludit ad illud teſtimonium quod datum eſt cùm Chriſtus aſcendit ex aqua, tunc enim dictum eſt, Tu es filius meus dilectus. & illud; glorię Dominus] alludit ad illud, quod in euangelio ſequitur, & ſtatim aſcendens de aqua, vidit cælos apertos, &c. quod quidem ſignificabat eſſe eum Dominum gloriæ. Spiritus ſanctus paracletus eſt, qui à Chriſto mittitur.] Paracletus conſolatorem, & ſeruatorem ſignificat, vt notauit magnus Athanaſius in libro De communione Trinitatis: aduocatus enim, ſeruator quidam eſt. Quia igitur per baptiſmum, quo in Spiritu ſancto baptizamur, ſalui facti ſumus, dicitur ſpiritus paracletus adhiberi in baptiſmo. Conuenit cum hoc, quod ait Dionyſius ſignificare ἀπογραφὴν, id eſt, deſcriptionem nominis eius qui baptizatus eſt, quòd recenſeatur iam inter eos qui ſalui fiunt. qui à Chriſto mittitur, & de quo ipſe Chriſtus docet, & qui Chriſtum prædicat.] Mittitur à Chriſto, & mittitur à Patre iuxta euangelium; & de quo docet Chriſtus, ſicut ex euangelio didicimus, cùm ait Chriſtus, cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre ſpiritum veritatis: & illud, alium paracletum dabo vobis, vt maneat vobiſcum in æternum. Qui ipſum Chriſtum prædicat.] Hoc dicit, quia, vt ait beatus Cyrill. Hieroſol. in catecheſi 16. Spiritus ſanctus in prophetis, & apoſtolis Chriſtum prædicauit: Apoſtoli enim poſt aduentum

Spiritus ſancti, pleni eius actu, & ſcientia, ac virtute Chriſtum per cunctum orbem prædicarunt. ex iis igitur quæ hic tribuuntur perſonis diuinis, indicatur ipſarum perſonarum diſtinctio, quarum inuocatione vnita fit baptiſmus: Communis verò operatio, & virtus earum in baptiſmo indicatur in eo, quòd hæc, quæ illis tribuit αἰτιολογικῶς, id eſt, ſecundum cauſam, non autem γνωριστικῶς, id eſt, notionaliter, communia ſunt totius Trinitatis, vt iam dixi.

*Pater, qui eſt ſuper omnia Deus.*] Hunc locum obiiciunt catholicis Trinitarij Monopatrotheitæ nuper in Tranſiluania orti, qui tradũt, ſolum patrem in ſcripturis appellari & eſſe propriè Deum, vt in illo loco Ioannis c. 17. hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. quem locum explanans Aug. in epiſ. CLXXIIII. ad Paſcentium Arrianum hunc quoque locum obiicientem, his verbis reſpondet: De patre autem tantum vos vultis intelligi, vbi nos ſubaudimus etiam Ieſum Chriſtũ verum Deum, ne illa conſequatur abſurditas, vt ſi propterea non eſt verus Deus Ieſus Chriſtus, quia dictum eſt patri, te ſolum verum Deum, propterea non ſit Dominus pater, quia dictum eſt de Chriſto, vnus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, 1. Cor. 8. Similiter hic reſpõdendum eſt Trinitariis, cùm Apoſt. doctrina patrem dicit Deum ſuper omnia, & filium item, qui eſt in ſinu patris, dicit Deum ſuper omnia, & Spiritum ſanctum qui eſt in vtroque; nec enim eſt è numero omnium filius, neq. Spiritus ſanctus, ſed vterque extra omnia, & ſupra omnia illa de quibus dictum eſt in euangelio Ioannis, omnia per ipſum facta ſunt; immo hoc ipſum dixit Apoſtolus de Chriſto, eſſe Deum ſcilicet ſuper omnia, cùm eum in epiſt. ad Coloſſ. vocauit primogenitum omnis creaturæ; quia, vt magnus Athan. lib. 2. contra Arrium interpretatur, in eo non ſolum, inquit, ſunt condita omnia propter bonitatem patris, ſed omnis creatura, quam idem Apoſt. dixit expectare reuelationem filiorum Dei, liberabitur à ſeruitute corruptionis, ſic verò liberata, erit omnium υἱοποιηθέντων, id eſt, liberatorum primogenitus Dominus, vt cùm dicitur primus, omnia poſt eum nexa velut ex principio ipſius verbi permaneant. hæc Ath. & Hilarius libro 8. de Trinitate primogenitum dicit omnis creaturæ, quia continens in ſe exordium vniuerſitatis, in quo per ipſum, & in ipſo ſunt omnia creata. hæc Hilarius. eſt igitur Chriſtus ſuper omnia Deus, vt eſt pater; aut ſi non eſt ſuper omnia Deus, quia pater eſt ſuper omnia Deus, ergo neque pater erit Dominus gloriæ, quia Chriſtus vnigenitus Deus eſt Dominus gloriæ, vt hic dicit eadem doctrina Apoſtolica, ex qua iſti hęretici patrem ſuper omnia Deum catholicis, vt dixi, obiiciunt ad negandam propriam filij deitatem; neque verò quia pater eſt propriè, & verè Deus, & filius propriè, ac verè Deus, & Spiritus ſanctus propriè item & verè Deus, ideò Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, erunt dij, vt quidam auctor alioqui catholicus & eruditus dici poſſe exiſtimat, idque ſecundum veteris ſcripturæ auctoritatem, quod verbo Eloim Hebraico ſemper numero multitudinis vtatur, quod ille dij interpretandum putat, cùm potius Deum, & non deos ſignificare, verbum numeri ſingularis, quod ſemper adiungitur, planè admoneat, vt cùm ait, in principio creauit Eloim cęlum & terram; vt enim ait Damaſcenus in epiſt. de Triſagio ad Ioannem Archimandritam, in diuinitate τὰ μερικὰ οὐ κοινοποιοῦνται, id eſt, particularia, ſiue ſingularia, non fiunt communia, vt perſona, quam contemplamur in vnoquoque propriam, vt in patre perſonam patris, in filio perſonam filij, in Spiritu ſancto perſonam Spiritus ſancti, non eſt horum communis vna perſona. At communia, inquit, & ſi ab vnoquoque ſingularium participantur, ἑνιαίως tamen & κοινῶς, id eſt, in numero vnius ſiue ſingulari, & communiter, vt diuinitas, & ſanctitas, & dominatio etſi à ſingulis perſonis participantur, communis tamen eſt trium perſonarum, vna diuinitas, vna ſanctitas, vna dominatio; non enim alia eſt ſanctitas Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti, ſed vna, & eadem, ac tota cuiuſque perſonæ, tota Patris, tota Filij, tota Spiritus ſancti; ergo qui dicit Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, non ἑνιαίως Deum, ſed πληθυντικῶς, id eſt, numero multitudinis deos, non vnam deitatem habentes ſignificat, ſed plures, hoc eſt, vnam deitatem diuiſam, ſicut qui dicit homines, vnam humanitatem habentes ſignificat per diuiſionem communicatam: perſonæ verò non ſic, ſed potius alia Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti: vnaquæque igitur perſona, inquit, καθ᾽ ἑαυτὴν, id eſt, ſecundum ſe, Deus, & ſanctus, & Dominus, & alia huiuſmodi dicitur; quando autem connumerantur, non dicuntur tres dij, tres ſancti, tres Domini, ſed vnus Deus tres, vnus Dominus, vnus ſanctus, quia Deus, & virtus eius verbum, & Spiritus, vnus Deus, vnus ſanctus, vnus Dominus, non tres dij, non tres ſancti, non tres Domini; quoniam verbum, & Spiritus ſunt virtus Dei patris ἐνυπόστατος, id eſt, per ſe ſubſiſtens, quæ ab eo eſt inſeparabilis, in nobis enim qui ſcindimur, & ſeparamur, non eſt Filius virtus patris, neque verbum, ſiue ratio eius vel ſapientia, in Deo autem duo concurrunt in vnum, eſſe Filium virtutem Patris, & Spiritum ſanctum, item virtutem patris tanquam verbum mentis, & Spiritum mentis, & eſſe perſonas perfectas, quod ſoli Deo decens eſt: nos verò ſententia, ſiue voluntate, & virtute, ac loco ſcindimur, idcirco ille, ego & ille, non homo, ſed homines dicimur: in Deo autem non ſic, vt iam dictum eſt. hæc Damaſcenus. quæ idcirco à me hic recitata ſunt, quòd ille auctor, quem paulo antè dixi, locum Damaſceni vitio librarij corruptum ſecutus, Filium, & Spiritum ſanctum, virtutes Dei ſubſiſtentes dixit. Vnde, vt ad propoſitum locum redeamus, ſi filius eſt virtus Patris, & Spiritus S. item, eſt igitur filius ſuper omnia, & item Spiritus S.





mus, ſi Filius eſt virtus Patris, & Spiritus ſanctus item, eſt igitur Filius ſuper omnia, & item Spiritus ſanctus. ſiquidem non poteſt Filius eſſe virtus patris, neque Spiritus ſanctus, quin habeant vnam, & eandem, & totam diuinitatem Patris.

## IN LIBRVM QVINTVM DE MARTYRIBVS.

### CAP. I. *pag. 59.*

*ETenim ſi is qui bona ſua indigentibus largitur, perfectus eſt poſt ſcientiam de diuinis, erit profectò multo perfectior, qui pro redimendis martyribus hoc fecerit.*] Ne quis erret, non dicit hic apoſtolica doctrina illam ſcientiam de diuinis, quam per ſolam fidem adipiſcimur, ad quam qui adiungat eleemoſynas in pauperes, is euadat perfectus: neque rurſus hoc ab eo diſcrepat quod eſt in euangelio, dixerat enim Dominus cuidam adoleſcenti; Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, illa ſcilicet; Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum, non falſum teſtimonium dices, honora patrem tuum, & matrem tuam: diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dixit illi adoleſcens, Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deeſt? ait illi Ieſus, Si vis perfectus eſſe; vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Scientiam igitur de mandatis diuinis cuſtodiendis cum factis conſentientem, id eſt, noſſe diuina mandata, & ea facere, vocat apoſtolica doctrina cognitionem, ſiue ſcientiam de diuinis: quæ eſt ſcientia non illa quidem ſecundum habitum, ſed ſecundum actum; ad quam quidem ſcientiam qui adiungit largitionem bonorum ſuorum egentibus, is euadit perfectus. Sic interpretatus eſt hoc verbum alter Clemens Alexandrinus, γνῶσις, inquit, ἐπιστήμη σύμφωνος τοῖς γινομένοις, id eſt, cognitio eſt ſcientia factis conſonans.

### CAP. VI. *pag. 64.*

*Ac ſcimus quidem non fuiſſe illi opus materia, ſed ſola voluntate effeciſſe, quæ Chriſtus iuſſus eſt facere, cælum dico, terram, mare.*] Rurſus in eodem libro in extremo capite, Prædicamus, inquit, Deum Dei verbum miniſtrantem Deo ſuo in rerum omnium creatione. & iterum in eandem ſententiam libro 8. cap. 12. Patri per omnia inſeruiens tum in varia creatione vniuerſitatis rerum, tum in accommodata ad eas prouidentia. Conuenit cum his, immo hinc videtur ſumptum anathema fidei ab Orientalibus contra Photinum conſcriptæ, quam Hilarius in libro de Synodis contra Arrianos deſcribit. Quoniam ſiquis, inquit, Chriſtum Deum Dei filium ante ſæcula ſubſiſtentem, & miniſtrantem patri ad omnium perfectionem non dicat, ſed ex quo de Maria natus eſt, ex eo & Chriſtum, & filium nominatum eſſe, anathema ſit. Et paulo pòſt iterum, & ſiquis, inquit, vnum dicens Deum, Chriſtum autem Deum ante ſæcula filium Dei obſecutum patri in creatione omnium non confitetur, anathema ſit: ergo ſi Clemens hoc loco, & in reliquis ſimilibus ſignificare voluiſſet, filium Dei miniſtraſſe patri in creatione vt creaturam, neque conuenire ei ſecũdum naturam, creandi poteſtatẽ, ſed potius artem creandi ex patre didiciſſe, quorum vtrumque dicebant Arriani, quomodo diceret in libro 8. eſſe opus Dei ἀμεσίτευτον, id eſt, ſine medio? Erat enim ſecundum iſtos medius filius, miniſter patris vt creatura. aut ſi illa ab hæreticis ſcripta eſſe dicenda ſunt, cur hoc quod cum illis manifeſte pugnabat, pari ſtudio, & audacia non deleuerunt? immo verò illa quæ idem Clemens ſtatim ſubiungit, omnem prorſus dubitationem tollunt? ait enim, eodem modo ſuſcitandos eſſe à Deo non indigente adiutore, quo creata ſunt: ergo neque tunc, cùm creata ſunt, indiguit adiutore: igitur non miniſtrauit illi filius vt indigenti, ſed vna, & eadem virtute cum eo creauit; ſicut eadem communi virtute ſuſcitabit mortuos. & ſicut ſuſcitari à patre per filium mortuos, eſt quædam ſubiectio filij, & obedientia eius ſuſcitantis cum patre; vbi autem eſt ratio ſubiectionis & obedientiæ, ibi intelligitur ſimilis ratio, & modus iubendi: ſic in creatione fuiſſe omnia per filium creata, & filium creaſſe omnia cum patre, quædam ratio, & modus ſubiectionis atque obedientię fuit, vt mox explicabo: nihil æqualitatem filij lædens, aut imminuens; ſed magis concordiam, & æqualitatem cum origine demonſtrans, & quod inde exiſtat; ſicut beatus Auguſtinus in libro de Trinitate, & vnitate Dei cap. 9. notauit. ſic enim ait; Ideo dictum eſt quòd non facit aliquid filius à ſe, quia non eſt à ſe: & quicquid facit, patrem audit iubentem, & videt facientem; hoc eſt, quia audit, & videt, ex ipſo faciendi habere ſe potentiam, ex quo ſe videt exiſtendi habere naturam. Hactenus Auguſtinus. Idem rurſus in eodem libro paulo ſuprà cap. 8. Audiuit etiam filius de patre, Sede ad dexteram meam, & ideo ſedet ad dexteram patris tanquam paterna iuſſione, non etiam tanquam ſua id fecerit poteſtate. Itẽ Hippolytus martyr in homilia aduerſus Noëtianos, πατὴρ, inquit, ἐντέλλεται, λόγος ἀποτελεῖ, id eſt, Pater iubet, filius perficit. & paulo pòſt, εἷς γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς, ὁ γὰρ κελεύων πατὴρ, ὁ δὲ ὑπακούων υἱὸς, τὸ δὲ συνετίζον ἅγιον πνεῦμα. Id eſt, qui iubet, pater eſt; qui verò obedit, filius: & qui dat intellectum, ſpiritus ſanctus. item in epiſtola, quæ extat ſex epiſcoporum catholicorum ad Paulum Samoſatenſem, antequam deponeretur, Hymenæi, Theophili, Maximi, Procli, Theotecni, Bolani, hunc, inquiunt, cum patre ſemper exiſtentem paternam voluntatem ad creationem vniuerſorum impleuiſſe; ipſe enim dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. deinde ſubiungunt, ὁ δὲ ἐντελλόμενος, ἑτέρῳ ἐντέλλεταί τινι, ὃν οὐκ ἄλλον πεπείσμεθα, ἢ τὸν μο-

νογενῆ υἱὸν τοῦ θεοῦ θεὸν, ᾧ καὶ εἶπε, ποιήσωμεν ἄνθρωπον, &c. id eſt, qui autem mandat, alteri mandat, quem non alium eſſe credimus quàm vnigenitum Dei filium Deum, cui etiam dixit, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & in ſumma ſecundum euangelium, omnia per ipſum facta ſunt, non tanquam per organum, ſiue inſtrumentum, neq; tanquam per ſcientiam ἀνυπόστατον, id eſt, non per ſe exiſtentem, generante patre filium tanquam viuentem energiam, & perſonam operantem omnia in omnibus, non vidente ſolum, neque præſente tantum filio, ſed operante in creatione omnium, ſicut ſcriptũ eſt, apud eum eram cuncta componens, &c. hactenus illi. Quod igitur Apoſtolica conſtitutio dixit, filium Dei miniſtraſſe Deo patri in creatione mundi, quod Arriani quoque dicunt, ſed hæretico ſenſu, iuſſúmque eſſe ab eo creare quæcunque creauit, forma ſanorum verborum, quæ ex ſcriptura Clemens didicerat, dixit. Ait enim Dauid pſal. 33. Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. hæc verò interpretans beatus Irenæus libro 3. contra hæreſes cap. 8. cui ergo, inquit, iuſſit? Verbo ſcilicet, per quod cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Ac rurſus Moyſes in Geneſi, & dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux: & dixit Deus, Fiat firmamentum: congregetur aqua; & factum eſt ita: & congregata eſt aqua. Sapientiæ ergo dixit. & rurſus Cyrillus in theſ. docens contra hæreticos, quomodo ſalua dignitate naturali, & ſubſtantiali honoris æqualitate intelligendum eſſet, omnia patrem per filium operari, ſubiungit, & hic eſt modus ſubiectionis, videri tanquam voluntati patris ſubiectum eſſe; ſicut reuera cùm pater ait, Faciamus hominem, verbum, vt Deum decet; accipit puluerem ex terra, & operatur, quod ei viſum eſt: omnia enim per ipſum facta ſunt. & rurſus interpretans illud, per filium, ſignificat, inquit, ſubiectionem, quæ in ratione quidem ſubſtantiæ nihil lædit filium; vnitatem verò Trinitatis, & ſolitum ſtatum ſine variatione vlla inducit: non enim diſſidebit ſecum vllo tempore: neque qui ſe eodem ſemper modo habet, mutationibus incompoſitis tumultuabitur. Et rurſus idem Cyrillus explanans illud, quando autem ſubiecta erunt ei omnia, tunc & ipſe filius ſubiectus erit ei qui ſubiecit ei omnia, ſic ait: Et quomodo non omnibus facile eſt videre, ſæpenumero ſecundum œconomiam æqualem æquali ſubiici? an non cedunt apud nos, & ſubiecti ſunt filij parentibus? vnius alioqui inter ſe naturæ participes? neque enim in ſubiectis deterior, aut minor eſt ratio naturæ: neque in iis quibus illi ſubiecti ſunt, maior, aut excellentior. Cùm enim vna, & eadem ſit in omnibus hominibus naturæ ratio, infinitæ tamen vtilitates interdum per alicuius ſubiectionem prouidentur ac procurantur. Vnde enim licebit nobis dicere, propter ſubiectionem filium patre minorem? non enim rationem naturæ eius in ſubiectione conſtituimus, neque in ea poſitum eſt, filium eſſe; ſed qui eſt, & exiſtit, modo quodam ei accommodato & attributo dicitur ſubiectus. Sic nos docuit Cyrillus aduerſus oppugnatores Chriſti, & contra hæreticos, qui Deos ſecum diſſidentes, & tumultuantes introducebant. Huiuſmodi enim ſubiectio verbi Deo patri iubenti non ſubmiſſionem ſeruilem in iuſſo, neque præſtantiam herilem in iubente declarat; ſed potius naturalem conſenſionem voluntatis, & vnitatem Trinitatis demonſtrat. Quod ſi inſolitum eſt, iubere eodem honore præditis, at non eſt inſolitum patres iubere filiis. Quamobrem ſicut ſcriptura, vt ait beatus Cyrillus, conſuetudinem noſtram ſequens, patrem dicit maiorem filio, ſola ratione, ex quo; vt, ſicut ait beatus Athanaſius in ſecundo libro contra Arrian. proprietas naturæ paternæ, id eſt, generatio ſignificetur. quem etiam ſenſum ſecutus eſt Greg. Theologus libro 2. de filio, & Leontius in libro contra Acephalos, item Gregorius Bæticus in libro de Trinitate, quem beatus Hieronymus elegantem librum de fide vocat, & beatus Hilarius in libro de Synodis contra Arrianos; & alij, ne omnes enumerem. ſic diuina ſcriptura ſequens conſuetudinem hominum, ſeque ad vſum noſtrum accommodans dicit, tametſi per abuſionem, Deum patrem iubere filio, & filium ſubiectum eſſe patri. hæc enim ſimul cogitantur, vt vndique concordia voluntatis, & vnitas Trinitatis demonſtretur, & non diſtantia inter dominantem; & ſubiectum; aut inter iubentem, & iuſſum. Vt autem abuſio verbi, iubendi filio Dei, nemini peregrina, & noua videatur, recitabo quæ Gregorius Nyſſenus in illum locum Pauli ſcripſit: quando ſubiecta erunt ei omnia; & quæ ſequuntur. ait enim, Nemo intuens in communem abuſionem verbi ſubiectionis, improbet verbum. Scit enim Paulus pro ſua ſapientia, vt ei videtur, vti liberè verbis, & ad ſeriem ſententiarum accommodare verborum ſignificationes: tametſi conſuetudo abuſionem verborum ad alias notiones ferat. Vnde enim ſumpſit vſum verbi huius ἐκένωσε, id eſt, exinaniuit ſemetipſum? Et illud, Exinanita eſt fides? Omittam alia exempla. ſubiungit poſtea: Cæterum Paulus ſinens valere etymologias, quibus verbis vult, declarat quas notiones vult. Siquidem multa alia ſi quis diligenter expendat, reperiet in epiſtolis Pauli, quæ ei conſuetudini, qua vtimur, non ſeruiunt: quin potius ſua quadam intelligentia liberè profert, nihil de conſuetudine curans. Sic hoc loco, aliud eſt præter communes notiones, quod ſignificat verbum ſubiectionis apud Paulum. hactenus Gregorius. Similiter ergo ſcit diuina ſcriptura accipere verbum iuſſionis per abuſionem, vt pleraque alia, vt quidem accipit præter conſuetudinem, verbum ſubiectionis ſecundum Gregorium. Rurſus idem Cyrillus lib. x I. in Ioan. cap. 17. Clarificatum igitur patrem à ſe dicit opere conſummato, quod ab eo pater accipit, non vt à miniſtro, ne creatura videatur, ſed vt à virtute, &





ſapientia genitoris, per quam noſtra ſalus ei tradita conſummata eſt. Sic ſanè Pſalmiſta quoque virtutem exponens myſterij, dicit, manda Deus virtuti tuæ. & paulo pòſt, quomodo autem mandat virtuti ſuæ Deus? & rurſus paulo pòſt, ſimiliter in ſolis, & ignis ſimilitudine hoc ipſum conſpiciemus. nam ſol quoque profuſò à ſe lumini mandare quaſi videtur, vt vniuerſum orbem illuſtret, & calefaciendi virtutem ſuis radiis tradit, vt ipſi ſuſceptibilibus eam immittant. Ignis quoque naturæ ſuæ proprietati eodem modo cõmittit, vt quæ ſibi conueniunt, faciat; neque tamen idcirco aut radij, & lux ſolaris, aut perurens proprietas ignis miniſtri loco adhiberi dicentur, cùm vtrumque opus ſuum efficiat. nam etſi videntur non ipſa id facere, non tamen alia ipſa ſunt natura, quàm illa quæ ex eis ſunt. hoc modo de patre, & filio intelligere debemus, quando à patre filio quicquam dari dicitur; dixerat autem paulò ante, tale quid ſanè de Deo intelligendum eſt, licet non in omnibus ad vnguem ſimilitudinum & exemplorum vis ad Deum referenda ſit. Hactenus Cyrillus. Quòd verò doctrina apoſtolorum, quam Clemens mandauit litteris, quæ, vt oſtendi, diuinam ſcripturam ſequens, filium ait iuſſum eſſe à Deo patre, & ei miniſtraſſe, non nouit creaturam eſſe filium Dei, ſed potius increatum, perſpici poteſt ex teſtimonio Salomonis à Clemente citato, dicto ex perſona Chriſti non de diuina natura filij, ſecũdum Arrianos; ſed de humana, ſecundum Orthodoxos. Enumerans ergo Clemens libro 5. cap. 20. teſtimonia dicta de humanitate Chriſti, ſubiungit, De eo etiam aiebat Salomon tanquam ex perſona eius, Dominus creauit me principium viarum ſuarum. & quæ ſequuntur. & rurſus: Sapientia ædificauit ſibi domum. Zacharias autem, Ecce Rex venit iuſtus, & ſaluans ipſe, & aſcendit in aſinam. Ac rurſus doctrina Apoſtolorum libro 7. cap. 37. & dies, inquit, feſtos conſtituiſti ad lætitiam noſtrarum animarum, vt nobis veniret in mentem ſapientiæ à te conditæ, quod ſcilicet ortum ex muliere propter nos cepiſſet. Chriſtum ergo dicit ſapientiam conditam propter ortum ex muliere. & in 8. libro cap. 12. de diuina natura filij Dei, Qui omnia, inquit, cùm non eſſent, feciſti per vnigenitum tuum filium, ipſúmque ante omnia ſæcula genuiſti. In ſeptimi libri capite quadrageſ. recitans Clemens ſymbolum fidei, ait ante ſæcula volente patre genitum, non creatum. Sic enim erat in exemplari Calabro vetuſto, quod quidem libenter elegi in editione Clementis Græcè tanquam præſtantius, &, vt videtur, ſic ante nos à ſancto Epiphanio lectum: ſic enim ait Epiphanius in Anchorato, Ne deſinatis fideles, & Orthodoxi, ſeruare hanc ſanctam fidem eccleſiæ catholicæ, vt eam à ſanctis Apoſtolis accepit. Sic ſingulos catechumenos, qui ad ſanctum lauacrum venturi ſunt, docere debetis: Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium: & in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſæcula, id eſt, ex ſubſtantia patris: lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum. hoc dixit Epiphanius accepiſſe eccleſiam à ſanctis Apoſtolis, ſignificans ſcilicet hanc apoſtolicam doctrinam. Cùm igitur facile ſit demonſtrare ex pluribus locis horum librorum, eſſe filium Dei increatum, ſine principio, & coæternum Deo patri, & cùm non poſſit illud, Iuſſum eſſe, & miniſtraſſe, accipi ſecundum ſenſum Arrianorum, oportebat eos qui hunc locum reprehendunt, quærere quæ hæc ſpecies, & modus iuſſionis, & miniſtrationis, atque ſubiectionis: & quid ſignificent hæc: & ex qua ſcriptura ſumpta: & qui teſtes; ac non potius continuò proſilire ad reprehendendum ea quæ non intelligunt, & improbandum quæ rectè dicta ſunt, propter neſcio quam falſam ſpeciem probabilitatis. Sed ne longior ſim, ſi adhuc nonnullis paulo obſcurius videatur, filium eſſe à patre iuſſum, & ei miniſtraſſe, ſeruata naturali, & pari dignitate, ſit Moyſes exemplum, licet tenue & minutum, iuſſionis tantum ſine inæqualitate eius qui iuſſus eſt; hunc enim cùm Clemens libro ſexto laudaret, virtutéſque eius perſequeretur, ſubiungit, Illum dico tanquam conditorem, qui operationes Dei deſignauit. Nunquam profectò Clemens Moyſem appellaſſet tánquam conditorem, ſi nullo modo ſimilis fuiſſet conditori Deo. illud enim, tanquam, habet hic cuiuſdam ſimilitudinis ſignificationem; quæ verò iſta ſimilitudo ſit, ex ſcriptura licet intelligere. Scriptum eſt enim in Exodo: & dixit Dominus ad Moyſem, Ecce ego dedi te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus, erit Propheta tuus: tu autem loqueris ei omnia quæcunque præcipio tibi: & quæ ſequuntur. Aaron quidem fuit Propheta Moyſis, typus Chriſti, qui eſt conſiliarius patris, & magni conſilij Angelus, ſicut ait Eſaias: Moyſes verò typus Dei patris. & quemadmodum Deo iubente, & dicente, Fiat lux, filius creauit lucem: & dicente, Congregentur aquæ, filius congregauit aquas; & ſimiliter factum eſt in reliquis: ſic dicente Moyſe fratri ſuo in modum iubentis, Accipe virgam, & proiice eam in terram, & erit ſerpens: & proiecit Aaron virgam ſuam coram Pharaone, & coram ſeruis eius, & factus eſt ſerpens. Et rurſus dixit Dominus Moyſi, Dic Aaron fratri tuo, Accipe virgam, & extende manum ſuper aquas Ægypti, & ſuper flumina earum, & erit ſanguis in vniuerſa Ægypto. & fecerunt ſic Moyſes, & Aaron, ſicut præcepit ei Dominus: & eleuans Aaron virgam, percuſſit aquam; & ſicut Aaron cùm fecit iubente Moyſe illa admirabilia opera, quæ ſolus Deus operabatur, non erat propriè miniſter aut famulus Moyſis; ſimiliter neque filius, cui dixit Deus inſtar conſultantis, & tanquam iubens, Fiat lux, non miniſtrabat ſeruiliter, neque adiuuabat Deum patrem vt indigen-

tem auxilio; immò pater,& filius,qui eſt virtus,& brachium patris,& ſpiritus patris ac filij omnia fecerunt; & vt ſermo Moyſis ad Aaron in modum iubentis ſecundum illud; Accipe virgam, & extende manum, non læſit dignitatem Aaron,immo concordiam eorum,& non eſſe diſſidentes, neque compoſitionis, atque ordinis inimicos demonſtrabat: Similiter ſermo Dei ad filium in modum præcepti, iuxta illud, fiat lux, congregentur aquæ, & ſimilia deinceps, vt dictum eſt ſuprà, magis conſpirationem, & vnitatem innuunt. Atque hæc quidem hactenus.

CAP. XIII. *pag. 68.*

*Cùm autem tradidiſſet nobis antitypa myſteria pretioſi corporis, & ſanguinis abſente Iuda.*] Quamuis pater Chryſoſtomus, & beatus Auguſtinus, & nonnulli alij dixerint factum eſſe Iudam participem myſteriorum ſacræ communionis, magis tamen credendum eſt apoſtolicæ doctrinæ, præſertim cùm Dionyſius Areopagita hoc tradat, etſi nonnullis non ſatis ſenſum ſuum explicaſſe videatur; & quod maximum eſt, cum hoc conſonet euangelio. Ait igitur Dionyſius in cap. De communione, & ipſe auctor ſymbolorum iuſtiſſimè ſubtrahit eum qui non ſanctè, neque pari morum ſimilitudine ſacra concœnauerat, docens ſanctè, & vt Deum decebat, quod verus ſecundum virtutem ad diuina acceſſus præſtat accedentibus communionem cum ſimili ipſis, cùm ait, eum qui concœnauerat, Iudam ſcilicet ſignificat, de hoc enim loquitur. Sed quæ illa ſacra, quæ cõcœnaſſe dicit? nempe paſcha cum azymis, & lactucis agreſtibus ſecundum legem Moyſis, hæc enim erant ſacra, vtpotè ſacrificium Domini, vt ait ſcriptura Exod. 12. & Numeri 9. quod quidem obtulit Dominus ſuo tempore, id eſt, primo menſe, decimaquarta luna ad veſperam, ſcilicet ante myſteria diuina. Sed quòd ſacra illa quæ Dionyſius dicit Iudam concœnaſſe, non ad ſacra myſtica corporis, & ſanguinis, ſed ad ſacra typica agni, & azymorum ſecundum legem, referri voluerit, ex iis quæ ſequuntur, ſiquis rectè aduertat, intelligere poteſt. Etenim ſi ſubducendo Iudam, docuit Dominus, vt ait Dionyſius, quis verè particeps fiat ſanctæ communionis, nempè is qui non accedit ſimulatè, vt quidem Iudas acceſſiſſet, ſi accedere permiſſum eſſet, ſed cum veris virtutibus, verè, inquam, & ſanctè, ſicut ſanctus eſt Dominus, ad quem accedit; conſequens profectò eſt, vt non fuerit Iudæ permiſſum accedere; alioqui Dominus docuiſſet exemplo ſuo, non quidem repellere à ſacra communione, ſed potius admittere eos, quos publicum eſt, & omnibus notum, indignos eſſe, vt de Iuda erat, poſtquam eum Dominus indicauit duobus ſignis manifeſtis miſſæ manus in catinum, & panis à Domino porrecti, ne quem lateret. Hactenus de auctoritate & teſtimonio Dionyſij apoſtolici auctoris, etſi non ignorem, quoſdam, qui ſcholia in Dionyſium ſcripſerunt, ſacra iſta ad myſteria panis & vini retuliſſe: ſed non bene, vt ratio, quam modò dixi, conuincit. Clementem, & Dionyſium ſecutus eſt Hilarius Pictauienſis grauiſſimus auctor, vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum. Sic enim canone 30. in Matth. ſcripſit, poſt quæ Iudas proditor indicatur, ſine quo paſcha accepto calice, & fracto pane conficitur, dignus enim æternorum ſacramentorum communione non fuerat. Sed quod potiſſimum eſt, vt dixi, ſatis, vt mihi videtur, ipſa euangelij conſequentia demonſtrat hoc quod Clemens tradit. ait enim Ioannes, cùm accepiſſet ille buccellam, continuò exiuit; buccella autem non erat corpus, vt ait Iulius pontifex; is enim interpretans hunc locum, aliud, inquit, eſt corpus Chriſti, aliud buccella, cuius intinctio, inquit, hypocriſim Iudæ in ænigmate ſignificauit; hæc ille. idem ſenſit ſynod. Brac. 3. cap. 1. Immò & buccellam dedit Dominus amicè & comiter, vt illius duritiem mitigaret, ſi cedere voluiſſet: at corpus Chriſti non datur duris, vt ſic datum, duritiem molliat. Hanc autem rationem tribuendi buccellam Iudę, interpretatus eſt Photius in ſcholiis ſuis in Ioannem: Non enim, inquit, emolliuit eum communis menſa, neque lauatio pedum, neque illa Chriſti admirabilis caritas, & longanimitas, neque præcognitio futuræ proditionis; & in ſumma neque porrigere amicè, hilariter, & comiter illam buccellam. & paulo pòſt; Poſtquam verò obduruit, & factus eſt vas aptum diabolo, fidẽter irruit in eum diabolus, & pertraxit ad ſcelus: cùm enim, inquit, accepiſſet buccellam, continuò exiuit nocte: neque enim nocturnum tempus continuit eum. Hactenus Photius. Dediſſe ergo Iudæ buccellam intinctam, ſatis demonſtrat non fuiſſe buccellam illam, corpus Chriſti. Ac rurſus, quòd buccella illa Iudæ data, dum concœnarent, non erat corpus Chriſti, licet intelligere ex Euangeliſtis inter ſe collatis. Cùm enim percunctarentur Apoſtoli, quis eſſet de quo diceret; reſpondens Ieſus, dixit, Qui intingit mecum in catino manum: apud Ioannem verò, cùm idem rurſus interrogaretur Dominus: reſpondit, Ille eſt, cui ego intinctum panem dabo: vt iam in vnum & idem tempus cœnæ concurrant illa duo, & manum intingere in catinum, & dare ei buccellam. Igitur vt illud factum eſt, cùm concœnabant, ſic etiam hoc, quod cum illo coniunctum fuit, & ad illud ipſum tẽpus, & illam ipſam carnem agni ſcilicet typici pertinuit. Quo facto, continuò ille egreſſus eſt, & egreſſo, cœnantibus verò illis, ait; Accepit Ieſus panem, & quæ ſequuntur. Ne enim ſuſpicaremur, expectaſſe Iudam myſteria, addidiſſe videtur euangeliſta Ioannes, continuò exiuiſſe poſt ſumptã buccellam. Neque verò, quia Lucas poſtquã narrauit myſterij inſtitutionẽ, ſcripſit dixiſſe Dominum, Verùm ecce manus tradẽtis me, mecum eſt in menſa, argumentum eſt, vt quibuſdam videtur, interfuiſſe Iudam inſtitutioni myſterij: non enim interpretandus eſt ordo rerum geſtarum ex ordine narrationis; ſiquidem vt apud Lucam

poſt my-



poſt myſterij deſcriptionem ſcriptum eſt illud; Verùm ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa: ſic apud Matthæum & Marcum ante deſcriptionem eiuſdem myſterij ſcriptum eſt illud in eandem ſententiam, Qui intingit mecum manum in paropſide, ſiue in catino: quod nihil eſt aliud, quàm quod idem Dominus dixit apud Lucam, Verùm ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa. Ex eo ergo potius concludendum eſt, non interfuiſſe; quod, vt dixi, ſi buccella illa, quæ poſt lotionem pedum data eſt Iudæ, ad cœnam illam, quę adhuc durabat, pertinebat; & poſt buccellam, vt teſtatur Ioannes, exiuit continuò, conſequens eſt, non interfuiſſe myſteriis, quæ ablutionem pedum, cui Iudas interfuit, ad noſtram inſtitutionem ſecuta ſunt; vt ſcilicet admoneremur opus eſſe, ad illa myſteria dignè, & mundè participandum lauare pedes, id eſt, extrema noſtra, vt Dionyſius Areopagita interpretatus eſt: idipſum ſignificat illa manuum lauatio, quam facit ſacerdos conſecraturus, vt idem quoque Dionyſius interpretatur in hierar. Eccleſ. cap. de communione. Siquis verò obiiciat illud ext. de off. ord. c. ſacerdos, vbi ſtatuitur, vt non poſſit ſacerdos remouere nominatim à communione ſacra, quem ſecreto ſcit reum eſſe, quia non vt iudex ſcit, ſed vt Deus; iudicium quidem eſt canonicum pontificis Eugenij, quo ſtandum eſt; illud verò quod ſequitur, quia neque Chriſtus, inquit, Iudam à communione remouit, interpretatio eſt hæc, non iudicium; hoc, inquam, non vt iudex, ſed vt interpres pontifex dixit.

Vt ſine errore intelligatur, cur ſecundum apoſtolicam doctrinam antitypa myſteria corporis, & ſanguinis Domini dicantur, quod ab hæreticis contra veritatem corporis Chriſti in ſancta Euchariſtia obiicitur, neceſſe eſt intelligere prius, quid verbum antitypi declaret. hoc enim verbo ſancti Apoſtoli, vt poſtea docebo, ſacramenta euangelicæ legis appellarunt, ſicut ſacramenta veteris legis typi noſtrorum erant, & dicebantur, vt differentia nominum differentiam rerum demonſtraret. hic enim dici poteſt, quod apoſtolica doctrina lib. 8. cap. 46. de epiſcopis, & presbyteris, ac diaconis dicit, ſic eſſe à Chriſto nominatos, vt ſic nominati, diuerſitate nominum, diuerſitatem rerum declararent; alioqui, inquit, ſi non eſſet differentia ordinum, & lex aliqua eorum, ſatis erat vno nomine eos appellaſſe. typi ergo erant & dicebantur illi Moſaici, qui vmbræ erant, ſicut Apoſt. ait, futurorum bonorum, quæ ſunt nunc ſacramenta eccleſiæ Chriſti, quæ Apoſt. vocat ipſas imagines rerũ, id eſt, veritatis, & gratiæ. Lex enim, ait Ioannes euangeliſta, per Moyſem data eſt; gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. illis typis, & vmbris, quas lex Moyſis habebat, oppoſuit gratiam, & veritatem, quam habent ſacramenta noſtra. hæc igitur ſapientiſſimè vocata ſunt antitypa, tũ quia illis veteribus typis partim ſublatis, partim mutatis, ex aduerſo reſpõdent, ac pro illis data ſunt; & in his eſt veritas, & impletio illorũ: hãc enim rationem verbi ſecutus videtur Epiphanius, cùm in homilia de reſurrectione Domini ſic ait, de myſteriis corporis, & ſanguinis loquens, τὰ μὴ παλαιούμενα τοῦ νέου πάσχα ἀντὶ παλαιοῦ μυστήρια ἀντίτυπα, id eſt, non veteraſcentia noui paſchæ pro vetere myſteria antitypa. tum quia operantur res quarum ſunt imagines, contrà atque illi typi qui bona futura, quorum vmbrę erant, non operabantur, neque poterant, ſicut Apoſt. ait, perfectum facere ſeruientem. vtrumque notatum eſt illa præpoſitione ἀντὶ in ipſo vocabulo antitypi. deinde quia res, quas vt inſtrumenta myſtica operantur, non ſolum tanquam in imagine, ſed tanquam in cauſa vicem inſtrumenti habente continent, idcirco non ſunt neque dicuntur propriè typi, quorum eſt res adumbratas tanquam in typo tantum continere, ſed potius antitypa, vt ſi dicamus typos pro rebus quas continent. ad hanc rationem nominis pertinet apoſtolica doctrina lib. 3. cap. 17. explicans enim quæ imagines, & quarum rerum ad antitypon myſterium baptiſmi adhibeantur, baptiſma, inquit, eſt datum in mortẽ Ieſu, quod clarius dixit Cyrill. Hier. in 2. catecheſi myſtagogica, eſſe baptiſmum antitypõ paſſionum Chriſti: nõ dixit typum paſſionum Chriſti, quia in typis propriè, quales erant in vetere lege, nullo modo erat veritas, aut gratia: in baptiſmo autem eſt virtus paſſionis tanquam in myſtico inſtrumẽto ordinato à Deo ad inducendum effectum ſacramentalem gratiæ baptiſmalis; idcirco antitypon eſt, & dicitur, ſicut beatus Petrus vocauit; quod poſtea explicabo. Subiungit deinde Apoſt. doctrina, aqua eſt ἀντὶ ταφῆς, id eſt, pro ſepultura, ſiue vice ſepulturæ. iam hic præpoſitione ἀντὶ, quæ eſt in antitypo, quæ Latinè eſt, pro, vſa eſt Apoſt. doctrina; vt perinde ſit hoc, quaſi diceret, aquã baptiſmi eſſe antitypon ſepulturæ; quia non deſignat illam ſolum, ſicut aqua baptiſmatum veteris legis; quæ vmbra tantum erat noſtri baptiſmi, nihil præterea operans virtute mortis Chriſti tunc futuræ ad emundationem conſcientiæ, vt quidem operatur ſacri baptiſmi aqua, in quam mergi baptizatum, ſignificat conſepeliri cum Chriſto per baptiſmum; & emergere, correſuſcitari: verùm non hoc ſignificat typicè aqua baptiſmi; immò hoc ipſum facit myſticè, & ſpiritualiter vice inſtrumenti. Sequitur in loco apoſtolicæ doctrinæ propoſito, oleum ἀντὶ πνεύματος ἁγίου, id eſt, oleum eſt pro Spiritu ſancto: hoc quoque perinde eſt, vt ſi diceret de oleo quod adhibetur ad baptiſmum, de hoc enim loquitur, oleum eſt antitypon Spiritus S. quia non ſolum eum ſignificat, quod eſt typum eius eſſe; ſed verè eſt in eo virtus Spiritus S. tanquã in inſtrumento à Deo inſtituto ad aliquem proprium effectum gratiæ auxiliaris in eo qui baptizatur. Sequitur deinde, ſignum crucis, quam ſcilicet facit ſacerdos qui baptizat, ἀντὶ σταυροῦ, id eſt, pro cruce. quod perinde etiam eſt, vt ſi diceret, deſignatio crucis in baptiſmo, eſt antitypon verę, & viuificæ crucis

Chriſti,

Chriſti. eſt quidem crux, quam facit ſacerdos cùm baptizat, typus veræ crucis Chriſti, ſed non eſt typus propriè, vt illa crux typica ſerpentis quem iuſſu Dei exaltauit Moyſes in deſerto; de illa enim non poteſt dici, quod hic ait apoſtolica doctrina, fuiſſe ἀντὶ ςαυροῦ, id eſt, fuiſſe pro cruce Chriſti, quia Chriſtus non dum crucifixus erat: atque ita fieri non poterat, vt per vſum illius typicæ crucis virtus crucis Chriſti viuificæ applicaretur, vt quidem applicatur per crucem à Sacerdote in baptiſmo factam, & in aliis ſacramentis, tanquam per myſticum inſtrumentum: vnde licet typus crucis Chriſti ſit, & dicatur, non tamen propriè; ſed potius propriè eſt, & dicitur antitypon, vt iam explicaui. poſtremò addit apoſtolica doctr. chriſma confirmatio confeſſionis. Hic iam ipſa locutionis forma magis adhuc declarat, quantum diſtant typi myſtici noui Teſtamenti à typis illis myſticis veteris: etenim quia typus, ſiue imago rei, quæ in ſe tanquam in cauſa vicem inſtrumenti habente rem ſignificatam continet, eſt quodam modo ipſa res, quatenus eam, vt dixi, continet; idcirco dixit apoſtolica doctrina, chriſma eſt confirmatio confeſſionis, ſcilicet fidei; quod perinde eſt, ac ſi diceret, chriſma eſt antitypon confirmationis fidei. Cyrillus Hieroſ. in 3. catecheſi myſtagogica, chriſma dicit eſſe antitypon Spiritus ſancti; quod in eandem ſententiam dictum eſt, quàm apoſtolica doctrina expreſſit, vt ſi dicatur, chriſma eſt antitypon Spiritus ſancti confirmantis confeſſionem fidei baptizati: vt illud rurſus, chriſma eſt confirmatio confeſſionis, idem valet, ac ſi dicatur, chriſma eſt antitypon confirmationis, quam ſcilicet efficit Spiritus ſanctus per chriſma. ſic enim ait idem Cyrillus in eadem catecheſi comparans hoc chriſma cum chriſmate ſiue vnctione Aaron & Salomonis. Illis, inquit, typicè hæc contigerunt, vos autem vncti eſtis non typicè, ſed verè; vncti enim eſtis à Spiritu ſancto. ſatis hactenus, vt opinor, explicatum eſt, quę ſit vis, & ratio antitypi, & quid hæc prępoſitio ἀντὶ in eo declaret; declarat enim, vt dixi, data eſſe in nouo Teſtamento antitypa ſacramenta pro illis Moſaicis typis; item proprium aliquid ineſſe eis, quod eſt contrarium typis illis antiquis, illi enim non poterant perfectum facere ſeruientem; antitypa verò poſſunt. hæc itaque eſt vis præpoſitionis ἀντὶ, in antitypis, ſi ad typos veteres reſpiciamus. Cùm verò reſpicimus ad res quarum ſunt, & dicuntur antitypa, ita dicta ſunt antitypa, quaſi dicantur typi ἀντὶ πραγμάτων, id eſt, typi pro rebus: tanquam cauſæ enim vicem inſtrumenti habentes, vt ſæpe dictum eſt, continent in ſe res quas ſignificant, vnde rectè dicuntur antitypa ſacramenta noſtra, hoc etiam præpoſitione ἀντὶ declarante; niſi magis placet dici antitypa, quaſi ἀντὶ τύπων, id eſt, quòd ſint vice typorum, quia non ſunt typi propriè, vt ſuprà explicatum eſt; ſed ſunt inſtar typorum, quatenus habent etiam imagines ſub ſenſum cadentes. Denique, vtcunque explicetur vis, & ratio huius præpoſitionis ἀντὶ, plenum eſt apoſtolica ſapientia hoc verbum, quo ſancti Apoſtoli ſacramenta noui Teſtamenti appellare voluerunt, vt differentia nominis differentiam eorum à typicis ſacramentis veteris legis notarent: vt ex duobus locis, altero epiſtolæ beati Petri, altero epiſtolæ Pauli ad Hebr. perſpici poteſt: in his enim duobus locis tantum noui Teſtamenti poſitum eſt hoc verbum. quos locos neceſſe eſt, vt, quàm breuiſſimè poſſim, interpreter, vt teſtimonio apoſtolicæ auctoritatis, quæ hactenus dicta ſunt, comprobemus: ſimulque doceamus, quemadmodum quod Caluiniani ex verbo antitypi contra veritatem corporis Chriſti inſanè colligunt, Paulus ipſe in epiſt. ad Hebr. cap. 9. planè refellat, & de falſitate conuincat. Petrus igitur cùm de arca Noë meminiſſet, in qua pauci, inquit, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam, quia illud in figura contigit, opportunè myſterium illud aperit, & quid in ænigmate, ac typo ſignificaret, docet, ſubiungens, quòd & vos antitypon nunc ſaluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Ieſu Chriſti à mortuis. aqua ergo, per quam paucos illos arca Noë ſeruauit, typus fuit baptiſmi ex aqua, per quem in eccleſia, cuius typus, ac figura fuit arca illa, ſalui fiunt fideles; extra eccleſiam enim non eſt ſalus in baptiſmo. Deinde, quia typi proprij erant veteris legis, in qua iuſſerat Deus, vt fierent omnia ſecundum exemplar demonſtratum in monte, circumciſionis quoque meminit, quæ fuit in lege typus, & vmbra baptiſmi, cùm ait, non carnis depoſitio ſordium; depoſitionem enim carnis ſordium, id eſt, carnis ſordidæ vocat circumciſionẽ præputij, quod, vt Ioannes Damaſcenus ait lib. 4. de fide orthodoxa, eſt περίττωμα ἄχρηςον, id eſt, eſt pars ſuperuacua, & omni vſu carens. aliam rationẽ attulit Philon Alexand. quia, inquit, colligitur, & contrahitur in præputiis aliquid quod repurgare opus ſit, ſicut in pilis euenire ſolet. hactenus Philon. hanc dicit cauſam vnam fuiſſe, cur gens Iudæorum circumcideretur, διὰ τὴν δι' ὅλου τοῦ σώματος καθαρότητα, id eſt; propter munditiem totius corporis; quaſi hæc pars ob eam rationem quam Philon dixit, immunda eſſet, quod ad adumbrationẽ myſterij baptiſmatis omnia inquinamẽta carnis, & ſpiritus abluentis pertinebat. quam hic vocat beatus Petrus depoſitionẽ carnis, Paulus in epiſt. ad Coloſſ. ſpoliationẽ carnis vocauit, auctore etiã Tertull. in lib. de reſurrectione carnis, ſic enim ait: Hinc & Apoſt. Circũciſionẽ ſpoliationẽ carnis appellans, tunicã cutẽ affirmauit; hoc dixit, quia ἀπεκδύεσθαι, vnde eſt verbũ Gręcũ, quod ſpoliationẽ vertit interpres, exui ſignificat, quod in tunicã cõuenit. Circũciſio igitur, de qua beatus Petrus hic meminit, typus fuit baptiſmi: rationẽ verò typi explicat idem Damaſcenus: Vt enim circũciſio, inquit, non partẽ corporis vtilẽ amputat, ſed partẽ ſuperuacaneam, & inutilẽ, (adde etiã immũdã) ſic per ſan-

ctum bap-



ctum baptiſmum peccata amputantur. Conſtat autem peccatum eſſe ſuperfluum voluptatis; ſiquidem fieri non poteſt, vt quis nihil penitus concupiſcat; aut nullam prorſus voluptatem deguſtet. Verùm inutilis cupiditas, & inanis voluptas peccatum eſt, quod baptiſmus circuncidit. & paulo poſt, Veritate igitur patefacta inutilis eſt typus, & vmbra; quare ſuperuacaneum eſt nunc circumcidi, & ἐναντίον τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, id eſt, & contrarium ſancti baptiſmatis. Qui enim circumciditur, debet vniuerſam legem ſeruare. hactenus Damaſcenus: qui cùm dixit circumcidi nunc ſecundum veterem typum, contrarium eſſe ſancti baptiſmatis, ſic fortaſſis interpretatus eſt, cur baptiſma à beato Petro antitypon vocetur, quod verbum, vt ſæpe dixi, omnibus ſacramentis legis Euangelicæ conuenit, quaſi antitypa etiam dicantur, quòd ſint contraria typis Moſaicis, vt antea dixi; ſiue potius, quæ eſt ex omnibus potiſſima ratio, quòd noſtra ſacramenta ſunt ipſæ imagines rerum præſentium quas operantur, contrà atque typi illi veteres, qui vmbræ tantum erant noſtrarum imaginum, id eſt, ſacramentorum tunc futurorum, vt hic in ſacramento baptiſmi, & circumciſione typo docuit beatus Petrus, cùm ait, quòd ſaluos nos facit antitypon baptiſma; ergo imago ſub ſenſum cadens baptiſmi ex aqua & forma verborum conſtantis continet in ſe ſalutem tanquam inſtrumentum myſticum à Deo ad regenerationem ſpiritualem inſtitutum: typus verò eius, id eſt, circumciſio non faciebat ſaluos; idcirco antitypon vocauit baptiſma. cùm verò ſubiungit, non carnis depoſitio ſordium ſcilicet ſaluos facit, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum, declarat, cur baptiſmus ſaluos faciat nunc: non autem tunc ſaluos faciebat circumciſio; ſcilicet, quia circumciſio tantummodò particulam corporis auferebat; baptiſmus verò aufert peccata: his enim ablatis, exiſtit conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum. ſi enim nunc baptizatus interroget coram Deo conſcientiam ſuam, nihil eum reprehendit cor, nihilque ſibi conſcius eſt, pro eo, quòd hic dixit beatus Petrus, non depoſitio carnis ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio, dixit Paul. Col. 2. circumciſi circumciſione non manufacta in ſpoliatione corporis peccatorum carnis; quod perinde eſt, quaſi diceret, circumciſi non circumciſione, quæ particulam corporis aufert, ſed circumciſione, per quam corpus exuit peccata, quæ per carnem fecit. ſic Chryſoſt. & eum ſecutus Theophyl. Sed veniamus iam ad locum Pauli, in quo idem verbum antitypi poſitum eſt in ſacramentis eccleſiæ Chriſti; ex quo loco demonſtrabimus, quòd apoſtolica doctrina dicit antitypa myſteria corporis, & ſanguinis Chriſti declarare ſecundum vim verbi antitypi, & vſum Apoſtoli, corpus & ſanguinem Chriſti eſſe ſub illis panis & vini typis. Sic igitur ait in epiſt. ad Hebr. cap. 9. Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cæleſtium his mundari, ipſa autem cæleſtia melioribus his. exemplaria cæleſtium dicit, tabernaculum, & ſancta, ac ſancta ſanctorum, & vaſa miniſterij, quæ erant omnia ὑποδείγματα, vt ipſa epiſtola Pauli vocat, id eſt, exemplaria, ſiue, vt magis vim verbi Græci exprimamus, adumbrationes eccleſiæ Chriſti, & ſacramentorum eius, quæ quidem cæleſtia appellat, quia eccleſia vnum regnum Chriſti eſt cum cæleſti. Quandiu igitur ſtetit tabernaculum Moſaicum manufactum, quod eccleſiam non manufactam, ſed ſpiritu Dei ædificatam adumbrabat, neceſſe erat hoſtiis Moſaicis mundari; eccleſiam verò melioribus hoſtiis, corpore ſcilicet & ſanguine Chriſti. ſed cur ita? rationem ſubiungat Apoſtol. non enim, inquit, in manufacta introiuit Ieſus exemplaria verorum, ſed in ipſum cælum. hoc loco etſi interpres Latinus eodem verbo vſus, exemplaria dixit verorum, ſicut proximè dixerat exemplaria cæleſtium, Græcè tamen non eſt vnum vocabulum vtrobique, ſed in priore ὑποδείγματα, id eſt, adumbrationes cęleſtium, in poſteriore antitypa verorum. Quare neceſſe eſt varietate iſta vocabulorum notatas eſſe ab Spiritu S. cuius aſpiratione ſcripta eſt epiſtola, varias res. Si enim illud idem ſignificare voluiſſet, cùm dixit antitypa verorum, quod ſignificauerat, cùm dixit, hypodigmata cæleſtium, quid opus fuiſſet variare verbum? antitypa ergo verorum vocat non typos Moſaicos, illos enim vocauit hypodigmata, ſed ſacramenta noſtræ eccleſię: hæc enim data ſunt pro illis veteribus, & ſunt imagines expreſſæ rerum præſentium, & propinquæ archetyporum in cælo. Sed conferamus hunc locum Pauli cum loco Dionyſij, vt magis intelligamus, quæ appellat Paulus hic exemplaria cæleſtium, & quæ antitypa verorum, & quæ ſint iſta vera, & quid differant à cæleſtibus, quæ dicit quæ ſunt etiam vera. Dionyſius igitur explicans rationem & differentiam hierarchiæ Moſaicæ, & euangelicæ, ac cæleſtis, Poſt illam, inquit, cæleſtem, & ſuperiorem hoc mundo hierarchiam proferens Deus bonitate ſua nobis dona ſua ſanctiſſima, cùm pueri quidem eramus, hierarchiam veteris legis largitus eſt, adhibitis tenuibus, & obſcuris imaginibus τῶν ἀληθῶν, id eſt, rerum verarum, & adumbrationibus archetyporum remotiſſimis, typiſque contemplationem in ſe opertam, non facilem ad diſcernendum continentibus, tanquam lumine conuenienter oculis infirmis, ne eis noceret, accommodato. hactenus Dionyſius. Paulus typos illos Moſaicos vocauit ὑποδείγματα cæleſtium, id eſt, exemplaria eorum, quę fiunt in eccleſia, hoc eſt noſtrorum ſacramentorum, quæ ſunt diuina, & cæleſtia; Dionyſius vocauit ἀμυδρὰς εἰκόνας τῶν ἀληθῶν, id eſt, imagines tenues, ſiue obſcuras verorũ; vera enim ſunt noſtræ eccleſię ſacramẽta, & non vmbræ futurorũ bonorum, vt illæ veteres; gratia enim & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt. Deinde quæ Paulus vocauit ἀληθινὰ, cùm ait de noſtris ſacramẽtis eſſe antitypa verorũ, Dionyſ.

vocauit

vocauit archetypa, quæ ſunt in cælo res ipſæ reuelatæ, & apertæ, vt gratia in ſpecie, ſiue in viſione pro gratia in fide, immortalitas in re, pro immortalitate in ſpe, corpus Chriſti in ſpecie glorioſa propria, pro corpore Chriſti in myſteriis antitypis, in quibus corpus quidem Chriſti eſt ἀληθῶς, id eſt, verè; ſed in cælo ἀληθινῶς, id eſt, perfectè verè; quia in ſpecie, vt pote archetypum. Et ſicut ab illis archetypis Dionyſius dicit remotiſſimos fuiſſe veteris legis typos, ita noſtra ſacramenta propinquiſſima ſunt illis ipſis archetypis, quorum ſunt antitypa. Redeo ad locum Pauli, cuius interpretes, quantum obſeruare potui, ſi non diſtinxerunt antitypa verorum quæ Paulus dicit, ab iis quæ ibidem vocat hypodigmata cæleſtium, in cauſa fuit, quòd cùm legerent, non enim in manufacta antitypa verorum introiuit Ieſus, exiſtimabant affirmare Apoſtolum, vt ipſa compoſitio verborum primo aſpectu velle videbatur, illa manufacta antitypa verorum fuiſſe, cùm tamen non ita ſit; immo hoc negat Apoſtolus; hic enim eſt ſenſus: Si illa enim manu facta ſancta, fuiſſent antitypa verorum, id eſt, expreſſæ imagines rerum quæ ſunt in ipſo cælo, in quod Ieſus introiuit, haud dubiè ſanguine eius prius mandata fuiſſent; ſic enim mandata extitiſſent antitypa verorum, id eſt, eorum quæ ſunt archetypa in ipſo cælo; at non fuerunt antitypa eorum, ſed potius adumbrationes remotiſſimæ, & longinquiſſimæ archetyporum, vt dixit Dionyſius: eccleſia verò, quæ eſt tabernaculum Chriſti non manufactum, ſed ſpiritu eius ædificatum, de quo ait propheta, tabernaculum eius in circuitu eius, quia ipſe dixit, vbicunque fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum, ſic enim Euſeb. Cæſar. in commẽtariis ſuis in Pſalmos eruditiſſimis, illum prophetæ verſiculum interpretatur: Eccleſia, inquam, cuius typus fuit tabernaculum Moyſis, quod dicebatur ſancta, quia eſt imago ipſa cæli, in quod Ieſus introiuit, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis; idcirco neceſſe fuit, vt ſanguine eius mundata fuiſſet, vnde omnia ſacramenta eccleſiæ, quorum typi erant vaſa miniſterij tabernaculi, quia ſunt antitypa eorum quæ ſunt in cælo ipſo aperta & reuelata, neceſſe quoque fuit, vt ex paſſione Chriſti manaſſent. Si igitur ſacramenta legis euangelicæ antitypa ſunt τῶν ἀληθινῶν, vt Paulus ait, id eſt, verorum, vt interpres Latinus vertit, archetyporum, inquam, quæ omni velo, & imagine carent in cælo, hæc enim ſunt ἀληθινὰ, conſequens neceſſariò eſt, vt quæ ſecundum apoſtolicam doctrinam ſunt, & dicuntur antitypa myſteria corporis, & ſanguinis Domini, antitypa quoque ſint verorum ſecundum apoſtolum Paulum, hoc eſt antitypa ipſius corporis, & ſanguinis Domini in ſpecie propria in cælo: ex quo rurſus fit, vt neceſſe item ſit verè eſſe corpus, & ſanguinem Domini in antitypis ſymbolis, ſiue myſteriis ſacræ Euchariſtiæ, & non ſecundum ſpiritum tantum, vt phantaſtici, vel potius fanatici Caluiniſtæ tradunt. Sicut enim ſi baptiſmus typus & imago tantum eſſet regenerationis, ac purgationis præteritorum peccatorum, & non fieret in baptiſmo ſuſcepto vera regeneratio, & vera purgatio peccatorum, nullo modo poſſet eſſe antitypon illius archetypæ in cælo beatæ, vt ita dicam, filiationis, & beatæ purgationis peccatorum, cùm erimus ei ſimiles; ſic ſi in myſteriis corporis, & ſanguinis Domini non eſſent corpus, & ſanguis πραγματικῶς, id eſt, realiter, ſed ſecundum ſpiritum tantum, vt hæretici fingunt, non eſſent hæc myſteria antitypa corporis, & ſanguinis in ſpecie propria; atque ita nuſquam eſſent iſta antitypa verorum, quæ Paulus dicit. Si quidem neceſſe eſt, aut omnia ſacramenta eſſe antitypa verorum, id eſt, archetyporum in cælo; aut nullum. Rurſus ſi noſtra ſacramenta ſunt antitypa verorum, id eſt, ſi habent, ſicut Apoſt. ait, ipſam imaginem rerum præſentium, id eſt, veritatis, & gratiæ, lex enim per Moyſem data eſt; gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt: neceſſe eſt, vt in ſacramento corporis, & ſanguinis Domini, verè ſit corpus, & ſanguis; aut ſi non verè eſt, neque rurſus eſſe poteſt ipſa imago archetypi, hoc eſt corporis, & ſanguinis in ſpecie: nunc enim per fidem ambulamus, ſicut Apoſt. ait, & non per ſpeciem. atque ita falſum erit, quod Apoſt. ait de lege euangelica, habere ipſam imaginem rerum; in ſacramentis enim illam habet: antitypa ergo verorum ſunt, quæ habent ipſas expreſſas, & propinquiſſimas imagines rerum in ſpecie, quas Dionyſius, vt dixi, archetypa vocat, Paulus verò ἀληθινά. ἀληθῆ enim, id eſt, vera, ſunt in eccleſia, licet non ſint in propria ſpecie, vt verus homo eſt, & ſi extrinſecus aliena ſpecie indutus, quandoque non appareat homo: ſic ſunt veræ res ſpirituales in ſacramentis ſub ſenſum cadentibus; ἀληθινὰ verò ſunt, vt veteres ſcripturæ ſanctæ interpretes notarunt, τὰ τοῦτο ὅλως καὶ κυρίως ὄντα ὅπερ δὴ καὶ καλεῖται, id eſt, ea quæ ex toto, & propriè ſunt id ipſum quod dicuntur. ſicut in baptiſmo conſiſtit, vt iterum repetam, vera purgatio peccatorum, vera adoptio filiorum Dei, vera reſurrectio ſecundum ſpem: in cælo autem eſt plenè vera purgatio peccatorum, vbi amplius non poteſt peccari, & adoptio filiorum non per fidem, ſed per ſpeciem, & iſtarum rerum quæ archetypa ſunt, eſt etiam baptiſmus antitypon, vt beatus Petrus vocauit. Similiter in myſteriis corporis, & ſanguinis dicendum eſt, eſſe ſecundum apoſtolicam doctrinam à Clemente ſcriptam, & ſecundũ Pauli epiſtolam antitypa verorum, id eſt, archetyporũ, archetypa quoque vocat S. Maximus; cùm enim in diuino libro, quem de Eccleſiaſtica myſtagogia compoſuit, & inſcripſit, exponit, quæ Spiritus S. gratia per ſacram corporis Domini communionem in nobis operatur, intuens in illud Ioannis, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die, & ablatis,





inquit, ijs in quibus cernitur noſtra corruptio, tranſmutat nos, & ſimiles ſui facit. & ſubiungit, καὶ τὰ παραδειχθέντα διὰ τῶν ἐνταῦθα αἰσθητῶν συμβόλων ἡμῖν ἀρχέτυπα χαρίζεται μυστήρια, id eſt, & largitur nobis archetypa myſteria, quæ hic nobis per ſymbola ſub ſenſum cadentia oſtenſa ſunt, archetypa ergo myſteria vocat corpus, & ſanguinem propria ſpecie in cælo apparentia, quæ non reuelantur niſi beatis, idcirco vocauit myſteria. Ioannes quoq; Damaſc. lib. 4. De fide orthodoxa ca. 90. myſteria corporis, & ſanguinis antitypa, inquit, dicuntur, non quaſi non ſint verè corpus, & ſanguis Chriſti, ſed quia nunc per ea participamus diuinitatem Chriſti, tunc autem, id eſt, in futuro, in cælo inquam, per ſolam viſionem participabimus. hactenus Damaſc. Hic etiam pater, & auctor Damaſc. & orthodoxus dogmatiſtes illud corpus Chriſti quod in ſpecie viſione beata poſtea videbitur, archetypon eſſe intellexit, & hæc nunc myſteria corporis, & ſanguinis antitypa illius eſſe. ſic etiam Theodotus Patriarcha Antiochenus in quadam ſua Homilia, non duos, inquit, filios dicimus, filiũ ex patre natum, & qui filius Abrahæ, & Dauid appellatur; & paulò pòſt, non igitur duo filij numerantur, vnus ex patre ante omnia ſæcula natus, & alter poſtea ex Maria ortus, tametſi ſunt duæ naturæ; & ſicut non duo corpora corpus Chriſti, quod in cælis eſt, & eius corporis quod in cælo eſt, antitypon, quod in eccleſijs à ſacerdotibus impartitur fidelibus, ſic neque duo filij, ſcilicet natus ex patre ante ſæcula, & natus in tempore ex virgine, vt antè dixerat. item Greg. Nazianz. in ſermone 2. in Paſcha, comparans Moſaicum paſcha cum noſtro nunc, & noſtrum nunc, cum futuro in cælis, Participabimus, inquit, paſcha nunc quidem typicè adhuc, tametſi apertiùs, quàm vetus agnus participabatur; Paſcha enim legis audeo, & dico, typus typi erat licet obſcurior, cur dicat paſcha noſtrum typicè hic participari, & cur typum appellauerit, excuſat Greg. cùm ait, audeo, & dico, nequis aut malè intelligeret, aut ſic loquentem reprehẽderet, vel miraretur. niſi enim verum corpus in his myſterijs eſſe credidiſſet, non erat cur excuſaret, quòd ſic loquatur, nec audax appellatio typi viſa eſſet, ſed vera. Significat ergo typicè nunc participari, & typum à ſe dici paſcha noſtrum, quia etſi verè nunc participatur, & verum corpus Chriſti eſt, ſub typo tamen panis & vini participatur, & eſt. hoc eſt, quod Dionyſ. quoque dicit in Hier. eccl. cap. De communione, per veneranda ſymbola ſignificatur, & participatur Chriſtus; non dixit ſolum, ſignificatur, neq; participatur ſecundũ ſpiritum, vt Caluinus dicit, ſed dicit ſignificatur, & participatur; quia verè, & ſubſtantialiter participatur. Deinde, quomodo diceret Greg. Nazianz. clarius participari paſcha noſtrũ, quàm agnus veteris legis participabatur, niſi quia agnus ille tanquã vmbra tantum futuri paſchæ noſtri participabatur; in noſtro autẽ Paſcha ſub typo panis vera caro Chriſti præſens ſumitur. Pergit poſtea Greg. comparare paſcha noſtrum cum cæleſti, & paulò pòſt, inquit, perfectius, & purius ſcilicet participabitur, quando ipſum nouum nobiſcum bibet verbum Dei in regno patris aperiens & docens, quæ nunc mediocriter oſtendit. illud igitur, quod poſtea participabitur perfectius, ac purius, quia ſine vlla ſpecie aliena, nec integumento, eſt archetypum, cuius antitypa ſunt hæc, quæ nunc in typo panis & vini mediocriter, vt ait Greg. oſtenduntur. idem Greg. corpus, & ſanguinem in ſymbolis, ac typis panis, & vini antitypa pretioſi corporis, & ſanguinis in oratione funebri in laudem Gorgoniæ ſororis vocauit: item Macarius Ægyptius in homilia 27. in eccleſia, inquit, offertur panis & vinum, antitypon carnis & ſanguinis eius. nequis verò malè intelligat, aut interpretetur, ſubiungit, καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες ἐκ τοῦ φαινομένου ἄρτου τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσι, id eſt, & qui ſumunt ex eo qui apparet panis, & non eſt, hoc enim ſignificat ὁ φαινόμενος ἄρτος, vt ex Cyrillo Hieroſ. intelligi poteſt, cùm ait in 4. catecheſi myſtagogica, loquens de S. Euchariſtia, ὁ φαινόμενός ἄρτος οὐκ ἄρτός ἐστιν, ἀλλὰ σῶμα χριστοῦ, id eſt, qui videtur eſſe panis, ſiue qui habet ſpeciem panis, non eſt panis, ſed corpus Chriſti; qui, inquam, ſumunt ex ſpecie panis, hi carnem Chriſti comedunt πνευματικῶς, hoc eſt ἀοράτως, id eſt, ſpiritualiter, ſiue inuiſibiliter, quia nihil ibi videtur præter ſpeciem panis: carnem ergo Chriſti ſub typo, ſiue ſpecie panis vocat Macarius antitypon carnis Chriſti. ſic quoque vocauit Andreas Hieroſol. archiepiſcopus Creten. auctor in diuinis Scripturis eruditiſſ. in homilia in Dominicam palmarum: Poterimus, inquit, & nos eum ſumere, qui pro nobis ſemper ſine mactatione immolatur. deinde ſubiungit per interpoſitionem: θύεται γὰρ ἐν ἀντιτύποις συμβόλοις ἱεροθετούμενος, id eſt, immolatur enim pro nobis in ſymbolis antitypis conſecratus. quod autem idem Greg. Nazianz. typos ſalutis ſuæ appellat myſteria ipſa corporis & ſanguinis Domini, in oratione ad ciues Nazianzenos in extremo, ſalutem dicit non illam quę in ſpe eſt, ſpe enim ſalui facti ſumus, inquit Apoſt. Rom. 8. ſed illam potius, quæ eſt in cælis conſeruata, de qua beatus Petrus, & credentes, inquit, exultabitis lætitia inenarrabili, & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum veſtrarum. illius igitur ſalutis, quia nondum adeſt, dici poteſt, vt Greg. dixit, typus, ſiue potius imago ſancta euchariſtia, ſicut Dionyſ. cap. 1. cæleſt. Hierar. ſumptionem Euchariſtiæ ait imaginem eſſe participationis Ieſu, in cælo ſcilicet, de illa enim loquitur, vt perſpici poteſt ex reliquis quæ hic in eccleſia fiunt, quæ ibidem cum illis cæleſtibus tamquam imagines cum ſuis archetypis comparat. item idem Dionyſ. in epiſt. ad Titum, videmus, inquit, Ieſum in parabolis theologari, & tradere myſteria θεουργά, hoc eſt, deifica, διὰ τυπικῆς τραπεζώσεως. τραπέζωσιν τυπικὴν vocat typum panis & vini quæ in ſacra menſa

poſita ſunt; quas enim nos ſpecies panis, & vini dicimus, typum panis, & typum vini vocat Cyrillus Hier. in 4. catech. myſtagogica, in quibus ſunt myſteria corporis, & ſanguinis. θεουργὰ verò dicit, hoc eſt, θεὸν ἀποτελοῦντα τὸν μετέχοντα αὐτῶν, vt eſt in ſcholio Dionyſ. Alexand. id eſt, quæ Deum faciunt participantem ea. ſic quoque Damaſc. per ipſa, inquit, participamus nunc diuinitatem; tunc autem ſpiritualiter per ſolam viſionem. & S. Marcus Anachoreta perantiquus auctor, & valde celebris, explanans locum apoſtoli in priore epiſtola ad Corinth. vno ſpiritu potati ſumus, ait per ſanctam Euchariſtiam panis, & vini, fieri nos participes diuinitatis Chriſti; Dominus enim, inquit, nón per animam, ſed per proprium ſpiritum facit nos participes ſpiritus Dei, id eſt, diuinitatis, ait enim Paulus, vno ſpiritu potati ſumus. vt enim ait idem, vinum cum bibente miſcetur, & qui bibit, eſt in vino, & vinum in eo, ſic ſanguis Chriſti miſcetur cum bibente, & per ipſum efficitur particeps ſpiritus Dei. hactenus Marcus. idem docet contra Arrianos Cyrill. Alexand. lib. 11. in Ioan. cap. 17. per carnem Chriſti nobiſcum in ſpecie panis communicati effici nos vnum cum Deo patre, & filio, & ſpiritu ſancto. idem etiam Hilarius contra eoſdem, qui aſſerebant ſolum ſecundum ſpiritũ per habitudinem fidei & charitatis effici nos vnum cum Chriſto. Ex loco Damaſceni, quem paulo antè dixi, de corpore, & ſanguine antitypis ſcilicet futurorum, vt hoc quoque obſeruetur, facile eſt demonſtrare iis qui rectè de rebus iudicare conſueuerunt, quique ſuo non ducuntur iudicio, ab aliquo, cui non probabantur quæ paulo antè à Damaſceno in cap. de myſteriis, de corpore, & ſanguine antitypis futurorum dicta erant, interpoſita eſſe illa quæ ſequuntur; Quòd ſi aliqui, inquit, panem, & vinum vocauerunt antitypa corporis, & ſanguinis, vt magnus Baſilius dixit, non ſic vocauerunt poſt conſecrationem, ſed ante conſecrationem. Eſt igitur hoc argumentum, interiecta eſſe hæc ab alio; etenim ſi poſt conſecrationem dicuntur antitypa, vt ait Damaſcenus, non quia non ſint verè corpus, & ſanguis, ſed quia antitypa futurorum in cælo, cur idem Damaſcenus, ſi ſibi conſtat, & ſecum conſentit, non accipit eodem ſenſu quod Baſilius dixit, cùm vocauit antitypa corporis, & ſanguinis? an non poteſt idem ſenſus ſubiectus eſſe his verbis, ſi quis dicat, corpus, & ſanguis antitypa futurorum, vt dicit Damaſcenus? & illis rurſus, ſi quis dicat antitypa corporis, & ſanguinis, vt dicit Baſilius? immo maximè poteſt: neminemque exiſtimo contradicturum, aut dubitaturum: vtrumq; enim valet, vt ſi quis dicat res quæ ſunt in imaginibus. comparans enim apoſt. ex aduerſo myſteria veteris teſtamenti cum myſterijs noui, vmbram, inquit, habebat lex futurorum bonorũ, non ipſam imaginem rerum: imagines rerum vocat ipſas res ſacramentorum myſticis imaginibus velatas, quæ in futuro erunt in cælo in ſpecie, nunc enim per fidem ambulamus. Igitur ſicut dicuntur imagines rerum, perinde ac ſiquis dicat, res in imaginibus, & dicuntur myſteria corporis, & ſanguinis Chriſti, id eſt, corpus, & ſanguis Chriſti in myſterio; ſic etiam dicuntur antitypa corporis, & ſanguinis, perinde ac ſi dicantur corpus, & ſanguis antitypa, ſcilicet futurorum; & antitypa item, quia pro vetere typo agni data, & in eis veritas, & impletio veteris typi: ſicut Epiphanius, vt iterum repetam, ait, non veteraſcentia noui paſchæ pro vetere myſteria antitypa: & beatus Cyrillus in ſermone de Dominica cœna, & lauatione pedum, καὶ φαγὼν τὸν τύπον, ὡς πληρωτὴς τῶν τυπικῶν, ἐξέφανε τὴν ἀλήθειαν, id eſt, cùm comediſſet typum, hoc eſt, agnum typicum, vt impletor typicorum, protulit veritatem: tum etiam antitypa, quia habent imaginem ipſi rei intus latenti obiectam. ſic etiam videtur interpretatus hoc vocabulum Plotinus ſcribens contra Gnoſticos cap. 6. vel ἀντιτύπους, inquit, vocant, cùm quis verbi gratia εἰκόνας τῶν ὄντων, ἀλλὰ μὴ τὰ αὐτὰ ὄντα θεωρεῖ, id eſt, cùm imagines rerum, non eas ipſas res cernit, ſcilicet apertè; hoc enim ſignificat τὰ αὐτὰ θεωρεῖν: vt cùm videmus in ſpeculo ipſam imaginem rei, id eſt rem non nudè & apertè, ſed in imagine obiecta rei. ac fortaſſe hæc eſt propria in primis ratio antitypi, & quæ maximè conuenit ſacramentis noſtris, quæ ſunt ipſæ imagines non ſolæ, ſed imagines, & res in imaginibus obiectis, ita vt antitypa ſint ipſæ imagines rerũ, vt apoſt. vocat, quod iam explicatum eſt. Deinde enumerans idem Damaſcenus nomina ſanctæ Euchariſtiæ, poſt illam dico myſticam tranſſubſtantiationem, quod ſcilicet dicitur panis ſuperſubſtantialis, ſpiritus viuificans, participatio, communio, denique antitypa, quomodo in medio interrumpens ſeriem huius enumerationis, miſceret nomen antitypi ante conſecrationem, idque ſecundum Baſilium, quem ait vocaſſe antitypa ante conſecrationem? Præterea cùm neceſſariò beatus Baſilius oblationem vocet antitypa corporis, & ſanguinis; poſt illas ſacras & tremendas inuocationes, & preces, & actiones, quomodo potuit dicere Damaſcenus vocaſſe Baſilium antitypa, priuſquam fieret conſecratio, quaſi myſtica benedictione non omnino operante tranſſubſtãtiationem panis, & vini, in corpus, & ſanguinem Chriſti; quæ quidem fuit falſa Cabaſilæ opinatio. fortaſſe addita hæc fuerunt Damaſceno ex diſputatione Epiphanij diaconi, quæ eſt in ſexta actione ſeptimæ ſynodi Nicænæ ſecundæ; iiſdem enim verbis interpretatus eſt illud antitypon Baſilij, cùm exiſtimaret nihil differre antitypon à typo, vt quidem differre epiſtola beati Petri, & epiſtola Pauli, vt iam explicatum eſt, docent. Quòd verò ſacerdos precatur poſtea poſt conſecrationem, vt mittat Deus ſpiritum ſanctum ſuper dona poſita, & ſanctificet, & benedicat, & oſtendat, ſiue faciat, vt loquitur beatus Chryſoſt. panem hunc; corpus Chriſti, & vinum hoc, ſanguinem Chriſti; aliò tendit precatio





iſta, quod quidem diuinus Dionyſius diuinè interpretatur, ſic enim ait: Vnde diuinus epiſcopus ſtans ad altare Dei, laudat ſacra opera Dei, quæ dictá ſunt, quæ ad diuinam de nobis prouidẽtiam Ieſu pertinent, quæ ſcilicet ad ſalutem generis noſtri voluntate ſanctiſſimi patris in ſpiritu S. ſecundum ſcripturam perfecit. & ſubiungit: Poſtquam autem laudauit, & venerationem eorum, ac ſpiritualem contemplationem oculis ſpiritualibus aſpexit, venit ad ſacram eorum confectionem, idque ex traditione apoſtolica. Vim ergo huius laudationis operum Dei continent preces magni Baſilij ante myſticam benedictionem. Principium priorũ eſt, Domine Dominator Deus omnipotens, adorande, verè dignum. & quæ ſequuntur. ante quas preces ſacerdos edixit, vt ſurſum habeamus corda, gratias agamus Domino. Principium verò poſteriorum ſic eſt: Cum his beatis poteſtatibus Domine amator hominum, & nos peccatores clamamus, & dicimus, Sanctus es verè. & quæ ſequuntur. Poſt hanc ergo laudationem ſubiungit myſticam conſecrationem diuinorum myſteriorum; Accipiens enim, inquit, panem in ſanctas ſuas & puras manus; in quo quidem mirificè cõuenit cum diuino Dionyſio, qui poſt illas laudes ſubiungit, inquiens, quòd ſacerdos venit ad ſymbolicam conſecrationem, idque ſecundum Dei traditionem. Symbolicam conſecrationem vocat illam myſticam mutationem panis in corpus Chriſti, quæ facta eſt, vt Deus tradidit, ſicut ait Dionyſius, id eſt, per illam inuocationem à Chriſto traditam, ſicut Apoſtolus ait: ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Poſtea ſubiungit Dionyſius, inquiens: Deinde poſtquam petijt, vt fiat dignus hac conſecratione Deum imitante, & vt aſſimilatione Chriſti, diuina celebret, & diſtribuat caſtiſſimè, & vt ij qui communicaturi ſunt, dignè, & vt decet, ſancta participent. & quæ ſequuntur. Petit igitur gratiam ſacerdos, vt efficiatur dignus ijs quæ operatus eſt circa ſacramentum prius confectum, tunc ſcilicet confectum, quando venit ſacerdos ad ſymbolicam conſecrationem à Deo traditam, vt dixit; & petit, vt ipſe imitatione ſimilitudinis Chriſti diuina celebret, id eſt, poſcit gratiam, vt diuina myſteria ſcilicet iam confecta ſic celebret, vt Chriſti ſimilis exiſtat: tunc enim ſanctè celebramus. Sacramenta enim diuina conficiuntur non quidem ſimilitudine vitæ Chriſti; ſed potius, vt ait magnus Athanaſius, precibus, inuocationibus, & actionibus adhibitis, ſcilicet ſiue à digno, ſiue ab indigno ſacerdote ſtante ad altare ſecundum traditionem Apoſtolorum. Item petit gratiam, vt ipſe, & reliqui dignè communicent, & tunc, vt ait Dionyſius adminiſtrat diuiniſſima, quæ iam ſcilicet confecta erant. Omnes enim actiones circa ſacramentum vocat Dionyſius ἱερουργίας, id eſt, ſacras adminiſtrationes. Eadem quoque, & ſecundum eandem conſequentiam poſcit magnus Baſilius, cùm precatur poſt ſymbolicam operationem ſacrorum, quæ illa myſtica & efficaci inuocatione cõfecta eſt, poſcit inquã, vt deſcendat ſpiritus ſanctus ſuper nos, & ſuper propoſita dona, & benedicat, ac ſanctificet ea; hoc autem innuit vnus atq; idem modus ſermonis: ait enim, Te precamur, & te obſecramus, ſancte ſanctorũ, vt beneplacito tuæ bonitatis veniat ſpiritus tuus ſanctus ſuper nos, & ſuper hæc propoſita munera, & benedicat ea, ſcilicet ſuper nos ἀπὸ κοινοῦ, id eſt, à communi: & ſanctificet ea rurſus ſuper nos à communi: & oſtẽdat panem hunc pretioſum corpus Chriſti item ſuper nos. Quomodo autem ſuper nos, & quid hoc ſignificet, explanat ſubiungens: Nos autem omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus, vniat mutuo in vnius ſpiritus ſancti communionem, & neminem noſtrum in iudicium, & condemnationem: & faciat participare ſanctum corpus, & ſanguinem Chriſti tui. & quæ ſequuntur. Quæ perinde ſunt, quaſi dicat: Oramus, & obſecramus, vt veniat ſuper nos ſpiritus tuus ſanctus, & benedicat, ac ſanctificet ſuper nos hæc munera, & panem hunc pretioſum corpus oſtendat ſuper nos, faciendo ſcilicet, vt dignè ipſum participemus in ſalutem noſtram, & in communionem ſancti ſpiritus. Similiter in Miſſa beati Iacobi eodem ſenſu, & eadem conſequentia ait ſacerdos, Et mitte ſuper nos, & ſuper hæc munera ſpiritum tuum ſanctum, vt bono & glorioſo ſuo aduentu ſanctificet, & faciat hũc quidem panem, corpus Chriſti tui; & calicem hunc, ſanguinem pretioſum Chriſti tui. Quomodo verò hoc ſit intelligendum, ex ijs quæ ſubiungit, intelligere licet ſecundum ea quæ ſuperius dicta ſunt. Petit enim apud ſe ſtans, vt ſit omnibus illa participantibus in remiſſionẽ peccatorum, & in vitam æternam, in ſanctificationem animarum & corporũ in prouentum bonorum operũ, in confirmationem ſanctæ tuæ catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ, quam fundaſti ſuper petram fidei. Præterea etiam huiuſmodi petitio, vt veniat ſpiritus ſanctus ſuper propoſita munera, & benedicat, & ſanctificet ea, poſtquam panis eſt myſticè in corpus Chriſti mutatus, manifeſtior adhuc eſt in Miſſa, quæ beati Petri dicitur, quæ prius quidem Græcè ſcripta eſt, quam ego in Calabria reperi, poſtea verò Latinè tranſlata, tametſi non omnino ad verbũ; quam omnes nunc per Occidentem celebramus. Ait igitur ad verbum; Tua ex tuis offerimus venerandæ maieſtati tuæ ex tuis muneribus & donis, hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ. Super quæ propitio & benigno vultu aſpicere digneris. & quæ ſequuntur. In eandem igitur ſententiam precatur magnus Baſilius, vt veniat ſpiritus ſanctus ſuper nos ſacra operantes, & benedicat, & ſanctificet propoſita munera, id eſt, accepta habeat: tunc enim benedicuntur, & ſanctificantur ſuper nos. rurſus verò cùm non ſunt accepta, id eſt, cùm nos ſumus indigni, tunc benedictio munerum propoſitorum, & ſan-

ctificatio manet in ipſis ſolum. Ad hæc, ſi cùm precatur beatus Baſilius, vt veniat ſpiritus ſanctus ſuper munera in altari propoſita, & ea ſanctificet, nondum confecta eſt panis in corpus Chriſti mutatio, quomodo dixit, antequam ſic precetur, tua ex tuis ſecundum omnia, & per omnia? Agnus enim Dei ſuper ſacram menſam poſitus, verè eſt donum Dei ſecundũ omnia, & per omnia; & extra ea nihil eſt ſic donum. Vide verò queadmodum beatus Petrus interpretatur, quod dictum eſt, tua ex tuis; quód magnus Baſilius imitatus eſt; Tua enim, inquit, ex tuis offerimus venerandæ tuæ maieſtati, & ex tuis muneribus & donis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ, hæc enim dicit tua. Sed dicamus, quomodo, & quibus verbis Clemens in ſacra celebratione myſtici cultus, ſic enim Miſſam vocat, poſt illam tremendam, & ſecretam inuocationem, hæc protulit ſecundum conſtitutionem Apoſtolorum; quomodo, inquam, ipſe etiam precatur, & obſecrat, vt veniat Spiritus ſanctus, & ſanctificet. Rogamus te, inquit, vt beneuolè aſpicias ſuper hæc munera coram te propoſita; tu, qui non indiges, Deus: & placeat tibi in eis in honorem Chriſti tui: & mittas ſanctum ſpiritum tuum ſuper hoc ſacrificium, vt oſtendat hunc panem corpus Chriſti tui. Quid autem ſignificet hic, oſtendere panem corpus Chriſti, declarat, ſubiungens, vt qui eum ſumpſerint, confirmentur ad pietatem, & remiſſionem peccatorum conſequantur. & quæ ſequuntur. Perinde ac ſi diceret, vt faciat hoc corpus Chriſti, eſſe nobis corpus Chriſti, ſcilicet ſumendo illud dignè, & percipiendo fructus ſanctæ communionis. cùm enim dignè communicantes hos fructus conſequimur, tunc hoc corpus Chriſti oſtenditur in nobis eſſe corpus Chriſti. contrà verò, indignè communicantibus, &, vt Apoſtolus ait, non diiudicátibus corpus Domini, hoc quod verè eſt antè etiam quàm ſumatur corpus Chriſti, non efficitur indignè ſumenti corpus Chriſti: corpus enim Chriſti viuificum eſt; his verò qui indigni ſunt eo, efficitur iudicium, & mors. Similiter magnus Baſilius explanans quid ſignificet quod petit, vt oſtendat panem hunc corpus Chriſti, ſubiungit, vt antea diximus; Nos verò omnes, qui de vno pane ſumimus, vt mutuò vniat in vnius Spiritus ſancti communionem. & quæ ſequuntur. Item beatus Chryſoſtomus, vt declaret quid illud ſignificet; Fac panem hunc pretioſum corpus Chriſti tui; quod autem eſt in hoc calice, pretioſum ſanguinem tuum: ſubiungit, vt proſit communicantibus, ad vigilantiam, & ſobrietatem animæ, ad remiſſionẽ peccatorum. & quæ ſequuntur. Sed genus huiuſmodi precationis, & quod ad id explanandum dictum eſt, exemplo fiet clarius. Quod enim dicimus corpus Chriſti, effici corpus Chriſti dignè illud ſumentibus; indignè autem ſumentibus non effici, ſimile eſt, ac ſi quis dicat Chriſtum viuere fidelibus; Iudæis verò adhuc mortuum eſſe, ſicut Clemens ait in quodam loco libri ſexti: tunc enim qui ſemper alioqui viuit, oſtenditur Iudæo viuens, cùm Iudæus Chriſto credit. Si igitur pro Iudæis precemur Deum, vt mittat Spiritum ſanctum ſuper eos, & faciat vt Chriſtus reſurgat eis, an idcirco Chriſtus non reſurrexit? abſit: non hoc dicimus: neque hoc ſignificamus, ſic precando. In hunc igitur modum precandi ſic pro Iudæis, oportet intelligere illud in Miſſa Chryſoſtomi poſt ſacra myſticæ inuocationis verba: & fac panem hunc corpus Chriſti tui: facere enim, non ſignificat hoc loco facere ſubſtantiam, neque facere transſubſtantiationem ſubſtantiæ; ſiquidem vt fiat panis hic corpus Chriſti per transſubſtantiationẽ, hoc inquam, ante myſticam benedictionem precatur Sacerdos, vt intelligi poteſt ex catecheſi myſtagogica Cyrilli Hieroſolymitani, qui exponens omnem ſeriem myſtici cultus, id eſt, Miſſæ, ſic ait; Memoremus nunc & Cherubin, quæ Eſaias vidit in Spiritu ſancto dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth: Idcircò & hanc Theologiam Cherubinorum nobis traditam loquimur, vt huius hymni cantum cum cælitibus communem habeamus, vt ſanctificantes nos ipſos hymnis ſpiritualibus, Deum obſecremus, vt mittat Spiritum ſanctum ſuper propoſita, vt faciat panem hunc, corpus Chriſti, vinum verò, ſanguinem Chriſti; omnino enim quod tangit Spiritus ſanctus, hoc ſanctificatum eſt, & mutatum. & ſubiungit, deinde poſtquam confecta eſt ſpiritualis hoſtia. & quæ ſequuntur. Neceſſe igitur eſt, illud facere panem hunc corpus Chriſti, aliter quidem accipere poſt verba myſticæ conſecrationis, & aliter ante ea. Sic denique interpretati ſunt quatuor concilij Florentini Patres Græcorum eruditiſſimi. Cùm enim Eugenius quartus eos percontaretur, cur Græci poſt illa verba Domini, quibus corpus, & ſanguis conficiuntur, illa precatione vterentur: Fac panem hunc, corpus Chriſti; & calicem hunc ſanguinem, reſponderunt, Ruthenus ſcilicet, Beſſarion, Trapezunden, ac Mitylen, vt in extrema parte extremæ ſeſſionis ſcriptum eſt, Vt Latini confecto ſacramento dicere ſoleant precantes, Iube hæc perferri, & quæ ſequuntur: ſic Græcos illa verba proferre ſolere, vt ſacratiſſimum Chriſti corpus, & ſanguis peccatorum noſtrorum remiſſioni, & noſtris animabus ſaluti fiat. Satis ergo demonſtratum eſt ex iis quæ hactenus diximus, quemadmodum magnus Baſilius ſancta munera ſacrificij iam conſecrati antitypa vocauerit ſcripturæ ſanctæ, & doctrinæ Apoſtolorum conſuetudinem ſecutus. Quod ſi dixit Anaſtaſius Antiochenus ſcribens aduerſus Gaianitas; Abſit, vt dicamus ſanctam communionem antitypon corporis Chriſti, aut nudum panem, quin potiùs verè corpus, & ſanguinem Chriſti; dixit ille quidem hoc, vtens his verbis, typos, & antitypon ἀδιαφόρως, id eſt, indifferenter: non enim obſeruauerat, quemadmodum apoſtolica doctrina, & Petrus, ac Paulus in





epiſtolis ſuis eo vſi eſſent: limatius itaque non de antitypo, ſed de typo, admonuit Magnetes vetuſtiſſimus auctor libro 3. Apologiarum pro euangelio contra Theoſthenem calumniatorem. Ipſe (inquit) dixit, Hoc eſt corpus meum, οὐ γὰρ τύπος σώματος, οὐδὲ τύπος αἵματος, ὥστινες ἐρραψῴδησαν πεπωρωμένοι τὸν νοῦν, ἀλλὰ κατ' ἀλήθειαν αἷμα καὶ σῶμα χριστοῦ, id eſt, non enim eſt typus corporis, aut ſanguinis, vt quidam obcæcata mente nugati ſunt, ſed re vera ſanguis, & corpus Chriſti. ac de his hactenus.

*Adduxerunt eum ad domum Caiphæ*: & paulo pòſt; *Atque ita in eum vſque ad auroram debacchati, adducunt ad Annam.*] Non diſcrepat ab Euangeliſtis hoc loco Clemens, vt quibuſdam parùm aduertentibus videtur: immo idem, quod illi, & adhuc clariùs dicit. Matthæus enim, Marcus, & Lucas dicunt, ſtatim, vt captus eſt (id autem factum eſt nocte) adductum fuiſſe ad Caipham pontificem, vbi Scribæ & Seniores conuenerant, quod quidem Ioannes prætermiſit: ibi verò, id eſt, in domo Caiphæ, vt Clemens narrat, per totam noctem omni genere & contumeliæ, & ludibrij in Chriſtum debacchati ſunt: poſtero autem die manè adduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim ſocer Caiphæ. Et hoc narrat Ioannes, quod ipſum ab aliis Euangeliſtis prætermiſſum erat: ne quis ergo diſſentire Ioannem ab aliis Euangeliſtis ſuſpicaretur, poſtquam dixit adductum fuiſſe ad Annam primùm, & ab Anna ad Caipham, & à Caipha ad Pilatum; ſubiunxit; erat autem manè: vt intelligeremus, narrare eum, quo primùm adductus fuiſſet, non quidem nocte, quod alij narrarunt, ſed manè. idem quoque fecit Lucas. cùm enim narraſſet, quemadmodum poſtquam comprehenſus eſt nocte Dominus, adductus fuiſſet ad Caipham, velletq; poſtea narrare, quemadmodum adductus eſſet ad concilium Seniorum, & Scribarum ac Principum Sacerdotum, id eſt, ad Caipham Pontificem, vbi iſti conuenerant, vt hanc adductionem ad Caipham, ab illa priore, quæ fuit item ad Caipham, diſtingueremus; ſubiungit: Vt autem factus eſt dies, conuenerunt ſeniores plebis, & Principes ſacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, &c. Si qui verò ſunt, qui adhuc contradicant, rogabo eos, quid probabilitatis habeat, adductum eſſe primùm nocte illa ad eum, qui non eſſet iudex illius anni? imò verò quia nulla erat ratio, cur ad eum, qui non erat pontifex, adduceretur, non dico cùm primùm captus eſt Dominus, & ab horto ductus nocte; ſed neque poſt eam noctem, cùm ad Annam primùm manè adductus eſt, idcirco adiunxit Ioannes cauſam, ne quis miraretur: erat enim, inquit, ſocer Caiphæ: in gratiam igitur iudicis, & pontificis anni illius, qui erat Caiphas, adduxerunt eum ad Annam, qui non erat eo anno pontifex, ſed potius tertio antè anno fuerat: cui ſucceſſerat altero anno filius eius Eleazarus, & huic Simon, & Simoni Caiphas, vt Ioſephus libro 18. cap. 3. de antiquitatibus teſtatur. Vnde Lucas cap. 3. Anno, inquit, decimoquinto imperij Tiberij Cæſaris, ſub Principibus ſacerdotum Anna & Caipha, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem. Anno autem decimooctauo paſſus eſt Chriſtus, vt Euſebius in Chronicis ait. Notauit ergo Lucas, ſub quo pontifice cœpiſſet Ioannes ſecundum reuelationem Domini prædicare (hoc enim ſignificat factum eſſe verbum Domini ſuper eum, ſicut Cyrillus Alexand. in principio commentariorum Oſeæ obſeruauit) & ſub quo deſiuiſſet. Præterea, quod in primis mouere debet, verba ipſa quibus euangeliſtæ vſi ſunt, ad ſententiam Clementis prorſus ducunt. ait enim Matthæus; At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caipham. Verbum Græcum eſt ἀπήγαγον, quod propriè ratione præpoſitionis ἀπὸ ſignificat, duxerunt inde, ex eo, inquam, loco, id eſt, ex horto, vbi captus eſt. quòd ſi inde duxerunt ad Caipham, ergo non duxerunt ad Caipham ex domo Annæ. Hoc autem magis adhuc confirmat participium ipſum κρατήσαντες ἀπήγαγον: ſignificat enim μετὰ τὸ κρατῆσαι ἀπήγαγον, vt Apollonius antiquiſſimus Grammaticus lib. primo De conſtructione participij cap. 27. tradit, id eſt, poſtquam eum tenuerunt, ducunt inde ad Caipham. Similiter dixit Marcus cap. 14. ſtatim enim poſtquam captus eſt, & adduxerunt, inquit, Ieſum ad ſummum Sacerdotem: & conuenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, eodem verbo vſus eſt, ἀπήγαγον, id eſt, ab illo loco, vbi captus eſt, duxerunt ad ſummum Sacerdotem. Lucas verò adhuc clariùs, Comprehendentes, inquit, eum duxerunt, & introduxerunt in domum principis Sacerdotum. ſic enim eſt in Græcis exemplaribus, ἤγαγον καὶ εἰσήγαγον, in domum Principis ſacerdotum. Ioannes verò, quia non ſcribebat, quò primùm adductus eſſet Ieſus, ſtatim vt captus eſt; non vſus eſt ea forma loquendi, qua alij Euangeliſtæ; non enim dixit, συλλαβόντες καὶ δήσαντες ἀπήγαγον ad Annam primùm, id eſt, cùm comprehendiſſent, & ligaſſent illum, ſiue, poſtquam comprehẽderunt, & ligarunt, duxerunt ad Annam primùm: hoc enim ſignificat, vt dixi, participium illud cum verbo, ſcilicet poſt illud factum eſſe hoc; id eſt, poſt comprehenſionem, ſtatim ductum eſſe ad Annam. Non hoc, inquam, dixit; immo ſi ſic dixiſſet, non opus fuiſſet dicere, ad Annam primùm: quia vis conſtructionis illius participij cum verbo, hoc omnino ſignificabat, poſt comprehenſionem non aliò ductum eſſe, priuſquam ad Annam. Sic ergo dixit, & miniſtri Iudæorum συνέλαβον καὶ ἔδησαν, καὶ ἀπήγαγον, id eſt, comprehenderunt, & ligauerunt. Hic eſt interrupta narratio. Si enim coniungere voluiſſet ſequentem narrationem, & duxerunt eum ad Annam; neceſſe erat ſecundum vſum ſermonis Græci, conſtruere verbum cum participio; aut dicere, quod idem valeret, μετὰ τὸ συλλαβεῖν καὶ τὸ δῆσαι, id eſt, poſtquam comprehenderunt, & ligauerunt, duxerunt ad An-

nam: & tunc, vt dixi, non erat neceſſe addere, primùm. non continuata ergo narratione, ſed interrupta, ſequitur, & duxerunt ad Annam primùm, ſcilicet manè, vt paulo pòſt dixit; erat autem manè, &c. Admonet Andronicus, ſiue Adrianus in Iſagoge ſanctarum ſcripturarum, aduertendam eſſe in primis proprietatem verborum, ex quibus elicienda eſt ſententia. Illud præterea obſeruandum eſt; poſtquam narrauit Matthæus, quæ per totam noctem acta fuerant in domo Caiphæ, ſubiunxit cap. 27. Manè autem facto, conſilium inierunt omnes Principes ſacerdotum, & ſeniores populi aduerſus Ieſum, & vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato, &c. Hic Euangeliſta prætermiſit adductionem ſecundam, quam dixi, ab Anna ad domum Caiphæ, id eſt, ad hoc ſecundum concilium in domo eius factum, vnde ductus eſt ad Pilatum. Similiter Marcus prętermiſit cap. 15. & confeſtim, inquit, manè facientes concilium, vincientes Ieſum, duxerunt & tradiderunt Pilato. Lucas verò, quod à duobus antegreſſis Euangeliſtis prætermiſſum erat, vt valdè diligens in ſeruando ordine rerum geſtarum, ſuppleuit. Poſtquam enim narrauit, quæ per totam illam noctem acta fuerant in domo Caiphæ, vbi principes ſacerdotum, & ſcribæ nocte conuenerant, ſicut ait Matthæus, & Marcus; & vt factus, inquit, eſt dies, conuenerunt ſeniores plebis, & Principes ſacerdotum, & ſcribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum; nō dixit, & duxerunt illum ad Pilatum, quod paulo pòſt narrat, poſtquam narrauit, quid in illo ſecundo concilio actū eſſet, tunc enim ſubiungit, & ſurgens omnis multitudo, duxerunt eum ad Pilatum. Deinde vt nulla hic amplius dubitatio relinquatur, idem Lucas declarat fuiſſe hanc ſecundam adductionem ad domum Caiphæ, vbi concilium erat iterum congregatum manè: ait enim ἀνήγαγον, in concilium ſuum, id eſt, reduxerunt, ſiue adduxerunt iterum, hoc enim ſignificat verbum ἀνάγειν, ſecundum ſuam proprietatē, quæ in primis, vt dixi, animaduertēda eſt ad eliciendum ſenſum ſubiectum. Prætermiſit autem Lucas adductionē ad Annam, eo conſilio, quo priores Euangeliſtæ, quia nihil ferè inſigne in domo eius factum eſſet. ipſo tamen verbo, quo vſus eſt, propriè ſignificauit ex domo Caiphæ, vbi fuerat nocte congregatum concilium, aliò ductum fuiſſe manè, ſcilicet ad Annam, vt expreſſit Ioannes, vnde reductus fuiſſet ad Caipham, vbi iterum fuit congregatum concilium. non enim poterat dicere Lucas, adductum eſſe iterum, ſiue reductum eſſe à domo Caiphæ ad domum Caiphæ, ſiue à concilio apud Caipham, ad concilium apud Caipham: concilium enim non poterat congregari niſi in domo Pontificis illius anni. Quare cùm dicit; Adduxerunt eum iterum in concilium ſuum; perinde eſt, vt ſi diceret; Adduxerunt eum iterum in domum Caiphæ. ergo aliunde duxerunt, ſcilicet ex domo Annæ.

*Pag. 69. Ille autem ſtatim introduxit eum in paradiſum ad fruendum myſticis bonis.*] Dubitabit aliquis, quis iſte paradiſus, & quæ iſta myſtica bona? Photius Conſtant. in reſponſionibus ad quæſtiones Amphilochij Metropolitani Cyrici, Cùm latro, inquit, Dominum orauit, vt ſui in regno ſuo meminiſſet, nomine regni intellexit frui bonis, & vita beata. Quia verò paradiſus inter cætera bona notior erat; ſiquidem gens Iudæorum propter doctrinam Moyſis non ignorabat hoc; idcircò Dominus paradiſum illi promittit: & non aliud pro alio donat, nec aliud promittit, quàm quod ille cupiebat, cupiebat autem, vt haberetur ſui memoria in regno Chriſti, quod erat frui bonis beatis. Hactenus Photius. Chriſtus igitur ſecundum Euangelium, & apoſtolicam doctrinam latronem introduxit illo die in regnum ſuum; nec enim inquit Magnetes lib. 3. Apologiarum pro euangelio contra Theoſthenem, audiendi ſunt, qui ita diſtinguunt: Amen dico tibi hodie, plus enim, inquit, fuit claudere cælum, & obſcurare mundum, tum aperire infernum, & educere eos, qui ibi erant, quàm aperire paradiſum, & introducere latronem. myſtica autem bona dicit, quia ſcriptum eſt, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt eum: nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. myſtica igitur bona vocauit bona beata regni Chriſti, quæ non cognoſcuntur niſi per reuelationem ſpiritus Dei. Sic ſanctus Maximus in libro de Eccleſiaſtica myſtagogia, illa cæleſtia bona, quibus beati fruuntur, & quibus fideles ablatis velis ſymbolicis ſub ſenſum cadentibus, frui ſperant, archetypa myſteria vocat.

*Et circa horam nonam exclamauit, & dixit patri, Deus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* & paulo pòſt, *clamauit voce magna, Pater dimitte eis; & cùm ſubiunxiſſet, In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, expirauit.*] Hic quoque videri poteſt hæc apoſtolica doctrina ab hiſtoria euangelica diſcrepare. Matthæus enim, & Marcus hoc verbum, Deus, Deus meus &c. proximè ante illud nouiſſimum, & extremum verbum, pater, in manus tuas, &c. poſuerunt; & illud, pater dimitte eis, Lucas poſuit ante illud, quod latroni dixit, hodie mecum eris, &c. quod quidem poſitum eſt in hac doctrina priuſquam illud ipſum, pater dimitte eis. Sed cùm Clemens hæc in perſona apoſtolorum ſcripſerit, vt ab eis didicit, & vt ipſi prædicabant, inueſtiganda eſt ratio probabilis ordinis ab euangeliſta mutati, immo etiam rimanda, ſi quæ fortè ſignificatio eius mutationis ab euangeliſta Luca relicta eſt. illud enim conſtat, non ſemper euangeliſtas ordinem rei geſtæ ſeruaſſe in ſcribendo non ſine cauſa, & ratione. obſeruata quoque eſt ab antiquis patribus œconomia ſcripturæ ſanctæ, qua vti ſolet, cùm infirmitatem carnis Chriſti ſignificat, vt aliquid continuo adiungat, vnde fortitudo eius, id eſt, diuinitas intelligatur: ne aut Deus ſine vera carne exi-



ſtimetur; aut homo nudus ſine diuinitate. multa huc pertinentia notauit Hippolytus martyr ſcribens aduerſus Noëtum, qui Chriſtum negabat Deum, & hominem. Quia ergo dixerat Ieſus circa horam nonam, Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti? quo declarabat, vt rectè ait Theophylactus, eſſe ſe verum hominem, & non ſecundum apparentiam tantum habere naturalem viuendi appetitum, vt Simon, Menander, Cordon, Marcion, Valentinus, Baſilides, Bardaſanes, & alij hæretici finxerunt: idcirco rurſus, ne homo ſolùm ſine diuinitate eſſe putaretur, dixit idem poſtea, Pater dimitte eis, quia neſciunt quid faciunt: non enim dixit, (inquit Theophylactus) Domine, rogo, dimitte eis. ſed ſimpliciter, ac magna cum poteſtate, dimitte eis; quæ vox, inquit, non ſolùm miſericordiæ plena eſt, ſed magnam auctoritatem præ ſe fert. idem notauit Leontius Eutholius, à quo Theophylactus mutuatus eſt, vt ex magna parte reliqua. Sed videamus iam, quomodo Lucas ſignificauerit, illud, pater, dimitte eis, non eſſe dictum tunc, id eſt, priuſquam illud, Deus Deus meus, &c. quamquam prius ab eo poſitum ſit. ſcilicet ſignificauit ipſo modo verbi, quo vſus eſt. Cùm enim dixiſſet Lucas, & poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones vnum à dextris, alterum à ſiniſtris, non ſubiunxit, Ieſus autem dixit, pater, dimitte eis; ſed ſic, Ieſus autem dicebat, Pater, dimitte eis. Hoc igitur verbum, dicebat, cùm ſit temporis imperfecti, non ſignificat dixiſſe illud tunc: immo ſignificat, non dixiſſe tunc. cur verò poſitum ſit à Luca in illo loco, & non ſuo loco poſt illud ſaltem, quod latroni dixit Ieſus, hodie mecum eris in paradiſo, quod poſtea Lucas poſuit, in promptu eſt ratio; quia ſcilicet meminerat euangeliſta de ijs, qui neſcientes Ieſum eſſe Dominum gloriæ, crucifixerant eum; ſic enim dixerat Lucas, ibi crucifixerunt eum, & latrones vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris; vnde quia pro illis, qui eum ſic crucifixerant, orauit, opportune ſubiunxit illo loco verbum illud orationis factæ, Pater, dimitte illis. Illud etiam obſeruandum eſt, didiciſſe ex apoſtolis Clementem, qui hæc ſcripſit, illam magnam vocem, qua clamauit, dicens, In manus tuas Domine, cœpiſſe ab illo verbo, Pater dimitte eis, hoc enim dixit etiam cum clamore, vt ſignificaret vehemens deſiderium, quo tenebatur ſalutis, & veniæ eorum, qui eum crucifixerunt.

CAP. XIIII. *pag. eadem.*

*Vobis enim aperta eſt ianua vitæ, qui ex gentibus conuerſi eſtis, qui aliquando non amati, nunc autē dilecti*] Hic quoq; locus apologeticam explanationē requirit, ne videatur Clemens Romanus Latinæ & Græcę linguæ non ſatis peritus, vt quidē fuit peritiſs. vt enim apud Latinos plus eſt diligere quàm amare, ſic apud Græcos plus, ἀγαπᾶν quàm φιλεῖν. quare ſic videbatur debuiſſe dicere, qui aliquando οὐ πεφιλημένοι, id eſt, non amati, nunc autem ἠγαπημένοι, id eſt, dilecti. nouit beatus Petrus, quantum inter ſe diſtarent ἀγαπᾶν, & φιλεῖν, id eſt, diligere, & amare. Siquidem cùm Dominus interrogaret eum, inquiens, Petre ἀγαπᾷς, id eſt, diligis me? non reſpondit, tu ſcis Domine, ὅτι ἀγαπῶ σε, id eſt, quòd diligo te, vt quidem videbatur reſpondendum: ſed quia ſciebat Petrus amorem eſſe initium quoddam, & additum ad dilectionem; dilectionē verò perfectiorem eſſe, non auſus eſt dicere, tu ſcis Domine, quia diligo te, ſed quod minus eſt, tu ſcis, quia amo te. Hactenus Gregorius Cerameus archiepiſc. Tauromenij in Sicilia in hom. XI. in ca. Matth. 27. Subiungit deinde idem auctor, quo magis differentiā vtriuſq; verbi explanet, Tribus, inquit, modis aiunt amicitiam conflari; voluptate, vtilitate, virtute: quæ autem altero modo duorū conflatur, infirma, & inſtabilis eſt: ſtatim enim vt vtilitas, aut voluptas ſublata eſt, amicitia extinguitur, vnde tēporis aut loci longinquitas, aut mutatio rerum facilè eam diſſoluunt; amicitia verò, quæ ex virtute ortum ducit, non ſic extinguitur, immo curriculo temporis, & corporum diſtantia firmior efficitur paulatim incrementis ad dilectionem proficiens. Huiuſmodi ergo amicitia principium dilectionis eſt. quod quidem cùm beatus Petrus ſciret, veritus confiteri, quòd diligeret Dominum, non dixit, tu ſcis Domine, quia diligo te; ſed potius, quod minus erat, ſibi attribuit, inquiens, tu ſcis, quia amo te. didicerat enim hanc eſſe dilectionem; Si quis poneret animam ſuam pro amicis ſuis. Vt igitur, qui ſibi conſcius erat non hoc feciſſe, contrahit ſe: verùm Dominus ab eo amore, quem in Dominum habebat, requiſiuit, vt oues rationales paſceret. Hactenus hic auctor. Conferamus nunc iſta in apologeticam explanationem loci Clementis: alia eſt ratio ſermonis hominum cum Deo; alia Dei cum hominibus. homini quidem plus eſt ἀγαπᾶν, id eſt, diligere, quàm φιλεῖν, id eſt, amare, ſicut explicatum eſt; plus, inquam, facit homo, cùm diligit, quàm cùm amat: diligimus enim ex virtute; amamus verò interdum vtilitatis, aut voluptatis gratia; & amantes ex virtute proficimus ad dilectionem; apud Deum verò ſummum, quod hic conſequi ab eo poſſumus, eſt amicitia eius, ſicut ſcriptū eſt, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. immutauit igitur Clemens ſcientiſſimè vſum verborum ἀγαπᾶν, & φιλεῖν; & fecit ſignificare plus φιλεῖν, quàm ἀγαπᾶν, quia de amicitia Dei, quæ eſt ſumma eius erga homines charitas, ſiue dilectio, loquebatur.

CAP. XVI. *pag. 70.*

*Nec amplius cum Iudæis tempus celebrandi paſcha obſeruetis*]. & paulo pòſt: *Vos verò obſeruate conuerſionem verni æquinoctij, quæ incidit in viceſimum ſecundum diem menſis duodecimi, qui appellatur dy-*

*ſtros*] Non defuerunt quibus hic locus apoſtolicæ doctrinæ partim ſuppoſitus eſſe videretur, non ob aliam cauſam, niſi quia de celebratione paſchæ idem præcipiat, quod poſteà Synodus Nicæna ſanxit, quaſi apoſtoli ſancti eodem die paſcha dum in vita erant, agerent, quo cum Domino egiſſent; partim falſus, quaſi neget fuiſſe æquinoctium 25. Martij, cùm Chriſtus paſcha cum diſcipulis egit: ſed vtrumque falſum eſt. Dicamus prius de priore: non eſt ſuppoſita, neque ſimulata hæc apoſtolorum de feſto paſchæ cum Iudæis non celebrando conſtitutio, neque *κακόπλαστος*, tanquam in apoſtolorum perſonas non cadens, ſed eorum eſt propria, ſiquidem apoſtoli nunquam cum Iudæis paſcha egerunt, ſed vt à Domino didicerant agendum eſſe, & vt ipſi deinceps tradiderunt, quorum traditionē ſecuta eſt Nicęna Synodus, & vt ſequerentur, qui in Oriente à cæteris orbis partibus diſcrepabant, decreto ſuo iuſſit. Nihil itaque noui ſe ſanxiſſe ipſa Synodus teſtis eſt, quæ in decreto ipſo ſic ait: Quia igitur poſtquam excuſſum & expenſum eſt oportere ab vniuerſis, qui ſub cælo ſunt, vno modo agitari paſcha, inuentæ ſunt tres partes orbis, quæ paſcha concorditer agunt cum Romanis, & Alexandrinis; vna verò Orientis dubitat, & diſcrepat: viſum eſt, vt ſublata omni quæſtione, & controuerſia, ſic etiam agant fratres, qui in Oriente ſunt, ſicut Romani, & Alexandrini, ac cæteri omnes, vt omnes vno die paſcha celebrent, &c. Si ergo iam antè à principio à tribus orbis partibus eo modo, ac more, & die paſcha agebatur, quo Nicæna ſynodus ab illis quoque, qui in Oriente diſcrepabant, agi deinceps decreuit, & iuſſit, non nouum ritum paſcha agendi inſtituit, ſed ſuperiorem traditionem confirmauit. hoc tantùm nouæ rei fecit, quod decreuit, vt qui in Oriente diſſentiebāt, ſublata, & interdicta omni cōtrouerſia, non amplius diſſentirent; ſed ad concordiam adducerentur. Fuiſſe autem quod de paſcha Nicęni patres confirmarunt, à ſanctis apoſtolis traditum, affirmat Ruffinus priore libro eccleſ. hiſt. cap. 6. in epitome canonum ſynodi Nicænæ, vltimo can. 22. ſic enim ait: Igitur cùm de his prout diuinarum legum reuerentia popoſcerat, decreuiſſent, ſed de obſeruatione paſchæ antiquum canonem, per quem nulla de reliquo varietas oriretur, eccleſijs tradidiſſent, &c. antiquum canonem dicit huius apoſtolicę doctrinæ, quæ in manibus eſt, & canonem apoſtolorum vij. de non celebrando paſcha cum Iudæis. item Euſebius Cæſar. infinitæ lectionis auctor lib. 5. hiſt. eccleſ. cap. 23. loquens de Aſianis eccleſijs; quæ cum Iudæis tanquam ex antiquiore traditione paſcha celebrabant, ſubiungit, Cùm reliquis eccleſijs per vniuerſum orbem conſuetudo non eſſet ad hunc modum celebrandi paſchatis, quæ ex apoſtolica traditione morem hactenus durantem ſeruant, & quæ ſequuntur. & rurſus cap. 27. Qui verò, inquit, in Palæſtina erant epiſcopi, poſtquam de traditione celebrandi paſchatis, quæ ad ipſos ex ſucceſſione apoſtolorum deſcenderat, multis tractaſſent: & in epiſt. Conſtantini de ſententia concilij Nicæni ad eccleſias miſſa, quæ eſt in lib. 1. Theodoreti cap. 10. Poſſumus, inquit, Iudæorum reiecta gente, veriore ordine, qui à tempore paſſionis, & die, eſt huc vſque ſeruatus, completionem obſeruationis huius etiam ad futura ſæcula tranſmittere, & quæ ſequuntur. Ecce à die paſſionis Domini obſeruatum, quod à ſynodo Nicæna ſancitum fuit. Deinde Theodoretus lib. 3. in epitome hæreſum. c. de Teſſareſcædecatitis eorum hæreſim exponens, ait, Profiteri eos, Ioannem euangeliſtam in Aſia prædicantem docuiſſe celebrare paſcha decima quarta Luna, ac prauè intelligentes apoſtolicam traditionem, diem Dominicæ reſurrectionis; dicit etiam vſos eſſe eos falſis actis apoſtolorum, alijſque libris apocryphis, ex illis ergo falſis actis apoſtolorum, & apocryphis libris manaſſe; credendū eſt, quod Polycrates ille aſſerebat, vt Euſ. lib. 5. hiſt. eccl. ſcribit, Ioannem euangeliſtam, & Philippum apoſtolum paſcha 14. luna ſecundum fidei canonem celebraſſe. Præterea Victor pont. Rom. in epiſt. ad Theophilum Alexādriæ Aſianæ epiſcopum, Celebritatem, inquit, ſancti paſchæ die Dominica agi debere, & prædeceſſores noſtri iam ſtatuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari ſolemniter mandamus. cùm prædeceſſores dicit, omnes prędeceſſores ſuos intellexit, Eleutherū, Soterem, Anicetum, Pium, Hyginū, Teleſphorum, Xiſtum, Alexandrū, Euariſtum, Anacletum, Clementem. Clemens verò eſt, qui hanc conſtitutionē apoſtolicam de celebratione paſchæ in perſona Apoſtolorum ſcripſit. Denique Cyrillus Alexand. qui 32. annis præfuit eccleſiæ Alexandrinæ, & homil. 39. ſingulas ſingulis annis fecit, quas *ἑορταστικὰς* vocauit à denunciatione feſti paſchæ ſic dictas, nos paſchales dicamus, quæ Gręcè extant, in poſtremis verſiculis, poſtquā denunciauit quoto die quoti menſis proximæ quadrageſimæ initium futurū eſſet, quoto item ſequentis menſis initium magnæ hebdomadæ, & quoto eiuſdem menſis ieiunium ſoluendum veſpera ſabbati ad multam noctem, & illuceſcente dominico paſcha celebrandum, addidit in 24. homilijs; nunc ſecundum euangelicam cōſtitutionem, nunc ſecundum euangelicam prædicationem, aliquando ſecundum euangelicam traditionem, interdum ſecundum apoſtolicas traditiones, alias ſecundū conſuetudinē ſcilicet apoſtolicæ, ſiue euangelicæ traditionis, vt ſciret eccleſia Alexandrina, vnde lex paſchalis obſeruationis fluxiſſet, nuſquā hic talis, ac tantus auctor ſecundum canonem conc. Nic. dixit, neque ſecundum canonem ſynodicum, aut eccleſiaſticum. Iam igitur liquet, non eſſe ſuppoſitam hoc loco apoſtolicæ doctrinæ hanc de celebratione paſchæ conſtitutionem, vt quidam falſo ſuſpicati ſunt, nec eſſe patribus conc. Nic. vt primis auctoribus aſſignandam. nec illud rurſus verum eſt, contraria horum à S. apoſtolis ad tuendam concordiam præcepta vn-



pta vnquam eſſe, nec vnquam S. Epiphanius, quem contra Audianos citant, dixit; nec illi 15. epiſcopi, ex circunciſione, quos ibidem S. Epiphanius dicit, Iudaicè paſcha celebrabant. Hactenus ad ſuſpicionem de loco ſuppoſito. Sequitur, vt reſpondeamus ad crimen falſitatis loci obiectum, quaſi neget hic locus, fuiſſe æquinoctium 25. Martij, cùm Dominus noſter paſcha cum diſcipulis ſuis egit. minimè hoc negat, immo verò Chriſti, & Clementis tempore æquinoctium agebatur 22. menſis Dyſtri, qui incipiebat quarto die menſis Martij. à quarto autem die vſq; ad 25. numeratur 22. qui eſt idem 25. ſecūdum rationē computationis noſtræ, ſi à primo die numerare incipimus. ita verò eſſe, temeritatis eſſet non credere tanto auctori, quantus eſt Clemens, rem ſui temporis, cui contradici nō poteſt, narranti. Sed tritum eſt illud philoſophi, & quaſi vice prouerbij, Ad pauca reſpicientes, facilè enunciare. idem quoq; ſcripſit Euſebius Cæſ. in omnimoda hiſtoria canonum Chronicorum; ſic enim vocat Hier. quorum epitomen idem Hieron. Latinè tranſtulit. Poſtquam, inquit, vmbroſum paſcha cū diſcipulis comedit, & paſcha auctoritatis præcipuæ introduxit v. die hebdomadis, qui erat lunæ decimuſquartus, menſis verò Martij 22. indictione 15. ipſa eadem nocte in eiuſdem menſis diem 23. ferente traditus eſt, ac illo ipſo die crucifixus, reſurrexit 25. die Dominico. Hæc ex fragmento Euſebij, quod Anaſtaſius Antiochenus in libro Variarum quæſtionum recitat.

CAP. XIX. *pag. 73.*

*Prædicantem vnum Deum, & eligentem monarchiam Romanorum.*] De Chriſto hoc dicit. Sed quomodo dicet aliquis, elegit monarchiam Romanorū, quæ deleta eſt, ſicut deletæ ſunt cæteræ monarchiæ Babyloniorum, Medorum cū Perſis, ac Macedonum, id eſt Græcorum? Deleta quidem eſt monarchia gentilium Romanorum: tametſi enim Iudæos, & alias gentes euerterunt; tamen ipſi quoque poſtremò euerſi ſunt, & eorum principatus ſublatus. de hac monarchia non loquitur hic apoſtolica conſtitutio, neq; eam elegit Deus; ſed de monarchia Chriſtianorū loquitur: hanc enim Deus elegit; & hæc eſt hæreditas filij eius, de qua prophetauit Dauid dicens in perſona Chriſti: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Vt igitur regnum, ſiue monarchia Babyloniorum, regnum, & monarchia eſt eorum qui ſucceſſerunt in Babyloniis; & regnum Medorum, eorum qui Medis; & Macedonum monarchia, eorum intelligitur, qui in Macedonū monarchia ſucceſſerunt; ſic regnum, ſiue imperiū Romanorum, eorum intelligitur qui in Romano imperio ſucceſſerunt, qui ſunt Chriſtiani. Vnde quæ Daniel de regno IIII. Romanorum prædixit, veriùs conueniunt in regnum Chriſti, quod eſt quartū ratione ſucceſſionis. Hæc eſt monarchia, quæ, vt ait Daniel, in ſæculum non interibit, & populo alteri non relinquetur: comminuet, & conſumet vniuerſas monarchias: & ipſa ſtabit in æternum. Quot enim Reges, & Imperatores gentiles hanc monarchiam, & fidem eius, & ipſius monarchiæ præſidem ac verum monarcham Chriſtum ac Vicarium eius Pontificem Romanum, totius populi Chriſtiani paſtorem, & ſpiritualem regem vnà cum regibus Chriſtianis oppugnarunt; tamen delere non potuerunt! quin potiùs ipſi interierunt. Monarchiam itaq; Romanorum, vocat regnum Chriſtianorū, quod Chriſtus regnat in Pontifice, in Eccleſia catholica Romana per vniuerſum orbem diffuſa. Eſſe autem ſic interpretandum hunc locum, ex ipſa apoſtolica doctrina intelligi poteſt, cùm dixit, hunc eſſe lapidem illum apud Danielem ex mōte ſine manibus exciſum, qui cunctam terram impleuit. Deinde ſubiungit: qui multitudinem principatuum, & multitudinem Deorū confregit: & prædicauit vnū Deum: & elegit monarchiam Romanorum. Vt enim vnum Deum oppoſuit multitudini deorum; ſic monarchiam Romanorum multitudini principatuum, in qua monarchia vnus Deus, vna lex, vnum caput, vna eſt Eccleſia catholica Romana. Cuius fides, ſicut Apoſtolus ſcripſit, annunciatur per vniuerſum mundum. Etſi enim multæ ſint eccleſiæ, ac multi principes eccleſiarū, multi reges Chriſtiani: omnes tamen conueniunt in vnum, ſicut digiti in manum: vt ait Optatus Mileuitanus, omnes ſunt vnius corporis membra, vnum caput, & vnus princeps omnium.

## IN LIBRVM SEXTVM
### DE SCHISMATIBVS.
### CAP. III. *Pag. 76.*

I*Llum qui quaſi conditor, conditoris opera ediderat.*] Quia Moyſem vocat *ὡς δημιουργὸν*, id eſt, quaſi conditorem, ne aliquis, vt euenire ſolet, fortaſſis occaſionem reprehendendi, quod non intelligit, hinc arripiat, quaſi filius Dei conditor mundi, cum quo Moyſem comparat, ſit miniſter patris, vt fuit Moyſes miniſter Dei: interpretandus eſt locus, ac dicendum, potius ex hoc loco intelligi æqualitatem filij cum patre, quàm inæqualitatem. Idcirco enim vocat Moyſem quaſi conditorem, & opificem mundi, quia conſtituit eum Dominus, ſicut ait ſcriptura, vt eſſet Deus Pharaonis, & Aaron eſſet propheta eius: ſicut filius Dei, cuius typus erat Aaron, eſt conſiliarius patris; & quia ſicut Deus in creatione mundi loquebatur filio, inquiens, Fiat lux; fiat firmamentum; congregentur aquæ; germinet terra: & ſimiliter in reliquis, & facta ſunt à filio: ſic quoque dicente Moyſe ad Aaron, Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, ne vertantur in ſanguinem, extendebat Aaron manus, & vertebantur; & ſimiliter fiebat in reliquis plagis, quæ erant opera Dei. Sic autem iubere Moyſem Aaroni, & Aaronem iuſſa facere quaſi mino-

minorem, ac inferiorem, cùm tamen non eſſet, nihil aliud ſignificabat, quàm concordiam, & cõſenſum vnius voluntatis ac mentis; quod ſatis ſcriptura ſignificauit: cùm enim dixiſſet, Dixit quoque Dominus ad Moyſem, dic Aaron, Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti, & vertantur in ſanguinem, ſubiungit; Fecerúntque Moyſes, & Aaron, ſicut præceperat eis Dominus. quod in aliis deinceps plagis dictum eſt. quod quidem valet ad explicandum ſimilem formam ſubiectionis, ac iuſſionis inter patrem & filium in creatione mundi, cùm ait ſcriptura, Dixit Deus, loquens filio, vt ſancti patres interpretantur: Fiat lux, & congregentur aquæ. Sed de hoc plura lib. 5. cap. 6. inde petantur reliqua.

*Vt olim nobis congregatis, dicebat de nobis, Rogaui vt non deficiat fides veſtra.*] Quomodo, dicet aliquis, valebit ad probandum principatũ Petri, quod Dominus dixit Petro principi Apoſtolorum, Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua; ſi, vt hoc loco Apoſtoli aiunt, quod hactenus erat ſingulare Petri, iam intelligitur commune omnium Apoſtolorũ fuiſſe? id eſt, ſi non tantum pro Petro, ſed pro cęteris Apoſtolis rogauit, ne fides eorum deficeret? Immo verò ſic de principatu Petri maximè docemur, quia cùm rogauit pro omnibus Apoſtolis, qui eccleſiæ corpus repręſentabant, ne eorum fides deficeret, ſe pro Petro nominatim rogare dixit: eidémque cõmiſit, vt fratres firmaret, in fide ſcilicet: ſic, inquam, maximè docemur fuiſſe Petrum principem Apoſtolorum, & eccleſiæ caput, cuius eſt præeſſe reliquo corpori; & omnes partes eius firmare, ac moderari. Cuius enim eſſet caput Petrus, niſi corpus eſſet? aut quomodo corpus eſſet, ſi fides eius corporis deficeret? aut quomodo non poſſet deficere, ſi Dominus non rogaſſet pro eo? Conſequens eſt igitur, vt qui pro fide capitis nominatim, & immediatè rogauit, idem ſimul pro fide corporis à Petro firmandi, rogarit; præſertim cùm rogandi cauſſa communis eſſet, ſcilicet tentatio: omnes enim expetebat Satanas, vt cribraret ſicut triticum. quare conſentaneum erat, vt hoc ipſum, ſcilicet Dominum rogare, ne fides deficeret, commune eſſet eorum qui tunc tentabantur, ad eóſq; omnes pertineret. Igitur vt fides Pontificis ſucceſſoris Petri deficere non poteſt; ſic neque fides eccleſiæ, cuius ille eſt caput. Et rurſus, ſicut fides eccleſiæ, quæ fundata eſt ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, non poteſt deficere; ſic neque fides Pontificis Romani, qui in locum Petri ſucceſſit. Vtriuſq; enim fides, ſcilicet corporis & capitis, colligata eſt. Ergo dicendo, firma fratres tuos, ſatis ſignificauit, non defuturam eorũ fidem, ſi à Petro in ea firmarentur: ſeq; pro fide Petri orare: & pro fide eorum qui per verbum Petri in fide firmandi eſſent. Deinde ſi vtcunque ac ſimpliciter pro Petro tantum rogaſſet, ſic conſequentia poſtulabat, vt diceret, Ecce Satanas expetiuit te, vt cribraret te ſicut triticum: ſed ego rogaui pro te, &c. at non ſic dixit, ſed potius, Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: ſed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua: tu autem aliquando conuerſus, confirma fratres tuos: quod perinde eſt, quaſi diceret: Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum; ſed ego rogaui pro vobis, ne deficiat fides veſtra; id tamen fiet, cõfirmante vos principe, & capite veſtro Petro, pro quo rogaui nominatim, quia ipſe ſolus ſit caput, ne eius fides ad confirmandum vos deficeret. Quare cùm dixit Dominus, Sed ego rogaui pro te, &c. in Petro, tanquam in capite, reliquum corpus ſubiectum capiti comprehendit. eſt enim in epiſcopo eccleſia, ſicut epiſcopus in eccleſia, vt ait Cyprianus lib. 4. epiſt. 9. imò ſic loqui vulgò ſolemus, vt ſi regem dicamus bellum intuliſſe, ſubiectos regi ſimul intelligimus. Sic apoſtolica doctrina hunc locum euangelij interpretata eſt. Meritò igitur, ac vi huius precationis diuinæ factum eſt, vt ſicut ſemper fuit eccleſia fidelium, ex quo fundata eſt ſuper Petrum principem Apoſtolorum, & ſemper futura eſt vſque ad conſummationem ſęculi, ſic nunquam deficiat fidelis ſucceſſor Petri in cathedra eius, cuius fides fidem eccleſiæ catholicæ firmet. Non ſic autem eueniſſe videmus in reliquis ſedibus patriarchalibus; ſæpè enim, & diu defecerunt ſucceſſores fideles ſanctorum epiſcoporum Alexandriæ, Antiochiæ, Hieroſolymis, & Conſtantinopoli, vt ex hiſtoriis, & catalogis epiſcoporum intelligi poteſt, vt nos in libris noſtris de dogmaticis characteribus verbi Dei docuimus. Hinc iam intelligi poteſt, quod Leo IX. ſcripſit in epiſtola ſynodica ad Petrum Patriarcham Antiochenum, ſolum Petrum eſſe pro quo Dominus oraſſet, ne fides eius deficeret, accipiendum eſſe ſic, vt ſolus Petrus fuerit pro quo ita orauerit, vt nõ deficeret fides eius, nec alio indigeret, Superiore in terris, qui eum firmaret, quod eſt, ſolum fuiſſe, pro quo tanquam pro capite, immediatè orauerit. Vt autem hanc notationem finiam, illud etiam volui obiter animaduertere, quod Dominus dixit, expetiuiſſe Satanam, vt Apoſtolos ſicut triticum cribraret, interpretatum eſſe Clemẽtem, quid ſibi vellet illud verbum, vt cribraret, ſcilicet expetiſſe, vt eorum fides efflueret, & dilaberetur, inſtar aquæ; ſicut cribro agitato effluit id quod in eo continebatur. Simili tranſlatione vſus eſt Paulus Hebr. 2. cùm ait, Proptereà abundantiùs oportet obſeruare nos ea quæ audiuimus, ne fortè perfluamus; rectè enim fides, & ſpiritualis doctrina, vt ait Dionyſius in epiſt. ad Tit. aquæ aſſimilantur propter vim viuificandi, quæ in ea ineſt.

CAP. VI. *Pag. 78.*

*Et nunc diabolus ſapiens ad nocendum, & boni ipſius, quod nam ſit, ignarus.*] Dubitabit aliquis fortaſſe, quomodo hoc ſit verum: cùm tradat Dionyſius cap. 4. de diuin. nomin. & cæteri eum ſecuti, dona naturalia integra in dæmonibus remanſiſſe, ac proinde naturalem cognitionem non fuiſſe eis imminutam. Ita quidem eſt, bonum ipſum ſcilicet, quoad licet naturaliter cognoſcere, non



non ignorare dæmones: quatenus verò cognoſcitur, vt ſuſcipiatur agendum, ſic quidem ignorare: quæ quidem cognitio affectiua vocari ſolet; & ſic ſanctus Thomas vocat in 1. p. q. 64. art. 1. in corpore. de qua cognitione ſcriptũ eſt illud, Noluit intelligere, vt bene ageret. Huiuſmodi igitur cognitio, quæ ſine ſpeciali Dei gratia, & propriæ volũtatis actu eſſe nõ poteſt, priuati ſunt dæmones: qui quãtum in ipſis eſt, neq; norunt bonum, neq; noſſe volunt, ſicutidem Dionyſ. cap. 7. de diuinis nominibus ait; Mentem dæmonis, quatenus diuinam ſapientiam amiſit, neque ſcire, neque velle aſſequi bonum, quod natura appetit.

CAP. VII. *Pag. eadem.*

*Philippus coapoſtolus noſter.*] Dicet aliquis, imò diaconus noſter, dicendum erat, non enim fuit Apoſtolus ex numero duodecim Philippus ille qui deſcendit in Samariam; quod ex eo perſpici poteſt, quod (vt eſt in Actis Apoſtolorum cap. 8. cùm eſſet perſecutio magna in eccleſia Hieroſolymitana, diſperſi ſunt, inquit, omnes per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apoſtolos. Erat autem cum illis diſperſus Philippus qui Simonem in Samaria catechizauit, & Eunuchum baptizauit. Prætereà ſi apoſtolus fuiſſet, habuiſſet quidem poteſtatem dandi Spiritum ſanctum, ſicut cæteri Apoſtoli, quam tamen non habebat. Vera ſunt hæc, quæ etiam Iſidorus Peluſiota obſeruauit in epiſtola ad Agigantium; Appellatus ergo eſt coapoſtolus, tanquam miſſus ad euangelizandum infidelibus, vnde euangeliſta dictus eſt in Actis apoſtolorum cap. 21. ij enim erant euangeliſtæ, vt Theodoritus interpretatur in commentarijs Pauli ad Epheſ. cap. 4. Qui obeuntes, inquit, circum loca, euangelium prædicabant. euangelizabat itaque Philippus circum loca, non quia hunc honorem ſibi ſumeret, non enim conuenit diacono prædicare verbum Dei, ſicut neque baptizare, hæc enim Apoſtolorum canones prohibent, ſed quia à Deo, qui eſt Dominus canonum, & legum ſuarum, vocatus fuit ad hunc honorem; vt Eunuchum, & Simonem baptizaret: ſicut etiam Ananias à Domino vocatus eſt ad miniſterium baptizandi Paulum; vt Melchiſedec, & Iob à Deo, vt eſſent ſacerdotes: & vt Aaron à Moyſe auctoritate Dei. Notauit hoc etiam Clemens lib. 8. conſtitutionum apoſtolicarum cap. 46.

*Tunc nos, qui gratiam Dei Samaritanis per Philippi miniſterium tributam eſſe audiebamus, profecti ſumus ad eos.*] Dubitabit forſitan aliquis, ſi hæc apoſtoli dicunt, quomodo verum eſt quod ſcriptum eſt in Actis apoſtolorum, Petrum, & Ioannem miſſos fuiſſe ab apoſtolis ad Samariam, poſtquam audierunt recepiſſe illos verbum Dei? Dictum nobis ſæpe eſt, mandatam eſſe litteris à Clemente doctrinam apoſtolorum in perſona eorum, quod pertinet ad genus ſcribendi dramaticè, id eſt, per imitationem accommodatè ad rem quæ ſcribitur; vt hic, quia profectio ad Samariam deſcribitur, & apoſtoli loquuntur, qui ſe dicunt ad Samariam profectos, & id quidem duobus accidit, Petro, & Ioanni, qui fuerunt ab Apoſtolis miſſi, neceſſe eſt conſequenter, vt illi ipſi duo apoſtoli hæc loqui intelligantur ſecundum rationem & conſequentiam dramatis.

CAP. X. *Pag. 79.*

*His verò omnibus ex æquo erat vnum idémque impietatis propoſitum, Deum omnipotentem blaſphemijs aſſicere, ſentire ignotum eſſe; & non eſſe patrem Chriſti.*] Quomodo dicet aliquis, hæreticorum ſententia eſt, Deum eſſe ignotum, cùm dicat Dauid pſal. 17. de Deo, & de Dei cognitione, Qui poſuit tenebras latibulum ſuum? & Paulus illum Deum ignotum, cui Athenienſes aram poſuerant, Deum eſſe interpretatur, ſubiungens: Quem ergo ignorantes colitis, &c. quod perinde erat, quaſi diceret, quem iſta veſtra ratione ac ſapientia inſtructi, non poteſtis cognoſcere, tametſi eum colitis, hunc Deum annuncio; & paulo pòſt: qui definiuit, inquit, vſque ad ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inueniant, quamuis non longè ſit ab vnoquoque noſtrum: in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus. ſignificat enim quæſiuiſſe eos Deum, ſcilicet ratione naturali, ſed non potuiſſe inuenire, quoad venit tempus, cùm iuxta prophetiam Eſaiæ cap. 65. inuentus eſt ab ijs qui non quærebant eum, id eſt, à gentilibus; qui quidem cùm crediderunt eis qui ipſos philoſophos docebant, Deum eſſe ſupra omnia illa diuina, quęcunque ratione naturali ex ijs quę facta ſunt, cognoſcebant, tunc Deum cognouerunt: & relicta idololatria in qua habitabant, ad eccleſiã Chriſti ſe contulerunt. Hi enim fuerunt termini habitationis eorum, quos Paulus dixit. Prætereà narrat Michaël Singellus, auctor vetus, & grauis, in vita Dionyſij, dixiſſe eum, cùm vidit in Ægypto ſolis defectionem, ὁ ἄγνωςος, σαρκὶ πάσχει θεὸς δι᾽ ὃν τὸ πᾶν ἐζώφωται, καὶ σεσάλευται, id eſt, ignotus Deus, carne patitur, propter quem vniuerſum eſt tenebris obſcuratũ, & tremefactum. Hunc ſermonem ait ſibi puero à patre traditum. Aiunt etiam, cùm philoſophi, qui tum Athenis erant, intelligerent, naturæ vices verti, ſuaſiſſe aram poni, ac conſecrari Deo ignoto, de quo nunc Paulus loquitur. fortaſſe qui in primis perſuaſit pro ſua auctoritate, ac ſapientia, & religione, fuit Dionyſius. Atque hæc quidem ratio aræ illius Deo ignoto poſitæ, veriſimilior forſitan videatur, quàm illa de querela Dei panis in cultu deorum prætermiſſi, aut de Deo quopiam, quem neſcirent, irato, quem Athenięſes in grauiſſima peſte, poſita hac ara, placare voluiſſent. Siue illud magis probatur, quod ait B. Chryſoſt. in homilia de non prætereũdis inſcriptionibus ſcripturarũ, & de inſcriptione aræ: multos, inquit, deos, vel potius dæmones habebãt Athenienſes (omnes enim Dij gentiũ, dæmonia) alios à patribus acceptos, alios à vicinis gentibus, à Thracibus, ab Ægyptijs. Quare quia nõ vniuerſos Deos à principio receperant, ſed paulatim introducti fuerãt, alij ætate patrum, alij auorum, alij eorum tempore

tempore qui tunc erant cõgregati in vnum locum, aiebant; Sicut ignorabamus hos, & poſtea eos recepimus & cognouimus; ſic fortaſſe accidit, vt aliquis alioqui Deus, neſciatur, nobiſq; ignotus ſit, qui ob eam cauſam nobis ignaris non colitur, ſed potius negligitur. ne autem hoc eueniret, aram poſuerunt, quam ignoto Deo inſcripſerunt, quaſi inſcriptione iſta illud prædicarent, ὅτι καὶ εἴ τις ἐστὶ ἕτερος θεὸς οὐδέπω γνωρισθεὶς ἡμῖν κἀκεῖνον θεραπεύομεν, id eſt, ſi quis alius Deus eſt nondum nobis cognitus, illum etiã colimus. ecce ſuperſtitio nimia. idcirco dixit Paulus, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video; nõ enim notos ſolùm vobis dæmones colitis, ſed etiam nondum vobis notos. atque illi quidem de alijs Dijs id dicebant, Paulus verò iſtuc ad Chriſtum tranſtulit, αἰχμαλωτίσας τὸ νόημα αὐτῶν καὶ μεθ' ἑαυτοῦ στήσας, id eſt, ſic illorũ ſenſum captiuum duxit, & à parte ſua ſtare fecit, ſeq. adiuuare. ſic Chryſoſtomus; etſi nos alium ſenſum nunc ſequimur, & aliter Deum ignotum, cui ara illa poſita erat, interpretamur. Itaque ſi Deus eſt ignotus, vt illa ara teſtabatur (neque enim Paulus de hoc accuſat ſapientes Gentilium, immo affirmat ignorare eos Deum, quem colebant, cùm eum alioqui ex ijs quæ facta ſunt, cognouiſſent, vt idem rurſus in epiſtola ad Romanos ait) ſi inquam Deus eſt ignotus, quomodo, vt apoſtolica doctrina tradit, hæreticorum error eſt Deum dicere ignotum? aut ſi hic non eſt error, quomodo rurſus verum erit quod idem Clemens proximo capite dicit, Deum eſſe notum? Explicanda eſt ergo hæc quæſtio, vt locus Clementis ſine errore intelligatur. Tradit ſanctus Thomas, & quidem rectè, 1. par. q. 12. art. 12. poſſe ratione naturali cognoſci de Deo, non quidem naturam eius, ex qua eſt ignotus, vt ait Dionyſ. cap. 7. de diuinis nominibus, quod S. Maximus in prima Hecatontade Theologica dixit, μηδενὶ εἶναι ἐκ φυσικῆς ἐμφάσεως διεγνωσμένον, id eſt, nulli cognitum eſſe ex naturali ſpecie, ſiue repræſentatione; ſed cognoſci poſſe, inquit S. Thom. an ſit: poſſe item cognoſci de Deo ea quæ neceſſe eſt ei conuenire, ſecundum quod eſt prima omnium cauſſa excedens omnia ſua cauſſata. deinde ſubiungit: Vnde cognoſcimus de ipſo habitudinem ipſius ad creaturas, quòd ſcilicet omnium eſt cauſſa: & differentiam creaturarum ab ipſo, quòd ſcilicet ipſe non eſt aliquid eorum quæ ab eo cauſantur: & quòd hæc non remouentur ab eo propter eius defectum, ſed quia ſuperexcedit: hoc eſt quod Greg. Nazianz. in ſermone 2. de paſcha ait, immenſum, & infinitum illud quaſi pelagus eſſentiæ, quod omnem de tempore, & natura cogitationem ſuperat, ſolius mentis intelligentia tenuiter non ex ijs quæ in ipſo ſunt, id eſt, ex eſſentia, ſed ex ijs quæ circa ipſum, id eſt, ex creatis, & effectis rebus adumbrari, omnium enim rerum ordo vtpote à Deo fundatus, vt ait diuinus Dionyſ. in cap. 7. de diuinis nominibus, imagines quaſdam, & ſimilitudines diuinorum eius exemplorum habet, ex quo ad illũ qui eſt ſuper omnia, via & ordine pro viribus aſcendimus. Addi poteſt hic, quòd in pluribus locis tradit idem Dionyſius, ſcilicet non ſolum non eſſe Deum aliquid eorum quæ ab eo effecta ſunt, vt ait S. Thom. ſed neque eſſe illa, de quibus idem S. Thomas ait hic, neceſſe eſſe conuenire Deo quæ Paulus vocat inuiſibilia Dei, quæ, vt idem tradit, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; hęc enim nõ ſunt natura eius, ſi enim eſſent, mentitus eſſet qui dixit, apparui Abrahæ, Iſaac, & Iacob, patribus veſtris, & nomen meum non manifeſtaui eis; ſiquidem cognouerunt illi hæc quæ dicta ſunt: at verax eſt Deus, & non mentitur, igitur non manifeſtauit eis nomen naturæ; quòd ſi nomen non manifeſtauit, multò minus naturam. hæc Athanaſius in dialogo Orthodoxi & Anomij de ingenito & genito contra Aetium. Itaque non ſolum non eſt Deus bonitas, aut ſanctitas, aut iuſtitia, & alia eiuſmodi, quę in creaturis reperiuntur, quæ ſunt omnia finita & creata, ac participationes quædã diuinorum; ſed neq; eſt Deus bonitas ipſa infinita, & increata, neq; iuſtitia ipſa immenſa, ac ſubſtantialis, & ſimiliter in reliquis ſimilibus, quatenus hęc à nobis naturaliter cognoſci poſſunt; ſed potius eſt ſupra hæc ipſa. Hoc verò philoſophi gentiles nõ cognouerunt: imò, vt diuinus Dionyſius in myſtica Theologia tradit, non cogitantes quicquam eſſe ſupra ea quæ ſupra naturam ſunt, ſupra illa, inquam, inuiſibilia, quæ Paulus dicit, ex iis quæ facta ſunt, naturaliter cognoſci, exiſtimabant ſe ſua intelligẽtia naturali Deum planè cognoſcere; qui, vt ait Propheta, poſuit tenebras latibulum ſuum. Ex quo factum eſt, vt cùm Deũ vtcumq; ex iis quæ facta ſunt, cognoſcerent, neque tamen crederent, melius adhuc, & diuinius cognoſci poſſe, quàm vt ipſi ſua intelligentia ex creaturis, in quibus toti hærebant, naturaliter cognoſcebant, factum inquam eſt, vt nõ ſic cognoſcerent Deum, vt gloriam, & maieſtatem Dei decebat, quod quidem fieri non poterat ſine munere Dei, id eſt, ſine fidei lumine, cui ipſi ſua exiſtimatione obſtabant; atque ita euanuerunt in cogitationibus ſuis, quibus excellentiã Dei infinitam metiebantur. Anima enim, vt ait S. Maximus in prima Hecatontade de Theologia, & incarnatione filij Dei, non poteſt ad cognitionem Dei attolli, niſi Deus ipſe condeſcenſu vſus, ipſam animam tangat, & ad ſeipſum euehat. Non enim tantum poteſt humana mens ſurſum ferri, vt diuinum aliquem ſplendorem capiat, niſi Deus ipſe eam attrahat, quantum mens hominis attrahi poteſt, & niſi diuino ſplendore illuminet. hactenus Maximus Dionyſium in 7. cap. ſecutus. Hi igitur & Deum hac ratione ignorarunt, vt de illis philoſophis Athenienſibus dixit Apoſtolus, & iidem rurſus Deum cognouerunt, vt idem Paulus in epiſtola ad Rom. dixit; Quia, inquit, quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim illis reuelauit. tunc ſcilicet reuelauit, cùm eos fecit ad imaginem ſuam, hoc eſt, rationales & intelligentes: Non enim poterat natura hominis, vt ait





Athanaſius in libro contra gẽtes, Deum cognoſcere genita ingenitum, corporea incorporeum, niſi per gratiam Dei, quia facta eſt ad imaginem eius. Hanc gratiam vocat Apoſtolus, reuelationem Dei, qua cognoſcit homo naturaliter, id eſt, ſecundum naturam ſuę mentis, ſiue intellectus, illa quæ Paulus vocat, nota Dei. Altera verò eſt diuinior Dei cognitio, quæ naturam intellectus noſtri ſuperat, quæ eſt vnio cum Deo, vt ait Dionyſius ca. 7. de diuinis nominibus, vnio, inquam, cũ Deo, hic quidem per fidem, illic verò in cælo per viſionem. igitur vt eſt in epiſtola ab epiſcopis catholicis ad Paulũ Samoſatenum, antequã deponeretur, miſſa, Dei dignitatẽ, & magnitudinem, vt eſt, pro dignitate veritatis natura humana explicare nõ poteſt: qualemcunq; verò mediocrem de eo notionem aſſequi filio eius reuelante, ſatis eſt, ſicut ait ipſe, Nemo nouit patrem, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. & ſubiũgit, hũc autem filium genitum, vnigenitum filium, imaginem Dei inuiſibilis, primogenitũ omnis creaturæ, ſapientiam, & verbum, & potentiam Dei ante ſæcula, non præcognitione, ſed hypoſtaſe Deum, Dei filium in vetere, & noua ſcriptura cognouimus, confitemur, & prædicamus. Simon verò cum iis, qui eum ſectati ſunt, hoc negabat, cùm aiebat, vt eſt in libro 8. hiſtoriarum Clementis de prædicationibus, & diſputationibus Petri cum Simone, οὐδεὶς ἔγνω τὸν ἐν ἀπορρήτοις ὕψιστον πατέρα ὄντα, ὡς οὐδὲ τὸν τούτου υἱόν, ὅτι υἱός ἐστι, id eſt, nemo nouit in arcanis altiſſimum patrem, ſicut neque filium eius, quod filius eius eſt; vnde Deum ignotum βυθὸν ὕψιστον, id eſt, profundum altiſſimum vocabat, vt Irenæus in primo libro contra Hær. ait. Sic etiam negabat Deum eſſe patrem Chriſti; ſic enim contra Petrum diſputabat, Cùm tu, quæ ſunt Dei altiſſimi propria, filio tribuas, ignoras facere te filium patrem Chriſti tui. Sed de his hactenus.

CAP. XI. *pag. 80.*

*Annunciamus vnum Deum vnius filij patrem, non plurium: vnius paracleti per Christum, aliorum ordinum effectorem.*] Frequens eſt non ſolùm in ſcripturis ſanctis, ſed in ſacris doctoribus repetitio ἀπὸ κοινοῦ, vt hic repetendum eſt verbum illud, Deum, vt dicamus vnius paracleti Deum, non autem repetendũ eſt nomen patris, vt dicamus, vnius paracleti patrem: quia pater ad filium refertur, non ad paracletum. Multa dici ſolent κατ' ἔλλειψιν, præſertim in ſcriptura, tum propter breuitatem eidem ſcripturæ, & iis, qui eam ſecuti ſunt, familiarem, tum etiam aliis de cauſis œconomicè, ac prudenti conſilio: quod hic quoque factum eſt, vbi neceſſe eſt ſupplere aliquid, quod conueniat Paracleto & Deo vnde procedit. Cauſa verò, cur illud tacitũ ſit, fortaſſis eſt, quia ſic apoſtolica doctrina admonere voluit, non poſſe propriè explicari modum proceſſionis, ſicut ait Gregorius Theologus in primo libro De filio & ſpiritu ſancto: horum verò, (inquit) ille quidem germen, hic verò πρόβλημα, id eſt, procedens; ſic enim interpretamur nunc, non verbum de verbo exprimentes, ſed vt loqui conſueuimus. Deinde ſubiungit Gregorius; aut neſcio, quomodo hæc vocare quis poſſit, abſtrahens ea ab iis quæ cernuntur. Satis his verbis ſignificaſſe videtur rationem generandi, & rationem producendi per proceſſionem, ad intelligendum, & ad propriè nominandum difficilem eſſe. Quo in loco illud eſt obſeruandum, melius vocaſſe ſpiritũ ſanctum πρόβλημα Gregorium, quàm vocauit Candidus in dialogo Origenis filium προβολήν, quod beatus Hieronymus lib. 2. apologiæ aduerſus Ruffinum reprehendit, quòd negare videretur filium natum. Videamus igitur quid ſupplere oporteat ſecundum vſum, & auctoritatem Patrum. Licet enim intelligere ſic, Deum Paracleti, ſcilicet χορηγόν, id eſt, vt ita vertamus, præbitorem, ſiue exhibitorem, ſicut filius eſt χορηγὸς Spiritus ſancti, vt beatus Cyrillus tradit in theſauris de Trinitate ad Nemeſinũ, & magnus Athanaſius in dialogo Orthodoxi & Anomij de ingenito, & genito; quod mihi ſumpſiſſe videntur ex Dionyſio Areopag. in Hierarchia eccleſiaſtica, cap. De chriſmate: aut certè idem dixit, quod illi prius dixerat. Sic enim Dionyſius de naturali proceſſione Spiritus ſancti ex filio ſcripſit. ὑπ' αὐτοῦ ſcilicet υἱοῦ τοῦ δι' ἡμᾶς ἀνθρωποπρεπῶς πνεύματι καθαγιασθέντος ἀναλλοιώτως τῆς οὐσιώδους θεότητος ἕξει τὸ θειότατον πνεῦμα χορηγούμενον, id eſt, ab ipſo videlicet filio propter nos per ſpiritum Dei, vt humanitatem decebat, ſine vlla ſui mutatione ſanctificato, ſecundum ſubſtantiam diuinitatis verè Spiritus ſanctus præbitus. Item idem Dionyſins lib. De diui. nomin. cap. 2. Vertam Latinè. Rurſus, inquit, quòd ſit quidem pater, fons diuinus; filius verò, & ſpiritus ſanctus fœcundæ diuinitatis, ſi ſic loqui oportet, ſurculi à Deo producti, & tanquam flores, & lumina, quæ naturam ſuperant, ex ſanctis ſcripturis accepimus. Deum patrem vocauit Dionyſius, fontem diuinitatis filij & ſpiritus ſancti. Vt iam hic quoque liceat interpretari, dixiſſe Clementem, Deum vnius Paracleti per Chriſtum, vt ſi dixiſſet, Deum fontem vnius Paracleti per Chriſtum. Vt ſi diceremus fontem fluuij, id eſt, ex quo manat fluuius: itaque cùm ait, Deũ vnius Paracleti per Chriſtum, non oportet ſubaudire, vnius Paracleti tanquam miniſtri: & ſi enim miniſtrat nobis gratiam Dei, miniſtrat tamen ὡς συνεργὸς τοῦ θεοῦ, id eſt, tanquam conſors eiuſdem operationis Dei, quod Macedonianus negat, vt beatus Athanaſius in dialogo Orthodoxi & Macedoniani docet. Obſeruauit huiuſmodi miniſteriũ S. Epiphanius: ſic enim ait in Anchorato. Dico igitur Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis ad implendum promiſſiones Patrum: comminiſtrare autem ſpiritum ſanctum, ex ſcripturis ſanctis accepimus. Mittitur, inquit, Chriſtus à Patre: mittitur Spiritus ſanctus: loquitur in ſan-

ctis Chriſtus: loquitur & Spiritus ſanctus. Sic enim dicunt ſcripturæ: Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, quod eſt ſimile atque illud: Emittes verbum tuum, & liquefacies ea. Et paulò pòſt idem Epiphanius, Idem, inquit, eſt miniſterium Spiritus & verbi. & paulò poſt: Cooperatur itaque, ſicut demonſtratum eſt, patri Filius, & Spiritus ſanctus. & rurſus paulo infrà: Spiritus Deus eſt bonorum dator, illuminator, paracletus, conſiliorum patris annunciator. Sicut enim filius magni conſilij angelus eſt, ſic etiam ſpiritus ſanctus. & paulo pòſt: Neque velut reliqui ſpiritus, ſpiritus veritatis creatus, aut factus eſt: neque velut reliqui Angeli, magni conſilij angelus vocatur: illi enim principium cœptum, & finitum habent: hi verò, ſcilicet filius, & Spiritus ſanctus, principium habent ἀνεπιτποίητον, id eſt, non factum; ſic enim legēdum eſt, vt in Grȩco exemplari manuſcripto correcto legimus, & non ἀνεπινόητον, vt nunc falſo legitur in Grȩcis impreſſis, id eſt, incogitabile. ait ergo Epiphanius, comminiſtrare ſpiritum ſanctum filio, quia ſcriptum ſit, Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur; ſimiliter vt ſcriptum eſt, Emittes verbum tuum, & liquefacies ea. idem ait Didymus in libro de ſpiritu ſancto, &c. hic enim Didymus etſi ſectator fuit Origenis, qui ſpiritum ſanctum miniſtrum patris, & filij faciebat, non de eadem patris filiique ſubſtantia, quæ erat apertiſſima blaſphemia; tamen vt Hieronymus in ſecundo libro Apologiæ contra Rufinum ait, in Trinitate catholicus fuit, & eius librum de Spiritu ſancto ſe ait in Latinum conuertiſſe. Probauit igitur hoc pater Hieronymus quod de ſpiritu ſancto miniſtro Didymus dixit: vt iam in vno Didymi teſtimonio duos teſtes habeamus. idem rurſus Hieronymus de eodem Didymo libro 3. apologiæ contra Rufinum, de Didymo, inquit, & memoriam prædicamus, & ſuper Trinitate fidei puritatē. Sed de hoc miniſterio magis adhuc explicaui in ſcholio, lib. 5. cap. 7. cùm de ſubiectione filii ſecundum idioma ſcripturæ ſanctæ diſſerui. Ergo quod ait Beatus Cyrillus in Theſauris de Trinitate, Deum referri πρὸς δοῦλα, id eſt, dici Deum eorum quæ ei ſubiecta ſunt, & ſeruiunt, intelligendū eſt propriè: talium enim eſt Deus propriè, ſicut beatus Gregorius Nazianz. libro 2. de filio, Deus, inquit, non eſt verbi, quomodo enim, inquit, propriè Deus Dei erit: propriè dixit, quaſi impropriè quidem dici pòſſit, Deus Dei; vt perinde dictum accipiamus, quaſi diceretur Deus Dei principium, præbitor, emiſſor, fons, cauſa, non quidem vt faciēs, ſed vt fons. ſic enim ait beatus Athanaſius in dialogo, quē paulo antè dixi, καὶ τὸ πνεῦμα ἔχει αἴτιον τὸν θεὸν οὐχ᾽ ὡς γενεσιουργὸν, ἀλλ᾽ ὡς πηγὴν ἑαυτοῦ. καθὰ γὰρ ἡ πηγὴ οὐ γενεσιουργεῖ ἔξωθεν ὃ χορηγεῖ ὕδωρ, ἀλλ᾽ ἐξ αὐτῆς πηγάζων ἔχει, οὕτως καὶ ὁ θεὸς πηγὴ τοῦ πνεύματος, ἐστι καὶ χορηγὸς αὐτοῦ, οὐκ ἔξωθεν αὐτὸ προσλαμβάνων, ἀλλ᾽ ἐξ ἑαυτοῦ πηγάζων. & ſpiritus, inquit, habet cauſam Deum non vt facientem, ſed vt fontem ſui. Sicut enim fons non facit extrinſecus quam exhibet aquam, ſed è ſe fundens habet, ſic Deus fons eſt Spiritus, & eius exhibitor, non illum foris aſſumens, ſed è ſe fundens. ergo dictum eſſe Deum vnius Paracleti, ſenſu catholico, & vt catholicè dictum, accipiendum eſſe, ſatis ſignificauit idem Clemens, cū ſubiungit ſine coniunctione vlla, aliorum ordinum effectorem, ne ad Paracletum referremus, effectorem ſimiliter, vt ad alios ordines, ſic conſtruendo, Deum effectorem vnius Paracleti, & aliorum ordinum: ſed ſine coniunctione, vt ſepararetur effectio à Paracleto, & tribueretur aliis: vt ſic conſtruamus, patrem Deum vnius Paracleti ſcilicet principium per Chriſtum, & ſeparatim, patrem Deum aliorum ordinum effectorem. neque enim, vt dixi, ſine coniunctione dixiſſet, ſi paracletum factum, vt hæretici ſentiunt, intelligi voluiſſet. Confirmat hoc ipſum locus ille libri octaui, cap. 6. vbi dicitur ſimiliter Deus Paracleti, & Dominus vniuerſorū. non enim dixit Clemens, Dominus Paracleti, ne Paracletus ſeruus eſſe exiſtimaretur; ſed Deum dixit Paracleti, vt dixerat libro 6 ſcilicet vt intelligeremus diuinitatem patris, fontem & principiū eſſe ſpiritus ſancti, vt iā explicauimus. Si enim Deū Paracleti tanquā creaturæ intelligi voluiſſet, ſic dicturus erat, Deus Paracleti, & vniuerſorū; aut ſic: Dominus Paracleti, & vniuerſorum; at non ſic dixit, ſed potius, Deus paracleti, & Dominus vniuerſorū, planè docens, non eſſe Dominum Paracleti, ſed aliorum. Sed de hoc hactenus. Sed dicet aliquis, quomodo idem Clemēs in trigeſimo ſeptimo libri octaui capite ait, Dominus ſpiritus, & intelligibilium, ac ſenſibilium rex: quod quidem ſimiliter vt illud, Deus Paracleti, animaduerſum, & notatum in exemplari Græco reperi, ad intelligendum, & interpretandum bene. Sed de hoc reſpondebo, & explicabo ſuo loco.

CAP. XII. *pag.* 81.

*Nos duodecim conſultabamus cum Iacobo fratre Domini.)* Quòd Clemens extra numerum duodecim Apoſtolorum ponat Iacobum fratrem Domini, ſicut Paulū (hos enim duos adiungit Clemens duodecim Apoſtolis in hac eorum doctrina, quam litteris mādauit) quibuſdā minuit libri huius auctoritatē, ſed ita eſſe, teſtis eſt eccleſia orientis, quæ tres Iacobos celebrat, vnū Zebedæi, alterum Alphæi, quos ex euangelio didicimus fuiſſe ex numero duodecim, & tertium Iacobum fratrem Domini, quem Cyrillus, Euſebius, Epiphanius, Anaſtaſius Antiochenus, & alij tradunt fuiſſe filium Ioſeph ſuſceptum ex Salome vxore, filia ſororis Annȩ matris Mariæ, eiúſque Iacobi fratres fuiſſe Ioſeph, Simonem, & Iudam. Hinc ait ſanctus Anaſtaſius in ὁδηγῷ factum eſſe, vt ſicut ad celādū partū virginis Iudȩis homicidis Ioſeph vocabatur œconomicè pater Ieſu, ſic Maria eadem ratione, & conſilio vocaretur, vt eſt in euangelio, aliquando mater Iacobi, & aliquādo mater filiorū Ioſeph fabri. Vnde aiebāt Iudȩi: Nónne hic eſt fabri filius, & mater eius Maria dicitur,



tur, & fratres eius Iacobus, Ioſeph, Simon, & Iudas? Sed vtcunque ſit de genealogia Iacobi fratris Domini, ego enim verius puto eſſe quod B. Hieronymus ait, virginem fuiſſe Ioſeph: hunc docet Paulus extra duodecim fuiſſe, cū ait 1. Cor. 15. Quia viſus eſt Cephȩ, & poſt hoc, vndecim: deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus: deinde viſus eſt Iacobo. Item hunc Iacobū fratrem Dñi cognomento Iuſtū, ſcribit Hippolytus martyr, & epiſcopus, in libello quē de duodecim Apoſtolis, & 72. diſcipulis ſcripſit, fuiſſe nō ex numero duodecim apoſtolorum, ſed tantū ex numero 72. diſcipulorū. Idem quoque ait ſanctus Dorotheus epiſcopus Tyri, in libello quem tēpore Diocletiani de eiſdem apoſtolis, & diſcipulis 70. ſcripſit. Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi 14. nūc autē Chriſtus ſurrexit à mortuis primitiæ dormientiū, & apparuit Cephæ, poſtea vndecim. Etenim ſi vni, inquit, teſti nō credis, habes teſtes duodecim. poſtea viſus eſt pluſquā quingentis fratribus ſemel: ſi duodecim non credunt, credant quingentis. poſtea viſus eſt Iacobo fratri ſuo primo epiſcopo huius parœciæ. Hieronymus quoque idem affirmat in comment. epiſtolæ ad Gal. cap. 2. & in comment. Eſa. cap. 17. ſcribit nonnullos ex veteribus hunc Iacobū extra numerū duodecim poſuiſſe; melius quidem illic, quàm in libro contra Heluidium, vbi hunc Iacobum fratrem Dñi, Iacobū Alphȩi, facit vnū ex numero 12. Quare autē dictus ſit Iacobus minor, ſi quis quȩrat, reſpōdeamus ſic fuiſſe nominatū, quòd vterq; Iacobus apoſtolus, alter Alphȩi, & alter Zebedȩi, huic ætate antecederent. ac quia maior, & minor nō inter tres, ſed inter duos, vt ait Hieronymus, ſoleant prȩbere diſtantiam, ætatē grandiorē vtriusque illorū quaſi vnā reputabant, qui ſic loquebātur, vt cum eorum ȩtate grandiore Iacobi cognomento Iuſti ætatem cōpararent. Hunc Iacobū teſtatur Anacletus pontifex in epiſt. 2. fuiſſe ordinatum primum epiſcopū Hieroſolymitanū à Petro, Iacobo, & Ioanne Apoſtolis, etſi Euſebius Cæſarienſis in hiſtoria ſua Eccleſ. & in cōmentariis Eſa. ca. 16. & Dorotheus epiſcopus Tyri, ſcribunt ordinatū primum epiſc. Hieroſolymitanum ab ipſo Dño; quod ſic intelligendum eſt, ordinatum eſſe ab apoſtolis primū epiſcopū γνώμῃ χριστοῦ, id eſt, auctore Chriſto, ſicut ipſe Iacobus, vel potius Clemens in perſona Iacobi ait lib. 8. cap. 35. ſe eſſe ordinatum à Chriſto, & ab apoſtolis, quod perinde eſt, quaſi diceret, iuſſu & voluntate atque auctoritate Chriſti, ſe ab Apoſtolis ordinatū. ſic enim ipſi apoſtoli per Clemētis perſonā in eodē lib. c. 3. loquūtur, vt vos epiſcopi, quos χριστοῦ γνώμῃ, id eſt, Chriſto auctore cōſtituimus. & quæ ſequūtur. Ergo, vt ad rē veniamus, ſi hic Iacobus ordinatus eſt epiſcopus ab Apoſtolis, & nemo Apoſtolorum ab aliis Apoſtolis ordinatus traditur, ſed omnes vno tempore in die Pentecoſtes ordinati ſunt, conſequens eſt, vt hic Iacobus extra numerum duodecim fuerit. Fuiſſe autē omnes apoſtolos ordinatos epiſcopos in die Pentecoſtes, teſtatur Hieronymus in dialogo Orthodoxi & Luciferiani, ſic enim inducit Orthodoxum reſpondentem ad quæſtionem Luciferiani: Si quæris hoc loco, quare in eccleſia baptizatus, niſi per manus epiſcopi non accipiat ſpiritum ſanctum, quem aſſerimus in vero baptiſmo tribui; diſce hanc obſeruationem ex ea auctoritate deſcendere, quòd poſt aſcenſum Dñi ſpiritus ſanctus ad apoſtolos deſcendit. Ergo tunc cōfitetur factos eſſe epiſcopos, cùm acceperūt ſpiritum ſanctum, vt iam deinceps poſſent aliis per manus impoſitionem dare ſpiritū ſanctum. Item Ioël cap. 11. Et erit poſt hæc, effundam de ſpiritu meo; & quæ ſequuntur, quæ beatus Petrus in die Pentecoſtes recitauit, dicēs impleta eſſe tūc. Extrema verba illius loci ſunt hæc: & erit, quicunq; inuocauerit nomen Dñi, ſaluus erit. Deinde ſubiungit propheta Ioël; quia in monte Sion, & Hieruſalem erit ſaluatio, ſicut dixit Dominus, & erunt annunciantes quos Dominus vocauit: ſic enim eſt apud 70. quē locū explanans B. Cyrillus Alexandrinus in cōmentariis prophetæ huius, ait: Quod autem in ipſa primū Hieruſalem eſſet verbū ſalutis annunciandum, atque inde in totum orbem peruaſurū, declarauit Propheta, inquiens: in mōte Sion, & in Hieruſalem erit ſaluatio: & erunt euangelizantes quos Dñs vocauit; quia, vt Paulus ait, nemo ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo, &c. Hic ſcribit beatus Cyrillus, impletum eſſe tūc quod Paulus poſtea ſcripſit: Nemo ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo. Hoc autem Apoſtolus de ipſo honore hierarchico, id eſt, epiſcopali, ſcribit. Ibi igitur apoſtoli in die illo Pentecoſtes vocati ſunt ad honorē poteſtatis hierarchicȩ ſupra corpus Chriſti myſticum, in opus miniſterij prædicandi verbū Dei, & remittendi peccata. Item alter Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi 17. ex numero earū de quibus Hieronymus in ſcriptorib. eccleſiaſticis meminit, interpretās linguas illas igneas quȩ apparuerūt diſperſȩ ſupra ſingulos eorū; ſic ait, Ignē eos participaſſe nō cōburentem, ſed ſalutarē, cōſumentem peccata, & illuſtrantē, ac ſplendere facientē animā: & ſediſſe ignem ſcilicet ſupra illos, vt imponerentur ipſis noua diademata ſpiritualia per igneas linguas. Videtur Cyrillus Hieroſolymitanus vocaſſe hic noua diademata τὰς χειροτονίας. i. ordinationes hierarchicas, ſiue epiſcopales, ſicut apertè ait Ammonius Alexandrinus in commentariis Act. apoſt. ca. 2. Quia apoſtoli, inquit, ἐχειροτονοῦντο τῆς οἰκουμένης διδάσκαλοι, id eſt, quia ordinabantur magiſtri orbis. Ordinatio autem huiuſmodi non fit niſi in capite, idcirco meritò ſuper caput receperunt linguas; & hac de cauſa ante alia chariſmata acceperunt chariſma linguarum. hactenus Ammonius; qui quidem videtur planè interpretari linguas illas quȩ ſuper capita apparuerunt, fuiſſe inſtar libri aperti, qui ſecundum apoſtolicam traditionē imponitur ſuper caput eius qui ordinatur epiſcopus. Item Simeon Theſſal. in libro de myſteriis Miſſæ, aduerſus eos qui tradunt ad conficiendum magnum ſacramentum ſanctæ euchariſtiæ, debere eſſe nos contentos

verbis ſolis Chriſti:hi,inquit,temerariè & blaſphemè reſpuūt inuocationem ſpiritus ſancti, eiúſque virtutem,& operationem negant,quā Saluator apoſtolis & promiſit & donauit,per quam & paſtores ordinati ſunt aduenιente ſpiritu ſancto, qui per illas linguas igneas virtutem eis indidit quā operationem ſacrorum,& ordinationes,& curationes, & miracula exercebant. Item Petrus Damianus monachus,& Cardinalis,qui fuit valde in ſcripturis ſanctis exercitatus, & multa eruditè ante quingentos annos ſcripſit,in libro de inſtitutionibus eccleſiaſticis,conſtat,inquit, Apoſtolos perfecti baptiſmatis,atque omnigenæ ſimilis conſecrationis accepiſſe myſterium,cùm ſuper eos ſpiritus ſanctus venit in diuerſitate linguarum. Item S. Theophanes epiſcopus Nicæę,qui fuit tempore Concilij Nicæni ſecundi,in Symphonia veteris & noui Teſtamenti,de Spiritu ſancto miſſo è cælo Apoſtolis,& per eos effuſo in omnes,interpretatus eſt ſimilem locum Eſaiæ,illū ſcilicet cap.44. effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictiones ſuper filios tuos, pertinere ad eandem prophetiam Ioëlis, quam beatus Petrus interpretatus eſt, impletam eſſe in die Pentecoſtes. Ait itaque Theophanes appellaſſe Prophetam Eſaiam benedictiones, varia illa chariſmata, quæ Apoſtolus 1.Cor.cap.12.deſcribit poſita eſſe in eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti myſticum,inter quæ numerauit chariſma epiſcopatus, & eccleſiaſticæ gubernationis. Idē auctor interpretans prophetiam Ezechielis cap.11. & dabo eis cor nouum,& ſpiritum nouum,ſic ait: Inſufflauit Dominus apoſtolis,& dixit, Accipite ſpiritum ſanctum:quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis,&c. Deinde ſubiungit Theophanes:Hic ſpiritus nouus nunquā antiquis vſque ad hunc diē Pentecoſtes datus eſt,&c. Si igitur ſpiritus remittēdi peccata,nunquā datus erat vlli ex antiquis,antequam mitteretur Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes,ſequitur vt tunc apoſtoli fuerint ordinati Epiſcopi: epiſcopis enim conuenit plena poteſtas remittendi peccata. Scio (vt hoc quoq; non prætermittamus,fortaſſe non inutile,neque alienum) Cyrillum Alexandr. laboraſſe, aliquando in commentariis in Ioannem in expedienda hac difficultate, quomodo vtrumq; verū eſſet,quod Dominus dixit,accipite ſpiritum ſanctum,quorū remiſeritis,&c.& illud, Niſi abiero, Paracletus non veniet ad vos;tandem ſignificare videtur,datā eſſe tunc apoſtolis ex parte gratiam remittēdi peccata,ex toto autem,datam eſſe in Pentecoſte, cùm ſcilicet ordinati ſunt epiſcopi. Deinde obiicit ſibi Cyrillus de Thoma abſente,cùm Dominus dixit, Accipite Spiritū ſanctum. Sed quòd reſpōdet ſimile accidiſſe in Eldad & Moldad,quibus abſentibus Dominus dediſſet ſpiritum prophetiæ,ſicut iis qui erant in tabernaculo,non cōuenit: neque enim ſicut Thomas erat vnus ex duodecim,ſic illi duo fuerunt ex numero 70. ſeniorū,vt Cyrillus exiſtimauit:neque hoc dicit ſcriptura;ſed potius cōgregatis 70. circa tabernaculū remanſiſſe duos viros in caſtris Eldad, & Moldad,ſuper quos,inquit,requieuit Spiritus: nā & ipſi,inquit,erant ex deſcriptis;quod quidē non ſignificat,vt Cyrillus ſuſpicatus eſt,eſſe illos ex numero 70.alioqui non dixiſſet congregatos fuiſſe circa tabernaculum 70. & remanſiſſe duos viros in caſtris: neque enim congregati fuiſſent 70.ſed 68 ſi duo illi inter 70.deſcripti fuiſſent. Quos ergo hoc loco vocauerit Moyſes deſcriptos, intelligi poteſt ex Ezechiele cap. 13. Sic enim prophetauit de falſis prophetis non introducēdis in terrā Iſraël,ſed interficiendis:In diſciplina,inquit,populi mei non erunt,neq; in ſcriptura domus Iſraël ſcribentur,& in terrā Iſraël non intrabunt. De hoc quoque libro videtur dixiſſe idē Moyſes Exo.32.cū petiit à Deo,vt peccatū populi condonaret,aut deleret eū de libro vitæ propter id peccatum. Dixit ergo Moyſes requieuiſſe ſpiritum ſuper iſtos duos,quia, inquit, & ipſi erant non ex falſis prophetis, qui meruerunt interfici in eremo,ſed fuerūt ex numero eorū quos Deus introduxit in terram Iſraël,hos enim vocauit ſcriptura deſcriptos in lib. vitę. Non igitur probabile eſt, factos eſſe tunc epiſcopos, vno ex apoſtolis abſente: neque illud exemplum, quod ſimile eſſe putabatur,ſimile eſt. Quòd ſi quis quærat, quem ergo ſpiritum dedit Apoſtolis,cùm dixit, Accipite Spiritum ſanctum;quorum remiſeritis,&c. reſpondebimus πνεῦμα λυτικὸν καὶ συγχωρητικὸν, ſicut interpretatur Euſebius Cæſarien. in epiſt. ad Marinum,id eſt,ſpiritum,poteſtatem, inquam, ſpiritualem ad ſoluendum, & remittendum peccata:poteſtatem dico remittendi,& retinendi, eam quæ conuenit ſacerdotibus,non illā quæ epiſcopis,quæ illam ſacerdotum minorum moderatur. Dedit itaque ſpiritū,ſiue chariſma remittendi,& retinendi peccata, ſanctis apoſtolis vt ſacerdotibus,nō autem vt epiſcopis, quia nondū erāt ordinati epiſcopi. Docuit itaque Dominus poteſtatē illam remittendi poſtea dandam,vtendā eſſe ſecūdum iudicium Dei,& voluntatē eius:vtendam, inquam, in Spiritu ſancto: Sic enim Dionyſius Areopagita interpretatus eſt in Hierarchia eccleſiaſtica cap.7.explanans hunc locū euang. Accipite ſpiritum ſanctum; quorum remiſeritis,&c. Si ergo apoſtoli facti ſunt epiſcopi non tunc,cū erant vndecim tantū ſimul,abſente Thoma, ſed in Pentecoſte,cū pręter omnes Apoſtolos,erant etiā cum ipſis Apoſtolis fratres Domini,vt in Actis Lucas narrat,ex quorū numero erat Iacobus,& tamen Iacobus frater Dñi ordinatus eſt à Petro, & Ioanne epiſcopus Hieroſolymitanus,& nullus ex apoſtolis narratur ordinatus nominatim ab vllo Apoſtolo; conſequens eſt,vt Iacobus frater Dñi extra numerū duodecim fuerit. quod enim ſcribit Clemens,conſtitutos fuiſſe ab Apoſtolis epiſcopos Hieroſolymitanos Simonē Cleopæ,& Iudā Iacobi,qui & Lebęus,& Thadæus dicebatur,quos fuiſſe Apoſtolos nemo ambigit,ſic intelligēdū eſt,fuiſſe quidē illos ordinatos epiſcopos nō ab hominibus,neq; per hominē,ſed à Chriſto per aduentum Spiritus ſancti, electos verò ab Apoſtolis,vt præeſſent eccleſiæ Hieroſolymitanæ;

Iacobum



Iacobum verò factum eſſe iuſſu Chriſti ab Apoſtolis epiſcopum per manus eorū impoſitionem: vtrumque enim ſignificat verbū χειροτονεῖν,ſcilicet eligere,& ordinare;vtrumque item conſuetudine noſtra cōplectitur iā verbū conſtituendi. Hieronymus in cōmentariis epiſtolæ Pauli ad Gal. (vt iterum dicam) planè dicit Iacobum fratrem Dñi fuiſſe extra numerū duodecim. Interpretans enim illum locū, aliū autē Apoſtolorū vidi neminē,niſi Iacobū fratrem Dñi,reddit rationē quare appellatus fuerit apoſtolus. Quòd autē,inquit,exceptis duodecim,quidā vocantur Apoſtoli,illud in cauſa eſt:Omnes qui Dñm viderant,& eū poſtea prædicabāt,fuiſſe Apoſtolos appellatos,vt ad Cor.1.ca.15.ſcribens,viſus eſt,inquit,poſt hæc vndecim,deinde viſus eſt pluſquā quingētis fratribus,deinde viſus eſt Iacobo,deinde Apoſtolis omnibus. Hic quoq; Paulus ſatis declarat, vt antea dixi,extra numerum duodecim fuiſſe Iacobū:immo ipſa doctrina Apoſtolorū ſatis apertè ſignificat extra numerū duodecim fuiſſe,cùm lib.5. cap.8.iubet in honore eſſe Martyres, vt apud nos, inquit,fuerunt Iacobus epiſcopus,& Stephanus:in ſeptimo autē libro iubet celebrare memoriā Apoſtolorū.quare ſi Iacobus ex apoſtolis fuiſſet,celebratio memorię eius non eſſet poſita in conſtitutione de Martyribus. Satis enim fuiſſet cōplecti illius memoriā in cōſtitutione de Apoſtolis. Denique ſic Nicolaus primus pontifex ſanctiſſimus,& eruditiſſimus ſenſit, vt intelligi poteſt ex reſponſis eius ad Bulgaros cap.92. illi,inquit,veraciter ſunt habēdi Patriarchæ,qui ſedes Apoſtolicas per ſucceſſiones Pontificū obtinent:id eſt,qui illis præſunt eccleſiis quas apoſtoli inſtituiſſe probantur,Romanam videlicet,& Alexandrinam,& Antiochenam.& paulò pòſt:nam Conſtantinopolitanam eccleſiam neque Apoſtolorū quiſquā inſtituit,neque Nicæna Synodus eius mentionē aliquā fecit. Hieroſolymitanus autē præſul licet & ipſe Patriarcha dicatur,& ſecundū antiquā conſuetudinē,ac Nicęnam Synodū honorandus ſit,ſalua tamē Metropoli propria dignitate; ſed & in eadē ſancta ſynodo nequaquā Hieroſolymitanus,ſed Aelię epiſcopus dicitur,planè ſignificat non fuiſſe Iacobum hunc Apoſtolum. Si enim fuiſſet Apoſtolus, ſedes eius Apoſtolica non fuiſſet Antiochenæ ſubiecta:ſicut nec alię ſedes patriarchales ab apoſtolis inſtitutę alia,alię inter ſe ſubiectæ ſunt præterquām ſoli Romano pontifici. Sed quomodo dicet aliquis,ſi Iacobus frater Domini alius eſt à Iacobo Alphæi Apoſtolo è numero xij. factum eſt,vt in Eccleſia Romana dies feſtus Iacobi Alphæi non fuerit inſtitutus,& ſemper actus? fortaſſe dicendum eſt hic,quod Apoſtolus docuit,vt nō eſſet ſchiſma,ſiue gloriatur,inquit,vnum membrū, congaudēt omnia membra.nec enim cùm diē feſtum Iacobi Alphæi Eccleſia Orientis, ſicut ei à ſanctis Apoſtolis traditum eſt,celebrare cœpit,ſchiſma erat,ſed potius illa,& Romana occidentis vnū corpus fuit: noſtrum igitur congaudere illi Eccleſiæ Orientis in hac parte,pars eſt diem feſtū Iacobi Alphæi celebrandi,ne vnius Apoſtoli celebratione fraudari videamur. Sic ad quæſtionem reſpōdere ſoleo, donec melius ab alio audiam,aut ipſe reperiam.

CAP. XII. *pag.* 82.

*Sed ſcribere ad eos, vt abſtineant ſe à contaminationibus gentium,idolothyto,& ſanguine,& ſuffocato, & fornicatione,quæ olim quoq. ſancita ſunt illis ante legē,phyſicis,(id eſt,qui ſecūdū legē naturæ viuebāt) Enos,Enoch,Noë, & Melchiſedec,Iob,& ſi quis alius eiuſmodi extitit.*] Quoniā Græci fratres noſtri, nos quaſi violatores huius cōſtitutionis accuſant,opus eſt vt nos excuſemus,& pro noſtris defendendi cauſa reſpondeamus,& quantū conſequi poſſimus, laboremus,vt nō iudicent nos; ne ſi iudicauerint,ſecundū ſententiā Dñi condēnentur. Quēadmodū igitur hāc cōſtitutionē intelligere oporteat,ex ipſamet diſcere licet.tū enim diuina ſcriptura Act.apoſtolorū,tū hęc ipſa Apoſtolorū doctrina impura illa & nefaria idolorum ſacrificia vocant contaminationes gētiū. Eſt autē contaminatio gentiū,lingere ſanguinē more canū, vt quidam feri & barbari faciunt:itē veſci licēter ſuffocatis:de quibus Cyrillus Hieroſolymitanus ſic in quarta catecheſi ait: Multi homines feri & immanes more canū viuentes,ſanguinem quidem lingunt inſtar belluarum, ſuffocatis verò licenter veſcūtur. Deinde ſubiungit:Tu verò Domini Dei ſeruus,cū veſceris,veſcere cū religione. Quamobrem vt nos ſemper à nefario idolothyto abſtinemus, ſic etiam à ſanguine,& ſuffocato, quatenus ad contaminationem gentium pertineant. Sic enim intellexit Gregorius Nazianz. in oratione de Paſcha,ſanguinē nobis eatenus interdictū,quatenus ad ſacrificiū idolorū pertineret: Ait enim nos à principio propter peccatum lapſos,& voluptate vſque ad idolorū cultum,& nefariū ſanguinē ſeductos,oportuiſſe iterum reuocari,& in antiquum ſtatum reſtitui. idem ſenſit Iuſtinus martyr in quæſt.45.& Origenes lib.8.contra Celſum. Hac ergo ratione, & cauſa excepta, licet quidē veſci,& ſanguine,& ſuffocato, & idolothyto, ſi ad capiendū alimentum commoda fuerint:ait enim Apoſtolus,Omne quod in macello venit,manducate,nihil interrogātes propter conſcientiam:Domini enim eſt terra,& plenitudo eius. Illis namque temporibus,vt Magnes antiquiſſimus auctor in tertio libro euangelicæ apologię contra Theoſtenē ſcribit,erant in macello quidam ſerui ad hoc conſtituti,& delecti,vt myſterio quodam idolis libarent, & cū quadam myſtica fallacia ſacrificarent;abſtinereque ac non tangere prorſus iuberent. de quibus,vt mihi quidem videtur,Paulus in epiſtola ad Coloſſ.ſcribit, qui aiebant, Ne tetigeris,nec guſtaueris,neque contrectaueris. Paulus ergo pro illa ſua perfecta & abſoluta ratione docēdi,& pro ſua admirabili prudentia de communi victu,ait idem Magnes, cauet,permittens œconomicè tangere ea, nihil diſcernendo,quæ in macello,communi foro,& loco ab omni ratione ſcandali libero, veneunt, quāuis dæmoniis cōſecrata ſint, vt erat ſanguis. immo verò ipſe quoq; Paulus ait:Si quis infideliū



vocat

vocat vos,& vultis ire , omne quod apponitur vobis,mãducate,nihil interrogantes propter conſcientiam.Si quis verò vobis dixerit,hoc immolatum eſt idolis,nolite manducare propter illum qui indicauit, & propter conſcientiam;conſcientiã autem dico,non tuam ,ſed alterius.Ergo quia omnia,vt ait idẽ Magnes,plena erant idololatria,& magna pars victus dæmonibus dedicata erat, præterea multi erant feri,& agreſtes,qui ſanguinem ritu canum lamberent,& ſuffocata licenter deuorarent,id quod ad eſum crudæ carnis ſpectat,& tendit,quem,vt Procopius cognomẽto Gazæus vetus interpres Geneſis ſentit,lex vetuit,cùm ait,Verùm carnem cum ſanguine animę non comedetis:atque hoc,inquit,ne crudo veſcentes in ſeipſos mutuo inuaderent . Conuenienter enim huic propoſito ſubiungit diuina ſcriptura,Etenim ſanguinẽ animarum veſtrarũ requiram: & ex manu hominis requiram ipſum.Idcirco iis qui piè & purè viuere volunt , iuſſum eſt , menſam dæmonum,ac victum inhumanum immaniũ Barbarorũ abominari.altera cauſa fuit, vt hac ratione,ſicut Iuſtinus martyr in quęſt.ca.45.teſtatur,ſepararet nos Deus à belluarum ſimilitudine,quæ vnà cum carne ſanguinem quoque earum animantium,quas menſis adhibemus , guſtãt. alia,ne illa communione menſæ,animæ pietatem amittamus.At Græci,tametſi adhuc à ſanguine,& ſuffocato ſe abſtinent,cùm alioqui idolorum cultus vbique terrarum funditus deletus ſit, tamen pio conſilio,& propoſito ab eis abſtinent,quibus ſuffragatur conſuetudo abſtinẽdi in naturam iam quodammodo mutata:cuius origo fuit diuina lex,quæ iſta tũc ratione idololatriæ cauendæ interdixit. Sed ſi omnis creatura Dei,vt Apoſtolus ait,bona eſt, & nihil reiiciendũ quod cum gratiarũ actione percipitur(ſanctificatur enim per verbum Dei,& orationẽ) liquet carnem in ſanguine guſtare alia de cauſa interdictũ eſſe,propter contaminationes ſcilicet gẽtium,vt ſatis ipſi ſancti apoſtoli ſignificant, cùm iis qui ex gentibus credebant,litteras & decretum mittunt. præterea,ſi adhuc omnibus modis neceſſe eſſe putant Græci à ſanguine abſtinere, noſq. non temere, quaſi reos ſceleris,criminantur,dicãt nobis cauſam,cur à ſanguine paſſerculorũ non abſtinent?Siue igitur cũ ipſi à ſanguine abſtinent,pio propoſito ducuntur, & cõſuetudine inueterata, & iam ingenita,cõgaudemus,tanquam eiuſdem corporis membra: ſiue nos id quod legi propoſitum eſt,ſpectantes,non amplius ab iſtis abſtinemus:immò eis religiosè & purè vt reliquis veſcimur; congaudeant & ipſi,vt eiuſdem corporis nobiſcum participes ac conſortes: ( de iis loquor Græcis,qui ſchiſma nõ fecerunt) Veſcimur dico, non autẽ nimis licenter veſcimur,vt ſuffocatis; à multis enim eorum abſtinemus,aliquando verò non abſtinemus, vt cùm ſtrangulatur gallina à coquo,vt tenerior fiat:neque ſanguinem crudum lambimus , vt pleriq; Barbarorum ad Septentrionem,hoc enim,vt dixi,belluarũ eſt,& ad vſum crudi tendit;præterea capto à belluis, & ſpõte ſua mortuis,magna religione, vt canon Apoſtolorũ iubet,abſtinemus:cũ hęc natura ipſa vt incõmoda,& inſalubria,abhorreat: Eos verò qui cõſuetudinem ex illa lege à principio ortam, & iam veluti in naturam mutatam non ſeruant,vt canones iubent, qui in decimonono libro Burcardi deſcripti ſunt,ita pœnis mulctamus,quaſi diuinæ illius legis reos,quæ ait,Omne quod mouetur, & viuit,erit vobis in cibũ:quaſi olera virẽtia tradidi vobis omnia;legem enim dedit omne genus carnis eo loco dignitatis habendi , & ita diſcernendi,vt olera:vt ſcilicet alia menſis adhibeamus tanquã cõmoda,quod fieri in oleribus conſueuit:alia abiiceremus tanquam incommoda inſtar cicutæ,aut hyoſcyami,quę nemo,niſi amẽs,comedat.Sic enim magnus Baſilius interpretatus eſt hunc locum in epiſtola ad Amphilochium,cùm ad quęſtionem ab Encratitis poſitam reſpondet. Sed hæc hactenus mihi pro eccleſia Latinorũ aduerſus Græcos dicta ſint,cui propoſitũ fuit, ſicut Chriſtianũ decet,vt omnis ſcandali cauſa tolleretur,& eccleſiæ membra ne diſcerperẽtur , néue pugnarent inter ſe:immo idem dicerent omnes,& vnus omniũ concors animus, & ſentẽtia eſſet in Chriſto Ieſu Domino noſtro,cui gloria in ſæcula ſæculorũ,amen. Hæc in Latinũ tranſtulimus ex Græco ſcholio,quod ad vtilitatem Græcorum pro defenſione Romanæ conſuetudinis, quam reprehendunt,prius ſcripſimus.Si quę deſiderabuntur, quæ huc pertinere videantur, petantur ex proximo inferiore ſcholio in eundẽ Clemẽtis locũ,in quo alia mihi repetẽda,alia addẽda fuerũt.

*Vt abſtineant ſe à contaminationibus gentiũ,idolothyto,& ſanguine,& ſuffocato, & fornicatione, de quibus lex quoque data fuerat priſcis illis qui ante legem ſecundum naturã viuebãt,vt Enos, Enoch, Melchiſedec,Iob,& ſi quis eiuſmodi alius.*] Hic rurſus quærebat ex me quidam , vbi nam hoc ſcriptum eſſet de ſuffocato ante legem interdicto.Etenim ſi non ita ſit,conſequens eſſe aiebat, vt Clemẽti affirmanti hoc, derogaretur auctoritas. at hoc non ſolũ dicit conſtitutio Apoſtolica, quã Clemẽs litteris mandauit,ſed etiam decretum Apoſtolorũ in eorum actis à Luca ſcriptum,cũ ſanxerunt, vt gentes,quæ in Chriſtum credidiſſent, ab idolothyto,& ſuffocato,& ſanguine, & fornicatione abſtinerent;quæ quidem cùm neceſſaria eſſe dicerent,ſatis eo verbo declararũt, diuina lege ſancita eſſe,alioqui nunquam neceſſaria dixiſſent,ſcilicet neceſſaria ſunt,quoties opus eſt idololatriam deteſtari, abſtinendo ab his: cùm verò nulla talis neceſſitas hoc poſtulat,erit nihilominus alia ratione aliquando abſtinendum, non ratione illius decreti apoſtolici, ſed propter horrorem naturæ:ex quo fit,vt ſi quod genus ſuffocati ſit,à quo natura nõ abhorreamus,liceat eo veſci.Sed videamus iam,vbi iſta antiquis illis vetita fuerunt:& qua ratione . Ergo quamuis ante diluuium propter fragilitatem,ac ſobrietatem in ſcriptura tacitũ de eſu carnis fuerat, tamen poſt diluuium cùm inſtauratio mundi,& veluti nouus ortus rerum fieret,œconomicè propter idololatriã aper-





tè & clarè ſancitum eſt,vt omnibus animantibus veſci liceret ; vt vel hac ratione ſummæ ſtultitiæ haberetur , id habere pro Deo quo veſci liceret; qua etiam ratione munda animalia ab immundis diſtinxit lex:vt hæc quia immunda,Iudæi pro Diis non haberent:illa quia munda , & ad veſcendum data,multo minus haberent.Itaque iuſſit omnes animantes in vſu comedendi habere tanquam olera herbarum,quod iam expoſitum eſt. Deinde ſubiungit ſcriptura,excepto quòd carnem cum ſanguine,ſiue in ſanguine,(ſic enim eſt apud 70.)non comedetis. hic prohibuit omophagiam , id eſt,veſci cruda ; hoc enim præcipuè ad deteſtationem homicidii ſpectabat:nec hoc ſolum,ſed voluit etiam lex,vt à carne in ſanguine abſtineremus:ita vt caro in ſanguine non ſolum intelligatur cruda caro, ſed caro etiam idolothyti,aut ſuffocati, aut morticini , ſiue elixa, ſiue aſſa : vtraque enim caro eſt,& dicitur caro in ſanguine: voluit, inquam,vt etiam huiuſmodi carne abſtineremus,cùm opus eſſet,ad deteſtationem idololatriæ;quia,vt antea dixi, ſanguis qui eſt in beſtiis,& auibus pro anima,vt eſt in Deut. apud gentiles ſacratus Diis habebatur . Hanc verò cauſam non obſcurè ſignificauit hoc loco doctrina Apoſtolica,quæ idolothytum, fornicationem,ſuffocatum,& ſanguinem,contaminationes gentium vocauit,coniunxit autem (vt hoc quoque obiter obſeruemus) fornicationem cum idololatria, quòd eſſet idololatria fornicatio quædam ſpiritualis;& quòd æquè vtramque fornicationem,corporalem,& ſpiritualem,leges ſæculi non prohiberent. ſpectare verò hanc legem apoſtolicam ſuffocati, & ſanguinis cauendi ad idololatriam prohibendam docuit (vt alios nunc omittam) Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus,grauiſſimus auctor,in quarta catecheſi.vertam Latinè.Caue,inquit,animæ tuæ,ne quæ idolis oblata ſunt , vnquam comedas:de his enim non nobis tantum, ſed iam olim ipſis etiam apoſtolis,& Iacobo eccleſiæ huius epiſcopo cura & ſtudium fuit cauere.Itaque ſcribunt Apoſtoli,& presbyteri ad gentes catholicam epiſtolam, vt in primis idolothytis abſtineant: deinde verò ſanguine,& ſuffocatis.Hæc ille.Habebantur ergo ſanguis, & ſuffocatum,ſiue morticinum,vt eſt in can.Apoſt. LIIII.(ſuffocatum enim hic morticinum complectitur, vt illic morticinum complectitur ſuffocatum) ratione ſanguinis retenti,ſecũdo loco poſt idolothyta Diis ſacrata , quatenus omnis ſanguis,ante etiam quàm idolis libaretur,Diis habebatur dedicatus. Acceſſit pręterea alia quædam propria ratio ſanguinis prohibendi, ſcilicet τὸ θηριῶδες , vt idem quoque Cyrillus notauit,id eſt, quia ſanguis erat victus belluarum, & quorundam immanium Barbarorum , qui ad eſum crudi pertineret,ac proinde ad homicidium aditum prępararet . Sed vt iam ad propoſitam quæſtionem redeam, quòd ſuffocato abſtinendum eſſe ibi iuſſum ſit ante legem, vbi eſt iuſſum non veſci carne cum ſanguine,teſtatur Tertullianus in apologetico cap. 19 . qui propterea quoque,inquit,à ſuffocatis,& morticinis,abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur vel intra viſcera ſepulto. Quòd ſi ſuffocato abſtinemus propter ſanguinem, ergo ſcriptura,quæ ſanguinem prohibet,ſuffocatum ſimul prohibet. Conſuetudine igitur abſtinendi hinc primum orta , & per tot ſuccedentium generationum ſæcula confirmata,& in naturam quodammodo mutata, communiter iam à ſuffocatis,& morticinis abſtinemus:ita vt qui non abſtineat tanquam communis conſuetudinis,& traditionis maiorum contemptor,etſi non tanquam idololatria contaminatus, aut illius apoſtolici de ſuffocatis non veſcendis decreti violator, ſecundum canones pœnitentiales puniatur. Sic enim cautum eſt in canonibus ſiue pœnitentialis Romani, ſiue Theodori, quos Burcardus VVormacienſis in lib.19.de pœnitentia inſcripto,collegit. Neq; ceruus,inquit,neque capreus , ſi mortui inuenti fuerint , comedendi ſunt: aues verò,& cætera animalia ſi in retibus ſtrangulantur,non ſunt comedenda:& ſi quis comederit niſi cogente fame,decem dies pœniteat in pane,& aqua:neque ſi oppreſſerit accipiter, etſi mortua inueniantur; neque ſi piſcis inuentus fuerit mortuus in flumine,non eſt edendus,quia non eſt venatio hominis; & qui comederit , tribus diebus pœniteat in pane,& aqua. Et Vmbertus epiſcopus Siluæ candidæ,legatus Leonis ix. ad Conſtantinopolitanos in eo libro quo Nicetæ Abbati obiicienti nobis decretum illud Apoſtolicum,reſpondit, Nobis,inquit,euangelica,& Apoſtolica auctoritas omnia edenda conſtituit, deinde ſubiungit;Nec hoc dicentes ſuffocatum & ſanguinem nobis contra vos defendimus;antiquam enim cõſuetudinem,ſeu traditionem maiorum noſtrorum diligenter retinẽtes,nos quoque hoc abominamur;adeò vt ſanguine, vel quocunque morticino, aut aquis , vel quacunque negligentia humana præfocato,apud nos aliquando veſcentibus abſque extremo periculo vitæ (id eſt,niſi cùm nimia fames cogit) pœnitentia grauis imponatur,pro eo maximè, quia antiquas conſuetudines,& traditiones maiorum,quæ non ſunt contra fidẽ,leges Apoſtolicas arbitramur, hactenus ille. Sed de his ſcripſimus antea,quãtum ſatis viſum eſt, cùm canonem 62. Apoſtolorũ, aduerſus Magdeburgenſes centuriatores lib.1.defenſionis cap.5.defendimus.

CAP. XIIII. *pag.* 83.

*Scripſimus vobis hanc catholicam doctrinam ad corroborandum vos , quibus epiſcopatus vniuerſalis cõcreditus eſt.*] Non ſic accipiendum eſt quod ait Apoſtolica doctrina, Epiſcopis eſſe concreditum epiſcopatum vniuerſalem ; quaſi vnuſquiſque epiſcopus ſit œcumenicus , & vniuerſalis, aut quaſi omnes ſimul epiſcopatum teneant vniuerſalem : & præter talem epiſcopatum omnium communem , & vniuerſalem , nullus ſit vniuerſalis, qui cæteris omnibus præſit: quorum vtrũque eſt falſum . Petro enim , & eius ſucceſſoribus mandatus eſt vniuerſalis epiſcopatus ab eo

qui ei dixit perſonaliter, vt ait doctus Tertullianus in libro de pudicitia, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam; & poſtea, Paſce oues meas; quod quidem ad oues rationales totius mundi pertinet. Ergo vniuerſalem epiſcopatum dicit epiſcopis commiſſum, ſcilicet per partes, id eſt, ſuam vnicuiq; eorum partem epiſcopatus vniuerſalis: pro qua ita laborare, & cui ita præſidere debet, vt ſuus in ea labor, & pręſidentia ad omnes mundi Eccleſias tanquam ad membra vnius corporis pertineat, iuxta apoſtolicam illam humani corporis analogiam, cuius membra id ipſum, inquit, pro inuicem ſunt ſollicita: etſi patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: & ſi gloriatur vnum membrũ, congaudet omnia membra. Sic intellexit Eleuterius pontifex Romanus, cũ Gallicanis epiſcopis ſcripſit, vobis, inquit, huius rei cauſa vniuerſalis à Chriſto cõmiſſa eſt eccleſia, vt pro omnibus laboretis, & cũctis opem ferre non negligatis. Auctores verò centuriarum in ſecunda centuria, Quomodò, inquiunt, Sedes Apoſtolica primatũ obtinebit, ſi hoc verũ eſt? Repugnare itaq; ſibi hoc loco Pontificem exiſtimant, cũ minimè repugnet; Vobis enim, inquit, commiſſa eſt catholica Eccleſia, ſcilicet cuique veſtrum ſua Eccleſia, illius catholicæ pars, quam ſuſcepit, in qua tanquã lucerna in candelabro poſita, iuxta parabolam Domini, omnibus qui in vniuerſa domo ſunt, luceat tanquã luminare in mũdo, ſicut Apoſtolus ait. Sic B. Cyprianus in libro de vnitate Eccleſię, epiſcopatus, inquit, vnus eſt, cuius à ſingulis inſolidũ pars tenetur. hic eſt epiſcopatus vniuerſalis, cuius ſingulæ partes; id eſt, ſingulæ parœcię ſingulis epiſcopis inſolidũ commiſſæ ſunt; inſolidum verò dixit, quia, vt idem lib. 1. epiſt. 3. ad Cornelium ſcripſit, ſingulis paſtoribus portio gregis aſcripta eſt, quam regat vnuſquiſq;, & gubernet, rationẽ ſui actus Domino redditurus. ipſe verò epiſcopatus vniuerſalis non ſic inſolidum vnicuiq; commiſſus eſt, ſed ex parte. Hinc beatus Gregorius Nazianz. Athanaſium laudans, Creditur, inquit, illi populi Alexandrini præſidentia, quod perinde eſt, inquit, vt ſi dicam, totius orbis præfectura: quia ſcilicet ita præfuit eccleſiæ Alexandrinæ, vt vniuerſo orbi prodeſſet. Fides enim, quã quiſq; epiſcopus prædicare & tueri in eccleſia ſua debet, vna eſt, & catholica. i. vniuerſalis, & ad omnes mundi eccleſias eiuſmodi prædicatio ac defenſio, & conſeruatio pertinet. Simile eſt quod idem Gregorius de beato Cypriano in laudem eius ſcripſit. Non enim, inquit, ſoli Carthaginienſiũ Eccleſiæ præfuit, aut Africæ, quæ merito eius vſque in hodiernũ diem omniũ ſermone celebratur; ſed vniuerſo Occidẽti, immo Orienti ferè ipſi, & meridiei, ac Septentrioni, quocunq; ille admiratione ſua peruenit. Hactenus Gregorius. Satis hic explicauit, qua ratione qui eccleſia Carthaginienſium regendam, tanquam epiſcopus eius ſuſcepit, eidem, iuxta hãc apoſtolicam doctrinam, vniuerſalis eccleſia, ſiue vniuerſalis epiſcopatus cõmiſſus eſſe dicatur; ſcilicet vt ad epiſcopatum vniuerſalem, cuius pars erat Carthaginienſis epiſcopatus. i. ad omnes mundi eccleſias, cũ quibus Eccleſia Carthaginienſis cohęrebat, ſanctitatis illius fama, & ſanctæ gubernationis exemplum, & Catholicæ fidei, ac doctrinæ traditio ad Dei gloriam, & totius corporis Eccleſiæ ædificationem perueniret. Mirabili itaque breuitate. i. vno verbo, apoſtolica doctrina admonuit, quã egregium & arduum opus ſit cuiuſque epiſcopatus, in quo ita laborandum ſit, vt ad omnes mũdi Eccleſias gloria ſanctæ gubernationis, ac catholicę prædicationis lumen, & fructus perueniat. Congruit cũ his illud in actis Apoſtolorũ, cũ ait Paulus, Attendite igitur vobis, & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus epiſcopos regere Eccleſiã Dei, quã acquiſiuit proprio ſanguine: illud enim, in quo poſuit vos, ſignificat propriũ cuiuſque gregem, ſimiliter atq; illud apud Petrũ; Paſcite, qui in vobis eſt, gregẽ Chriſti; id eſt, vnuſquiſque ſuũ. Illud verò, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit proprio ſanguine, ad vniuerſalem Eccleſiam pertinet, quã dilexit Chriſtus; & tradidit ſemetipſum pro ea, vt, ſicut ſcriptũ eſt, ſanctificaret eam. Expoſitum itaque eſt, quemadmodũ ſingulis Epiſcopis vniuerſalis epiſcopatus creditus eſt. ex quo etiã fit, vt vnus quoque ſit vniuerſalis epiſcopus, cui vniuerſalis epiſcopatus, quẽ dicit apoſtolica doctrina, ſpecialiter mandatus eſt. ita vt qui nomen vniuerſalis epiſcopi vni nõ tribuat, doctrinã apoſtolorũ neget: tollit enim epiſcopatũ vniuerſalem, & nomen eius tantũ inane & vacuũ relinquit, ſi epiſcopũ vniuerſalem, qui vniuerſalẽ epiſcopatũ ſuſtineat, tollit: ac cõtradicit Chriſto, & gubernationi eius repugnat, qui poſuit in vniuerſali corpore Eccleſiæ non ſolum pedes, oculos, aures, & manus, ac partes alias, ſed etiam vniuerſale caput vniuerſali corpori accommodatum ac conueniens. Quod quidem vt non dicit pedibus, aut oculis, non eſtis mihi neceſſarii: ſic non poteſt oculus, aut pes dicere manui, non eſt mihi opus te: eſt autem vniuerſale caput ſecundũ vniuerſalem vim moderãdi, & agendi, quę in poteſtatẽ eius ineſt, tanquã vniuerſalis quędam manus myſtica, quę in vniuerſali eccleſia eſt organum organorum, vt aliquid dicam, ex principe philoſophorum mutuatum. Laudemus igitur, & admiremur eum qui, ſicut ait euangelium, talem poteſtatem dedit hominibus. de qua poteſtate plura à nobis in aliis libris ſcripta ſunt.

CAP. XV. *pag.* 83.

*Itaque neq; impiorum baptiſmus vobis probetur.*] & paulò poſt: *Quare qui ab iſtis baptizati ſunt, non baptiſmo initiati, ſed inquinati ſunt.*] Baptiſmum impiorum, vocat hic eum baptiſmum qui non fit in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, qualis eſt baptiſmus qui à piis ſacerdotibus miniſtratur. ſic enim ait Apoſtolica conſtitutio, quæ iubet contentos eſſe vno baptiſmo, qui, inquit, non ab hæretico, ſed à probatis ſacerdotibus fit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Ergo illum baptiſmum improbat; qui non fit in nomine patris & Filij, & Spiritus ſancti;

&illos



& illos vocat hic probatos, ac pios ſacerdotes, qui piè baptizant, vt Dominus præcepit, & docuit. ita vt ſicut baptiſmum baptiſmo opponit, ſic miniſtros vnius baptiſmi, miniſtris alterius. Baptiſmus ſine inuocatione Trinitatis, miniſtratur ab impiis; cũ inuocatione, miniſtratur à piis, & ſanctis. Congruit cũ his quod conſtitutio quoque apoſtolica ait in lib. 7. ca. 44. Poſtquã verò baptizauerit in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, vngat vnctione myſtica; & ſtatim, cap. 45. de eodem baptiſmo, Hæc eſt, inquit, vis appoſitionis manus in vnoquoq; qui baptizatur, niſi enim vnicuique eorum inuocatio à pio ſacerdote adhibeatur, in aquam ſolam deſcendit, vt Iudæus. à pio ſacerdote dixit, vt rurſus intelligeremus, illius impij baptiſmum improbari, in quo nõ adhibetur inuocatio Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Conuenit item hæc conſtitutio cum canone apoſtolorum 46. qui iubet deponere epiſcopum, aut presbyterum, qui acceptarint baptiſmũ hæreticorũ: quorum verò hæreticorum dicat, ex ſubiecta cauſa intelligitur, ait enim: Quæ enim conſenſio Chriſto cum Belial? quod verbum declarat peruerſum, & abſq; iugo. Ex quo intelligimus huiuſmodi hæreticorum baptiſmum improbari, qui peruerſe ac deprauatè baptizant, & non ſecundũ legem Chriſti; cui nolunt eſſe ſubiecti. Conuenit præterea cũ canone 49. qui eſt ex lib. 8. harũ cõſtitutionum, quo excõmunicatur epiſcopus, aut presbyter, qui non fecerit in vno baptiſmo tres merſiones, non quidem materialiter, vt etiam S. Thomas in 3. par. qu. 66. art. 4. rectè intellexiſſe videtur; ſed formaliter: id eſt, qui non baptizauerit in nomine Patris, & baptizauerit in nomine Filij, & baptizauerit in nomine Spiritus ſancti: huiuſmodi enim eſt baptiſmus in trina merſione, formali ſcilicet, quæ vt ad baptiſmũ neceſſaria eſt, ſic illa trina materialis, nõ eſt ita; vt hoc canone non accidentalis, ac variabilis modus baptiſmi, vt quidam putãt, ſed eſſentialis ſancitus ſit. Sic intellexit tria baptiſmata, ſiue tres merſiones Pelagius Papa, cũ ſcribens ad Gaudentium epiſcopũ, euangelium, inquit, præceptũ ipſo Domino Deo, & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto tradente, nos admonet in nomine Trinitatis trina merſione ſanctũ baptiſmum vnicuique tribuere. quem locũ rectè interpretãs S. Thomas in 3. par. q. 66. art. 4. in reſpõſione ad primũ, Pelagius, inquit, Papa intelligit trinam merſionẽ eſſe de mãdato Chriſti, in hoc ſcilicet, quòd Chriſtus præcepit baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Hęc igitur eſt trina merſio formalis, quę vt neceſſaria eſt ad baptiſmũ, ita illa trina materialis, nõ eſt. Sic quoque intellexit B. Chryſoſtomus, cũ ait in homilia de fide in Patrẽ, & Filium, & Spiritũ ſanctũ, omnibus myſteriis veluti ſigillũ imponens Dñs noſter in tribus merſionibus aquæ vnũ baptiſma ſuis diſcipulis tradidit, dicẽs, eũtes docete, &c. Si igitur cũ præcipit Dominus baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, hoc ipſo pręcepit baptizare trina merſione: eſt igitur iſta trina merſio, ipſe baptiſmus factus in nomine Patris, factus in nomine Filij, factus in nomine Spiritus ſancti. & ſynod. Conſtantinop. ca. 7. Eunomianos, qui vna merſionẽ baptizantur, id eſt, in mortem Chriſti, ſicut quidã hæretici tẽpore apoſtolorũ baptizabant, vt ex canone apoſtolorũ 50. intelligi poteſt, pro non baptizatis habet, quia ſcilicet non ſunt baptizati in nomine Patris, & Filij, & ſpiritus ſancti. Sic quoq; intellexit B. Hier. cũ ait, licet ter baptizetur, i. mergatur, propter myſterium Trinitatis, tamẽ vnum baptiſma reputatur. Nõ intellexit materialiter, cũ dixit, licet ter baptizetur, ſed formaliter. idẽ enim declarauit, quomodo acciperet, ter baptizari, id eſt, mergi, ſubiungens ſcilicet propter myſteriũ Trinit. Qui enim licet vnã merſione materiali baptizatur in nomine Trinit. hic trina merſione, formali ſcilicet, baptizatur. Illa enim alioqui vna materialis merſio in vno ſacramento baptiſmi. Materiali enim merſione ſiue vna, ſiue trina baptizare, nihil referre, ſed vtrumque rectum eſſe, & vtrumque irreprehenſibile in ſancta Dei Eccleſia, ſynodus 4. Toletana, cap. 5. auctoritatem magni Gregorij in epiſtola ad Leandrum 41. lib. 1. Regiſtri ſecuta, iudicauit: tametſi, vt eadẽ Synodus ait, quia dũ partes diuerſæ in baptizando aliqua contrario modo agunt, ab aliis nõ baptizatos eſſe contendũt, ad vitandum ſchiſmatis ſcãdalum, vel hæretici dogmatis vſum, quandoquidẽ ab hæreticis infans tertiò mergebatur, ſicut idem S. Gregorius narrat; idcirco eadem ſynodus eundem Gregorium, vt dixi, ſequens, vnam merſionẽ materialem ſanxit, ne videatur, inquit, qui tertiò mergũt, hæreticorum approbare aſſertionem. Obſeruandum eſt ergo, canonem Apoſtolorum iubentem fieri tres merſiones in vno ſacramento baptiſmi, & non vnam baptizando in mortem Chriſti, de trina merſione formali intelligendũ eſſe, nõ de materiali, vt intellexit ſanctus Thomas, neque modum accidentalem, & variabilem ibi ſanciri, ſed eſſentialem. Mirandũ verò eſt, quòd nõ ſic S. Thomas canonem Apoſtolorum intelligendum eſſe putarit, vt Pelagium interpretatus eſt. Clarius adhuc hoc, quod dicimus, intelligi poteſt ex lib. 7. Clemẽtis cap. 42. vbi is qui baptizatur, docetur dicere poſt renunciationem, Baptizor in patrem: baptizor in filium: & baptizor in ſpiritũ ſanctum. Vndè conſequens eſt, vt ſimul doceatur Sacerdos baptizare in patrem, & baptizare in filiũ, & baptizare in ſpiritum ſanctum, quæ Paulus vocat baptiſmata, loquens alioqui de vnius baptiſmo in epiſtola ad Hebræos cap. 6. cũ tamen non ſit niſi vnum baptiſma, ſicut idem ait in epiſtola ad Eph. vt iam baptiſmus qui ſic non fit, is intelligatur vocari hic inquinamẽtum hæreticorum. Præterea, cũ ait apoſtolica doctrina, eos qui ab impiis accipiunt inquinamẽtum (ſic enim, vt diximus, impiorum baptiſmum vocat) fieri participes mentis eorũ, ſatis ſignificat non baptizare illos ſecundũ mentẽ Eccleſiæ; & vt in Eccleſia baptizare didicerũt, ſed ſecundũ mentẽ ſuã, & ſcientiã ab Eccleſia alienam. Vnde de huiuſmodi ſacerdotibus, qui nõ baptizant ſecundũ mentem eccleſię, & ſcientiam

baptizandi;

baptizandi, quã Chriſtus eccleſiæ tradidit, interpretatur apoſtolica doctrina locũ Oſeæ prophetę, cùm ait: Quoniam eiecisti cognitionẽ, ego eiiciã te, ne fungaris mihi ſacerdotio. Ille ergo baptiſmus impiorum ſacerdotũ improbatur tanquã irritus & caſſus, qui nõ ſecundũ ſcientiam eccleſiæ catholicæ, quam magiſter eius Chriſtus eidem tradidit, baptizãt. De eo verò quod ait eadẽ apoſtolica doctrina nõ eſſe ſacerdotes, qui aliter quã Dominus docuit, & præcepit, baptizãt, intelligi poteſt ex eo loco Oſeæ quẽ hoc loco citat; ſic enim ait de impiis ſacerdotib. impiè baptizantib. non enim ſunt ſacerdotes, ſicut Dominus de ipſis ait; Quoniam eiecisti cognitionẽ, & ego eiiciã te, ne fungaris mihi ſacerdotio. Ergo hoc loco nõ eſſe ſacerdotes, ſignificat, tales eſſe, vt digni ſint priuari ſacerdotio. i. vt nõ amplius ſacrificia faciãt: ſicut euenit impiis ſacerdotibus populi Iſraël, qui ducti ſunt captiui Babylonem, vbi non licebat ſacrificare, ſicut Dñs tum per alios, tũ per hũc ipſum prophetã illis minatus eſt. Sed de hoc plura in explanatione lib. 8. ca. 2. CAP. XVII. *pag.* 84.

*Epiſcopum, & presbyterũ ac diaconũ ordinari præcipimus, qui ſint monogami, id eſt, vnius vxoris viri; ſiue vxores eorũ ſuperſtites ſint, ſiue non: poſt ordinationẽ tamen, ſi vxores non habent, præcipimus, vt nõ liceat amplius ducere; aut ſi antea duxerant, non alias in matrimoniũ accipere, ſed potius contentos eſſe, ἤ videlicet habentes, ad ordinationẽ venerunt.*] Plurimũ refert bene interpretari hanc conſtitutionẽ: quæ ſi malè intelligatur, non ſolũ libidinem ſacerdotũ Græcorum defendat, ſed Latinis quoq; ad petendũ, quod cõcedi non poteſt, aditum præparet, & muniat: ſin autẽ bene intelligatur, caſtitatem & cõtinentiã ſacri ordinis ſanciat. Eſt itaq; in Græco ἤ particula, quę ſi accipiatur pro articulo in caſu dandi, iubet cõſtitutio iis qui ſunt ordinis ſacri, contentos eſſe ea quã habentes ad ordinationẽ venerunt. ſic enim quibuſdam Græcis placet accipere. Sic item accepit, qui has ipſas cõſtitutiones ante me in Latinũ ſermonẽ cõuertit; alij Græci aliter accipiũt, vt ſimilitudinẽ ſignificet pro eo, ac ſi diceretur καθὼς, aut καθὰ, aut ὃν τρόπον, quaſi iubeat apoſtolica conſtitutio eo modo habẽdi ſcilicet vxorẽ, cõtentos eſſe, quomodo habentes, ad ordinationẽ venerunt. Itaq; volũt iſti, licere hic vti vxoribus ad cõcubitũ poſt ordinationẽ, vt antè licebat: quòd idẽ modus habendi eas concedatur, vt ipſis videtur. Sed cũ ſit, vt diuinus Dionyſius ait, alienũ à ratione & auerſum à recta via, non quò tendat ſermo, quẽ Scopũ Græci vocãt, ſed voces tantũ attẽdere, cõſiderare hic oportet naturã rei, & conſequentiã ſermonis, vt quæ ſit mens huius cõſtitutionis intelligatur; & verba rebus, quibus ſeruire debẽt, nõ res verbis ſubiiciamus: atque ita ad naturã rei, & ad rationẽ conſequentię vſum verborũ accõmodemus. Sic igitur contẽdo accipiendũ eſſe hãc vocẽ ἤ, nõ quaſi articulus ſit, aut vox ſimilitudinis, immo vox affirmãtis, & explanãtis: vt perinde ſit, quaſi iubeat cõtẽtos eſſe quòd videlicet habentes, ad ordinationẽ venerunt; id eſt, ſufficere hoc eis, habere inquã, ita vt fiat hic quod Apoſtolus talibus iubet, habere tanquã non habẽtes, quod eſt, habere tãtum, id quod iis qui in ordinẽ ſacrum aſciti ſunt, ſecundũ apoſtolicã traditionẽ, & cõſtitutionẽ neceſſariũ eſt. Aſtipulatur huic ſignificationi ipſa ſcriptura dictionis: ſic enim in tribus vetuſtis exemplaribus ſcriptũ erat ἤ, quę nõ ſolũ diſiungẽtis, ſed, vt dixi, affirmantis, & exponẽtis eſt. ſi quis verò perperã ſcriptum dicat, & ſcribendũ eſſe ἤ contẽdat, idẽ efficitur, erit enim vox definientis, vt Latinis eſt quatenus: ita vt iubeat apoſtolica cõſtitutio, quatenus habẽtes, ſcilicet vxores, ad ordinationẽ venerũt, eatenus cõtentos eſſe debere, ſiue hoc eis ſufficere, ſcilicet habere tantũ, nõ enim poſſe accipi ἤ vt referatur ad vxorẽ, cõuincit vox numeri multitudinis participij habẽtes, nõ enim diceret, quã habẽtes, ſed quas habẽtes, ſi relatiuè accipiendũ eſſet, ſiquidẽ nõ plures vxorẽ habẽt, ſed plures viri plures vxores, quiſq; ſuã. hactenus de voce, & ſcriptura eius, ac ſignificatione. Conſideremus deinceps ſeriẽ verborum, & vim. Sic enim intelligendũ eſſe, vt dixi, ratio quoq; ipſius conſequẽtiæ probat. Etenim ſi hæc vox ſed, coniunctio aduerſantis, quæ Græcè eſt ἀλλὰ, cũ dicit ſed potius, quòd habẽtes, & quæ ſequũtur, aliquid contrariũ eius quod proximè anteceſſit, ſignificat, omnino neceſſe eſt hoc ipſum, cõtentos eſſe, ſcilicet habere, pugnare cũ eo quod proximè vetuit hæc ipſa cõſtitutio. i. cũ eo quod eſt ducere alias poſt ordinationẽ: at cõtentos eſſe habere ſimul, & vti, nõ pugnat cũ eo quod eſt, ducere alias poſt ordinationẽ: ſiquidẽ conſuetudo, quã ordinatus habet modò cũ vxore, ſi ita ponamus, non aduerſatur cõſuetudini cũ ea quã poſt ordinationẽ duceret, ſi id quoq; ponamus. Quare cũ ſit ſimilis vtraque cõſuetudo, ſequitur opus eſſe, vt poſt ordinationẽ ſufficiat habere tantũ, & non vti. Habere enim tantũ, aliquid excellentius eſt, & contrarium eius quod anteceſſit, id quod vis vocis ſed, aduerſantis, & ratio ipſius conſequentiæ poſtulat. Siquidem inducendo vxorẽ poſt ordinationẽ, ſi id liceret, ſimul contineretur poteſtas vtendi, cui repugnat habere tantũ vxorẽ, & nõ vti: ad quid enim duceretur, ſi nunquã vti liceret? Deinde ſic eſſe interpretandã hãc cõſtitutionẽ, perſpici poteſt ex natura ipſius ordinis ſacri, cuius eſt propria continentia ſecundũ ſcripturã, & vt ſancta cõcilia, & ſancti doctores eccleſiæ ſenſerũt. Quæ res cũ à me copioſè in ſecundo libro de dogmaticis characteribus tractata, ac demonſtrata ſit, pluribus S. Scripturæ locis explicatis, ac permultis ſanctorum patrũ, ac ſynodorũ ſententiis, & auctoritatibus pro teſtimonio productis, ſatis erit ex illis permultis pauca meminiſſe nunc. Paulus igitur epiſcopos, & presbyteros, quos aliquando communi nomine epiſcoporum appellat, & item diaconos caſtos, & cõtinentes eſſe iubet. Qui enim dixit in priore ad Timotheũ epiſtola, Oportet epiſcopum eſſe caſtum, dixit etiam in epiſtola ad Titum: Reliqui te Cretæ, vt cõſtituas per ciuitates presbyteros, vt ego tibi conſtitui; ſi quis eſt ſine crimine. & quæ ſequuntur. Deinde

ſubiungit:



ſubiungit: Oportet enim Epiſcopũ eſſe ſanctũ, continentẽ. Similiter pręcipit eſſe honeſtos, & graues diaconos: ac ſimiliter vxores ſcilicet presbyterorũ, & diaconorum. Quomodo igitur oportet caſtos; & continentes eſſe eos quibus liceat dare operam liberis? hæc enim pugnant inter ſe. ac rurſus quomodo mulieres ſimiliter pudicas eſſe oportet? quod enim Paulus hoc loco de vxoribus ſacerdotum conſtituerit, ſignificat Clemens in ſecundo libro conſtitutionum, cap. 2. cùm ait, talem eſſe oportere epiſcopum, virũ vnius vxoris, quæ item ſit vnius viri vxor: qui rectè domui ſuæ præeſſe ſciat. Sic enim, inquit, probetur, & excutiatur, cùm in ordinem epiſcoporum aſciſcitur, an ſit pudicus, fidelis, & modeſtus. Deinde ſubiungit planè de vxoribus ſacerdotum loquens, ſicut Paulus, Si vxorem pudicam, & fidelem habet; aut habuit: ſi liberos piè & religioſè educauit. & quæ ſequuntur. Verùm, ſi quis adhuc de continentia ſacerdotum dubitat, audiat Baſilium, cùm ſcribit ad Gregorium presbyterum; habitabat is vnà cum muliere, quæ erat cauſa, vt ſuſpectus meritò eſſet, & ſcãdalo, quaſi nõ eſſet ab omni libidine liber, idq; cũ eſſet octoginta annos natus. Quia igitur nolebat vltro ſe ab eius conſuetudine abducere; iubet magnus Baſilius eiicere eam domo, & in monaſterio collocare, vt eſſet inter virgines. Si quis verò inquirat de qua nã muliere loquatur Baſilius, non opus eſt alio interprete: ipſa epiſtola interpres ſui eſt: de muliere enim loquitur, quæ Gregorio, antequam in ordinem ſacrum cooptatus eſſet, nupſerat. Etenim ſi non de vxore eius loquitur, quare iubet Baſilius collocare eam in monaſterio inter virgines, ſimile aliquid conſtituens, atque eſt in 48. canone ſynodi in Trullo, cùm ait, Vxor eius, qui factus eſt epiſcopus, communi conſenſu à viro ſuo diſiuncta, poſt ordinationem epiſcopalem ingrediatur in monaſterium, quod ſit procul à domicilio epiſcopi ædificatũ. Paulus igitur liberos ac ſolutos ad cælibem vitam hortatur, non tamen iubendo, ſed monendo, ne, ſicut idem ait, laqueum iniiciat: hic enim imperium, laqueus eſt, qui peccatum trahit. Baſilius verò interim non parcens laqueo, ſi iſtis aſſentiendum ſit, iubet liberæ mulieri ingredi in monaſterium, hoc eſt, manere innuptam, & virginitatem ſeruare. Ac rurſus approbat Paulus, & laudat, cũ volunt patres ſeruare filias virgines, ſi videantur filiæ concordes eſſe cum iis ipſis patribus: Baſilius verò iubet presbytero etiam nolenti mulierem, quamuis repugnantem, in monaſterium includere. Si igitur non imperat lex mulieri conſcientiã, quid tandẽ beatus Baſilius imperat ſacerdoti, ſic mulierem liberam cogere, vt quamuis non aſſentiatur, inter virgines tamen adſcribatur? Non cohærẽt hæc. omnibus igitur modis neceſſe eſt, vxorem fuiſſe Gregorij iſtius presbyteri. Præterea etiam indicium huius rei eſt nomen ipſum γυναικὸς, quæ vxorem quoque ſignificat. γύναιον verò, id eſt, vxorculã, hanc vocat, tanquã indignam nomine vxoris, vtpote quã velut ſororem nõ haberet Gregorius, vt oportebat: immò ſuſpicio erat, habere eam ſceleratè, vt vxorem. Etenim vt presbyterũ maritum caſtũ eſſe, & continentem, ſecundum præceptũ Pauli oportebat: ſic etiam vxorẽ eius ſecundũ præceptum eiuſdem, cũ ait, vxores ſimiliter caſtas, & honeſtas: agami enim caſtimonia, vt ſubiungit idẽ Baſilius, in eo conſiſtit, vt non ſit ei conſuetudo cum vxore. agamiã vocat hic, habere vxores ſolo nomine eos qui ſunt ſacri ordinis, id eſt, habere eas vt ſorores, & non amplius vt re vxores. Quare agamos eſt, qui non duxit vxorem: item qui duxit quidem, ſed non facit quę ſolent qui vnà cum vxoribus habitant. Huiuſmodi agamiam, id eſt, vitam cælibem, profitẽtur ſacerdotes & diaconi, qui ante ordinationem vxores duxerunt, & vxores eorum. Tales enim eſſe oportet cooptatos in ordinem ſacrum, tanquam Deo dedicatos, & qui, vt ait diuinus Dionyſius, profitentur nullis corporis appetitionibus operam dare; vt qui habent vxores, ſicut Apoſtolus ait, ſint tanquam nõ habentes. Ergo magnus Baſilius, ne videatur nouum aliquid ſancire, cũ presbytero imperat, vt vxorem, propter ſuſpicionem cõcubitus excludat, producit pro teſtimonio Synodum Nicęnam, inquiens; Neque primi, neque ſoli, ô Gregori, legem tulimus, vt mulier vnà cum viro nõ habitaret: mulierem dixit infinitè, vt de omni muliere ſuſpecta intelligeretur ſiue nupta ſacerdoti vnà habitanti, ſiue non nupta. immo lege, inquit, tertium canonem à ſanctis patribus noſtris in Nicęna ſynodo editum, qui apertè prohibet habere cointroductas. ſic enim ait: Prohibuit in vniuerſum magna ſynodus, vt neque epiſcopo, neque presbytero, neque diacono, neque vlli omnino clerico liceat habere cointroductam, præterquam matrem, aut ſororem, aut amitam, aut eas tantum perſonas quæ ab omni ſuſpicione alienæ ſunt. Hic quoque infinitè dixit Synodus, ſubintroductã, ſiue potius, vt verbum de verbo exprimam, cointroductam, vt omnis fœmina cointroducta intelligeretur, ſiue vxor eſſet, ſiue non: has enim Antiochenſes συνεισάκτους vocant, vt ait Euſebius Cæſarienſis in 7. libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ; ſynodus verò Ancyrana quaſi interpretãs nomen, συνερχομένας vocat, id eſt, congredientes: cuiuſmodi ſunt, quibus miniſtrandi gratia ingredi licet, quocunq; dñs domus ingreditur, & cum eo ſimul ire per omne cõclaue domus. Cùm igitur canõ Nicęnæ ſynodi, quę cointroductas prohibet, vxores nõ exceperit, quę in cointroductis ſecũdũ conſuetudinẽ verbi cẽſentur & numerãtur, cõſequẽs neceſſariò eſt, vt vxores cũ his perſonis, quę lõgè extra ſuſpicionẽ ſunt, cõprehẽſę ſint. de quibus ſubiũgit, vt pręter matrẽ, ſororẽ, & amitã eas tantũ perſonas quę ab omni ſuſpicione liberę ſunt, cũ ſacerdotib. & diaconis habitare liceat. Ex quo ſit, vt cũ veriſimile eſt, credituros eſſe oẽs, quòd qui ſacri ordinis ſũt, nõ habitãt libidinoſè cũ vxorib. immo habent vxores tanquã nõ habentes. i. habẽt eas nõ vt vxores, ſed vt ſorores; licitũ

ſit tunc

ſit tunc vnà cum eis habitare. Reliquis verò Clericis, lectoribus inquam, & cantoribus tantum, ſi cælibes ſunt, licet, ſecundum canonem apoſtolorum, ducere vxores, ſi volunt: cæteras verò cointroductas niſi ab omni ſuſpicione vacuas, habere ſecum non licet. Rurſus hanc magni Baſilij ſententiam confirmat alius canon eiuſdem de diaconiſſa, cùm ait: Nos igitur corpus diaconiſſæ, vtpote Deo conſecratū, non cōcedimus cum viro miſceri. Si ergo eſſe Deo dicatā diaconiſſā, impedimentū eſt, quo minus ei licitum ſit cū viro conſueſcere, in ijs verò, quæ ſimilia ſunt, ratio eadē idē efficit, conſequēs eſt, vt presbyteris, & diaconis, ac hypodiaconis interdictus ſit cōuictus vxorius, ac libidinoſus, quia ſint Deo cōſecrati. Deinde quid abſurdius, quā fœminas alioqui molliores, & infirmiores, carnali cōcubitu prohiberi; robuſtiores verò, ac magis viriles, & perfectiores non prohiberi? Quin potius ſecunda ſynodus Carthaginenſis in tertio canone; Placuit, inquit, vt hi tres gradus, qui vinculo quodam caſtimoniæ propter conſecrationem colligati ſunt, epiſcopi, inquam, & presbyteri ac diaconi continentes ſint in omnibus, vt decet ſanctos epiſcopos Et ſacerdotes ac leuitas, & eos, qui diuinis ſacramentis miniſtrāt. deinde ſubiungit, vt nos ſimiliter cuſtodiamus. Epiphanius verò in ſecundo libro contra hæreſes, ſcribens aduerſus Catharos; Et ipſi, inquit, dum omnia ſimul miſcere voluerunt, omnia rurſus amiſerunt: ac cùm non intelligerent perfectam Dei doctrinam, in errorem lapſi, ad aliam viā ſe verterunt, ignorantes hanc eſſe ſcripturæ diuinæ traditionem, ac conſequētiam. quæ enim tradita ſunt ad ſacerdotium pertinentia propter ſacri miniſterij excellentiam, hæc ad omnes forſitan pertinere arbitrati ſunt; cùm audiſſent oportere epiſcopum ſine crimine eſſe, vnius vxoris virum, continentem: ſimiliter & diaconum, ac presbyterum. Reuera enim ſancta Dei prædicatio poſt Chriſti aduentum non permittit, vt poſt primas nuptias mortua vxore, iterum vxorem ducant, propter præſtantiam honoris ſacerdotalis, atque hæc quidem ſancta Dei eccleſia diligentiſſimè ſeruat: immo & eum, qui adhuc dat operam liberis, alioqui vnius vxoris virum non admittit, niſi illum, qui aut biduus eſt; aut ab vna ſe abſtinet, tum diaconus, tum presbyter, tū epiſcopus, & hypodiaconus: atq; hoc illic potiſſimum ſeruatur, vbi ſunt limati ac perfecti canones eccleſiaſtici. Sed dices mihi, in nōnullis locis adhuc presbyteros, diaconos, & hypodiaconos liberos procreare: at hoc non ex canone profectum eſt, ſed ex inertia, & incuria hominum illius temporis: & quia propter multitudinem hominum non reperiebatur qui miniſtraret. Eccleſia enim, quæ ſemper quod magis decet, videt, & quæ ab ſpiritu ſancto rectè conſtituta, & ordinata eſt, didicit cultum Deo aſſiduè ac ſine intermiſſione adhibendum eſſe, ac miniſteria ſpiritualia omni ſtudio rectæ & beneuolæ conſcientiæ obeunda eſſe; decet, inquam, propter repētini miniſterij neceſſitatem, vt presbyter, & diaconus atque epiſcopus vacent Deo: etenim ſi laicis apoſtolus de hoc præceptum dat, vt ad tempus, inquit, vacent orationi, quanto magis idem ſacerdoti præcipiat? Vacare (dico) aſſiduè Deo in adminiſtrandis, cùm opus eſt, ſpiritualibus, & in fungendo ſacerdotio. Rurſus idem Epiphanius ſcribens contra Nicolaitas, ſic de Nicolao ſcripſit: Habebat, inquit, vxorculam pulchra forma: cumque à conſuetudine eius ſe abſtinuiſſet exemplo eorum, qui Deo dediti erant, perſeuerauit in eo abſtinendi inſtituto ad aliquod tempus: noluit tamen vſque ad extremum incontinentiam ſuam refrenare ac cohibere: quin potius cùm vellet, tanquam canis ad vomitum reuerti, captans ſibi occaſiones quaſdam non honeſtas, excogitabat ad defenſionem libidinis ſuæ ea quæ magis ſibi accommodata erant. Poſtea igitur cùm de propoſito decidiſſet, cum ſua vxore licenter, ac nihil iam curans conſueuit. Hic quoque ſimiliter, vt magnus Baſilius, vxorculam vocauit, quam iſte vt vxorem; non vt ſororem, ſicut lex diuina iubet, habebat. In ea verò epiſtola, quam ad Dionyſium epiſcopum Romanum multi patres ſcripſerunt, cùm Antiochiæ aduerſus Paulum Samoſatenſen conueniſſent, qui clericis ſacri ordinis iubebat vti vxoribus, ſcriptum eſt de cointroductis, quas tum ipſe, tum presbyteri eius, & diaconi habebant: quibus tum hoc, tum multa alia peccata alioqui grauiſſima diſſimulabat, licet eorum conſcius eſſet, & ea deprehendiſſet; ſcilicet vt haberet eos obſtrictos, & obligatos ad conniuendum in iniuriis, quas verbis, & factis inferebat, vt præ timore accuſare eum nō auderent: immo etiam ditauit eos: quæ erat cauſſa, vt ab iis ipſis, qui talia quærebant, diligeretur, & laudaretur. Sed quorſum attinet ſcribere hęc? Scimus, cariſſimi, oportere epiſcopum, & omnem ordinem ſacrum exemplū eſſe vulgo omnium rectè factorum, ac virtutum. Neque illud ignoramus, quàm multi, quia mulieres cointroductas habuerunt, partim lapſi ſunt, partim in ſuſpicionem venerunt. Quamobrem etſi concedamus nihil iſtos impudicum facere; tamen ſuſpicionem, quæ ex hac re naſcitur, cauere illum oportebat, & dare operam, tum ne vllus ſcandalizaretur, tum vt alios ad imitādum commoueret. Quo modò enim iſte obiurgabit, & monebit alterum, ne immoderatè cum vxorę conſueſcat, qui ipſe non cauit labi? qui vnam quidem iam à ſe ſeparauit, duas verò ætate florentes, & venuſta forma apud ſe habet? hactenus epiſtola, quæ in 7. libro Eccleſiaſt. hiſtoriæ Euſebij poſita eſt. Qui rurſus in primo libro euangelicæ demonſtrationis; Secundum leges, inquit, noui teſtamenti non eſt prorſus interdicta liberorum procreatio; immo etiam in hac re conſtituta ſunt nobis ſimilia atque illis olim qui Deo fuerunt cari. Oportere enim, ait ſcriptura, epiſcopum vnius vxoris virum eſſe, verùm in ſacrum ordinem aſcitis, & ſtudio cultus Dei deditis, conuenit, vt deinceps à cōcu-

bitu



bitu vxoris ſe contineant. iis verò, qui non ſunt tam ſacrum munus ſortiti, habenas remittit ſcriptura, quę quaſi clara voce omnibus dicit, Honorabiles nuptiæ, & thorus immaculatus: fornicatores autem, & adulteros iudicabit Deus. Cyrillus verò Hieroſolymitanus ſic in 7. catecheſi ait: Si is qui bene operatur ſacra Domino Ieſu, ab vxore ſe abſtinet; quomodo ipſe Ieſus ex viro atque muliere ortum caperet? Ergo ſi qui rectè operatur ſacra, abſtinet ſe ab vxore, conſequens eſt, vt qui non abſtinet, non bene operetur. Hunc locū Cyrilli imitatus eſt ſanctus Maximus in quęſtionibus, & reſponſis ad Thalaſſiū: Cur enim, inquit, non prohibebātur ſacerdotes legis habere vxores, ſacerdotes verò Chriſti prohibentur quoad concubitum, quia ſcilicet eſt ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedec, de quo non eſt litteris mandatum, duxiſſe vxorem: quare neceſſariò, qui ſecundum ordinem eius ſacerdotio funguntur, non admittunt vxorem. Hæc igitur, & huiuſmodi infinita alia clariſſimè demonſtrant illud, ſed contentos eſſe, ſi, habentes, ad ordinationem venerunt, perinde eſſe, quaſi diceretur, ſed potius ſi habebant vxores, cùm ad ordinationem venerunt, ſatis eſſe eis, ſcilicet habere. Qui verò hic accipiendum putant, contentos eſſe ea quam habebant; aut ſic contentos eſſe habere nunc, ſicut prius; hi traditioni Apoſtolorum atque ipſis Patribus repugnant, ipſa etiam natura, & conſtructione verborum contradicente. Præterea ſacros ordines faciunt ſimiles laicis, quibus Apoſtoli conſtitutionem ſanxerunt lib. 8. cap. 32. vt ſeipſis contenti eſſent; id eſt, mariti vxoribus ſuis, & vxores maritis ſuis; quod eſt à beato Ignatio in epiſtola ad Heronem repetitum. Hactenus de caſtitate ſacrorum ordinum. Siquis verò plura deſiderat, petat reliqua de cælibatu ex libro 2. eorum, quos de dogmaticis characteribus verbi Dei iampridem ſcripſimus, in quo de decimotertio canone ſynodi in Trullo pro viribus reſponſum eſt. legat item quæ ſcripſimus lib. 1. defenſ. can. apoſt. cap. 1. & 2. vbi cùm de Paulo agerem, vtrum vxorem habuiſſet, dixi in vetere interpretatione Latina manuſcripta epiſtolæ Ignatij ad Philadelphienſes, nō eſſe eum locum de vxore Petri, & Pauli, & aliorum apoſtolorum, qui eſt in epiſtola Græca nuper cum alijs Ignatij edita; neſcio quomodo illic oblitus ſum admonere, nec in exemplari Græco manuſcripto vetuſtiſſimo bibliothecæ Mediceæ Florentinæ hunc locum eſſe. immo nec Euſebius Cæſar. hoc legit in epiſtola ad Philadelphienſes, cuius meminit lib. 3. hiſt. eccleſ. cap. 36. coniecturam ex eo facio, quòd eodem lib. 3. cap. 30. Clementem Alexand. dicit propter eos qui nuptias improbabant, recenſuiſſe ex apoſtolis qui vxores habuiſſent, Petrum ſcilicet, Philippum, & Paulum; hoc autem lib. 3. ſtromatum fecit: profectò qui hoc in Clemēte obſeruari voluit, quòd Paulum diceret vxorem cum Petro & Philippo habuiſſe, multò magis obſeruandum eſſe exiſtimaſſet in eo pręſertim loco, ſi in Ignatij epiſtola legiſſet Petrum, & Paulum, & alios apoſtolos vxores habuiſſe. Eadem coniectura eſt de beato Hieronymo, quæ de Euſebio, legit enim Hieronymus epiſtolam Ignatij ad Philadelph. vt ex libro eius de ſcriptoribus eccleſiaſticis perſpici poteſt. in qua ſi hoc de vxore Pauli legiſſet, profectò non diſſimulaſſet: præſertim cùm ipſe idem Hieronymus contrà ſentiat conſtanter. immo dicit in Epiſtola de virginitate ſeruanda, non eſſe audiendos eos qui eum habuiſſe vxorem confingunt, cùm de continentia, inquit, diſſerens, & ſuadens perpetuam caſtitatem, intulerit, volo autem omnes eſſe ſicut meipſum, & quæ ſequuntur. idem ſenſit libro primo contra Iouinianum. Alia etiam coniectura eſt & quidem grauis, ſuppoſitum eſſe hoc de vxore Pauli in epiſtola Ignatij Gręcè, & Latinè edita, quod nec illud eſt in exēplari manuſcripto peruetuſto bibliothecæ Florentinæ Mediceæ, quod paulo pòſt ſequitur, vt milites, & magiſtratus, & Cæſar obediant epiſcopo, quod meritò ante me notauit tanquam aſſictum Kilianus Leib prior monaſterij Robdorfenſis, vir bene in theologia eruditus, ac valdè pius, in epiſtola docta ad Ioannem Cochlæum de quæſtione, an Paulus vxorē habuiſſet, quaſi verò, inquit, mandare potuerit, aut debuerit, Traiano, Hadriano, Diocletiano, Maximino, Decio, alijſque tot tyrannis Cæſaribus, vt epiſcopo eſſent obtemperantes. Hæc ille.

CAP. XIX. *pag. 86.*

*Vt & Saluator aliquando cùm curaſſet vnum leproſum, & rurſus nouem; primo dixit, Abi, oſtende te ſummo ſacerdoti, & offer munus quod iuſſit Moyſes in teſtimonium ipſis: nouem verò rurſus, Ite, oſtendite vos ſacerdotibus.* ] Et hoc quoque videtur nonnullis ab euangelio diſcrepare: ait enim Lucas, & occurrerunt ei decem viri leproſi, & quæ ſequuntur; quos vt vidit, dixit, Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. & factum eſt, dum irent, mundati ſunt. Vnus autem ex ipſis vt vidit quia mundatus eſt, regreſſus, cum magna voce magnificans Deum. & paulo pòſt: Reſpōdens autem Ieſus dixit, Nónne decem mundati ſunt? & nouem vbi ſunt? Matthæus verò ſic ait: & ecce leproſus veniens, adorabat Deum dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare. & paulo pòſt, & mundata eſt, inquit, lepra eius. & ait illi Ieſus, Vade, oſtende te ſacerdoti; & offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis. Quæ autem in hac doctrina ſcripta ſunt, non diſſident ab euangelio, ſed potius illud explanant: Leproſus enim, qui in euangelio Matthæi ſanatus eſt, vnus eſt ex illis decem qui apud Lucam ſanati ſunt; qui, propter gratum animum, ſolus commemoratus eſt, reliquis nouem præteritis, ac ſilentio diſſimulatis, quos Lucas cum vno illó grato, & memore beneficij connumerauit. quod quidem ſpiritus ſancti prouidentia ad vtilitatem legentium euangelium factum eſt. Non enim quæ prius ab aliquo euangeliſta prætermiſſa ſunt, exiſtiman-

da ſunt vtcumque temere prætermiſſa, ſed potius magno conſilio ſecundum ſpiritus ſancti afflatum. Siquidem ſpiritu ſancto inſpirati, ſicut ait princeps apoſtolorum Petrus, locuti ſunt ſancti Dei homines. Igitur cùm dixit Clemens curaſſe Dominum vnum leproſum, & dixiſſe quidem primo, I, oſtende te ſacerdoti, ſummo inquam ſacerdoti ſecundum doctrinam apoſtolicam; rurſus verò dixiſſe nouem illis, Ite, oſtendite vos ſacerdotibus; ſignificat illum vnum leproſum primum fuiſſe inter illos nouem; & quia primus erat, ſcilicet propter præſtantiam grati animi, idcirco ſingulariter à Matthæo commemoratum eſſe: ac rurſus illum ipſum vnum vnà cum nouem illis fuiſſe decem illos apud Lucam. Eſt autem hæc interpretatio, vt mihi quidem videtur, ſancti Epiphanij, ne ſi hoc taceam, furti accuſer, aut tanquam ingratus reprehendar, vt illi nouem leproſi reprehenſi ſunt; ait enim ſcribens contra Manichæos, vnum leproſum propter grati animi memoriam pro decem commemoratum eſſe. fortaſſis Epiphanius, vtpote multum in apoſtolicis conſtitutionibus & earum lectione verſatus, inde hunc ſenſum mutuatus eſt.

*Siquidem Moyſes legiſlator ſimul & princeps ſacerdotum, & propheta ac rex, item Elias ille prophetarum zelotes interfuerunt transfigurationi Domini in monte teſtes aſſumptæ humanitatis Chriſti, & paſſionum eius.*] Quomodo, dicet aliquis, incarnationis, & paſſionis Chriſti teſtes fuerunt Moyſes, & Elias? hoc quoque explanandum eſt, & defendendum à reprehenſione non intelligentium. Interpretatus enim eſt Clemens hoc loco apoſtolicæ doctrinæ, quod Lucas ait in euangelio, cùm transfigurationem Chriſti narrat, & ecce duo viri loquebantur cum illo, erant autem Moyſes, & Elias viſi in maieſtate, & dicebãt exceſſum eius, quem cõpleturus erat in Hieruſalem: dicebant ſcilicet per teſtimonia legis, & prophetarum, quæ erant de exceſſu, ſiue exitu Chriſti in Hieruſalem complendo. exitum verò ſiue exceſſum Chriſti, vt interpres vetus vertit, Græcè ἔξοδον, vocat hic euangelium exitum Chriſti à patre in hunc mundum per incarnationem, qui complendus erat per exitum ex hoc mundo Hieroſolymis, vbi damnatus eſt ad mortem. Vnde Micheas prophetans de exitu Chriſti à patre ad ſumendam carnem complendo per exitum ex hoc mundo, qui erant duo exitus, & tu, inquit, Bethleem Ephratha paruulus es in millibus Iuda: Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël. Deinde ſubiungit, & egreſſus eius, ſiue exitus, aut exceſſus, Græcè eſt ἔξοδοι, numero multitudinis, ab initio, à diebus æternitatis eius. hoc enim dixit, quia, vt ait beatus Cyrillus in commentarijs huius prophetæ, Chriſtus prædeſtinatus, & poſitus eſt Saluator, & liberator à Deo patre, qui non ignorauit ex æternitate, quæ eſſent propter peccatum Adæ euentura. duos itaque exitus Chriſti ſignificauit propheta, vnum in hunc mundum à patre ad ſumendam carnem, & alterum ex hoc mundo; de vtroq; enim ait Ioannes, ſciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad patrẽ vadit; & apertius adhuc ipſe Dominus, pater, inquit, amat vos, quia vos me amaſtis, & credidiſtis, quia à Deo exiui; exiui à patre, & veni in mundũ, hic eſt vnus exitus in mundum, & iterum, inquit, relinquo mundum, hic eſt alter exitus, ſcilicet ex hoc mũdo. Sic Cyrillus lib. xj. in Ioannẽ, à patre, inquit, exiuiſſe dicit, id eſt, homo factus ſum, & ad veſtram naturam deſcendi; quia enim, inquit, aſſumpſit in ſe quod non erat, à patre exiſſe dicitur. igitur quia vita humana Chriſti cœpta per incarnationem, terminata & completa fuit morte, qua exiuit ex hoc mundo, idcirco apoſtolica doctrina Moyſem, & Eliam, qui teſtimonia dicebant legis, & prophetarum de exceſſu Hieroſolymis complendo, qui incarnationem, & paſſionem continebat, dicit fuiſſe teſtes incarnationis, & paſſionis Chriſti, diuinè interpretans locũ euangelij. Sic igitur Dominus in ſua transfiguratione Moyſem, & Eliam, id eſt, teſtimonia legis, & prophetarum per teſtes iſtos adhibuit ad teſtandum veritatem humanitatis aſſumptæ, & paſſionis in vera carne ſuſtinendæ contra futuros hæreticos, qui vtrunque negaturi erant, ſicut Eſaias, vt Cyrillus quoque in commentarijs huius prophetæ obſeruauit, iuſſu Dei duos item teſtes adhibuit, Vriam ſacerdotem, & doctorem legis, & Zachariam prophetam, qui, vt ait idem Cyrill. myſtagogiam legis, & prædicationem prophetarum repræſentabant, cùm ei reuelauit generationem Chriſti ſecundum carnem, & iuſſit ſcribere tomum magnum, & nouum ſtylo hominis. hactenus de teſtibus humanitatis Chriſti aſſumptæ, & paſſionum eius in monte Thabor. teſtimonium verò diuinitatis Chriſti dedit ibidem Deus pater voce delapſa ad eum, hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui. dedit etiam ipſe Chriſtus oſtendens lumen diuinitatis increatum, quod ſancti apoſtoli viderunt, ſcilicet οὐ καθ' ἑαυτὸ, id eſt, non in ſe; ſed in lumine illo creato à Deo: nec enim oportet, cùm Lucas ait, & euigilantes viderunt maieſtatem, ſiue gloriam eius, gloriam creatam interpretari, ego enim, inquit beatus Baſilius in Exaëmero, cùm fenum audio, fenum intelligo, ſimiliter cùm arborem, cùm piſcẽ, cùm beſtiam; ſic cùm gloriam Dei audio, gloriam Dei intelligo quæ increata eſt: & cùm regnum Dei, regnum Dei increatum. Sic enim dictum eſt apud Lucam, viderunt gloriam Dei, ſicut apud eundem paulo antè, ſunt de hic ſtantibus, qui non videbunt mortem, donec videant regnum Dei. Viderunt ergo gloriam Dei, ſcilicet non in ſe, ſed in imagine, & ſymbolo, tanquam in ſpeculo, & regnum Dei, non in ſe, vt dixi, ſed in lumine creato, quod planè intelligo, ſignificatum eſſe apud Marcum, cùm ait, donec videant regnum Dei in virtute veniens, non enim venit καθ' ἑαυτὸ, id eſt in ſe, ſed in miraculo illius luminis diuinitùs creati. Solet enim ſcriptura vocare miracula, δυνάμεις, id eſt, virtutes. itaque ſicut Ioannes Baptiſta vidit hypoſtaſim ſpiritus S.

non



non quidem in ſe, ſed in ſpecie columbæ; & negare non licet, quin ſic viderit ſpiritum ſanctum: ſic non licet negare, quin apoſtoli ſancti lumen diuinum, & increatum viderint, non in ſe, vt dixi, ſed in lumine creato. itaque vt omnes confitentur ſpiritum S. deſcendiſſe, & viſum eſſe deſcendere, ſicut ait euangelium, quia vidi ſpiritum S. deſcendentem ſicut columbam, ſic etiam catholici patres, & item hæretici omnes dicebant oſtenſum, & viſum eſſe lumen diuinum in monte Thabor. Sed catholici, & ſancti patres oſtenſum, & viſum eſſe non in ſe, ſic enim inuiſibile eſſe, ſed viſum eſſe in lumine creato; hæretici verò viſum eſſe in ſe, ac proinde creatum eſſe; inde enim filium Dei cum Arrio creaturam facere volebant. horum principes, & duces fuerunt Barlaam & Acidinus Calabri, quos Synodus Conſt. Ioanne Palæologo, & Ioanne Cantacuzeno Imperatoribus habita, grauiſſimis teſtimonijs plurimorum patrum ſanctorum damnauit. extat hæc Synodus in bibliotheca Vaticana. dicendum itaque eſt de vtroque lumine increato, & creato, quod Dionyſius Areop. in capite de ſacramento chriſmatis de archetypo, & imagine ait, alterum in altero eſſe præter ſubſtantiæ differentiam; ad hoc enim creatum fuit illud lumen quod oculis corporis S. apoſtoli viderunt, vt in eo, quoad fieri poterat, tanquam in imagine illud diuinum inacceſſibile, & archetypon viderent, ſicut Chriſtus ipſe in ſua imagine videtur; videtur, inquam, non in ſe, & propriè, ὑποςατικῶς, ſed impropriè, & σχετικῶς: Chriſtum tamẽ videmus, cùm imaginem eius videmus. Hæc paulo fuſius idcirco expoſui, vt corrigerem quæ de hoc lumine diuino oſtenſo in monte iampridem in Antapologetico meo de reſidentia paſtorum ſcripſeram, cùm nondum hæc ſatis explicata reperiſſem: vt tandem reperi in libro eruditiſſimo, quem Ioannes Cypariſſiotus de expoſitione dictionum theologicarum ſecundum ſeriem, in primis Dionyſium Areop. & alios ſanctos patres ſecutus, magna induſtria, & artificio compoſuit. Is igitur in ſexta decade cap. 5. recitatis pluribus ſanctorum patrum teſtimonijs Theodori cognomento γραπτῶν in libro contra Iconomachos aduerſus Euſebiũ quendam, qui aiebat mutatum fuiſſe Chriſtum in illud lumen Thaborium, item Chryſoſtomi, S. Maximi, & Greg. Nazianzeni. repetens deinde more ſuo ſummatim ſuperiora ſubiungit; interpretabor ad verbum: ex his, inquit, patet, quòd lumen illud quod in Thabor ex Domino fulſit, non erat diuina ſubſtantia, illa enim penitus occulta, & incognita eſt, & inaſpectabilis, & quæ cogitatione comprehendi non poteſt, nec aliquis ex ipſa ſubſtantia defluxus, & ſplendor; diuina enim virtus ſempiterna eſt, quin potius ipſa per ſe virtus nullo modo à ſubſtantia, cuius eſt, diſcernitur, immo quicquid eſt diuina ſubſtãtia, id omne eſt eius virtus. Ergo quia nec hoc, nec illud eſt, relinquitur, vt fuerit adumbratio quædam gloriæ, ac ſplendoris corporis poſt reſurrectionẽ glorificati, ac ſymbolum diuinitatis, quæ in eo latebat, & tenuis imago ipſius gloriæ futuræ, & ſimulacrum regni cælorum, nunc quidem ante tempus reſurrectionis tamquam in miraculo oſtenſi, & in ſpeculo atq; ænigmate; poſtea verò ſpeculis diſiectis, erit in oculis immortalibus, & ab interitu liberis facie ad faciem, & ſicuti ipſe eſt aſpectabili viſione Dei plenus. Non ſignificat ſpectandum eſſe Deum oculis corporis καθ' ἑαυτὸν γυμνοφανῶς, id eſt, ſecundum ſe apertè ac nudè, hoc enim fieri non poteſt, ſed ſpectandum & videndum eum eſſe per corpus Chriſti gloria viſibili repletum; ſic enim videre Deum vocat hic auctor ὁρατὴν θεοφάνειαν. immo ſic videre Deum oculis beatis per aliorum beatorum corpora fieri poſſe, & valde credibile eſſe, ſic nos viſuros, affirmat beatus Aug. vltimo lib. de ciuit. Dei. c. 29. & eum ſecutus, & interpretatus S. Thom. 1. p. q. 12. ar. 3.

CAP. XXIIII. *pag. 19.*

*Neque verò vult, vt per nos tantum lex iuſtitiæ eniteat; ſed voluit, vt per Romanos quoque luceret atq; ſplenderet. Nam & ipſi poſtquam in Dominum Ieſum crediderunt, & à Deorum multitudine atque iniuſtitia deſciuerunt, bonos probant, & prauos puniunt: Iudæos verò cogunt conferre tributum, eóſque legibus ſuis vti non ſinunt.*] Ille horum librorum diligentiſſimus ἐξεταςὴς, quem ſæpe dixi, hæc de Romanis iam Chriſtianis Iudæos coërcentibus, aiebat poſſe in dubitationem venire, vtrúmne magis in tempora Conſtantini conuenirent, quàm in tempora apoſtolorum. ad explicandum ergo ac defendendum ab omni dubitatione locum hunc, valde accommodata ſunt quæ Paulus in epiſtola ad Romanos cap. 1, & in epiſtola ad Philippenſ. ſcripſit. Primum quidem, inquit, gratias ago Deo meo per Ieſum Chriſtum pro omnibus qui ſunt Romæ, quia fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Pro omnibus, inquit Theodoritus Cyri epiſcopus, diuitibus, tenuibus, artificibus, miniſtris, dominis, & magnatibus. deinde ſubiungit idem: Quòd verò eſſent tales aliqui ex credentibus, docet epiſtola ad Philippenſes cap. 4. cùm ait, Salutant vos qui ſunt ex Cæſaris domo. Scribit autem non ijs qui nondum crediderant, ſed qui iam erant Chriſtiani. & paulo pòſt explanans quod apoſtolus ait, agere ſe gratias, quia fides Romanorum annunciabatur in vniuerſo mundo, Non, inquit, hoc aſſentatoriè dicit, ſed quia ita erat; idque magnam vtilitatem auditoribus adferebat: quamobrem gratias pro eo agit Apoſtolus. neque enim quæ Romæ contingebant, cæteras omnes nationes latere poterant, cùm Imperatores Romanorum rerum potirentur, & ea ciuitas Prætores, Proconſules, & Quæſtores ad alias prouincias mitteret. Hæc Theodoritus. Huc pertinet quod Cyrillus Alexandrinus libro quinto Iuliano apoſtatæ calumnianti, quòd eſſent Chriſtiani ſubiecti Romanis; reſpondet, annuiſſe Deum Romanorum

 principatui

principatui, vt omnibus imperare poſſent, quo omnis regio, & ciuitas, & vnà cum alijs ij qui in ſacris regni ſolijs honorifici ſunt, ipſum adorarent, id quod tandem, inquit, re ipſa factum videre licet. Erant igitur, cùm ad Romanos Paulus ſcripſit, qui crederent ex primarijs, immo ex domo Cæſaris, quibus quidem veriſimile eſt mandatos fuiſſe magiſtratus, & imperia, ac iudicia commiſſa, ſicuti Tertullianus in libro de fuga in perſecutione ad Scapulam gentilem teſtatur de Seuero, etſi gentili, occultè tamen, vt ego quidem opinor, credente; ſed & clariſſimas feminas, inquit, & clariſſimos viros ſciens Seuerus huius ſectæ eſſe, non modò non læſit, verùm & teſtimonio exornauit, & populo furenti in os palam reſtitit. Et idem paulo ſuprà, Potes, inquit, ex officio iuriſdictionis tuæ, & humanitatis meminiſſe, vel quia & vos ſub gladio eſtis: quid enim amplius tibi mandatur, quàm nocentes confeſſos damnare; negantes autem, ad tormenta vocare? Hactenus Tertullianus. Item Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus in ſermone de certaminibus & peregrinationibus Petri & Pauli; Cùm tandem, inquit, Romã rediret Petrus, anno ſcilicet Neronis duodecimo, Clementem conſecrauit renuentem, & in cathedra poſuit. deinde ſubiungit; Multi igitur inſignium animoſè obediebant fidei: multæ etiam nobiliũ vxores adijciebantur ijs qui ſalui fiebant. & paulò pòſt: Ira inflammatus, Nero ſcilicet, ſententiam protulit cõtra omnes qui crediderant in Chriſtum, vt morerentur gladio. Milites igitur ceperunt omnes, & ad locum damnatorum duxerunt: ſed Clementem quidem tãquam conſanguineum Cæſaris dimiſerunt. Hæc Sophronius. Non igitur neceſſe eſt ſuſpicari, ſcripta eſſe hæc Conſtantini temporibus, quaſi nõ fuiſſent antea credentes ex Romanis, qui Iudæos coërcerent, & tributa cogerent pendere, cùm ex ijs quæ retulimus, fuiſſe conſtet temporibus Apoſtolorum Romæ nobiles multos credentes, ex domo etiam ac familia Cæſaris: quos quidem iudicia exercuiſſe, & geſſiſſe magiſtratus, vt hæc, quæ Clemens dicit, facere poſſent, nemò cum ratione dubitare poteſt. Laudat itaque hoc loco Clemens in perſona apoſtolorum Romanos, qui crediderant, eodem conſilio & ratione, qua Paulus laudauit in epiſtola ad Romanos, ſcilicet, vt Theodoritus ait, non aſſentatoriè, ſed quia ita erat: idque magnam vtilitatem auditoribus adferebat. Quod autem ille acris animaduerſor aiebat, videri ſcripta eſſe hæc poſt euerſionem templi Hieroſolymitani, cùm iam Petrus, & Paulus, ac Iacobus interfecti erant; immo ita eſt: poſt euerſionem, inquam, templi ſcripta ſunt. Ait enim eueniſſe hoc, vt ſcilicet omni poteſtate à Romanis Iudæi priuarentur, quia ipſi Chriſtum ad mortem depoſcentes, dixerunt; Non habemus Regem, niſi Cæſarem: & niſi interfecerimus Chriſtum, omnes in eum credent, & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem. Deinde ſubiungit Clemens, atque ita factum eſt, vt nolentes prophetarent. & quæ ſequuntur. quæ quidem perſonæ Clementis tribuenda ſunt: ſicuti in euangelio multa loquitur Euangeliſta in perſona ſua.

## IN LIBRVM SEPTIMVM DE VITA COMMVNI CHRISTIANA, ET GRATIARVM ACTIONE, ET DE CATECHESI, AC BAPTISMO.

### CAP. III. *pag. 96.*

*ERunt enim, inquit, duo in carnem vnam; vnum enim ſunt vir, & vxor natura, conſpiratione, coniunctione, affectu, vita, more.*] Ex comparatione eorũ quæ ſecundum eccleſiæ conſuetudinem ex apoſtolica traditione profectã, matrimonium contractũ dirimunt, facilius intelligere licet vnitates iſtas multiplices matrimonij. Cùm enim ſint propriæ, & ſubſtantiales matrimonij, cõſequens eſt, vt impedimenta, quæ matrimoniũ dirimunt, ſint earum contraria, vt rectè tradit S. Thomas 3. par. q. 50. artic. 1. in corpore quæſtionis. Primum igitur fiunt vnum natura, qui matrimonio copulantur, quia fiunt os ex oſſibus, & caro ex carne; id eſt, fiunt velut vnum corpus, & vna anima, lege diuina eos in vnam carnem, & vnam animam conſociante. ſic enim beatus Cyrillus in commentarijs Malachiæ cap. 2. interpretatus eſt. Quo in loco Propheta vxorem vocat participem viri, id eſt, homoſarcon, vt idem Cyrillus interpretatur, quaſi diceret, concarneam. Vnde Paulus ita inquit, & viri debent diligere vxores ſuas ſicut corpora ſua: nemo enim carnem ſuam odio habuit. Quare qui non poterunt fieri os ex oſſibus, & caro ex carne per matrimonium, quia iam ſint prius facti propter conſanguinitatẽ os ex oſſibus, & caro ex carne, ſicut Laban dixit conſobrino ſuo Iacob, ex oſſibus meis, & ex carne mea es tu, nõ poterunt iſti matrimonio copulari. Ad quotum verò gradum ſint cenſendi os ex oſſibus, & caro ex carne, ex eccleſiæ iudicio, & determinatione pendeat, quæ prius quidem conſanguineos vſque ad ſeptimum gradum cenſuit eſſe os ex oſſibus, & carnem ex carne; nunc verò vſque ad quartum. Deinde alia vnitas ineſt in matrimonio, quæ eſt, & dicitur vnitas conſpirationis, id eſt, vt qui matrimonio copulantur, fiant vnum conſenſu. Vnde error perſonæ, & violentia, quæ conſenſum & conſpirationem voluntatum tollunt, natura ſua impediunt matrimonium, & dirimunt. Debent etiam conſpirare ad educandam prolem in fide ſancta. Vnde diſpar cultus ex natura ſua eſt impedimentum ſubſtantiale



tiale matrimonij. Ex quo fit, vt prohibitũ ſit, ne Chriſtianus cum infideli Iudæa aut Gentili matrimonium contrahat: etſi contraxerit, dirimatur. Secus verò, ſi alter eorum ad fidem venit (tunc enim ſi infidelis conſentit habitare cum fideli; Ne, inquit, fidelis dimittat infidelem) cauſſa verò eſt, quòd velle habitare infidelem cum fideli, iam ad cõmunionem ſanctificationis, & vnitatem conſpirationis ad educandos filios in fide, quodam modo pertinet. Sanctificatus eſt enim, inquit Apoſtolus, vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virũ fidelem, alioqui filij veſtri immundi eſſent; nunc autem ſancti ſunt. Eſt alia vnitas matrimonij propria, coniunctio corporum, ſiue commixtio, ita vt neceſſe ſit, vt qui volunt matrimonium contrahere, poſſint ex natura matrimonij, ſi libeat, miſcere corpora, quod vocant, conſummare matrimonium. Vnde impotentia naturalis gerendi, frigiditas, maleficium perpetuum, votum ſollemne, ſacramentum ordinis eccleſiaſtici, impedimenta ſunt ſubſtantialia matrimonij; prohibent enim fieri poſſe vnum coniunctione corporum, quæ eſt naturalis proprietas matrimonij, qua ſublata, neceſſe eſt tolli naturam matrimonij. Eſt præterea alia vnitas propria matrimonij, vnitas ſcilicet affectus coniugalis, ita vt neceſſe ſit, vt qui velint inter ſe contrahere matrimonium, fieri poſſint per matrimonium vnum vnitate affectus; ex quo fit, vt qui iam ſunt prius vnum vnitate affectus, vt ſunt cognati cognatione ſpirituali, quæ ex datione ſacramentorum exiſtit, aut cognati cognatione legali per adoptionem, non poſſint iſti inter ſe contrahere matrimonium; quia ſcilicet illa vnitas anticipata affectus ex cognatione non reliquit locum vnitati affectus ex coniugio; qua ſublata, neceſſe eſt ſublatum eſſe coniugium. Huc pertinere poteſt cognatio ex ſponſalibus, vnde ducitur iuſtitia publicæ honeſtatis dirimens matrimonium. Quando verò, & ad quotum gradum, qui huiuſmodi cognatione ſpirituali, aut legali tenentur, cenſendi ſunt vnum vnitate affectus ex cognatione, quæ vnitas excludat vnitatem affectus coniugalis, ad eccleſiæ iudicium pertineat. Pergamus nunc ad reliquas vnitates. Eſt alia vnitas matrimonij propria, ſcilicet vnitas vitæ, ſiue cohabitationis, vt nunc vocant, quam ſacri canones appellare ſolent indiuiduæ vitæ conſuetudinem, ſiue ſocietatem: neceſſe enim eſt, vt qui inter ſe contrahunt matrimonium, ſint apti nati, ſi velint, ad habitandum vnà. Seruus autem, quia non habet poteſtatem corporis ſui, ſed dominus, non poteſt, etſi maximè velit, habitare cum vxore. Quare ſeruitus, cuius non eſt conſcius qui vult contrahere, impedimentum ſubſtantiale matrimonij efficitur, quia aduerſatur coniugali vnitati vitæ indiuiduæ. Quare neceſſe eſt, vt redintegret conſenſum ſuum, & conſpirationem voluntatis, qui ignorauit, & habeat ratum quod prius fecit ignorans; alioqui matrimonium eiuſmodi iure naturali, ac diuino irritum eſt. At non ſic, ſi ſeruitus non ſit ignorata; vt enim poſſunt coniuges ex conſenſu abſtinere à coniunctione corporum, ſic etiam à cohabitatione, ſi ſcandalum non obſtet. Eſt alia vnitas matrimonij propria, ſcilicet vnitas moris; ita vt qui velint matrimonium contrahere, oporteat, vt poſſint eſſe vnius moris in domo, & non habeant aliquid quod omnino obſtet virtuti, id eſt, quominus poſſint perſeuerare in fide, iuſtitia, & ſanctificatione, ſicut Paulus dixit de vxore in priore epiſtola ad Timoth; quod idem quoque de viro intelligendum eſt. Idcirco minor ætas, quàm ea quæ dicitur adulta, & amentia, atque furiæ, impedimenta ſunt matrimonij; qui enim non ſunt per ætatem plenè liberi arbitrij (quod quidem eccleſia diiudicat, quæ tempus idoneum, & maturum nuptijs præſcribit) aut propter amentiam, & furiam, non ſunt compotes rationis, quia non poſſunt eſſe vnius moris in domo, neque eſſe compotes virtutis, non poſſunt contrahere. Vnde Salomon, Qui ſpondet, inquit, filium ſtultum, contumelia afficit iuſtitiam. Quod enim Deus à principio dixit, Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum; faciamus ei adiutorium ſimile ſibi; non dixit propter generationem tantum, in qua opus eſt vtriuſque coniugis opera, & adiumento, ſed etiam propter virtutis ſtudium, ſicut Apoſtolus ait: Verùm tamen neque vir, inquit, ſine muliere, neque mulier ſine viro in Domino. Cùm Deus igitur ad adiutorium quoque iuſtitiæ mulierem à principio in matrimonium viro dederit, contumelia, vt ait Salomon, afficit virtutem, & Dei opus, qui eum qui non eſt compos, &, vt ita dicam, capax virtutis, matrimonio iungit. Quomodo enim de amente, aut puero licebit dicere eſſe in adiutorium ſimile ſibi? Hinc etiam fit, vt qui vxorẽ ſuam occidit, non poſſit eam in matrimonium accipere cum qua conſuetudinem viuente vxore habebat: neque qui promiſit adulteræ, ducturum ſe eam poſt mortem vxoris, ſimiliter non poſſit cum ea contrahere, quia ſcilicet adulterium cum cæde vxoris, aut cum fide adulteræ data faciunt, vt non poſſint iſti contrahendo matrimonium, effici vnum more, quæ eſt ſubſtantialis proprietas matrimonij, quia repugnant iſta bono fidei, ſiue bono moris, quo debent in vnum coniungi. Sed hactenus de multiplici vnitate matrimonij ad explicationem apoſtolicæ doctrinæ,

### CAP. XXIII. *Pag. 100.*

*Baptizatus eſt, & ieiunauit, non quòd opus eſſet ei ieiunare, aut ſordes eluere, qui natura mundus ac ſanctus erat, ſed vt & Ioanni veritatem atteſtaretur, & nobis normam præberet.*] Non ſignificat verum baptiſmum fuiſſe baptiſmum Ioannis, idque teſtatum eſſe Dominum, cùm ab eo baptizari voluit: hoc enim hæreticorum eſt, qui tradunt baptiſmum Ioannis quaſi perfectum, nihil à noſtro differre; non hoc, inquam, ſignificat; ſed potius quod diuinus Ignatius in epiſtola ad

Epheſios hunc locum imitatus, ſcripſit. ſic enim ait, baptizatum fuiſſe Chriſtum à Ioanne, vt fidem faceret de ea inſtituiſſe quæ commiſſa erat Ioanni. commiſſum enim erat, vt baptizaret aqua in pœnitentiam, ad quam ſic baptizando excitabat; quæ erat catecheſis quædam ad baptiſmum noui teſtamenti ſanciendum. Erat igitur inſtitutio, ac delineatio quædam baptiſmi futuri commiſſa Ioanni, cui Chriſtus præbuit teſtimonium, cùm voluit ab eo baptizari. Hinc ſumpſit Beda, quòd ait fuiſſe Chriſtum baptiſmo Ioannis baptizatum, vt baptiſmo ſuo baptiſmum Ioannis comprobaret: quod ſic eſt intelligendum, vt nos Ignatium ſecuti, interpretati ſumus.

## Cap. XXIIII. *pag. 101.*

*Ieiunia verò veſtra ne ſint cum hypocritis communia: ieiunant enim ſecunda feria, & quinta. Vos autem diebus quinque ieiunate; aut quarta, & ſexta feria.*] Non prohibet hæc apoſtolica conſtitutio ieiunare ſecunda, & quinta feria, vt quidam falſo nuper exiſtimabant, ſed ſic illis diebus ieiunare, vt hypocritæ ieiunabant: vt Phariſæus ille hypocrita, qui aiebat, Ieiuno bis in ſabbato, ſcilicet ſecunda, & quinta feria, vt Theophylactus interpretatus eſt, hanc conſtitutionẽ, vt mihi quidem videtur, ſecutus. Ille enim Phariſæus, vt videretur magnus ieiunator, illos ad ieiunandum dies eligebat, qui præcipuum argumentum lætitiæ, & lautitiæ habebant, iuxta id quod ſcriptum eſt in Num. cap. 10. Siquando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis, ac pacificis victimis. Ac de ſecunda quidem feria ex inſcriptione pſalmi 47. intelligi poteſt, quæ eſt, pſalmus cantici filij Core ſecunda ſabbati; & ex ipſo pſalmo pleno lętitiæ & exultationis; de quinta verò, ex inſcriptione pſalmi 80. quæ eſt, pſalmus ipſi Aſaph quinta ſabbati; & ex ipſo pſalmo pleno item exultationis & gaudij. Igitur hypocritæ Chriſtiani ad exemplum Phariſæorum hypocritarum bis in ſabbato, ſecunda ſcilicet, & quinta feria ieiunantium, bis quoque in ſabbato tempore apoſtolorum, ſecunda ſcilicet, & quinta feria ieiunabant, vt magni ieiunatores viderentur, qui ijs diebus ieiunarent qui careant præcipuo argumento mœroris, & luctus ex paſſione Chriſti; quinta enim feria eſt inſignis dies ſollemnitatis noſtræ, ſicut ſcriptum eſt, cùm fecit rex noſter, iuxta parabolam euangelij, cœnam magnam, deditque nobis carnem ſuam glorioſam ad manducandum; quo die non iubemur ieiunare, tametſi non prohibeamur. Secunda verò feria minus cauſſæ luctus habet, quàm tertia: Siquidem conſilium, quod ſecunda feria, ſicut ait Clemens in quinto libro cap. 14. iniri cœpit contra Dominum, tertia feria, ſicut idem ait, ſtudioſius agitatum eſt. Vnde in eccleſia noſtra non ſecunda feria, ſed tertia in hebdomada ſancta legi conſueuit paſſio. Dominico enim die legitur, tametſi eo die non ieiunamus, quia ille magnificus in ſanctam ciuitatem ingreſſus Iudæos incendit, & irritauit ad paſſionem Chriſti. Iubet igitur apoſtolica conſtitutio ieiunare quarta feria, quòd eo die damnatus eſt Chriſtus ad mortem, & proditio à Iuda promiſſa: & ſexta feria, quòd eo die in crucem actus eſt. Quòd ſi horum dierum ieiunio non fuerint contenti, ieiunent, inquit, totis quinque diebus, in ſingulis enim eſt argumentum luctus. Siquidem ſecunda feria cœptum eſt conſilium contra Dominum, tertia durauit, & creuit; quarta damnatus Dominus; quinta dedit nobis carnem ſuam ad manducandum in memoriam paſſionis; ſexta crucifixus eſt. ita fiet, vt non videantur iſti eligere ad ieiunandum iſtos duos dies, ſecundam ſcilicet, & quintam feriam, propter hypocriſim, prætermiſſis quarta, & ſexta feria, quibus ieiunare iubemur propter maiorem cauſſam luctus, quæ in eos incidit dies.

*Sabbatum, & Dominicum, feſtos dies agitate: illum quidem, quia ſit recordatio fabricationis mundi; hunc verò, quia reſurrectionis.*] Huc pertinet canon Apoſtolorum 64. qui eſt in octauo libro. Si quis, inquit, clericus reperiatur, qui Dominicum diem, aut ſabbatum ieiunet, præter vnum; deponatur: ſin verò laicus fuerit, excommunicetur. Cùm enim ieiunare ſabbatum prohibent Apoſtoli, ſabbatum iubent eatenus feſtum agitare. quod vſque in hodiernũ diem in eccleſia Orientis ſeruatur, ea conſuetudine ex apoſtolica traditione illic relicta. Sed videamus, qua ratione, & quomodo apoſtolica conſtitutio hoc iubeat; ne quis non intelligens quid loquatur, aut de quo affirmet, aut reprehendat, & damnet eam, (quod illi Vrbico accidit, aduerſus quem ad Caſul. Auguſt. ſcripſit) aut nos, qui non ſeruamus; non enim Iudaicè ſecundum litteram, vt à Moyſe iuſſum erat, feſtum eſſe ſabbatum, ſic apoſtolica conſtitutio iuſſit; abſit. quod ipſum clariſſimè perſpici poteſt ex lib. 6. ca. 23. Qui legem, inquit, ſanxerat, vt otio & vacatione ſabbatum agitaretur feſtum propter meditationem legis, nunc iuſſit quotidie gratias Deo agere, legem creationis, & prouidentiæ meditantes. at hoc non fuit ſoluere legem ſabbati, quæ erat in decalogo, ſed adimplere. Conſequens ergo eſt, vt cùm conſtitutio apoſtolica iubet nunc ſabbatum ἑορτάζειν, id eſt, agitare feſtum, quòd ſit recordatio fabricationis mundi, non iubeat hoc facere, vt lex iubebat Iudæis, cùm iam Moſaicum ſabbatum apoſtolica conſtitutio mutatum eſſe dicat in quotidianum ſabbatiſmum ſpiritualem. Cauſſa verò, cur in Oriente hæc conſuetudo à ſanctis apoſtolis relicta ſit ſabbatum celebrandi non otio, & vacatione Iudaica, ac ſeruili, quæ eſſet inſtar vinculi, qualis in Exodo deſcripta eſt, & apud Hieremiam, ſed vt Auguſtinus ad Caſulanũ ſcripſit, ſine ſuperſtitioſa vacatione prandendo, fuit hæc, ſiue, vt Ioannes Caſſianus lib. 3. de inſtitutis cœnobiorum ait, quia ſic viſum eſt ſanctis Apoſtolis, vt laborem vigiliarum, quæ per vni-





uerſum Orientem ſexta ſabbati ſollemnes ſunt, relaxatio ieiunij ſequeretur, ſiue, quia hæreſis Simonis Magi erat, non eſſe mundum opus Dei, vt Sophronius epiſcopus Hieroſolymorum in Synodicis ſcripſit. Accedebat huc, quòd in eo errore philoſophi quoque Græciæ verſabantur. Vnde Paulus in ſermone illo quem Athenis in medio Areopagi fecit, illorum errorem refellens, Deus, inquit, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli, & terræ cùm ſit Dominus, & quæ ſequuntur. Idcircò viſum eſt ſanctis apoſtolis, congruere illis gentibus aduerſus hæreſim Simonis, & errorem philoſophorum, conſuetudinem, ſabbatum, in quo Deus à mundi ædificatione requieuiſſet, celebrandi feſtiuè, ad recordationem eius, & omnium quæ Deus hominibus cum eo largitus eſt. Acceſſit ad hanc cauſſam altera etiam grauiſſima reſurrectionis corporum, quæ, vt diuinus Dionyſius in libro de diuinis nominibus ca. 6. de vita ſcribit, res præter naturam viſa eſt antiquis philoſophis, qui naturam, quæ cernitur, non diſtinguebant hic à natura omnipotente, quæ non cernitur. hanc quoque reſurrectionem idem Simon Magus, vt in eodem loco Dionyſius teſtatur, rationibus à ſenſu mutuatis ſtultè oppugnabat. Vnde idem apoſtolus in eodem ſermone Athenis contra philoſophos habito poſt fidem creationis mundi, fidem quoq; reſurrectionis propoſuit, & annunciauit, inquiens: Nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eò quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate in viro in quo ſtatuit fidem prębens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis. Deinde ſubiungit Lucas: Cùm audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, & quæ ſequuntur, &c. Viſum igitur eſt eiſdem ſanctis apoſtolis hanc quoq; conſuetudinẽ illis regionibus aduerſus Simonis hęreſim de reſurrectione, & philoſophorum Græciæ de ea falſam doctrinam conuenire, vt reſurrectio Domini, quæ die Dominico facta eſt, illic plenius adhuc, quàm apud nos, propter maiorem cauſam ab ipſo ſabbato celebrari & honorari inciperet. Hanc cauſſam ne quis à me excogitatam putet, Ioannes Damaſcenus in libello de ieiuniis ad Cometam attulit. Loquens enim de ieiunio quadrageſimæ, Sabbatis quadrageſimæ, inquit, & Dominicis abſtinentia à quibuſdam cibis ſancita eſt, διὰ τὸ ἐπικρατὲς τῆς ἀναστάσεως, id eſt, quia præualet reſurrectio, quia vincit, inquam, cauſſa lætitiæ, ex reſurrectione ad ſoluendum ieiunium. Eadem ergo cauſſa eſt, auctore Damaſceno, non ieiunandi Dominicis, & ſabbatis quadrageſimæ, licet à quibuſdam cibis, id eſt, à carne; & ouis, ac lacte abſtineant, ſcilicet reſurrectio Domini, quæ cùm die Dominico facta ſit, à ſabbato incipit in Oriente plenius celebrari; non ieiunare autem, nemo eſt qui non intelligat ad lætitiam feſtiuam pertinere. hoc ipſum quoque ex canone 91. ſextæ ſynodi intelligi poteſt, qui iubet poſt veſperam ſabbati finito completorio vſque ad veſperam Dominici ſequentis non flectere genua in honorem ſcilicet reſurrectionis Domini, idque ſecundum conſuetudinem illi eccleſiæ traditam. Illud quoque addam, videri mihi Damaſcenum accepiſſe hanc cauſſam à beato Ignatio, cùm in epiſtola ad Philippenſes ait, videri tanquam Chriſti interfectorem, qui die Dominico, & ſabbato ieiunet; quaſi eadem cauſſa exiſteret nõ ieiunandi die Dominico, & ſabbato, nempe reſurrectio, quam negare videtur tanquam interfector Chriſti, qui diem Dominicum non agitat feſtum ieiunando in eo: etenim ſi propter ſolam creationem mundi, à qua Deus ſabbato requieuit, non eſt ibi ſabbato ieiunandum, vbi ea conſuetudo à ſanctis apoſtolis relicta eſt, de qua beatus Ignatius loquitur; ergo illa ratio interfectionis, quæ in ieiunantem die Dominicæ reſurrectionis conuenit, nõ conuenit in ieiunãtem ſabbato, vt quidem beatus Ignatius conuenire voluit, ſiquidem vtrumq; interfectorem Chriſti eſſe dixit, qui die Dominico, & qui ſabbato ieiunaret. Hæ igitur cauſſæ extiterunt cõſuetudinis ieiunandi ſabbato in eccleſiis Orientalium; quam quidẽ nos conſuetudinem, propter apoſtolicam traditionem, canone Apoſtolorum 64. ſancitam, defendimus: qui enim illam accuſet, canonem quoque Apoſtolorum accuſet neceſſe eſt: vt rurſus qui canonem defendat, illam quoque conſuetudinem neceſſe eſt defendat. in qua non cernitur vlla Iudaica obſeruatio, non magis, quàm apud nos cernitur, cùm eoſdem dies ſollemnes, & feriatos, id eſt, quietos habemus à 14. luna magnæ hebdomadæ vſque ad vigeſimam primam. Aliud enim, inquit Vmbertus, innuit Iudæis, aliud nobis. illis dati ſunt in memoriam egreſſionis ſuæ ex Ægypto: nobis autem in memoriam egreſſionis noſtræ ex hoc mundo, vt vacemus, & videamus, quoniam ipſe eſt Deus, qui nos de tenebris vocauit in admirabile lumen ſuum, conreſurgere, & conſedere nos ſecum faciens in cæleſtibus: & vt inſtar lunaris globi, incipiamus lumen cordis noſtri, id eſt, rationem à terrenis auertere, & conuertere ad cæleſtia, ſicque ſapiendo, & quærendo reuiuiſcamus Deo, & moriamur mundo. His enim verbis reſpondit Græcis Vmbertus epiſcopus, legatus Leonis IX. qui putabant nos cum Iudæis communicare in vſu azymi, quo vtuntur in ſacro ſacerdotes, & quo Iudæi per illos dies iuxta legem Moyſis veſcebantur. Hoc dicendum eſt de ſabbatis. alia ratione in eis Iudæi non ieiunabant, alia Orientales Chriſtiani non ieiunant. hoc ipſum quoque ſenſit eruditiſſimus auctor, & valde antiquus, Tertullianus, qui his verbis Chriſtianos Orientis diem ſabbati celebrantes, vt nos Dominicum, quem diem Solis vocat, cap. 16. ſui apologetici defendit, æquè ſi diem Solis lætitiæ indulgemus, alia longè ratione, quàm religione Solis. deinde ſubiungit, de Chriſtianis celebrantibus diem Saturni, id eſt, ſabbati; ſecundo loco ab ijs ſumus, qui diem Saturni otio

& victui decernunt, exorbitantes & ipſi à Iudaico more, quem ignorant. Hactenus Tertull. Sed qui conſtitutionem apoſtolicam de non ieiunando ſabbatis explicamus, & conſuetudinem ex ea Orientalibus propter eas, quas dixi, cauſſas à ſanctis apoſtolis relictam defendimus, an canonem ſextæ ſynodi 55. defendimus? in quo conſuetudo eccleſiæ Romanæ ieiunandi ſabbatis quadrageſimæ, quaſi ab apoſtolica traditione aliena, reprehenditur, & damnatur? minimè, immo apocryphum, & falſum eſſe conſtat, & in inuidiam eccleſiæ Romanæ ab æmulis eius factum. ſic enim ait: Quia didicimus in ciuitate Romanorum in quadrageſimæ ſabbatis ieiunari præter ordinem eccleſiæ traditum; viſum eſt ſanctæ ſynodo, vt in eccleſia Romanorum ratus & firmus ſit canon apoſtolorum. Siquis clericus inuentus fuerit, qui Dominico die, aut ſabbato ieiunet, vno ſolo excepto, magnæ ſcilicet hebdomadis, deponatur: ſi laicus fuerit, excommunicetur. At nos talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſia Dei per totum ferè Occidentem: immo non ſolum ſabbatis quadrageſimæ integro ieiunio ieiunamus, ſed reliquis etiam ſabbatis extra quadrageſimam, à carne ſaltem, omnino abſtinemus, quod eſt quoddã ieiunium imperfectum, ſicut Ioãnes Damaſcenus in eodem libello de ieiunijs vocat, & Tertullianus in libro de ieiunio contra Pſychicos vocat ieiunium portionale, quod Græci in ſabbatis tantum quadrageſimæ ſeruant. illos verò centum & tres canones, qui ſextæ ſynodi feruntur, CL. Patres, qui in ſexta ſynodo contra Monothelitas Agathone congregati ſunt, non ediderunt, ſed alij poſt 24. annos, vt Theophanes Taraſij Conſtantinopolit. Patriarchæ Syncellus, & Anaſtaſius Bibliothecarius eum ſecutus, ſubiecta ratione temporum, etiam indictione canonis 3. adſtipulante, clarè demonſtrarunt, vt à me in libro de actis & canonibus 6. Synodi, & actis 7. copioſius expoſitum eſt. Igmarus quoque archiepiſcopus Rhemenſis, qui tempore Nicolai primi vixit, teſtatur in libro de quibuſdam canonicis capitulis, nullos canones ſextam Synodum, præter ſex, feciſſe. Vmbertus item Leonis IX. legatus, Nicetæ presbytero nobis hunc canonem contra ieiunium ſabbati obijcienti, ſic reſpondet: Vnde nos ſcientes 6. Synodum ad deſtruendam hæreſim Græcorum Monothelitarum, non ad tradendum Romanis nouas inſtitutiones, congregatam, capitula, quæ nobis ſub eius auctoritate opponitis, omnino refutamus: quia pª. & apoſtolica ſedes nec aliquando ea accepit, nec obſeruat hactenus. idem ſentiendum eſt de quibuſdam alijs eiuſdem Synodi capitulis, quæ ab eccleſiaſticis decretis eccleſiæ Romanæ diſcrepant. Quid igitur ille canon apoſtolorum, qui in illo canone 6. Synodi citatus eſt, clericum, ſi ſabbato ieiunet, deponit; & laicum excommunicat? Dixi ſuprà, ne conſuetudinem eccleſiaſticàm totius Orientis damnemus, quam eccleſia Romana nunquam hactenus damnauit, neceſſe eſſe canonem illius conſuetudinis non damnare: quem tamen Græci ſi ad eccleſiam Romanam pertinere dicunt, iam repugnantia dicunt, & auctoritatem ſui canonis per contentionem, & ignorantiam tollunt, dum ad nos pertinere contendunt, quibus conſuetudinem ipſius canonis contrariam ijdem ſancti apoſtoli conuenienter nobis tradiderunt: aliæ enim conſuetudines in alium ſtatum temporum, alijs locis quadrare viſæ ſunt ſanctis apoſtolis. Vnde ſanctus Maximus in ſcholijs ſuis in Dionyſium Areopag. cùm de baptiſmo agit; Si, inquit, Dionyſius aliquando tradit diuerſa ab ijs quæ in eccleſia cernuntur, non eſſe mirandum, ſed credendum potius, illorum temporum ſtatui congruiſſe. & beatus Auguſtinus in epiſtola ad Ianuarium, De ijs quæ variè per diuerſa loca ſeruantur, vnam ait ſaluberrimam regulam eſſe retinendam, vt quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus; ſed etiam laudando, & imitando ſectemur: ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum non ſit. Itaque neque nos cùm ſabbatis, etiam extra quadrageſimam, à carne ſemper abſtinemus, quod, vt dixi, quædam pars ieiunij eſt, traditionem eccleſiæ Orientalis de ſabbatis violamus, quia non eſt communis totius eccleſiæ: neque ipſi Orientales traditionem noſtram. Nouit huiuſmodi differentiam traditionum ſynodus Gangrenſis, quæ ſic ſanxit canone 18, Siquis ſine neceſſitate corporali propter elationem ieiunia in commune tradita, & ab eccleſia obſeruata ſoluerit, & improbauerit, ſit anathema. Ieiunia enim in commune tradita, ab ijs diſtinxit quæ non in commune vniuerſali eccleſiæ tradita ſunt, vt ieiunia noſtrorum ſabbatorum. eadem itaque ratione in eccleſia noſtra anathema ſit ſecundum canonem apoſtolicũ, qui Dominico die ieiunet non quidem δι᾽ἄσκησιν, id eſt, propter virtutem abſtinentiæ, ſic enim omni die, etiam Dominico, vt ait S. Epiphanius, ieiunare licet, ſed δι᾽ἀτιμίαν, id eſt, ad contumeliam reſurrectionis, quà in eccleſia Græcorum anathema eſt, qui ſabbato, & Dominico ieiunet. Sed quia non ſolum apoſtolica conſtitutio ſabbatis iubet non ieiunare, quod ad lætitiam diei feſti pertinet, ſed vacare etiam lib. 8. cap. 33. iubet; nequis de vacatione Iudaica, & ſuperſtitioſa falſo interpretetur, quale otium ſit illud, & quorſum ſpectet illa vacatio, ex ipſa apoſtolica conſtitutione clarè intelligi poteſt: ſic enim ait: Sabbato, & Dominico vacent in eccleſia, propter doctrinam de religione. Sabbatum enim repræſentat creationem; dies verò Dominicus reſurrectionem. Nihil hic ſancitur de otio ſabbati extra eccleſiam Iudaico. Si enim hac ratione ſabbato vacandum eſt illis, vt vacet audire in eccleſia doctrinam de religione, ſi eo die conuentus eccleſiaſtici fiant, quis dicat otium illud ſab-

bati in



bati in eccleſia Iudaicum eſſe, & ad cultum veteris ſabbati pertinere? cùm doctrina de religione, quæ in eccleſia ſolet tradi, hoc in primis doceat, vetera tranſiſſe, & facta eſſe omnia noua? Synodus Laodicenſis cap. 29. Non oportet, inquit, iudaizare Chriſtianos, & vacare in ſabbatis, ſed operari in eo die, & diem Dominicum præhonorantes, vacare vt oportet. Si autem inuenti fuerint iudaizantes, ſint anathema apud Chriſtum. Hactenus canon, integer ex exemplari Græco manuſcripto, qui planè prohibet vacare ſabbatis Iudaicè, vt quidem vacaret qui putaret non licere laborare vllo modo ſabbato propter veterem illam ſanctificationem ſabbati, quæ tota ad myſterium nouæ creationis iam factæ, & ſpiritualis, ac cæleſtis quietis ſignificandæ adumbrandum ſpectabat; quod quidem nihil aliud eſſet, quàm euangelium cum iudaiſmo more Nazaræorum velle coniungere, & Antichriſti præcurſores eſſe, quales fuiſſe videntur de quibus Gregorius in epiſtola ad ciues Romanos ſcripſit; Peruenit ad me, quoſdam peruerſi ſpiritus homines praua inter vos aliqua, & ſanctæ fidei aduerſa ſeminaſſe, ita vt die ſabbati aliquid operari prohiberent; quos quid aliud, niſi Antichriſti prædicatores dixerimus, qui veniens diem ſabbati atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri? Quia enim mori ſe, & reſurgere ſimulat, habere in veneratione vult diem Dominicum: & quia populum iudaizare compellit, vt exteriorem legis ritum reuocet, & ſibi Iudæorum perfidiam ſubdat, coli vult ſabbatum. Hactenus S. Gregorius. Hæc eadem Nicolaus primus ad conſulta Bulgarorum cap. 10. reſpondit: Noſſe, inquit, cupitis, ſi liceat alicui ſabbato, vel Dominico laborationem aliquam exercere. de hoc ſanctus papa Gregorius Romanos alloquens ait: Peruenit, & quæ ſequuntur, paulo antè recitata. Deinde ſubiungit idem Nicolaus, hoc enim quod per Prophetam dicitur, Ne inferatis onera per portas veſtras die ſabbati, tamdiu teneri potuit, quãdiu legem licuit iuxta litteram cuſtodiri. At poſtquam gratia omnipotentis Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti apparuit, præcepta legis, quæ per figuram dicta ſunt, iuxta litteram ſeruari non poſſunt. nam ſi quis dicit hoc de ſabbato eſſe ſeruandum, dicat neceſſe eſt etiam carnalia ſacrificia perſoluenda: dicat præceptum quoque de circumciſione corporis adhuc vſque retinendum. Sed contra ſe Paulum audiat dicentem; ſi circumcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit. Nos itaque quod de ſabbato ſcriptum eſt, ſpiritualiter accepimus, ſpiritualiter tenemus. Sabbatum enim requies dicitur. Verum autem ſabbatum ipſum redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum Dominum habemus; & qui lucem fidei eius cognoſcit, ſi peccatum concupiſcentiæ ad mentem per oculos trahit, in die ſabbati onera per portas introducit. Non ergo in die ſabbati onera per portas introducimus, ſi in redemptoris noſtri gratia conſtituti pondera peccati ad animam per ſenſus corporeos non trahamus. nam idem Dominus, ac redemptor noſter multa in die ſabbati legitur operaſſe, ita vt Iudæos reprehẽderet, dicens, Quis veſtrum bouem, aut aſinum ſuum non ſoluit in die ſabbati, & ducit adaquare? ſi ergo ipſa per ſe veritas non cuſtodiri iuxta litteram ſabbatum præcepit, quiſquis otium ſabbati, iuxta litteram cuſtodit, cui alteri niſi ipſi veritati contradicit? Dominico verò die à labore terreno ceſſandum eſt, atque omnimodo orationibus inſiſtendum, vt quicquid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis Dominicæ precibus expietur. Hactenus Nicolaus. Bulgari ergo, qui nationis Græcorum ſunt, quia ſciebant in eccleſia Græcorum liberum eſſe à ieiunio ſabbatum, idque ad rationem feſti diei pertinere, de otio, & vacatione ſabbati opportunè Pontificem conſuluerunt; quod quidem otium Pontifex iuxta litteram, & carnaliter cuſtodire fas eſſe negat; vt neque Græci hodie cuſtodiunt: quare ſi dicant ſe non affligi ieiunio ſabbatis, immo nec opere corporali toto die fatigari (audio enim poſt veſpertinæ horæ preces ſolere relaxare opus, & labores, quod in nonnullis quoque locis Occidentis ſit) non propter vmbram ſabbati veteris, quæ iam præteriuit, ex quo venit, vt S. Epiphanius vocat, magnum ſabbatum Dominici diei, in quod illud paruum mutatũ eſt, & quæ fuit cauſſa obſeruandi tunc ſecundum litteram, id eſt, otio carnali illud vetus ſabbatum, ſed potius propter nouæ creaturæ, & Dominicæ reſurrectionis lætitiam à ſabbato incipientem, non debemus eos damnare, aut iudicare, quos hoc nomine à ſanctis pontificibus, aut concilijs neque damnatos legimus nec accuſatos, ſed potius defendere, vt beatus Auguſt. contra Vrbicum defendit; neque canonem, quem illi tenent, & ſeruant, negare oportet Apoſtolorum eſſe; ſatis eſt dicere non eſſe traditum εἰς τὸ κοινὸν, id eſt, in commune, vt quædam ſunt eccleſiæ tradita, quod Synodus Gangrenſis, vt ſuprà dixi, notauit. Quòd ſi qui hunc canonem apoſtolorum eſſe aliquando contra Græcos diſputantes negarunt, ideò fecerunt, quòd quaſi in commune traditum ad nos quoq; Græci eum pertinere volebant. quod falſum eſt, & reſpuendum. Item ſi ſabbati obſeruationem aliquando tanquam Iudaicam ijſdem exprobrarunt, hoc quoque fecerunt, quia illi ipſi Græci non verebantur nobis obijcere, quòd iudaizaremus in azymo. Deniq; vt hunc locum finiam, Nicolaus primus in reſponſis ad conſulta Bulgarorum cap. 4. & 5. ſexta feria ab eſu carnis abſtinere iuſſit, non tamen ſabbato, quia ſciebat eccleſiæ Græcorum traditionem, & apoſtolicum canonem.

## CAP. XXV. *pag. 102.*

*Ter die in hunc modum orate, præparantes vos, vt digni ſitis adoptione Dei patris.*] Quomodo, dicet aliquis, præcipiunt Apoſtoli ter die orare, cùm eorum magiſter in Euangelio Lucæ cap. 18. dixerit, oportere ſemper orare, & nunquam deficere; & coapoſtolus Paulus 1. Theſſ. cap. 5. præ-

cipiat

& victui decernunt, exorbitantes & ipſi à Iudaico more, quem ignorant. Hactenus Tertull. Sed qui conſtitutionem apoſtolicam de non ieiunando ſabbatis explicamus, & conſuetudinem ex ea Orientalibus propter eas, quas dixi, cauſſas à ſanctis apoſtolis relictam defendimus, an canonem ſextæ ſynodi 55. defendimus? in quo conſuetudo eccleſiæ Romanæ ieiunandi ſabbatis quadrageſimæ, quaſi ab apoſtolica traditione aliena, reprehenditur, & damnatur? minimè, immo apocryphum, & falſum eſſe conſtat, & in inuidiam eccleſiæ Romanæ ab æmulis eius factum. ſic enim ait: Quia didicimus in ciuitate Romanorum in quadrageſimæ ſabbatis ieiunari præter ordinem eccleſiæ traditum; viſum eſt ſanctæ ſynodo, vt in eccleſia Romanorum ratus & firmus ſit canon apoſtolorum. Siquis clericus inuentus fuerit, qui Dominico die, aut ſabbato ieiunet, vno ſolo excepto, magnæ ſcilicet hebdomadis, deponatur: ſi laicus fuerit, excommunicetur. At nos talem conſuetudinem non habemus, nec eccleſia Dei per totum ferè Occidentem: immo non ſolum ſabbatis quadrageſimæ integro ieiunio ieiunamus, ſed reliquis etiam ſabbatis extra quadrageſimam, à carne ſaltem, omnino abſtinemus, quod eſt quoddã ieiunium imperfectum, ſicut Ioãnes Damaſcenus in eodem libello de ieiunijs vocat, & Tertullianus in libro de ieiunio contra Pſychicos vocat ieiunium portionale, quod Græci in ſabbatis tantum quadrageſimæ ſeruant. illos verò centum & tres canones, qui ſextæ ſynodi feruntur, CL. Patres, qui in ſexta ſynodo contra Monothelitas Agathone congregati ſunt, non ediderunt, ſed alij poſt 24. annos, vt Theophanes Taraſij Conſtantinopolit. Patriarchæ Syncellus, & Anaſtaſius Bibliothecarius eum ſecutus, ſubiecta ratione temporum, etiam indictione canonis 3. adſtipulante, clarè demonſtrarunt, vt à me in libro de actis & canonibus 6. Synodi, & actis 7. copioſius expoſitum eſt. Igmarus quoque archiepiſcopus Rhemenſis, qui tempore Nicolai primi vixit, teſtatur in libro de quibuſdam canonicis capitulis, nullos canones ſextam Synodum, præter ſex, feciſſe. Vmbertus item Leonis IX. legatus, Nicetæ presbytero nobis hunc canonem contra ieiunium ſabbati objicienti, ſic reſpondet: Vnde nos ſcientes 6. Synodum ad deſtruendam hæreſim Græcorum Monothelitarum, non ad tradendum Romanis nouas inſtitutiones, congregatam, capitula, quæ nobis ſub eius auctoritate opponitis, omnino refutamus: quia p^a. & apoſtolica ſedes nec aliquando ea accepit, nec obſeruat hactenus. idem ſentiendum eſt de quibuſdam alijs eiuſdem Synodi capitulis, quæ ab eccleſiaſticis decretis eccleſiæ Romanæ diſcrepant. Quid igitur ille canon apoſtolorum, qui in illo canone 6. Synodi citatus eſt, clericum, ſi ſabbato ieiunet, deponit; & laicum excommunicat? Dixi ſuprà, ne conſuetudinem eccleſiaſticàm totius Orientis damnemus, quam eccleſia Romana nunquam hactenus damnauit, neceſſe eſſe canonem illius conſuetudinis non damnare: quem tamen Græci ſi ad eccleſiam Romanam pertinere dicunt, iam repugnantia dicunt, & auctoritatem ſui canonis per contentionem, & ignorantiam tollunt, dum ad nos pertinere contendunt, quibus conſuetudinem ipſius canonis contrariam ijdem ſancti apoſtoli conuenienter nobis tradiderunt: aliæ enim conſuetudines in alium ſtatum temporum, alijs locis quadrare viſæ ſunt ſanctis apoſtolis. Vnde ſanctus Maximus in ſcholijs ſuis in Dionyſium Areopag. cùm de baptiſmo agit; Si, inquit, Dionyſius aliquando tradit diuerſa ab ijs quæ in eccleſia cernuntur, non eſſe mirandum, ſed credendum potius, illorum temporum ſtatui congruiſſe. & beatus Auguſtinus in epiſtola ad Ianuarium, De ijs quæ variè per diuerſa loca ſeruantur, vnam ait ſaluberrimam regulam eſſe retinendam, vt quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus; ſed etiam laudando, & imitando ſectemur: ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum non ſit. Itaque neque nos cùm ſabbatis, etiam extra quadrageſimam, à carne ſemper abſtinemus, quod, vt dixi, quædam pars ieiunij eſt, traditionem eccleſiæ Orientalis de ſabbatis violamus, quia non eſt communis totius eccleſiæ: neque ipſi Orientales traditionem noſtram. Nouit huiuſmodi differentiam traditionum ſynodus Gangrenſis, quæ ſic ſanxit canone 18, Siquis ſine neceſſitate corporali propter elationem ieiunia in commune tradita, & ab eccleſia obſeruata ſoluerit, & improbauerit, ſit anathema. Ieiunia enim in commune tradita, ab ijs diſtinxit quæ non in commune vniuerſali eccleſiæ tradita ſunt, vt ieiunia noſtrorum ſabbatorum. eadem itaque ratione in eccleſia noſtra anathema ſit ſecundum canonem apoſtolicũ, qui Dominico die ieiunet non quidem δι' ἄσκησιν, id eſt, propter virtutem abſtinentiæ, ſic enim omni die, etiam Dominico, vt ait S. Epiphanius, ieiunare licet, ſed δι' ἀτιμίαν, id eſt, ad contumeliam reſurrectionis, qua in eccleſia Græcorum anathema eſt, qui ſabbato, & Dominico ieiunet. Sed quia non ſolum apoſtolica conſtitutio ſabbatis iubet non ieiunare, quod ad lætitiam diei feſti pertinet, ſed vacare etiam lib. 8. cap. 33. iubet; nequis de vacatione Iudaica, & ſuperſtitioſa falſo interpretetur, quale otium ſit illud, & quorſum ſpectet illa vacatio, ex ipſa apoſtolica conſtitutione clarè intelligi poteſt: ſic enim ait: Sabbato, & Dominico vacent in eccleſia, propter doctrinam de religione. Sabbatum enim repræſentat creationem; dies verò Dominicus reſurrectionem. Nihil hic ſancitur de otio ſabbati extra eccleſiam Iudaico. Si enim hac ratione ſabbato vacandum eſt illis, vt vacet audire in eccleſia doctrinam de religione, ſi eo die conuentus eccleſiaſtici fiant, quis dicat otium illud ſab-

bati in



bati in eccleſia Iudaicum eſſe, & ad cultum veteris ſabbati pertinere? cùm doctrina de religione, quæ in eccleſia ſolet tradi, hoc in primis doceat, vetera tranſiſſe, & facta eſſe omnia noua? Synodus Laodicenſis cap. 29. Non oportet, inquit, iudaizare Chriſtianos, & vacare in ſabbatis, ſed operari in eo die, & diem Dominicum præhonorantes, vacare vt oportet. Si autem inuenti fuerint iudaizantes, ſint anathema apud Chriſtum. Hactenus canon, integer ex exemplari Græco manuſcripto, qui planè prohibet vacare ſabbatis Iudaicè, vt quidem vacaret qui putaret non licere laborare vllo modo ſabbato propter veterem illam ſanctificationem ſabbati, quæ tota ad myſterium nouæ creationis iam factæ, & ſpiritualis, ac cæleſtis quietis ſignificandæ adumbrandum ſpectabat; quod quidem nihil aliud eſſet, quàm euangelium cum iudaiſmo more Nazaræorum velle coniungere, & Antichriſti præcurſores eſſe, quales fuiſſe videntur de quibus Gregorius in epiſtola ad ciues Romanos ſcripſit; Peruenit ad me, quoſdam peruerſi ſpiritus homines praua inter vos aliqua, & ſanctæ fidei aduerſa ſeminaſſe, ita vt die ſabbati aliquid operari prohiberent; quos quid aliud, niſi Antichriſti prædicatores dixerimus, qui veniens diem ſabbati atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri? Quia enim mori ſe, & reſurgere ſimulat, habere in veneratione vult diem Dominicum: & quia populum iudaizare compellit, vt exteriorem legis ritum reuocet, & ſibi Iudæorum perfidiam ſubdat, coli vult ſabbatum. Hactenus S. Gregorius. Hæc eadem Nicolaus primus ad conſulta Bulgarorum cap. 10. reſpondit: Noſſe, inquit, cupitis, ſi liceat alicui ſabbato, vel Dominico laborationem aliquam exercere. de hoc ſanctus papa Gregorius Romanos alloquens ait: Peruenit, & quæ ſequuntur, paulo antè recitata. Deinde ſubiungit idem Nicolaus, hoc enim quod per Prophetam dicitur, Ne inferatis onera per portas veſtras die ſabbati, tamdiu teneri potuit, quãdiu legem licuit iuxta litteram cuſtodiri. At poſtquam gratia omnipotentis Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti apparuit, præcepta legis, quæ per figuram dicta ſunt, iuxta litteram ſeruari non poſſunt. nam ſi quis dicit hoc de ſabbato eſſe ſeruandum, dicat neceſſe eſt etiam carnalia ſacrificia perſoluenda: dicat præceptum quoque de circumciſione corporis adhuc vſque retinendum. Sed contra ſe Paulum audiat dicentem; ſi circumcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit. Nos itaque quod de ſabbato ſcriptum eſt, ſpiritualiter accepimus, ſpiritualiter tenemus. Sabbatum enim requies dicitur. Verum autem ſabbatum ipſum redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum Dominum habemus; & qui lucem fidei eius cognoſcit, ſi peccatum concupiſcentiæ ad mentem per oculos trahit, in die ſabbati onera per portas introducit. Non ergo in die ſabbati onera per portas introducimus, ſi in redemptoris noſtri gratia conſtituti pondera peccati ad animam per ſenſus corporeos non trahamus. nam idem Dominus, ac redemptor noſter multa in die ſabbati legitur operaſſe, ita vt Iudæos reprehẽderet, dicens, Quis veſtrum bouem, aut aſinum ſuum non ſoluit in die ſabbati, & ducit adaquare? ſi ergo ipſa per ſe veritas non cuſtodiri iuxta litteram ſabbatum præcepit, quiſquis otium ſabbati, iuxta litteram cuſtodit, cui alteri niſi ipſi veritati contradicit? Dominico verò die à labore terreno ceſſandum eſt, atque omnimodo orationibus inſiſtendum, vt quicquid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis Dominicæ precibus expietur. Hactenus Nicolaus. Bulgari ergo, qui nationis Græcorum ſunt, quia ſciebant in eccleſia Græcorum liberum eſſe à ieiunio ſabbatum, idque ad rationem feſti diei pertinere, de otio, & vacatione ſabbati opportunè Pontificem conſuluerunt; quod quidem otium Pontifex iuxta litteram, & carnaliter cuſtodire fas eſſe negat; vt neque Græci hodie cuſtodiunt: quare ſi dicant ſe non affligi ieiunio ſabbatis, immo nec opere corporali toto die fatigari (audio enim poſt veſpertinæ horæ preces ſolere relaxare opus, & labores, quod in nonnullis quoque locis Occidentis fit) non propter vmbram ſabbati veteris, quæ iam præteriuit, ex quo venit, vt S. Epiphanius vocat, magnum ſabbatum Dominici diei, in quod illud paruum mutatũ eſt, & quæ fuit cauſſa obſeruandi tunc ſecundum litteram, id eſt, otio carnali illud vetus ſabbatum, ſed potius propter nouæ creaturæ, & Dominicæ reſurrectionis lætitiam à ſabbato incipientem, non debemus eos damnare, aut iudicare, quos hoc nomine à ſanctis pontificibus, aut concilijs neque damnatos legimus nec accuſatos, ſed potius defendere, vt beatus Auguſt. contra Vrbicum defendit; neque canonem, quem illi tenent, & ſeruant, negare oportet Apoſtolorum eſſe; ſatis eſt dicere non eſſe traditum εἰς τὸ κοινὸν, id eſt, in commune, vt quædam ſunt eccleſiæ tradita, quod Synodus Gangrenſis, vt ſuprà dixi, notauit. Quòd ſi qui hunc canonem apoſtolorum eſſe aliquando contra Græcos diſputantes negarunt, ideò fecerunt, quòd quaſi in commune traditum ad nos quoq; Grçci eum pertinere volebant. quod falſum eſt, & reſpuendum. Item ſi ſabbati obſeruationem aliquando tanquam Iudaicam ijſdem exprobrarunt, hoc quoque fecerunt, quia illi ipſi Græci non verebantur nobis objicere, quòd iudaizaremus in azymo. Deniq; vt hunc locum finiam, Nicolaus primus in reſponſis ad conſulta Bulgarorum cap. 4. & 5. ſexta feria ab eſu carnis abſtinere iuſſit, non tamen ſabbato, quia ſciebat eccleſiæ Græcorum traditionem, & apoſtolicum canonem.

## CAP. XXV. *pag. 102.*

*Ter die in hunc modum orate, præparantes vos, vt digni ſitis adoptione Dei patris.*] Quomodo, dicet aliquis, præcipiunt Apoſtoli ter die orare, cùm eorum magiſter in Euangelio Lucæ cap. 18. dixerit, oportere ſemper orare, & nunquam deficere; & coapoſtolus Paulus 1. Theſſ. cap. 5. præ-

cipiat

cipiat ſimiliter ſine intermiſſione orare? deinde quomodo conſtitutio hęc cum illa congruit quæ eſt in lib.8.cap.36. vbi ijdem apoſtoli præcipiunt precationes facere manè, tertia hora, ſexta, & nona, veſpere, & ad gallicantum? Dicam igitur prius, quid ſibi velit quòd Paulus præcipit ſine intermiſſione orare. neque enim voluit vt non liceret intermiſſa oratione aliud aliquando operari, qui fuit error Adelphij, & Alexandri hæreticorum, qui hunc locum perperam intelligentes, & interpretantes, vt S. Nilus in libro περὶ ἀκτημοσύνης teſtatur, tradebãt non eſſe operandum, ſed ſemper orandum. Diſſerens verò idem Nilus de hoc præcepto orandi ſine intermiſſione, ſciens, inquit, Scriptura ignauiam multorum, in arctum nos coëgit quibuſdam pręceptis, quæ maiora quàm pro viribus apparerent: tum vt ſtudium noſtrum orandi, quoad fieri poſſit, intenderet: tum vt occaſionem elationis ſubtraheret; magiſque ſe is qui oraret, modeſtè ac ſubmiſſè gereret, quaſi non pertingeret quò iubeatur, quàm inflaretur, quaſi partem præcepti faceret: magis metuens, ne reprehendatur quia deficiat, quam laudem ſperans in eo quod perfeciſſe videatur: Siquidem nullum opus imperfectum audacem confidentiam præbet ei qui illud fecit; quin potius pudore afficit eum qui non perfecit. Hactenus Nilus. Hæc igitur eſt œconomia ſcripturæ ſanctæ, & ratio diuinæ ſapientiæ in præcipiendo aliquando aliquid quod prima fronte vires noſtras ſuperare videatur, quale eſt, orare ſine intermiſſione. Ex quo fit, vt hæc apoſtolica conſtitutio de ter precando die, non pugnet cum præcepto diuinæ ſcripturæ de orãdo ſine intermiſſione, & nunquam deſiſtendo, ſi (vt neceſſe eſt in nouo quoque teſtamento interdum facere, ſicut magnus Athanaſius admonuit) litteram ab ſpiritu diſtinguamus. Itaque vt Apoſtolus cùm ſine intermiſſione orare præcipit, quoad fieri poſſit, ſtudium orandi intendere præcipit. ſic apoſtolica conſtitutio quaſi interpres ſcripturæ, cùm præcipit ter die orare, orare præcipit quàm frequẽtiſſimè poſſumus; ita vt cùm rariſſimè, ter ſaltem oremus, vt is numerus de ſancta Trinitate, ad quã omnis noſtra precatio pertinet, admoneat. Ex hac conſtitutione manaſſe vſq; ad nos credendum eſt, quòd quotidie in multis eccleſiis Occidentis ter ſignum orandi populo datur, manè, meridie, & principio noctis. Eſt autem facta hæc conſtitutio ad exemplum Danielis, de quo ſcriptum eſt Danielis ca.6. quòd tribus temporibus in die flectebat genua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo ſuo, ſicut antè facere conſueuerat. Quòd ſi ille ter orabat in alieno ſolo, & hoſtili, & captiuus, cùm diligẽtiſſimè ab hoſtibus religionis ſuæ obſeruaretur (idcirco enim ſubiungit ſcriptura; Viri ergo illi curioſius inquirentes, inuenerunt Danielem orantem, & quæ ſequuntur) quid nos facere oportet, quorum iuſtitia abundare debet pluſquàm Scribarum & Phariſæorum, ſi in regnum Dei intrare volumus? Rurſus vt admoneret apoſtolica doctrina id quod Apoſtolus præcepiſſet de orando ſine intermiſſione, de quo ſaltem genere orationis intelligi poſſet, vt vires noſtras non ſuperaret, ſubiungit alteram conſtitutionem: Eſtote, inquit, præſto ad agendas gratias ſemper, tanquam fideles, & grati ſerui. quaſi diceret, hoc illum modo ſemper orare, qui ſemper eſt gratus, & memor beneficiorum, & præſto in omni re ad agendum gratias. Hic enim omne quodcunq; facit, vt Apoſtolus ad Coloſſ. ſcripſit, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini facit, gratias agens Deo & patri per ipſum, in quo viuimus, mouemur, & ſumus: vt ſicut idem rurſus ad Corinth. ſcripſit, ſiue mãducet, ſiue bibat, ſiue quid aliud faciat, omnia in gloriam Dei faciat. Iam verò conſtitutio apoſtolica lib.8. de orando manè, tertia, ſexta, nona, & veſperè, atq; ad gallicantum, non repugnat huic de orando ter die, hæc enim conſtitutio ad vitam cõmunem Chriſtianam pertinet, ſecundum inſcriptionem huius ipſius libri, quæ eſt περὶ πολιτείας. illa verò ad eos pertinet qui in eccleſia ordinantur, de quorum ordinatione, & eorum miniſterio multæ conſtitutiones in eo ipſo li. 8. deſcriptæ ſunt. illi, inquam, preces matutinas, quas nunc vocamus, vnà cum laudibus adhibent, quas preces dicit adhiberi ad gallicantũ, qui eſt nuncius matutinus diei aduentantis: deinde de manè, quam nos vocamus primam, poſteà tertia, ſexta, & nona. Cum precibus verò ad veſperam adhibendis coniungit Completorium, quod nunc vocamus: ita fit, vt ſeptem horarias precationes, quas vſque in hodiernum diem ordines Clericorum ritu quotidiano faciunt, ab Apoſtolis traditas acceperit eccleſia, quas ipſi Apoſtoli ad exemplum ſancti regis Dauid inſtituerunt, ſicut idem propheta ait, Septies in die laudem dixi tibi. Sed non erit ab re obſeruare hoc loco, quod hæc ipſa conſtitutio ait, orate, ſic pręparantes vos, vt digni ſitis adoptione Dei patris. Oportet enim acceſſuros ad precationem, vitam ſuam ſanctis actionibus ornare, faciendo prius mandata Dei patris, vt filios decet; ſicut populus Iſraëliticus, vt hoc in ænigmate docerentur, prius iuſſu Dei lauit veſtimenta ſua, vt ſic lotus, exiret ex caſtris in occurſum Dei, ſicut ait ſcriptura. Qui verò perfectiores ſunt populo, vt alter Moyſes; hi in montem contemplationis aſcendunt, vbi diuiniſſima atque excellentiſſima eorum quæ à nobis videntur, & intelliguntur, ſunt illis velut lumina ad cognoſcendum ea quæ in Deo ſunt, quæ quidem lumina Moyſes in mõte vidit; ſunt item velut tubæ, quas idem audiuit, quæ in ænigmate, & figura huius rei illi contigiſſe, diuinè Dionyſius Areopag. in myſtica Theologia cap.1. explicauit.

CAP. XXVII. *pag. 103.*

*Noſq; omnes in regnum tuum, quod præparaſti congrega: hoc maranatha.*] Et hunc locum fortaſſe non deerit qui reprehendat, niſi interpretatione caueatur. Quomodo enim (dicet aliquis) Paulus cùm à regno ſeparat pronũciato anathemate, adhibet verbum maranatha; ſiquis, inquit, non





amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſit anathema maranatha: Clemens verò tunc adhibet, cùm orat, vt in regnum Dei congregemur? & cùm Deum laudibus celebrat? ſequitur enim, Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. explicemus ergo prius locũ Pauli de maranatha; ſiquis, inquit, non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, (quales ſunt quos epiſtola reprehenderat, inceſtos, adulteros, idololatras, contentioſos, inflatos, & alios reſurrectionem non credentes) ſit anathema, id eſt, alienus à communi corpore eccleſiæ, vt ait Theodoretus. adiunxit autem Paulus maranatha, quod ſignificat Dominus noſter venit, quod non de primo aduentu accipiendum eſt, ſed de ſecundo, vt perinde ſit, quaſi diceret, ſit anathema vſque ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. adiunxit inquam hoc, vt hoc verbo perterrefaceret illos quos anathemate afficiebat, admoneretque futuros eſſe verè excommunicatos, ac ſeparatos, & maledictos in ſecundo aduentu, cùm ſeparabunt angeli malos de medio iuſtorum, & dicetur ore Domini, ite maledicti in ignem æternum. Expreſſit idem Apoſtolus vim huius anathematis maranatha 2. Theſſal. 1. cùm ait in eos qui fideles perſequebantur, ſi tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant, in reuelatione Domini de cælo cum angelis virtutis eius in flamma ignis dantis vindictã iis qui non nouerunt Deum, & qui nõ obediunt euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & gloria virtutis eius. Quod ergo dixi, ſit anathema maranatha, perinde eſſe, vt ſi dictum eſſet, ſit anathema vſque ad aduentũ Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſic Clemens in epiſt. 2. interpretatus eſt; cùm ait in extremo epiſtolæ 2. hæc igitur frater Iacobe de ore ſancti Petri iubentis audiui, ſi quis præcepta hæc non integra cuſtodierit, ſit anathema vſq; ad aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Obſeruaui in quodam concilio ex Toletanis, non memini quoto, pro eo quod eſt, ſit anathema maranatha, dictum eſſe ad imitationem Clementis, ſit illi maledictio in aduentu Domini. Frequens eſt in conciliis vis huiuſmodi anathematis maranatha, aliis verbis idem valentibus explicata, vt in conc. Tol.6. ca.17. perpetuò anathemate damnetur. & ca.18. anathemate diuino perculſus abſque vllo remedij loco habeatur damnatus æterno iudicio. item in conc. Turonico 2. ca.25. anathemate moriatur, & cæleſti gladio feriatur. gladium cæleſtem vocat extremum iudicium in aduentu Domini noſtri, cùm diuidet eum, ſicut ſcriptum eſt de die illo, & partem eius cum infidelibus ponet. anathematizatus igitur, ſi perſeuerat in contumacia, ſit anathema maranatha, quia in hac vita eſt ſeparatus à corpore eccleſiæ, id eſt, à communione fidelium, & in aduentu Domini verè ſeparabitur à cõmunione ſanctorum proiectus in ignem æternum. Hactenus de loco Pauli. Dicamus iam de loco Apoſtolicæ doctrinæ; *Congrega Domine omnes nos in regnum tuum, quod præparaſti: hoc maranatha: Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, qui apparuit nobis in carne.*] Vſus eſt hoc loco Clemens verbo Apoſtoli, idq; interpretatus, ſignificat enim aduentum Domini noſtri, cùm venturus eſt ad dandum ſuis, à quibus in hac vita ſanctificatus, & honoratus eſt, regnum gloriæ ſuæ, quod docuit nos quotidie petere, cùm dicimus, adueniat regnũ tuum, pro quo dicit hic Clemens; congrega nos in regnum tuũ, quod præparaſti, de quo dicturus eſt in aduentu ſuo, Venite benedicti patris mei, poſſidete regnũ paratum vobis. Cuius regni aduentũ precatur idem Apoſtolus Theſſalonicenſibus in eadem epiſt. 2. ca. 1. vt digni, inquit, habeamini regno Dei in reuelatione Domini noſtri Ieſu Chriſti de cælo cũ angelis virtutis eius, cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. itaq; quia aduentus Domini noſtri ſecũdus affert malis ſupplicium, & extremam ſeparationem, ac maledictum; cõtrà verò bonis, ac piis affert regnum, & gloriam, idcirco idem verbum maranatha, quod aduentũ Domini noſtri, vt ſępè diximus, ſignificat, anathemati adiunctum eſt à Paulo ad terrorem; à Clemente verò adiunctum eſt regno ad conſolationem. in ſecundo enim aduẽtu dabitur nobis regnum, quod aduenire optamus, & petimus; & integrum ſupplicium excommunicatis. Non ignoro Chryſoſtomum, & eius ſectatorẽ Theophylactum ad primum aduentũ retuliſſe verbum maranatha. Sed ad ſecundum potius referendum eſſe tum conuenientia rei, & ratio propoſiti ſuadet: tum auctoritas Clementis, quæ maxima eſt; is enim ad aduentũ regni, quod petimus, & in quod in ſecũdo aduentu cõgregandi ſumus, in precatione paulò antè recitata retulit. poſtquam enim dixit, Congrega nos omnes in regnum tuum, ſubiungit ſtatim, hoc maranatha, id eſt, in regnum dico, cùm Dominus veniet. Deinde, poſtquam dixit, hoc maranatha, rurſus ſubiungit, Benedictus qui venit in nomine Domini; Deus Dominus, qui apparuit nobis in carne. ſi maranatha de primo aduentu accepiſſet Clemens, non diceret ſubinde rurſus de primo aduentu, Deus Dominus, qui apparuit nobis in carne. illud poſtremò aduertendum eſt, ne quis in eo hæreat, nihil referre, ſi in maranatha, id eſt, Dominus noſter venit, verbum venit præteriti temporis ſit: in ſcriptura enim quæ futura ſunt, quia nulla in eis ſit dubitatio, quaſi iam euenerint, in præterito proferri quandoque ſolent. & de his hactenus.

CAP. XXXIIII. *Pag. 105.*

*Abraham enim primogenitum noſtrum, viam veritatis ex ipſa, quæ ei erat, facultate, id eſt, vi ſua capeſſentem, cùm ei appareres, tanquam dux, deduxiſti.*] Si ex vi naturæ inſita, qua præditus erat, potuit Abraham capeſſere viam veritatis ſcilicet practicæ, id eſt, ſi potuit bene operari, ergo non opus

erat illi gratia Dei ad hoc? Similiter enim argumentatur S. Thomas pª. 2dæ. q. 109. art. 4. Videtur, inquit, quòd homo ſine gratia per ſua naturalia poſſit præcepta legis implere, dicit enim apoſtolus Rom. 2. quòd gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt: Quod autẽ, inquit, homo naturaliter facit, per ſeipſum facere poteſt abſq; gratia. Sic S. Thomas. Sed de quibus bonis operibus Abrahę naturalibus loquatur hoc loco apoſtolica doctrina, ſtatim explicauit, ſubiungens, eúmque quid tandem eſſet hoc ſæculum, docuiſti, ac fidem quidem eius antegreſſa eſt cognitio; cognitionem verò fides conſecuta: Igitur de operibus Abrahæ ante fidem loquitur, de illis, inquam, quæ Paulus vocat opera Abrahæ ſecundum carnem. Cùm enim docere vellet neque in lege, neque ante legem iuſtificari hominem ex operibus, quæ non ſunt ex fide, poſtquam dixit, quoniam quidem vnus eſt Deus, qui iuſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem, ſubiungit; quid ergo? dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundum carnem? id eſt, ante ſpiritum ex fide, vt idem Apoſtolus aliàs loqui ſolet, vt cùm ait in epiſtola ad Galatas, Nos ſpiritu ex fide, ſpem iuſtitiæ expectamus. Deinde poſtquam quæſiuit, quid Abraham inueniſſet ſecundum carnem, ſiue ſecundum opera ſolius naturæ, ſubiungit, ſi enim ex operibus iuſtificatus eſt, id eſt, ſi ex operibus ſecundum carnem inuenit iuſtitiam, ex operibus, inquam, naturalibus, quæ non ſunt opera ſpiritus ex fide, habet laudem & mercedem ſecundum carnem apud homines: quia ſecundum ſpiritum ex fide laus eſt apud Deum, cuius donum eſt fides. Quæ verò eſſent opera iſta Abrahæ ſecundum carnem, ſiue ſecundum naturam, antequam ſpiritum ex fide à Deo acciperet, optimè docuit Magnetes auctor antiquiſſimus, in quinto libro apologiarum pro euangelio, ſeruabat, inquit, Abraham φυσικῶς, id eſt, naturaliter, id quod Clemens dixit ἐξ ὑπαρχούσης, ſcilicet δυνάμεως, æquitatem in vita cõmuni: erátque vtilis proximis, & à dolo atque fraude alienus: tum dando, & accipiendo nemini nocens: egentibus benignè faciens, & in ſimplicitate tribuens: denique à prauis ſtudijs ſe abſtinens. Hæc, inquit, tametſi pulchra, & honeſta hominibus viderentur, nemo tamen in iuſtitiam computabat, nemo in virtutibus cum ratione ponebat, quia neque ponere quidem vllus poterat, niſi ſolus Deus. Verùm nondum credebat: cùm verò credidit Abraham Deo, hæc atque alia rectè facta computata ſunt Abrahæ in iuſtitiam. Hactenus Magnetes. Huiuſmodi verò opera ſpiritus ex fide, non iam naturalia ſunt, ſed ſupra naturam, idcirco ad ea ſuſcipienda opus eſt Dei gratia gratificante, ſiue iuſtificante: immo opus quoque erat in ſtatu naturæ integræ, vt rectè tradit ſanctus Thomas pª. 2dæ. q. 109. artic. 2. Quod verò dixit Apoſtolus in epiſt. ad Rom. cap. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt (vt hoc quoque obiter notemus) cùm de ijs gentibus loquatur quæ ad euangelium pertinent, & quæ filij Abrahæ ſunt ſecundum fidem, neceſſe eſt de ijs operibus accipere nõ qualia ęrant quæ Abraham naturaliter ante fidem faciebat, ſed de ijs quæ ex fide Dei fiunt. quæ quidem fiunt natura per gratiam reparata, ſicut beatus Auguſtinus in libro de ſpiritu, & littera interpretatus eſt, id eſt, quæ fiunt ſecundum illam rationem naturalem, de quà dicit beatus Iacobus, ſuſcipite inſitam rationem, quæ poteſt ſaluare animas veſtras. ſic enim eſt Græcè ἔμφυτον λόγον, quod interpres Latinus vertit, inſitum verbum. Eſt autem huiuſmodi ratio inſita, ſiue naturalis, quæ poteſt ſaluare animas, non illa ratio quæ eſt ſemen quoddam in homine ſatum ſecundum potentiam naturalem: ſed altera excellentior, quæ eſt ſemen aliud, cuius participatio fit ſecundum gratiam Dei. Sic enim diſtinxit Iuſtinus martyr in prima apologia, cùm ait, Scriptores enim omnes per ſemen rationis naturæ inſitæ obſcurè & tenuiter potuerunt videre ea quæ ſunt: deinde ſubiungit, Aliud enim eſt ſemen alicuius, datum ſecundum potentiam: aliud verò ſemen, cuius participatio fit ſecundum gratiam. Hanc vocat idem Iuſtinus in ſecunda Apologia τὸν λόγον θεῖον ὄντα, id eſt, rationem illam quæ diuina eſt. de quà ſic ſcribit: Quod enim leges humanæ non potuerunt efficere, hoc ratio illa quæ diuina eſt, effeciſſet, niſi dæmones multa falſa & impia prædicata aſperſiſſent, vtentes ad omnia adiutrice mala cuiuſque, & multiplici cupiditate naturali. Sed redeamus ad propoſitum locum de Abraham, cui quidem quia ad capeſſendam naturaliter viam veritatis, id eſt, ad bene viuendum, non ſolùm opus erat iudicare quid eſſet ſuſcipiendum, ſed eligere quod iudicatum erat, ſequitur vt vtraque pars, ſcilicet iudicandi, & eligendi, naturæ inſita ſit. Siquidem vt tradit Apoſtolica conſtitutio, ex facultate naturæ innata, quam Euangelium vocat in parabola de talentis diſtributis, propriá virtutem, viam viuendi ex virtute, Abraham ingreſſus eſt; eſt igitur poteſtas eligẽdi, quæ liberum arbitrium dicitur, homini naturalis. Quare naturam hominis tollit, qui liberum arbitrium tollit, vt hæretici faciunt. Vnde rectè ait Dionyſius Areopag. in diuin. nomin. cap. 4. ab illis naturã violari, qui impiè aiebant oportuiſſe, vt prouidentia Dei homines vel inuiti ad virtutẽ traherentur: quod quidem, inquit, ab ipſa prouidentia alienum eſt. Rurſus ſi poteſt homo naturaliter bene operari, vt tradit Paulus de gentibus, quæ naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, non ergo homo ob eã tantùm cauſſam bene operatur, quia Dei gratia operatur in eo bene velle, & bene operari; ſed quia ille ipſe homo hoc ipſum eligit, qui poteſtatẽ habet naturalem liberè ſuſcipiendi ſtudium virtutis: quæ poteſtas δύναμις προαιρετικὴ dicitur, id eſt, virtus electiua. Itaq; bene operatur, quia Deus operatur in nobis velle, & perficere pro bona volũtate: Simul etiam, quia, vt dixi,



dixi, ipſe ille homo, quod Deus in nobis operatur, eligit faciendum, iuxta prophetiam Michææ, cap. 5. Indicabo tibi, inquit, ô homo, quid Dominus requirat à te: vtique vt ſis paratus ambulare cum Deo tuo, id eſt, eligere quod Deus vult. & Salomon in eandem ſententiam loquens in Prouerb. c. 24. de bello ſpirituali, quod non cum carne & ſanguine, ſed cũ concupiſcẽtiis, & ſpiritualibus nequitiæ à nobis geritur, non quidem corporis viribus, aut armis, ſed cõſilio, iudicio, & electione virtutis, adiutore Deo, cũ gubernatione, inquit, fit bellum: auxilium autem, ſcilicet Dei, μετὰ καρδίας βουλευτικῆς, id eſt, cum corde deliberãte: non autẽ eſt deliberatio, vbi nõ eſt electio: quare electionem ſignificat, quæ eſt, vt tradit Ariſtoteles in tertio lib. de morib. ὄρεξις βουλευτικὴ, id eſt, appetitus deliberans; ſic enim Ariſtot. hunc locum Salomonis imitatus, vocauit ὄρεξιν βουλευτικὴν, quam Salomon καρδίαν βουλευτικὴν. Neque diſcrepat, quod ait idem Ariſtot. in lib. 6. eſſe electionem appetitum intellectiuum, ſiue intellectum appetitiuũ, quia ſcilicet ex intellectu atq; appetitu antegreſſis exiſtit electio. Præterea idem Salomon in Prouerb. c. 21. Sicut impetus aquæ, inquit, ita cor regis in manu Dei: quocunque voluerit, illuc inclinabit illud. Cum aqua, quæ vim habet naturalem fluendi, quò ducit ὀχετηγὸς, id eſt, aquæductus, comparat Salomon animã eius qui velut dux, ſiue rex quidam, appetitiones ſuas, Deo adiuuãte, ac dirigente, moderatur. Habet enim homo inſitam δύναμιν προαιρετικὴν, id eſt, inſitam poteſtatem eligendi actiones honeſtas, quam Deus poteſtatem ad actum perducit excitando, & adiuuando, quod Salomon vocat inclinare cor regis, quò voluerit. Cor enim non regentis appetitum, non eſt cor regis, & domini, ſed ſerui, quod non inclinat Dominus quò vult, propter eius duritiam. Rurſus idem Salomõ in eodẽ capite, Non eſt, inquit, ſapientia, non eſt fortitudo, non eſt conſilium contra Dominum. Ne verò aliquis malè hoc intelligeret, quaſi non eſſet Domini liberum ſecus operari quàm eſſet Dei voluntas, quia non ſit ſapientia, non ſit fortitudo, neque conſilium contra Domini voluntatem, idcirco ſubiungit ſtatim, equus paratur in diem belli; à Domino autem auxilium. Docet enim his verbis, ſic eſſe verum, non poſſe reſiſti voluntati Dei, vt ſit ſemper ſalua natura hominis, id eſt, vt ſit homo nihilominus natura prędítus libero arbitrio: ita vt in pugna ſpirituali appetitũ irrationalem, qui eſt inſtar equi, Domino adiuuante regat ac moderetur κατὰ λόγον προαιρετικὸν à natura datum, id eſt, ſecundum rationem eligentem, quę tanquã auriga, cũ videt fieri ab hoſte ſpirituali impetum in animam, ita carnem adiutore Deo parat, & inſtruit, vt illa ſpiritũ promptè ſequatur obediens ei, ſicut equus ſolet ſedenti in equo; nõ rectè autem cũ equo cõpararetur volũtas hominis, niſi quòd equus naturaliter aliquando facit vt reſiſtat calcari, nec ei pareat, hoc ipſum libera voluntas noſtra facere poſſet, vt ſcilicet auxilio gratię Dei reſiſtat. Similiter Paulus Apoſtolus illi qui peccatum ſuum excuſabat, quaſi non poſſet reſiſtere voluntati Dei id permittẽtis, ac proinde iniuſtè Deus quereretur de eo, quod perinde erat, quaſi ſentiret ſic oportuiſſe factum eſſe hominem, vt ad virtutẽ traheretur vel inuitus, vt impii quidam, & diuinæ prouidentiæ calumniatores olim aiebant tẽporibus Pauli, quos, vt paulo antè dixi, Dionyſius quoq; Areopag. in diuin. hominibus cap. 4. prope finem notauit, illi, inquam, Paulus ſimiliter, poſtquam dixit, volũtati eius quis reſiſtit? ſic reſpondet, vt admoneat eum de natura, qua à principio fictus formatúſque eſt homo ab auctore ſuo, tanquam à figulo, natura, inquam, liber: O homo, inquit, tu quis es qui reſpõdeas Deo? numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? & quę ſequũtur. quæ nos ſatis prolixè in libro de electione diuina explanauimus. His igitur exemplis naturalibus ſapientiſſimè docuit Salomon eſſe aliquid in homine quod natura poteſtatem ſuarum actionum haberet, quod liberum arbitrium vocamus: quod inſtar aquæductus ſecundũ propriam virtutẽ cor, ſiue appetitum hominis huc aut illuc adiutore Deo rectè dirigit: aut inſtar equitis, ſiue aurigæ, ad rectè currendum ipſo item adiutore Deo parat. Quare qui liberum arbitrium negat, cor hominis naturali auriga ac rectore priuat, & ex homine equum rationis expertem facit: item fluxum, ac refluxum humani appetitus naturali aquæductu ſpoliat. Sed de libero arbitrio plura aliàs cõmodiore loco, ſi Dominus voluerit, dicam. Nunc verò ſatis hæc ſint ad intelligendum quod Apoſtolica doctrina de Abraham ait, ſcilicet ex facultate naturę innata viã rectè viuendi inſtituiſſe, dictũ eſſe propter iudicium naturale, & poteſtatem eligendi quod rectum eſt, naturæ inſitam, id eſt, propter liberum arbitrium homini naturale, quo ille ante fidem rectè vtens, licet imperfectè, paratus fuit ad ſuſcipiendam fidem, & Dei gratiã: & qui veſtigia eius ſequuntur, eorũ corda parata ſimiliter ſunt, vt ſpiritu Dei impleãtur, ſicut ſcribit beatus Antonius in prima epiſtola ex iis quas beatus Hieronymus ait Apoſtolici ſenſus & ſermonis eſſe.

CAP. XXXVI. *pag.* 108.

*Dixit vnus ſanctus Phelmoni loquenti.*] Verbum hoc, Phelmoni, Chaldaicum eſt, vt ex quodam Chaldaicæ, & Hebraicæ linguæ peritiſſimo audiui. Hebræi verò, vt idem aiebat, dicunt Phelũni. Vtuntur autem his vocibus, cũ aliquem ſignificare volunt cuius nomen non indicant; tunc ſcilicet, cũ nihil eis referre videtur ad rationem narrationis. Græci dicunt pro his, ὁ δεῖνα. apud nos vis horum verborũ exprimi poteſt, ſi dicatur, certus quidam. Hiſpana verò lingua ex hoc verbo Hebraico, Phelumni, parua deflexione fecit verbum ſuum *phulano*, quo idem ſignificamus, ſcilicet certum aliquem, cuius nomen non declaramus. Exemplũ eſt in Euang. Matth. cap. 26. cùm miſit Dñs ad parandũ paſcha, miſiſſe ait Euangeliſtã ad quendam, Græcè eſt πρὸς τὸν δεῖνα, id eſt, vt ita

explicãdi cauſſa dicamus, ad certũ quendã. Sciebat enim euãgeliſta nomẽ: ſed nõ iudicauit quicquã referre, vt efferret. alius verò euangeliſta ſecundũ œconomiã ſpiritus ſancti ſcriptores euangelij dirigentis, clarius locutus eſt; dixit enim miſiſſe ad quendã, qui erat dñs eius domus, in quã ingreſſurus erat, qui tunc aquã ferebat in lagena. Reperi autem ſcriptum in Chronico Hippolyti Thebani vetuſtiſſimi auctoris, vt hoc quoque obiter notemus, fuiſſe iſtam domũ Zebedæi patris Ioannis Euang. ex quo fit, vt iſte quidam certus, ad quem miſit Dñs, vt apud eũ paſcha pararetur, fuerit Zebedæus pater Ioannis euãgeliſtæ; qui erat iã Chriſti diſcipulus, & apoſtolus, & qui matrẽ Domini accepit in propria, id eſt, in domũ patris, quæ erat in Sion: in qua domo paratũ eſt paſcha: & ad quã Apoſtoli confugerunt propter metũ Iudæorum: item vbi apparuit Dominus diſcipulis poſt reſurrectionem, ianuis clauſis: & vbi dedit Spiritum ſanctũ, & octauo poſt reſurrectionẽ die certum reddidit Thomam: vbi etiam primum elocuti ſunt myſteriũ diſcipuli: & vbi tunc primũ elegerunt epiſcopũ Iacobum ſcilicet fratrem Domini. hæc ille auctor.

*Creationis per mediatorem factæ auctor, & cauſa.*] Nõ eſt intelligendum hoc de creatione mũdi, quæ non eſt facta, neque fieri potuit per mediatorem, etſi facta ſit intermedia Dei voluntate, vt libro 8. cap. 12. explicatum eſt. Siquidẽ mediator nõ eſt vnius, vt apoſtolus ait, Deus autẽ vnus eſt: quomodo enim filius Dei mediator eſſe potuit inter Deũ, & ea quæ nondũ erãt? Intelligẽdũ ergo eſt de creatione ſpiritali nouæ creaturæ, de qua Paulus ait in epiſtola ad Cor. priore: Si qua noua creatura in Chriſto, & quæ ſequũtur. huiuſmodi, inquã, creationis effector eſt Chriſtus vt mediator, & vt cauſa; ipſe enim ſolus factus eſt homo, vt morte ſua intercedente, vitã nobis reſtitueret, faciens, ſicut Apoſtolus ait, ex mortuis viuẽtes: pater verò effector eſt vt cauſſa ſolũ, quæ enim ad cauſſam pertinẽt, vt diuinus Dionyſius in 2. cap. de diuin. nomin. tradit, totius diuinitatis cõmunia ſunt, quę dicuntur vnita: Myſteria verò humanitatis Chriſti ſeparata dicuntur, & Chriſti ſunt propria, vt eſuriſſe, ſitiſſe, paſſum eſſe, ac per mortem ſuam nos liberaſſe. Omnia igitur ſecũdum euangeliũ facta ſunt per Chriſtũ Dei filiũ, non vt per, quod Gręcè eſt διὰ, τὸ ὑπηρετικὸν, vt Arriani dicebant, ſignificet, id eſt, rationẽ miniſterij, ſed facta ſunt per Chriſtũ Dei filiũ ſine medio, ſicut per patrẽ eius; neq; enim creationis faciendæ intermedij fuerũt Angeli, aut filius, vt dixi, licet intermedia fuerit volũtas: immo opus Dei naturale ἀμεσίτευτον eſt, vt in hoc cap. vocauit Clemẽs. valet itaque hoc aduerſus Arrianos, qui, vt creaturæ exiſterent, opus fuiſſe mediatore, tradebant: at opus redẽptionis non caruit intermedio, qui eſt Chriſtus, Deus enim pater redemit nos in filio, & per filiũ tanquã per mediatorem, qui eſt Deus, & idem homo: per ſe verò tanquã per cauſam eorum omnium quorũ cauſſa eſt filius, in quo eſt pater, ſicut filius in ipſo. Limate igitur, &, vt ita dicã, notanter dixit apoſtolica doctrina contra futuros Theopaſchitas, creationis per mediatorẽ factæ, Deũ patrẽ eſſe effectorẽ vt cauſſam: quod perinde eſt quaſi diceret, nõ vt mediatorẽ, ſed vt cauſſam, non inquã vt mediatorem, quia Deus pater non eſt paſſus, neque pati poteſt. Hic etiam coarguitur error Euſebij Cæſ. qui lib. primo cõtra hæreſim Marcelli Ancyrani interpretãs Arrianè locũ Pauli ad Gal. lex ordinata per angelos in manu mediatoris, ait fuiſſe filiũ Dei ſub Moyſe mediatorẽ inter Deũ, & angelos: hiſque verbis, & illis quę ſequũtur, mediator autẽ non eſt vnius, docuiſſe Galatas de diuinitate filij, quã, inquit, ignorabant. filium itaq; Dei, cuius diuinitatẽ à diuinitate patris ſeparabat Arrianè, faciebat in loco Pauli ad Gal. mediatorẽ, cũ potius Apoſtolus, ſicut hęc Apoſtolica doctrina, mediatorẽ doceat eſſe Chriſtũ, qui ſit vtriuſque teſtamenti auctor.

### CAP. XLVII. *pag.* 116.

*Eccleſiæ verò Romanæ Linus Claudiæ filius, primus à Paulo, Clemens verò poſt mortem Lini ſecũdus à me Petro ordinatus eſt.*] Quomodo aiebat quidã, Linus à Paulo primus ordinatus eſt epiſcopus Romæ? ergo à Paulo introducta eſt hæc cathedra Romana; vt iã rectè ſit ad dexterã Petri Paulus. Deinde, quomodo Clemens poſt mortem Lini, ſecundus à me Petro, cũ Eccleſia Cletum recenſeat poſt Linum? Ergo vt illud prius explicemus, quomodo, inquam, Linus primus ordinatus eſt à Paulo epiſcopus eccleſiæ Romanæ? Dico non ſignificari hic, fuiſſe primũ, quem Paulus ordinauit Linum; prius enim ordinauit Ignatiũ Antiochiæ epiſcopũ; ſed potius ſignificari, accepiſſe Linũ primũ omnium manuum impoſitionẽ à Paulo, vt eſſet Epiſcopus eccleſiæ Romanæ, non quidem principalis, ſed epiſcopus adiutor Petri in adminiſtratione pontificatus, præſertim ſi quando neceſſe eſſet abeſſe Roma Petrum, ne vrbs abſque epiſcopo remaneret. Petrus verò primus, & propriusepiſcopus Eccleſiæ Romanæ, id eſt, catholicæ, non ab hominibus, neque per hominẽ, ſed à Chriſto per Spiritum eius ordinatus eſt. Clemens autẽ ſecundus eſt à Petro ordinatus, ſecundus, inquam, poſt Petrũ, quod ſatis forma ipſa ſermonis paulũ variata ſignificat, de Lino enim dixit, primus à Paulo epiſcopus Eccleſię Romanę ordinatus: de Clemẽte verò poſt mortẽ Lini, ſecũdus à me Petro ordinatus eſt: vt ſecundus poſt ipſum Petrum intelligeretur. In quo ſatis quoq; ſignificauit non fuiſſe Linum principalem epiſcopum Romanum, ſed adiutorem eius. Quid verò diſcriminis ſit inter ordinationem Lini factam à Paulo, & Clementis factam à Petro, ex lib. 8. cap. 4. intelligi poteſt. iubet enim apoſtolica conſtitutio, quam in perſona Petri Clemens ſcripſit, vt qui eſt inter cæteros epiſcopos ὁ πρόκριτος, qui eſt Pontifex (huic enim conuenit hoc nomen) is presbyteros, & populum roget, an is quempetunt, dignus ſit eo loco, & dignitate:





tanquam ad eum pertineat audire, & approbare illorum teſtimonia, & ſuffragia. Itaque Petrus ὁ πρόκριτος τῶν ἀποςόλων, ſic enim eum vocat S. Nilus in epiſtola ad Magnam, Clementem & elegit & ordinauit tanquam proprium epiſcopum Romæ, & proprium ſuum ſucceſſorem: Paulus verò Linum ſolum per impoſitionem manuum ordinauit epiſcopum Petri adiutorem. Itaq; non eſt in Lino à Paulo ordinato introducta, vt ille aiebat, hæc cathedra Romana, ſed à Chriſto, qui Petro principi Apoſtolorum vniuerſam eccleſiam, & omnium epiſcoporum electiones commiſit. De eo verò quod ad dexteram Petri poſitus eſt Paulus, quid cauſſæ, & ſignificationis ſit, dicemus lib. 8. cap. 30. Iam verò quomodo Clemens poſt mortem Lini ſecundus ordinatus ſit à Petro, cùm omnes hiſtoriæ narrent, Cleto, ſiue, vt alii dicunt, Anacleto Clementem ſucceſſiſſe; tametſi res, propter varietatem ſcriptorum, non ſatis conſtare videatur; tamen ſic habendum eſſe arbitror, quantum ex epiſtola Ioannis tertij aſſequi poſſum, quem tanquam certiorem auctorem ſequor. ſic enim ait; quod ipſum refertur 8. q. 1. cap. 2. Si autem Petrus princeps apoſtolorũ, adiutores ſibi aſciuit Linum & Cletum, non tamen pontificij poteſtatem, aut ſoluendi, & ligandi normam eis tradidit, ſed Clementi ſucceſſori. Linus igitur, qui manuum impoſitionem à Paulo auctoritate Petri principis apoſtolorũ accepit, adiutor Petri fuit in adminiſtrando Romano pontificatu, quia ſæpe eueniebat, vt neceſſe eſſet proficiſci Petrum ad alias regiones, & vrbs ſine epiſcopo eſſe non poterat, vt ait S. Epiphanius lib. 1. tomo 2. hęreſi 27. Mortuus verò eſt Linus, vt ait Sophronius Hieroſolymitanus in homilia de agone Petri, & Pauli, viuente Petro. Quod enim ſcriptum eſt in hiſtoria, quæ fertur eſſe Damaſi, ſediſſe Linum annis xi. intelligendum eſt non totis, ita vt non peruenerit ad conſulatum Capitonis, & Rufi, quibus Coſſ. interfectus eſt beatus Petrus. Clemens autem electus, & ordinatus eſt epiſcopus Romæ ab ipſo Petro, cùm iam paſſio eius inſtaret. Cletus verò quia fuerat cum Lino, & poſt Linum adiutor Petri in eodem pontificatu adminiſtrando, qua ratione Clemens ſucceſſit Lino, eadem ſucceſſit & Cleto. Lino ſcilicet ſucceſſit, quia epiſcopatũ Romanum, quem Linus tanquam adiutor Petri cũ proprio epiſcopo, id eſt cum Petro gubernabat, ipſe tanquam proprius, & principalis epiſcopus ſuſcepit. Simili ratione ſucceſſit Cleto: nihil enim differt, niſi quòd Linus viuente Petro mortuus eſt, non autem Cletus. Vnde factum eſt, vt Clementem alij ſecundum poſt Petrum, alij tertium, alij quartum numerent. Et quia Cletus fuit adiutor Clementis, vt fuerat Petri, & anni eius potius fuerũt anni Clementis, idcirco fortaſſis à pleriſque auctoribus, qui ſucceſſiones Pontificum vſq; à Petro notarunt, prætermiſſus eſt Cletus, vt qui non eſſet principalis epiſcopus vrbis Romæ. Marianus quoque Scotus Clementem ait duodecim annis cum Cleto ſediſſe, & nouem poſt eũ. Quod autem tam veteres ſcriptores, & tanti nominis, Irenęum dico & Euſebium, Clemẽtem Anacleto ſucceſſiſſe ſcribunt, mirandum non eſt in hiſtoria Romana Græcos erraſſe. niſi dicamus, quod mihi probabilius videtur, pro Cleto ſcriptum eſſe Anacletum. quomodo autẽ Cleto ſucceſſiſſe dicatur, dictum eſt ſuprà: magis autem mirandum eſt de noſtris, de Hieronymo præſertim, qui eos aliquando ſecutus eſt, etſi in comment. Eſd. cap. 52. & lib. 1. contra Iouinianum Clementem Petri ſucceſſorem fuiſſe ſcripſit. Poſt Clementem verò ſucceſſit tanquam proprius epiſcopus, & principalis Anacletus, vt idem teſtatur in Epiſtola ſua, in qua anteceſſorem ſuum vocat Clementem. Quod autem ſcriptum eſt tam in Græcis nuper editis, quàm in Latinis exemplaribus epiſtolarum B. Ignatij in epiſtola ad Mariam non Caſſobolitam, ſed Zarbenſem, cùm eſſes Romæ apud Anacletum papam, cui nunc ſucceſſit B. Clemẽs, admonui libro 2. defenſionis epiſtolarum pontificum apoſtolicorũ, c. 10. quod libenter repeto, in vetuſtiſſimo & emendatiſſimo exemplari Græco bibliothecæ Florentinæ Medicææ non reperiri ſcriptum παρὰ τῷ ἀνακλήτῳ, ſed παρὰ τῷ λίνῳ, id eſt, non apud Anacletum, ſed apud Linum Papam. Quomodo autem intelligendum ſit Lino Clementem ſucceſſiſſe, paulò ante dixi, & explicaui. illud præterea obſeruandum eſt, quod in hoc cap. ſcribit Clemens, ordinatum eſſe à B. Petro epiſcopum Antiochię, Euodium, Ignatium verò à Paulo, conſentire quidem cum eo, quod B. Hieronymus, Sophronius, & Euſebius ſcribũt, fuiſſe beatum Ignatium Epiſcopum tertium poſt Petrum: videri tamen diſſentire ab Epiſtola 3. Anacleti, in qua affirmat pontifex Anacletus, beatum Petrum, priuſquam Romam veniret, habitaſſe Antiochiæ, & illic Ignatium Epiſcopum conſtituiſſe. idem etiam teſtatur beatus Chryſoſtomus patria Antiochenus in homilia de laudibus B. Ignatij, ſucceſſiſſe Ignatium Antiochiæ beato Petro, cùm Romam venit. Quis cũ ratione dubitare poteſt, tot, & tantis auctoribus, vtrũque verum eſſe, ſi vtrumque poteſt? poteſt autem, ſi Euodius viuente Petro, mortuus eſt, vt Lino contigit. Cur enim minus potuerit Petrus Antiochiæ ordinare epiſcopum adiutorem, quàm Romæ potuit? præſertim cùm in populo Antiocheno, tunc cùm beatus Ignatius ei præpoſitus fuit, cc. milia ciuium eſſent. hoc enim ad teſtimoniũ, & documentũ virtutis, & ſapientiæ Ignatij acceſſiſſe ait Chryſoſtomus, ſcilicet commiſſum eſſe illi δῆμον εἰς εἴκοσι ἐκτεινόμενον μυριάδας. Rurſus in eadem homilia Petrum ait cuncti orbis magiſtrum Ignatium in ea ciuitate epiſcopum collocaſſe, quæ eſſet τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἀντίῤῥοπος. mortuo igitur Euodio Epiſcopo Antiochiæ beati Petri coadiutore, idem Petrus Ignatium epiſcopum à Paulo ordinatum accerſiuit, & eum populo Antiocheno præfecit. idcirco Anacletus, vt mihi videtur, non dixit, ordinaſſe Ignatium

Epiſcopum Antiochiæ, ſed illic Ignatium conſtituiſſe Epiſcopũ. fuerit igitur hac ratione, ſicut in Clementis ſucceſſione paulo ſuprà dictum eſt, ſecundus poſt beatum Petrum Epiſcopus Antiochiæ Ignatius, quia Petro ſucceſſit tanquam primus epiſcopus,& caput Eccleſiæ Antiochenę; tertius verò, quia ante eum fuerat Euodius ordinatus epiſcopus Antiochiæ tanquam adiutor, vt dixi, beati Petri primi Epiſcopi Antiocheni, & non primus Epiſcopus Antiochiæ, ne vna ciuitas duos primos Epiſcopos, id eſt, duo capita inſtar monſtri haberet. Libenter hæc obſeruaui, ne quis in loco epiſtolæ Anacleti, & in loco Clementis repugnantiam vllam cogitaret.

## IN LIBRVM OCTAVVM DE CHARISMATIBVS ET ORDINATIONIBVS, ET ECCLESIASTICIS CANONIBVS.

### CAP. II. *pag.* 120.

N*Eque verò rex impius, rex eſt amplius, ſed tyrannus: neque epiſcopus ignorantia, aut malo animo refertus, epiſcopus eſt, ſed falſus epiſcopus, nõ à Deo, ſed ab hominibus promotus: vt Ananias, & Semeias in Iſrael; Sedecias, & Achias pſeudoprophetæ: immo & Balaam vates pœnas exoluit: & Caiphas poſtea mortem ſibi conſciuit.*] Hunc locum nequis malè intelligat, aut ab hęreticis ſuppoſitum eſſe ſuſpicetur, interpretandus nobis eſt. Non enim hoc ſignificat, quod hæretici huius temporis tradunt, ex presbytero fieri poſſe laicum: neque Apoſtolica doctrina ſolum dixit, epiſcopus ignorantia, aut praua mente repletus, non eſt epiſcopus: ſed addidit explicãdi gratia, eſt falſus epiſcopus, vt intelligamus non eſſe epiſcopum ſcilicet verum, ſed falſum: & ſubiungit, non à Deo, ſed ab hominibus protruſus; non dixit, non electus à Deo, qui in alio loco dixit, electionẽ eſſe à Deo: ſed dixit, οὐ παρὰ θεοῦ προβληθεὶς. i. nõ protruſus à Deo, ſed ab hominib. protruſio enim humanę volũtatis, & ſtudij eſt; electio verò poteſtatis ſpiritualis, quæ in eccleſia canonicè fit, diuinę eſt auctoritatis. Deinde addidit exẽpla, vt Ananias, inquit, & Semeias in Iſrael; Sedecias, & Achias, ſiue Achab, pſeudoprophetæ; quos cõſtat fuiſſe quidẽ chariſmate prophetiæ à Deo donatos, ſed indignos ſe ea gratia præbuiſſe, quòd ab hominibus acti, & impulſi, & nõ à Deo, mẽdaciter prophetarẽt, loquentes nõ ſermones Dei, ſed ſuos. Itaque erant illi quidẽ prophetę, quamuis falſo prophetarent. Vnde poſt mendacem prophetiã Ananiæ, de illo ipſo ait Hieremias cap. 28. & mortuus eſt Ananias propheta in illo anno. Prophetam vocauit, quia factus erat à Deo propheta, factus alioqui à ſe indignus eo nomine, & gratia, qua abutebatur, falſa pro veris loquẽs, non à Deo inductus, ſed ab hominibus, quibus, ad gratiã loquendo, placere volebat. Sic etiam Balaam, quamuis mercedem iniquitatis amauit, vt populo Dei malediceret, Prophetam beatus Petrus vocauit, cùm ait, Subiugale mutum animal hominis voce loquens, prohibuit prophetæ inſipientiam. Vnuſquiſque, ait beatus Petrus, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus: ſi quis loquitur, tanquam ſermones Dei. Itaque cùm quis gratiam, quam accepit vt presbyter, aut epiſcopus, non tanquam gratiam à Deo acceptam adminiſtrat, ſed potius ea abutitur, miniſtrando non ſecundum Deum, à quo virtutem, & poteſtatem accepit, ſed ſecundum voluntatem carnis, non verus iam, ſed falſus ſacerdos, aut epiſcopus eſt: id eſt, non verus diſpenſator, ſed falſus, & ideo ſacerdotio indignus, aut epiſcopi nomine, vt propheta, qui gratiam accepit à Deo loquendi ſermones Dei, cùm gratia abutitur, & ſermones non ſecundum voluntatem Dei, ſed ſuam, & eorum quibus placere vult, loquitur, falſus propheta eſt, & prophetę nomine indignus; alioqui propheta propter gratiam acceptam. Denique ſic hunc locum intelligendum eſſe, clarius perſpici poteſt ex libri 6. capite 15. vbi ſacerdotes non baptizantes ſecundum ſcientiam baptizandi à Chriſto Eccleſiæ traditam, dixit non eſſe ſacerdotes, quod Dominus per Oſeam diceret, Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne fungaris mihi ſacerdotio. Hoc ergo eſt non eſſe ſacerdotes, qui ſemel facti ſunt à Deo ſacerdotes per miniſterium in Eccleſia conſtitutũ, ſcilicet repelli à Deo à miniſterio ſacerdotali, vtpote indignos; ſicut fiebat in vitioſis ſacerdotibus populi Iſraël, ſicut ſcriptum eſt apud Oſeam, cùm populum ducendum eſſe captiuum minabatur Dominus: & erit, inquit, populus, ſicut ſacerdos, cui contradicitur. Vt enim ſacerdos, in quo erat vitium aliquod, aut macula ex iis quas lex prohibebat, non poterat ſacrificium facere, neque ſacerdotio fungi, qua ratione quodammodo efficiebatur in hac parte tanquam laicus; ſic laicus cùm non poterat per ſacerdotem offerre, ſimilis efficiebatur huiuſmodi ſacerdoti, cui interdictum erat miniſteriũ propter vitiũ aliquod. Itaq; imitata eſt apoſtolica doctrina ſcripturã diuinã, quæ huiuſmodi vitioſos ac ſceleratos ſacerdotes à ſacerdotio repelli dicit. Illud quoq; addã, videri mihi Dionyſiũ Areopagitã imitatũ eſſe hũc locũ apoſtolicæ doctrinæ in epiſtola ad Demophilũ: ſic enim ait cõſtitutio de falſis prophetis, cũ quibus falſos epiſcopos coniungit: Liquet itaq;, inquit, quamquã impij prophetẽt, non delere eos prophetiis impietatẽ: neq; ſi dęmones expellãt,





continuo ipſos receſſu dæmonum ſanctos fore. Deinde ſubiungit, Nam & ſe mutuò decipiunt; ſicut ii qui præſtigias ludicras ridendi cauſſa edunt, illos etiam qui eos attendunt, perdunt: Scilicet ſe mutuo decipiunt, quia & hi putant ſe latere iſtos qui illos attendunt: & iſti rurſus qui attẽdunt, putant illos ipſos ignorare ſe vt deceptores agnoſci, & deprehendi: atque ita viciſſim illos fallunt. Conferamus nunc locum Dionyſij, ſic enim de ſceleſto ſacerdote, & non veretur, inquit, ſacra præter dignitatem exequi, & dum exiſtimat ea quorum ipſe ſibi conſcius eſt, Deum ignorare, putat ſe fallere cũ quem falſo patrem appellat. Deinde ſubiungit, non eſt hic ſacerdos, ſed maleuolus, fraudulentus, illuſor ſui. Non prætermittam hic ſcholion ſiue Dionyſij Alexandrini, ſiue ſancti Maximi in hunc locum Dionyſij: Obſerua, inquit, quòd qui præter ordinem ſancitum, & præter legem ſacra inuadit & aggreditur, neque videre quicquam ex ipſis, neq; audire, neque habere creditur, quamuis manibus tractet. Hac igitur ratione & modo dicitur ſacerdos improbus, non eſſe ſacerdos; & epiſcopus, non eſſe epiſcopus. cum his congruit quod ait beatus Hilarius in libro de Synodis, cogitemus tot ſacerdotes ſanctos, & quieſcentes, quid de nobis Dominus iudicabit, ſi nũc anathematizantur à nobis? quid de nobis erit, qui rem eò deducimus, vt quia epiſcopi non fuerunt, nos quoque neque cœperimus? ordinati enim ab his ſumus, & eorum ſumus ſucceſſores. renunciemus epiſcopatui, quia officium eius ab anathemate ſumpſerimus. non dixit, ne ſimus epiſcopi ordinatione, hoc enim fieri non poterat à iam ordinatis; ſed renunciemus epiſcopatui, hoc enim fit, cùm quis officio epiſcopi indignus eſt. ſic efficitur, vt malus aut anathematizatus epiſcopus, vel ſacerdos, non ſit epiſcopus vel ſacerdos, non quidem ordinatione, ſed officio, quo eſt indignus. Hunc quoque locum apoſtolicę doctrinæ imitatus eſt beatus Hieronymus in Epiſtola ad Heliodorum de laude vitæ ſolitariæ, cùm ait, non omnes epiſcopos, epiſcopos eſſe. Attendis, inquit, Petrum, ſed & Iudam conſidera: Stephanum ſuſpicis, ſed & Nicolaum reſpice. & Zacharias pontifex in epiſtola 6. ad Bonifacium epiſcopum, Si quos, inquit, repererit epiſcopos, presbyteros, aut diaconos contra canones, vel ſtatuta Patrum exceſſiſſe, id eſt, in adulterio, vel ſi plures vxores habuerunt, aut ſanguinem Chriſtianorum, aut Paganorum effuderunt, vel etiam in aliis capitulis, quibus canonibus obuiaſſe eos repererit tua ſanctitas, nulla ratione Apoſtolica auctoritate permittat ſacerdotio fungi, quia tales à ſuo proprio ore falſi nominantur ſacerdotes. & paulò pòſt: Quis enim ſapiens habens cor, eos ęſtimet ſacerdotes qui neque à fornicationibus abſtinẽt, neque ab effuſione ſanguinis manus ſeruant innoxias? quiſue eorum ſacrificiis Deum credit ęſſe placatũ? Mali itaque ſacerdotes quia non ſunt ſacerdotio digni, neq; digni ſunt ſacerdotij nomine; cũ alioqui ſacerdotalis poteſtatis, atq; ordinis gratiã, ſiue chariſmã interim non amittant, non magis quàm Ananias, Balaam, & Caiphas, quos ſcriptura prophetiæ chariſma habuiſſe, quamquam impios, teſtatur. quæ exempla prudentiſſimè Apoſtolica doctrinà commemorauit, ne quis malos, & impios ſacerdotes, propter impietatem ſacerdotes eſſe non putaret: & ſi quis putaret, ſciret ſe ſcripturis ſanctis contradicere. Caipham enim etſi impium in Chriſtum, pontificem dicit Euangeliſta: & Paulus Ananiam iniquè iudicantem, non negauit ſummum ſacerdotem eſſe, cùm ei diceretur, Summum ſacerdotem Dei maledicis? immo auctoritate ſcripturæ S. docuit, etiã iniquis iudicibus honorem deberi; Scriptum eſt enim, inquit, Principem populi tui non maledices. Neque verò Paulus Ananiæ maledixerat, ſed potius ſupplicio Dei à peccato reuocari voluerat. non enim, vt beatus quoque Auguſtinus in epiſtola ad Marcellinum ſenſit, Pontificem eſſe ignorare poterat, tametſi diſſimularẽt, vt eum de officio admoneret, & iniuriam coërceret.

### CAP. IIII. *pag.* 121.

*Igitur nos duodecim Apoſtoli Domini, qui vnà ſumus, has vobis regulas de omni eccleſiaſtica forma indicimus, præſente Paulo, & Iacobô Epiſcopo, & reliquis presbyteris, ac ſeptem diaconis.*] Ac rurſus proximo ſequenti ca. 5. *iidem duodecim Apoſtoli cum ſeptem diaconis, poſt lectionem, inquiunt, epiſtolarum noſtrarũ, & actorũ*; & quæ ſequũtur.] Scilicet hoc dicũt, cũ iam Stephanus vnus ex 7. diaconis lapidatus eſſet; & Iacobus frater Ioannis gladio perẽptus, vt in iis ipſis actis narratur. Deinde ſcribit Sophronius Hieroſolymitanus patriarcha in homilia de agone Petri, & Pauli, quẽadmodũ poſtquã fuit B. Petrus manu Angeli catenis liberatus, quibus iuſſu Herodis vinctus fuerat, & à quatuor quaternionibus militum cuſtoditus, multas regiones propter Simonem Magum perambulauit, prædicando verbum Dei: & tandem, inquit, rediit Hieroſolymam tertio anno vocationis Pauli: de quo ipſe Paulus ait, Poſt tres annos aſcendi Hieroſolymam, videre Petrum: & manſi cũ eo diebus quindecim: vbi, inquit, poſtquã aliquos canones, & cõſtitutiones fecerunt, Paulus quidem ad opus, ad quod vocatus fuit, iuit; Petrus autem iterum rediit Antiochiam. Igitur cùm canones illi, & conſtitutiones, quas Sophronius ait, compoſitæ ſunt ab Apoſtolis, iam erat lapidatus Stephanus, ſiquidem erat tertius annus vocationis Pauli, ad cuius pedes lapidatores Stephani veſtimenta depoſuerunt; Iacobus quoque frater Ioannis occiſus erat, ſiquidem poſt mortem eius comprehenſus fuit Petrus, & ab angelo liberatus: ac poſt tres annos Hieroſolymam reuerſus, vbi canones illos, ſiue regulas, quas Sophronius dicit, compoſuerunt. Scribit præterea Clemens in perſona Apoſtolorum libro 6. cap. 12. miſſis litteris illis cum decreto de ceſſatione legalium ad

Antiochenſes, remanſiſſe eos ibi pluribus diebus, conquirentes vnà quæ ad communem vtilitatem, & correctionem ſpectarent. igitur tunc quoque conſtitutiones fecerunt. Sed multo minus fuerunt tunc omnes ſimul, cùm hoc factum fuerit poſt quatuordecim annos, ſiue à vocatione Pauli, ſiue ab aſcenſu Hieroſolymam poſt tertium annum vocationis eiuſdem Pauli. Quid igitur dicemus, quando duodecim apoſtoli vnà fuerunt cum ſeptẽ diaconis ad ſanciendas has conſtitutiones? Dicemus ſcilicet fuiſſe vnà apoſtolos, & Paulum ac Iacobum fratrem Domini, & reliquos apoſtolos, ac presbyteros cum ſeptem diaconis, cùm hæ regulæ ſancitæ ſunt, vnà dico ſpiritu, non corpore. Sic enim loqui, & intelligere docuit nos Apoſtolus Paulus, vt cùm ait in Epiſtola ad Corinth. congregatis vobis cum ſpiritu meo, decreui, & quæ ſequuntur. & rurſus ibidem: Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu. Clemens igitur hæc in perſona duodecim Apoſtolorum, & ſeptem diaconorum ſcripſit, numerans in illis ſecundũ idioma ſcripturę, Iacobum iam occiſum, & Stephanum lapidatum, qui κατὰ γνώμην, & ſecundum ſpiritum præſentes fuerunt. Hanc enim doctrinam catholicam ab apoſtolis prædicatam, quam Clemens litteris mandauit, & has conſtitutiones Iacobus quoque frater Ioannis, & Stephanus, ſpiritu cum reliquis congregati, ſanxerunt. Sic Synodus Antiochena in epiſtola ad comminiſtros abſentes, quæ eſt ante canones eiuſdẽ Synodi, ſcribit, referre ſe ad eorũ notitiã quæ rectè decreta eſſent, vt tanquã qui poteſtate (inquit) adeſtis, & orationibus adiuuatis, immo potius nobiſcum vniti, & cum ſpiritu ſancto præſentes eſtis, eadem nobiſcum communi conſenſu confirmetis. Sic quoq; Auguſtinus interpretatur, quod Matthæus ſcribit dictũ eſſe per Hieremiam de triginta argenteis, &c. quod in Hieremia, inquit Hieronymus, non inuenitur, ſed in Zacharia, non verbis, ſed ſenſu. Ait ergo Auguſtinus in libro de conſenſu euangeliſtarũ: Poſuit verò Matthæus Hieremiã, inſinuans omnes prophetas vno ſpiritu locutos, & quæ dixerunt, ſingula eſſe omniũ, & omnia ſingulorum. Immo ita eſſe intelligendum, idem auctor Clemens ſatis ſignificauit; poſtquã enim dixit in perſona Apoſtolorũ, Nos duodecim Apoſtoli Domini, qui vnà ſumus, has vobis conſtitutiones indicimus præſente Paulo, & Iacobo, ac ſeptem diaconis; idem rurſus ſtatim ait in perſona Petri: Ego primus Petrus dico, ſicut antea omnes pariter cõſtituimus, ordinandũ eſſe epiſcopũ, &c. cùm ait, dico ego, ſicut antea omnes pariter conſtituimus, ſatis ſignificat nõ eſſe intelligendũ, fuiſſe tunc omnes pariter: immo intelligendum, non omnes fuiſſe tunc ſuperſtites, cũ hoc Petrus conſtituit: tametſi quod nunc dicit ſe conſtituere, idem reliquis antè viſum fuiſſet; ita vt qui hunc audiret, reliquos abſentes, aut iam mortuos audiret. *pag. eadem.*

*Ego igitur primus Petrus dico ordinandum eſſe epiſcopum, vt omnes pariter antè cõſtituimus, ſcilicet de quo nulla ſit querela, & qui ſit à cuncto populo ex optimis quibuſque electus. Quo nominato, & placẽte, populus in vnum congregatus vnà cũ presbyteris, atque epiſcopis præſentibus die Dominico cõſentiat, ac comprobet. Qui verò inter cæteros princeps eſt, percontetur presbyteros, & populum, an ipſe ſit quem petunt.*] Non tribuit populo hæc conſtitutio (ne quis erret) eam quæ dicitur propriè ordinatio epiſcopi, & Grȩcè χειροτονία, quòd manus admoueat, item κατάστασις, & πρόσληψις, ſed eã quæ nõ admouet manus, quæ eſt, & dicitur Græcè, ἐκλογὴ, ὀνομασία, αἴτησις, ἴστασις, δοκιμασία, συνευδοκία, σύνθημα, Latinè delectus, nominatio, poſtulatio, præſentatio, probatio, aſſenſus. nec hic tribuit apoſtolica conſtitutio populo ψῆφον ἢ κρίσιν, id eſt, ſuffragium, vel iudiciũ, ſicut ait in ordinatione presbyteri, fieri ψήφῳ καὶ κρίσει, id eſt, ſuffragio, & iudicio totius cleri. Congruit cum hac cõſtitutione quintũ caput epiſtolæ ſecundæ Cæleſtini papæ: Nullus, inquit, inuitis detur epiſcopus: Cleri, plebis, & ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur. Qui verò ratam habet huiuſmodi electionem, ſiue nominationem, aut poſtulationem, presbyterorum dico, & populi conſenſum, eſt ὁ τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων πρόκριτος, id eſt, princeps inter reliquos epiſcopos, qui eſt vel Metropolitanus, vt eſt in cõcilio Carthaginienſ. 4. cap. 2. & Nicȩ. 6. qui tenet locum Pontificis, vel Pontifex Petri principis Apoſtolorum ſucceſſor, cui propriè conuenit hoc nomen, vt ſit, & dicatur πρόκριτος τῶν λοιπῶν, vt eſt in hoc cap. traditio igitur apoſtolica eſt, quæ ex hac conſtitutione manauit, quòd vſque in hodiernum diem ſolus Pontifex, aut qui in ea re perſonam eius ſuſtinet, electiones epiſcoporum confirmet, qui cum duobus aliis conſecrat, quæ cõſecratio χειροτονία dicitur, id eſt, ordinatio epiſcopi, quæ per manuũ impoſitionem à duobus epiſcopis vnà cũ eo qui vel eſt primus, aut tenet locum primi, fieri debet. ita enim intelligendus eſt primus canon Apoſtolorũ de ordinatione epiſcopi à duobus, ſcilicet excepto principali, aut à tribus, numerato illo primo: minus enim quàm à tribus non poteſt ordinari, vt Damaſus pontifex in epiſt. 4. affirmat.

CAP. V. *pag.* 123.

*Vt habeat poteſtatem remittendi peccata ſecundum mandatum tuum: item dandi cleros, id eſt, ſortes, vt tu iuſsiſti.*] Dubitabit aliquis quid ſit habere poteſtatem dandi cleros, id eſt, ſortes: ſcilicet ex locis ſcripturæ vnde hoc ſumptum eſt intelligi poteſt, vt cùm ait Eſaias capite 61. prophetans de miniſtris noui teſtamenti, & Eccleſiæ ex gentibus congregatæ: Et venient alienigenæ paſcentes oues tuas, & filij peregrinorum agricolæ & vinitores veſtri erunt: Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini miniſtri Dei noſtri. Et paulò pòſt, ſic ſecundò ſorte poſſidebunt terram, ſic enim eſt apud 70 quem locum explanans beatus Cyrillus, Olim, inquit, Ieſus



Ieſus Naue regiones gentiũ Amorrhæorum & Idumæorũ diuiſit Iſraëlitis; poſtquam autem venit Chriſtus, cuius ille fuit typus, non ſolùm Iudæam ſed cunctam terrã ſuis miniſtris diuiſit, quæ fuit ſecunda poſt illam diuiſio. diſtribuerunt enim ſibi regiones & ciuitates ſuffragio diuino illi ipſi diuini myſtagogi, id eſt myſteriorum diſpenſatores ac doctores. Hactenus Cyrillus. Hoc verò genus ſorte poſſidendi, ad Iſraëliticæ poſſeſſionis ſimilitudinem non poteſt ad ſacerdotes ex baptiſmo tantum, qui ſunt omnes laici, pertinere: ij enim nõ ſorte, id eſt, vocatione à Deo facta; ſed aut natura, id eſt, iure hæreditario, aut humano ſuffragio terram poſſidẽt. Significat ergo Propheta, fuiſſe ſortes illas terræ Iſraëliticæ, figuram & vmbram ſortium quæ ſanctis Apoſtolis diuinitus ad prȩdicandum Euangelium, & conſtituendum in eis Epiſcopos, obtigerunt. De huiuſmodi ſortibus ſcriptũ eſt in Pſalm. 67. ſi dormiatis inter medios cleros, id eſt, inter medias ſortes. de Apoſtolis enim prophetabat, quibus dedit Deus, vt in eodem Pſalmo ait, verbum ad euangelizãdum virtute multa, qui in iis ipſis Eccleſiis, quas fundauerunt, quæ cuiq; eorum diuina ſorte obtigit, pro teſtimonio fidei Chriſtiglorioſè occubuerunt; quod Propheta vocat, dormire propter ſpem viuam reſurrectionis. Diœceſes quoq. epiſcopis aſſignatæ, qui ſunt omnes Apoſtolorum ſucceſſores; & Eccleſiæ item presbyteris aſſignatæ, cleri, id eſt, ſortes eorũ ſunt, à Deo, à quo vocati ſunt, tributę. Sortes quoq; dixit hic Apoſtolica doctrina, ſicut in Actis Apoſt. de electione Matthię ſcriptũ eſt, & dederunt eis, Matthię ſcilicet & Barſabę, cognomẽto Iuſto, ſortes. nõ enim ſortes dicit, quæ vulgo dici & educi ſolent, vt Chryſoſtomus & Beda & alij, prȩter Dionyſium Areopagitam, intellexerunt & interpretati ſunt; Chryſoſt. enim ait, quia non erat Spiritus, ſortibus rẽ peragunt; Beda verò Chryſoſtomum ſecutus ordinatum fuiſſe ſorte Matthiam dicit, quaſi nondum Spiritus ſancti plenitudine in Eccleſiam effuſa. Sed cur quibus tanta erat inter ſe concordia, tanta in oratione perſeuerantia ante aduentum Spiritus ſancti, vt ſcriptura teſtatur, quæ duo ad eligendũ ſecundum cor Dei plurimũ valebant, & quibus dederat Deus poteſtatem immundorũ ſpirituũ, & alia ſigna faciendi, & docendi omnes gentes, cur, inquam, magis ſorti confiderent, quàm iudicio, orationi & concordiæ ac doctrinæ ſuæ? aut ſi ſperabant, & confidebant, quòd à Deo dirigẽda eſſet ſortitio, cur non ſimiliter, immo multo magis, idẽ de iudicio ſperabant, quòd à Deo ſcilicet dirigendum eſſet. Ait prȩterea Dionyſius Areopagita, reliquiſſe Apoſtolos electionem Deo propter reuerentiam. Quòd ſi propter reuerentiam non permiſerunt iudicio ſuo electionẽ, ſed Deo, multo magis propter eandem reuerentiam non permiſerunt ſorti electionem. reuerentia autem hæc fuit, vt in numerum ſacrum duodecim, qui non ab hominibus neque per hominem, ſicut Apoſtolus de ſe dixit, ſed à Chriſto & per Chriſtum electi fuerãt, nullus per homines eligeretur. Accedit huc quod S. Thomas rectè, vt mihi quidem videtur, in libello de ſortibus ſcripſit, peccatum eſſe in ſortibus; ſi illud, inquit, quod eſt per diuinam inſpirationem faciendum, aliquis fortè velit committere ſorti, ſicut ad Eccleſiaſticas dignitates promouendi ſunt homines concordia electionis, quam Spiritus ſanctus facit. & ideo illicitum eſt in huiuſmodi electionibus ſorte vti: faceret enim iniuriam Spiritui ſancto, qui humanum ſenſum inſtruit ad rectè iudicandum, ſecũdũ illud 1. Cor. cap. 2. Spiritualis iudicat omnia. qui autem ſorte eligitur, humano iudicio non cõprehẽditur. hactenus S. Thomas. & Leo IIII. in epiſt. ad Epiſcopos Britanniæ, poſtquam diuinos & maleficos condemnauit, & pœnitentię quinquenni ſubiecit, ſubiungit, vnde ad illorum ſimilitudinem ſortes, quibus vos cuncti in veſtris diſcriminatis iudiciis vtimini, nihil aliud quàm, quod illi patres damnarunt, diuinationes & maleficiũ eſſe decernimus. quamobrem volumus illas omnino damnari, & vltrà inter Chriſtianos nolumus nominari, & vt abſcindantur ſub anathematis interdicto præcipimus. de iſtis ergo ſortibus in electione Matthiæ, alios, inquit Dionyſius, aliud dixiſſe non rectè neque religioſè. eos enim notat qui, vt S. Maximus & Gregorius Pachimerus in ſcholiis Dionyſij notarunt, de eiuſmodi ſortitione accipiebãt qualis erat apud gentiles frequens. ſibi autem, ait Dionyſius, videri appellare hic ſcripturam ſortem diuinum ſignum, quo oſtenſus & declaratus fuit Apoſtolis is quem Deus elegiſſet. Idem videtur mihi declarare hoc ipſum verbũ in Ioſue de diuiſione terræ, cùm ait ſcriptura, cecidit ſors huic aut illi tribui, &c. quomodo enim diuiſores illi ſortibus vſi eſſent, quales noſtræ eſſe ſolent, ſi iam erat facta diuiſio, & cuique tribui pars ſua ab illis aſſignata? quod intelligi poteſt ex libro Numerorũ cap. 34. cùm ait: Hæc ſunt nomina virorum qui terram illam vobis diuidẽt: Vobis enim dixit, ne intelligeremus, diuiſiſſe illos quidẽ terram, nõ tamen aſſignaſſe partes, cuiq; tribui ſuam. & paulò pòſt iterum, Hi ſunt, quibus præceperat, vt diuiderent filiis Iſraël terram Chanaam. itaque diuiſa eſt terra, & ſingulis tribubus ſua pars aſsignata, iudicio eorum quibus Dominus præceperat eſſe diuiſores. hoc ſolum reſtabat, ne vlla ſuſpicio aut controuerſia reliqua eſſet, vt aſſignatio vnicuique tribui facta diuino & cæleſti ſigno comprobaretur. quod quidem factũ eſſe ſcriptura diuina ſignificat, cùm ait, cecidit ſors huic tribui, aut illi. Similiter cogitandum eſt factum eſſe in electione Matthiæ. itaque cùm ait Scriptura, & ſtatuerũt duos; & paulò pòſt, & dederũt eis ſortes; perinde eſt, vt ſi diceret Scriptura, ſecundum magni Dionyſij interpretationem, & dederunt eis ſigna; veluti dicentes, vt mihi videtur, erit ſignum, quòd Deus elegerit alterum horum, ſi ceciderit tale ſignum, aut tale ſuper eum, verbi gratia radius luminis, aut aliud: & erit ſignum quòd alterum non elegerit, ſi ſuper eum tale

ſignum non ceciderit.immo vt ſic verbum ſortis, & non de cōmuni genere ſortiendi accipiatur, admonere videtur ſcriptura ipſa,cùm ordinem,quem natura rei geſtę poſtulabat,nō ſeruat;quòd prouidenter & diuinitus factum eſſe credendum eſt.natura enim rei geſtæ hunc ordinem poſtulabat,vt diceret,& ſtatuerunt duos,&c. deinde, dederunt eis ſortes; & poſtea, orantes dixerunt, tu Domine,&c.& ſtatim poſt orationem,cecidit ſors ſuper Matthiam:nō enim orarunt, vt oſtēderet quem eligeret;& poſt orationem hanc dixerunt, hoc erit ſignum,aut illud, quòd alterum horum elegerit;ſed prius hoc dixerunt, & poſtea orarunt. non tamen hoc ordine rei geſtæ dixit ſcriptura,ſed potius ſapientiſſimè ordinem rectū paulùm immutauit,vt,ſicut dixi, tacitè admoneret nos,quæ iſta ſors Matthiæ cogitanda eſſet, ne de communi ſortitione acciperemus. itaque ait,& ſtatuerunt duos,&c. & orantes dixerunt,Tu Domine,&c. oſtende quem elegeris, &c. vt cùm ſtatim ſubiunxit,& dederunt eis ſortes,iam de eo genere ſortium neceſſariò intelligeretur, quæ planè oſtenderent à Deo eſſe alterum eorum electum.hoc autem non poterat eſſe niſi ſignū diuinum & cæleſte,antè prædictum per ſpiritū Dei ab ipſis Apoſtolis; ſicut ſeruus Abraham dedit ſibi diuinitus ſignū ad cognoſcendum eam quam Deus elegiſſet, vt daret in matrimonium filio domini ſüi Abrahæ. Vt ergo hoc quoque ad propoſitum Apoſtolicæ doctrinæ conferamus, cùm epiſcopus in ordinatione poteſtatem dādi cleros,id eſt,ſortes,accipit,poteſtatem accipit adminiſtrandi Sacramentum ordinis,quod eſt ſignum ſacrum & diuinum,id eſt,à Chriſto inſtitutum,quod nobis oſtendit, miniſtros Eccleſiæ à Deo vocatos ad honorem Eccleſiaſtici miniſterii, ſicut ſignum diuinum oſtendit Matthiam à Domino electum.accipit item poteſtatē dandi ordinatis à ſe,Eccleſiás tanquam ſortes quaſdam ad miniſtrandum in eis. Sapientiſſimè igitur & conuenienter ſcripturis ſanctis,poteſtatem ordinandi vocauit Apoſtolica doctrina poteſtatem dandi cleros,id eſt,ſortes, vt hactenus explanatum eſt.

## Cap. VI. *pag.125.*

*Deus Paracleti, & Dominus vniuerſorum.*] Satis iam hic locus explicatus eſt de iis quę in cap.2. lib.6.dicta ſunt,in quo illud tantum rurſus admonebo,hoc,quod addidit Clemens, & Dominus vniuerſorum,ſatis declarare, non eſſe dictum Deum Paracleti vt creaturæ, ſed potius Deum vt fontem,ſiue principium,referendumq́ue eſſe ad Paracletum,tanquam ad eius *πρόβλημα*,vt Gregorius Nazianzenus vocat:aut tanquam *χορηγούμενον* ab ipſo,vt dixit diuinus Dionyſius,Dominū verò,referendum eſſe ad vniuerſa *ὡς δοῦλα*, id eſt,vt ſerua,extra quæ eſt ſpiritus ſanctus;nō enim eſt ex numero vniuerſorum,vt ait idē Gregorius Nazianzenus, ſed eſt potius ſupra vniuerſa, ſicut ſcriptum eſt, Omnia per ipſum facta ſunt:non enim filius ſine ſpiritu,qui in ipſo eſt,fecit omnia:& ſubiungit,ſine ipſo factum eſt nihil,quod factum eſt. ſic enim legendū eſſe (vt hoc obiter obſeruetur) ſanctus Epiphanius in Anchorato contendit, Athanaſium in libro cōtra gentes,& in libro de incarnatione ſecutus:legere enim, & interpungere hoc modo, omnia per ipſum facta ſunt,& ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt in ipſo, illorum hæreticorū erat, qui nolebant confiteri opus Dei eſſe hunc mundum.Sic enim legentes, fingebant omnia facta eſſe in eo *ἀναπλάσει τῶν λογισμῶν*,id eſt,informatione cogitationum,vt ſic Deum mūdi opificē creatione rerū priuarēt. hęc Photius in reſponſis ad quęſtiones Amphilochij Cyziceni Metropolitani. Vnde cōiectura ducor,in lectione,& interpunctione huius loci,quā S. Epiphanius probat,poſt illud,quod factum eſt,non eſſe adiungendum in ipſo,vt eſt in exemplis editis. Qui autem ſic interpungunt, & legunt,quod factū eſt,in ipſo vita erat,iſti,inquit idem Photius, nullum ſenſum neceſſarium afferunt:immo auctorem eſſe ait Origenem,quē vocat *πολυμαθῆ*, & *πολυπλανῆν*: & eam lectionem Macedonium exemplo Origenis in Spiritum ſanctum traxiſſe,vt eum creaturam faceret, tametſi placuit, inquit,hæc lectio beato Cyrillo,ſed quantum abfuit à ſententia impiorum, tantum differt explicatio eius ab illorum ſtudio. hactenus Photius. ſed reuertor ad propoſitum. Cùm igitur omnia facta ſint per ipſum,& ſpiritum eius,vt hæc ipſa apoſtolica doctrina à Clemente deſcripta in multis aliis locis docet,ſequitur,cùm Deum vocauit Clemens Deum Paracleti,& Dominum vniuerſorum,ſatis ſignificaſſe, non dixiſſe prius Deum Paracleti vt creaturæ, ac ſerui: ſi enim eo ſenſu dixiſſet,ſic dicere oportebat,ne ſermo eſſet ineptus,& abſurdus,Deus paracleti,& vniuerſorum, aut Dominus Paracleti,& vniuerſorum. Nunc verò cùm diſtinctè dixerit,Deus paracleti,& Dominus vniuerſorum,ſatis ipſa verborum diſtinctio ſignificat, diſtinguendum eſſe vtriuſque dicti ſenſum:id eſt, dictum eſſe Deum Paracleti,non vt creaturæ: Dominum verò vniuerſorum dictum eſſe, vt creaturarum,ſiquidem omnes creaturæ per ipſum factæ ſunt,& in ipſo conſiſtunt, vt diximus.

## Cap. VII. *Pag. eadem.*

*Qui ipſum è cælo in terram inſtar fulguris erumpere feciſti, non eruptione ad locum pertinente, ſed honoris in dedecus mutatione,idq́; propter voluntariam mentis malitiam.*] Si propter voluntariam mentis malitiam peccauit Angelus, ergo voluntas Angeli à ſeipſa excitata fuit ad malum. hoc enim eſt peccare ex malitia, vt ſanctus Thomas tradit pa.2. qu.78. art.3. ſcilicet moueri voluntatem ex ſeipſa ad malum. quod poteſt,inquit,dupliciter contingere;vno quidem modo per hoc, quod homo habet aliquam diſpoſitionem corruptam inclinantem ad malum, ita quòd ſecundum

illam



illam diſpoſitionem fit homini quaſi conueniens,& ſimile aliquod malum.alio modo,inquit,cōtingit,quòd voluntas per ſe tendit in aliquod malum per remotionem alicuius prohibētis, vt timoris & ſpei. cùm enim eligit aliquod malum non timendo Deum,neque in eo ſpem ponendo, tunc peccat voluntas ex malitia. Hoc euenit in angelis;qui, vt ait Dionyſius Areopag. in eo deprauati ſunt,quòd ceſſarunt à bonorum diuinorum contemplatione, & operatione, in quibus habitare eos oportebat. Vnde Iudas Apoſtolus ait, nō ſeruaſſe ſuum principatum,ſed dereliquiſſe ſuum domicilium:quia ſcilicet non conſiderantes ea quæ conſiderare debebant, verterunt ſe ſua voluntate ad proprium bonū abſque ordine diuinæ volūtatis,vt tradit idem ſanctus Thomas p^a^. par. qu.63. art.1. Ac eligere quidem proprium bonum, bonum eſt ſecundum ſe,vt idem ait: at eligere illud,omittendo conſiderationem diuinorum bonorum, neque habendo rationem diuinæ voluntatis,id eſt,ſpernendo Dei metum,& abiiciendo Dei obedientiam, malum erat. Quod quia voluntas ex ſe elegit,vt dixi, idcirco per malitiam peccauit angelus,quod eſt cęteris paribus omnium grauiſſimum;tum quia id genus peccati eſt maximè voluntarium, quòd nulla ſit paſſio quæ impellat: deinde quia habitus, quo ex malitia peccatur,non tranſit ita citò,& facilè,vt paſſio;ex quo fit,vt diuturnius peccet qui ex malitia peccat. Deinde, quia qui ex malitia peccat eſt malè diſpoſitus quantum ad finem ipſum,qui eſt principium in agendis: at non ſic in paſſione. Hæc ex Thoma. Fuit itaque in Angelo peccante omiſſio conſiderationis antegreſſa cum commiſſione voluntariæ conuerſionis ad proprium bonum,quæ duo peccata formaliter non fuerunt ſpecie diuerſa,quia ad eundem finem ſpectabant,ſcilicet ad placendum ſibi; huc enim tendit ſuperbia.

*Qui ipſum ſcilicet Satanam è cælo inſtar in terram fulguris erumpere feciſti, non eruptione ad locum pertinente, ſed honoris in dedecus mutatione.*] Ne quis malè intelligendo, hunc locum reprehendat, non negat quin angelus moueatur ſecundum locum,& quin Satanas *τοπικῶς* proiectus ſit è cælo in terram,vt in Apocalypſi beati Ioannis ſcriptum eſt: ſed potius hoc dixit, ne quis eruptionē audiendo,quæ propriè conuenit corpori,exiſtimaret, vt quidam falſo exiſtimarunt, nō eſſe angelos omnino expertes corporis. Significauit itaque, quemadmodū Satanas iuſſu Dei è cælo eruperit, ac deciderit. Decidit ſcilicet è cælo in terram,non ſic quaſi antea loco cæleſti, deinceps loco circumſcriberetur terreſtri. non enim circumſcribitur loco inſtar corporis, cui quidem vt propriè conuenit eſſe in loco propter circumſcriptionem, quæ commenſuratio dicitur;ſic propriè cōuenit moueri,ſed ſic, vt qui ſecundum energiam,ſiue operationem virtutis ſuæ in cælo erat honoratus;deinceps ſecundū operationem virtutis ſuæ,id eſt,ſecundum malitiā ſuam voluntariā eſſet in terra dedecoratus, & in ſupplicio. Comparauit autem (vt hoc quoque obiter notē) caſum diaboli cum fulgure,quòd vt fulgur erumpendo, fulgorem & coruſcationem amittit; ſic diabolus ſplendorem gloriæ,cadendo amiſit. Sic Gregorius Nazianzenus in ſecunda oratione de pace, cecidiſſe ait è cælo tanquam fulgur,propter veterem ſplendorem.

## Cap. VIII. *Pag.126.*

*Exite qui illuminamini.&c.*] Illuminari dicit,quos B. Iſidorus lib.2. de Eccleſ. officiis cap.21. ait vocari Competentes. Sunt autem, inquit, Cōpetentes, ſecūdi poſt catechumenos gradus, qui iam poſt doctrinam fidei, poſt doctrinam vitæ ad gratiam Chriſti participandam, feſtinant: ideóque,inquit,vocantur Competentes,quia catechumeni tantum audiunt, nec dum petunt; ſunt enim quaſi hoſpites, & vicini fidelium:deforis audiunt myſteria,audiunt gratiam;ſed adhuc non appellantur fideles. Cōpetentes autē iam petunt,iam accipiunt,iā catechizantur,id eſt,imbuuntur inſtructione ſacramentorum:iſtis enim quaſi ſalutare ſymbolum traditur, quaſi cōmunicatorium fidei,& ſanctæ confeſſionis indicium,quo inſtructi agnoſcunt,quales iam ad gratiam Chriſti exhibere ſe debeant. Hactenus Iſidorus. Competentes vocauit prius Auguſtinus, quem Iſidorus ſecutus eſt,vt videre licet diſ.34. cap. Audite. & rurſus idem Auguſtinus in ſermone ad Competentes;Rudimenta,inquit,miniſterij noſtri,& veſtri conceptus, quod fidei concipitis vtero generari, cæleſti gratia adiuuanda ſunt &c. & paulò pòſt: Quid enim aliud ſunt Competentes, quā ſimul petentes,&c. Competentium vocabulū non aliūde,quàm de ſimul petendo,atque vnum aliquid appetendo compoſitum eſt. Et quid illud eſt vnum,quod petitis, vel concupiſcitis,&c. & paulò poſt: Exuite veterem hominem, vt induamini nouo. pactum vobiſcum Dominus inchoat, &c. Item beatus Hieronymus in Epiſtola ad Pammachiū contra errores Ioannis Hieroſolymitani, Competentes vocat eos qui offerūtur baptizandi presbyteris in Eccleſia. De his igitur loquitur doctrina apoſtolica,quos vocat *φωτιζομένους*. Simeon archiepiſcopus Theſ. in lib. de myſteriis Miſſę,genus ſecūdū catechumenorū poſuit eos qui eſſent quidē baptizati, ſed nondū eſſent ſancto chriſmate vncti. Suſpicor ſic iſtos *φωτιζομένους* intellexiſſe, vt ſecūdū genus catechumenorū faceret,quia videbat exire ex Eccleſia cū catechumenis. Verū nōdū eſſe iſtos regeneratos, ex ipſa precatione intelligi poteſt. Sic enim precatur eis is qui ſacrum facit, ſanctifica illos, inquit; ſanctificātur verò per baptiſmum, ſicut Apoſtolus ait, abluti eſtis, ſanctificati eſtis. ſequitur deinde, & prępara illos,vt digni fiant dono cæleſti, & vera adoptione; vera autē adoptio per baptiſmum

tribuitur,

tribuitur, de qua Paulus in epiſt.ad Roman.cap.8. ſed accepiſtis, inquit, Spiritum adoptionis;& idem in epiſt.ad Hebr.cap.6. gratiam baptiſmi deſcribens, Impoſſibile eſt, inquit, eos qui ſemel ſunt illuminati, & guſtauerũt donum cęleſte,& participes facti ſunt Spiritus ſancti,&c. Spiritum adoptionis intelligit, qui hic vocatur vera adoptio, quam hic Apoſtolica doctrina precatur iſtis quos vocat φωτιζομένους. rurſus donum cæleſte vocat Apoſtolus, quod hic Clemens, donum ſpiritale, gratiam ſcilicet regenerationis cęleſtis,& ſpiritalis: donum quidem, quia, vt Gregorius Naziãzenus in ſermone de baptiſmo interpretatus eſt, tribuitur nihil nobis inferẽtibus: cæleſte verò, quia ſic Dominus de ea gratia loquens Ioan.3. Si terrena, inquit, dixi vobis,& non creditis; quomodo, ſi cæleſtia dixero, credetis? & Lucæ cap. 20. Baptiſmum Ioannis, qui erat quædam catecheſis ad baptiſmum Chriſti, è cælo docuit eſſe, cùm interrogauit Iudæos, an eſſet è cælo? Eſt pręterea obſeruandum hoc, non dici iſtos hic φωτισθέντας, ſicut Paulus dixit in epiſtola ad Hebręos, quia de iam baptizatis loquebatur, ſed φωτιζομένους: & in principio huius orationis non vocat μεμυημένους, ſed μυουμένους. Denique alienum eſt à ratione, & canone, vt ex eccleſia cum catechumenis exeant baptizati nondum confirmati; præſertim cùm non ſit ſacramentum neceſſitatis ſacramentum confirmationis, ſine quo is qui illud alioqui non negligat, non poſſit ſaluus eſſe. Reſtat igitur, vt illud ſecundum genus catechumenorum Simeonis, non ſit ponendum; neque de eis intellexerit Clemens, cùm iubet hic apoſtolica doctrina exire βαπτιζομένους, id eſt, eos qui baptizantur, quos nos interpretamur baptiſmum petentes; quos Auguſtinus, & Iſidorus Auguſtinum ſecutus, ſcribit, vt dixi, vocari Competentes, quos iam fideles eſſe dicit. Denique hi dicuntur φωτιζόμενοι, qui iam ſunt catechizati, quibus dicitur pridie quàm baptizentur, vt eſt in ritu Eccleſiæ Græcorum, Hic eſt finis veſtræ catecheſis: adeſt tempus veſtræ redemptionis: hodie veſtræ fidei libellum Chriſto eſtis expoſituri.& paulò pòſt: & vos cras noctu morituri eſtis peccato, & ibi poſt profeſsionem fidei,& renunciationem, & exſufflationes, dicitur in oratione, quæ pro eis adhibetur, quæ ex hac doctrina expreſſa eſt, Deus Saluator noſter,&c. illumina lumine cognitionis corda noſtra,& eorum qui ad ſanctum baptiſmum parati ſunt;& dignare eos immortali tuo dono: vni eos cum ſancta tua eccleſia catholica, & Apoſtolica.

CAP. XII. *pag.* 129.

*Nemo catechumenorum, nemo audientium, nemo infidelium, neq; hæreticorũ adſit.*] Iubet Apoſtolica conſtitutio, vt hoc edicat diaconus ante conſecrationem, ſtatim vt ſacerdos manus lauit, cũ rem diuinam facit. Vocat autem audientes, non ſolum energumenos, pœnitentes, & eos qui iam catechizati baptiſmum petunt, ſiquidem catechumeni deforis audiunt, vt ait Iſidorus libro 2. de eccleſ.officiis cap.21. his enim omnibus paulo ſuprà cap.7.8.9. iuſſerat diaconus exire; ſed etiam eos qui in peccatis publicis ſine pœnitentia hærent, vt vel ex Dionyſio Arẹopagita intelligi poteſt, ſic enim in Eccleſ. hierarchia capite de communione ſcripſit, impuriſſimum genus energumenorum eſſe eos qui à ſanctitate vitæ deflexi, mores & ſtudia dæmonum induerunt, & veris, ſempiterníſque voluptatibus propter extremam dementiam relictis, terrenas voluptates variis perturbationibus plenas, caducas, inſtabiles, ac falſas concupierunt, & tractarunt: Ac huiuſmodi quidem energumenos ex Eccleſia eiiciendos eſſe à diacono prius ac potius quàm alios energumenos, qui à dæmonibus aguntur, neque ad vllam aliam rem diuinam admittendos eſſe, præterquam ad audiendam doctrinam ſanctarum ſcripturarum, vt eos conuertamus, ſic docet. Etenim ſi pœnitentes, inquit, prohibentur, ne ſanctam Euchariſtiam ſumant, aut videant; multo magis prohibendos eſſe eos qui ſunt à peccatis energumeni. Hi enim ſunt, qui, vt Apoſtolus ait, non reſipiſcunt à laqueis diaboli, à quo capti tenentur ad faciendum voluntatem eius. Idem ſenſit beatus Chryſoſtomus, qui, vt mihi videtur, Dionyſium planè imitatus eſt; ſic enim in homilia de participatione myſteriorum, 61. poſt multa in eandem ſententiam ſubiungit: Propterea qui ſunt in peccatis, prius eiiciuntur. Sicut enim ad menſam veniente domino, ſeruos, qui dominum offenderunt, adeſſe non oportet, ſed procul arcentur; ita ſcilicet & hic, dum profertur ſacrificium, & Chriſtus immolatur, & ouis Dominica: & paulò pòſt: Sicut itaque profanorum fas eſt adeſſe neminem; ita neque vllum Chriſtianorum quidem,& ſordidorum. Cùm igitur Apoſtolica conſtitutio iubet edici à diacono nominatim, vt catechumeni,& infideles, ac hæretici exeant, & generatim, vt nemo audientium adſit, energumenos,& pœnitentes, ac baptiſmum petentes planè ſignificans, meritò cum eis publicos peccatores intelligi,& comprehendi voluit. Etenim ſi energumeni eiiciendi ſunt, profectò multo magis iſti qui ſecundum ſententiam Dionyſij ſunt impuriſſimum genus energumenorum. Ac rurſus ſi pœnitentes ſimiliter eiiciendi ſunt; multo item magis, vt idem ſentit, qui in peccatis ſine pœnitẽtia eſſe ſciuntur. Pręterea qui in huiuſmodi peccatis ſunt, cùm admittuntur ad publicam pœnitentiam, certo tempori iubentur eſſe inter audiẽtes: id eſt, vt eatenus liceat ingredi in eccleſiam, vt audiãt verbum Dei, deinde exeant. beatus Baſilius can.55. ſcortatores vel meretrices ſic ſeptem annis punit, vt ex his, duobus iubeat eſſe extra eccleſiam; itẽ duobus aliis, audire, ſcilicet verbũ Dei,&c. Similiter Gregorius Nyſſenus ſic punit eoſdem annis nouẽ, vt ex his, tribus iubeat eſſe inter audientes. Itaque Audientes vocat hic Apoſtolica conſtitutio eos quibus non licet ingredi in eccleſiam niſi tantum ad audiendum verbum

Dei,



Dei, ex quibus ſunt, vt dixi, non ſolum energumeni,& pœnitentes,& baptiſmum petentes, quos Clemens φωτιζομένους vocat, id eſt, qui illuminantur, ſed etiam οἱ ἐμπαθῶς ἐνεργούμενοι, vt ait Dionyſius, id eſt, qui ſunt in peccatis ſine pœnitentia, vt ſcortatores,& meretrices; & vt in eo loco ait ſanctus Maximus Dionyſij ſcholiaſtes, ij omnes de quibus ait Apoſtolus 1.Cor.cap.5. ſi quis frater nominatus eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi neque cibum ſumere. quod perinde eſſe videtur, quaſi diceret, non ſolum cum talibus paſcha noſtrum myſticum non eſſe epulandum, immo neque vidẽdum, neque adorandum, quin potius neque cibũ cõmunem cũ eis ſumendum. Qui enim ſcitur non poſſe cõmunicare, idem neque videre Euchariſtiam poteſt, quod diaconus ante conſecrationem edicit, Qui non cõmunicat, exeat: quod perinde eſt, vt diuinus Dionyſius interpretatur, quaſi ipſa ſancta euchariſtia ei qui talis eſt, diceret, Ἀθέατος εἰμὶ καὶ ἀκοινώνητος, id eſt, neque me videre potes, neque particeps eſſe meæ communionis. Vtinam huiuſmodi ſeparatio talium nunc reſtitueretur, quæ etiam tempore ſancti Maximi, vt idem dicit, iam intermiſſa erat. Vtinam dico, qui huiuſmodi ſunt, ad audiendum verbum Dei in Eccleſiam ingrederentur, nõ autem ad videndũ magnũ myſterium corporis,& ſanguinis Domini,& orandum nobiſcum, tunc præſertim, cùm fit conſecratio,& oſtenſio: ita fortaſſe fieret, vt plerique ab errore vitæ ſuæ conuerterentur, ſic puniti, & confuſi.

*pag. eadem.*

*Ipſum ante ſæcula generauit voluntate, potentia, bonitate, ſine medio filium Deum verbum.*] Aiebat Eunomius genitum eſſe filium voluntate patris, id eſt, quia ex æternitate voluiſſet generare eum in tempore: hac enim ratione tradebat filium eſſe coæternum patri. Item Arriani, qui ipſi quoque voluntate aiebant genitum eſſe filium Dei, volebant, vt ait beatus Cyrillus in Theſauris de Trinitate ad Nemeſinum, voluntatem antecedere generationi eius. ergo & tempus, ait Cyrillus, circa quod erat illa voluntas antecedens; ex quo efficiebatur, vt non eſſet filius auctor ſęculorum: neque omnia per eum pater feciſſet: in iis enim, quæ voluntate ſcilicet libera fiunt, ait idem auctor, aliud eſt quod fit,& aliud voluntas qua fit;& neceſſe eſt, vt voluntas antecedat ea quorum eſt voluntas, vt anteceſſit in mundo hoc, cùm voluntate Dei patris fabricatus eſt. Sed ne aliquis fidelium ſic de generatione filij aliquando ſentiret, vt poſtea hæretici ſenſerunt, non dixit apoſtolica doctrina ſimpliciter de patre Deo, generaſſe filium voluntate, ſed addidit ἀμεσιτεύτως, id eſt, ſine medio, vt intelligeremus, quod dixit, voluntate generaſſe, pro eo accipiendum eſſe, quod eſt, volentem generaſſe, neque enim inuitus, ſed volens generauit ἀμεσιτεύτως, id eſt, ſine medio, ita vt voluntas non antecederet. ſi enim anteceſſiſſet, iam non ſine medio, ſed intermedia voluntate, tanquam principio generandi, & intermedio tempore genitus eſſet filius: quod quidem fieri non poterat. Quia enim, vt ait idem Cyrillus, filius eſt virtus,& ſapientia patris, ipſe filius eſt, in quo pater conſilium capit,& in quo vult. Vbi verò voluntas antecedit, ibi conſilium antecedit: vbi autem conſilium, ibi neceſſe eſt antecedere tempus quamuis breuiſſimum, quod conſilio detur. Itaque generatio filij Dei, non eſt ſubiecta voluntati intermediæ, ſed potius, vt idem Cyrillus contra Arrianos docet, proprietas naturæ eſt: quæ autem ex natura ſunt, ait idem, non cadit in ea voluntarium, aut inuoluntarium. Hunc locum Clementis imitatus eſt Gregorius Nazianzenus libro 1. de filio; cùm enim docuiſſet, omnia Deum feciſſe volentem, & voluntate media ab effectis ſecerni, idem rurſus docuit in generatione filii nihil eſſe medium, quod Clemens dixit, generaſſe filium ſine medio; & quod dixit in eodem loco idem Clemens, generaſſe voluntate,& bonitate, Gregorius Nazianz. ſcribens contra Eunomium, generaſſe ait ἀγαθοπρεπῶς καὶ ἀγαπητικῶς, id eſt, vt bonitatem decebat,& dilectè. Denique idem Clemens libro 7. capite 42. clarius adhuc dixit de filio eſſe ante ſæcula beneplacito patris genitum; ita vt quod illic dixit εὐδοκίᾳ, hic dixerit βουλήσει, hoc eſt, volente patre, ſicut Iuſtinus martyr ſcribens contra Tryphonem Iudæum, loquens de generatione filij Dei, volente, inquit, patre prognatum. & Hippolytus martyr in homilia contra Noëtianos, loquens item de generatione filij æterna, Quem, inquit, volens Deus pater genuit,& voluit. Qualis verò ſit huiuſmodi voluntas non media, ſiue huiuſmodi beneplacitum, ſi quis adhuc requirat, videtur mihi explicaſſe ſanctus Epiphanius in Anchorato, cùm ait, neque volentem genuiſſe, ne, inquit, voluntas ſit ante verbum: (cùm ergo negat volentem genuiſſe, volentem voluntate antecedente, negat) rurſus neque non volentem, ne neceſſitate, inquit, ducatur Deus,& non potius ἐλευθεριότητι φρονήματος, id eſt, & non potius libertate cognitionis: immo genuit, inquit, ἐν τῇ ὑπὲρ βουλὴν φύσει, id eſt, in natura ſupra voluntatem, ſic enim legendum eſt Græcè, & ſic legi in exemplari manuſcripto emendatiſſimo, & non ἐν τῇ ὑπερβολῇ, vt nunc legitur in impreſſis codicibus Græcis. Itaque voluntatem iſtam patris in generatione filij videtur mihi interpretatus ſanctus Epiphanius eſſe quandam Dei patris ad generandum libertatem cognitionis naturalem ſupra voluntatem. Huiuſmodi libertatem explicandi cauſa vocare poſſumus complacentiam. quæ quia ante tempus fuit, & ante omne conſilium, neceſſe eſt hac ratione ſupra voluntatem eſſe, & non, vt Arriani tradebant, falſo illud interpretantes, quod pater dixit; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: quaſi de complacentia tempori, conſilio,& voluntati mediæ, ſiue antecedenti

ſubiecta

ſubiecta loqueretur. Ergo, vt hunc locum finiam, cùm Clemens ait Deum patrem generaſſe voluntate ſine medio, apertè ſignificat, generaſſe quidem voluntate, ſed non voluntate media, ſiue antecedente: non, inquam, voluntate libera, quæ eſſet generandi principium, ſic enim vocant Theologi ſcholaſtici, quam veteres patres vocant voluntatem mediam, ſiue antecedentem, eo quòd voluntas principium liberum alicuius rei efficiendæ ipſam rem, cuius eſt principium, antecedit: eſtq́ue media ſicut ipſa operatio inter effectum, & efficiens. Volũtas verò non principiũ, id eſt, voluntas non media, ſiue non antecedẽs, qua pater genuit filiũ, dicitur ab eiſdẽ ſcholaſticis doctoribus, volũtas concomitans, hoc eſt, non media, neque antecedẽs, id ſcilicet, quod vult talis voluntas. Quod verò eſt in lib. 7. cap. 35. opus Dei eſſe *ἀμεσίτευτον*, id eſt, ſine medio, non repugnat iis quæ hactenus dicta ſunt, vt nonnullis forſitan videbitur: nõ enim ſignificat hoc loco *ἀμεσίτευτον*, factũ ſine intermedia volũtate, aut ſine intermedia operatione, neceſſe enim eſt, vt opus aliud ſit præter operantem, & operationem, vt ait B. Baſilius lib. 4. cõtra Eunomiũ; ſed ſignificat potius opus factũ, ſine intermedio miniſterio. Non enim opificium mũdi per vllius creaturę miniſteriũ intermediũ perfectũ eſt, vt tradebant Platonici, & eos ſecuti Arriani; cũ alioqui volũtate Dei media factus ſit mundus.

*Pag. 135.*

*Adhuc offerimus tibi pro omnibus ſanctis, qui à ſæculo tibi placuerunt: pro Patriarchis, pro Apoſtolis, pro martyrib.*] Quomodo (dicet aliquis) pro Apoſtolis, & martyribus orare docemur? Tritũ enim eſt illud, iniuriam martyri facere, qui pro eo orat. Sed quomodo intelligendũ hoc ſit, ex iis quæ paulò pòſt dicit, docemur, ait enim, Memoremus ſanctos martyres, vt mereamur, præmij, quod pro certamine tulerunt, participes fieri. Hoc igitur eſt offerre, & precari pro martyrib. id eſt, hac ratione eos in myſteriis cõmemoramus, & in precationib. noſtris, vt, ſicut ait diuinus Dionyſius, qui hunc locum imitatus eſt, huiuſmodi commemoratione nos ad beatam virtutem hortemur, & ad diuinam ſortem eorum obtinendam per imitationem. Itaque præmium, quod dixit conſtitutio, vocauit diuinam ſortem Dionyſius. petantur reliqua ex ſcholio.

## Cap. XIX. *pag. 143.*

*De diaconiſſa verò ego Bartholomæus conſtituo, vt manus ei tu epiſcope imponas.*] Similiter in ordinatione hypodiaconi cap. 21. manus imponitur: immo etiã in ordinatione lectorum cap. 22. Hæc fortaſſe dicet aliquis contra canones fieri. Sed ne quis erret, obſeruandum eſt, eſſe multiplicẽ manus impoſitionem: manus enim dicitur imponi ei qui baptizatur, quæ *χειροθεσία* vocatur: item manus imponitur pœnitenti: item in ordinatione diaconiſſæ, hypodiaconi, & lectorũ. Significat enim manus impoſitio Dei protectionem, quam precando petimus ei qui ordinatur, qui abſoluitur, qui baptizatur, qui omnes dicuntur *χειροθετεῖσθαι*, id eſt, accipere manus impoſitionem. Vnde in precatione quæ adhibetur ad ordinationem diaconiſſę, & hypodiaconi, ac lectoris, petimus dari eis Spiritum ſanctum, cuius protectionẽ manus impoſitio ſymbolicè ſignificat; vt beatus Dionyſius docuit, cùm ait, ſignificat manus impoſitio protectionem principis, & perfectoris Dei, qua paternè illi ipſi quibus manus imponitur, tanquam filij gubernantur: quæ virtutem ac robur ipſis largitur, & aduerſarias poteſtates repellit. Docet etiam eos quibus manus imponitur, vt omnia opera faciant tanquam ſub Deo operantes, à quo manus impoſita eſt: & tanquam habentes eum ſemper ducem ſuarum actionum. hactenus Dionyſ. horum omnium vis continetur in precatione quæ ad ordinationem diaconiſſæ adhibetur. Da, inquit, ei ſpiritum ſanctũ, & mundam effice ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus: vt opus ſibi impoſitum perficiat. & quæ ſequuntur. Quod verò concilium Nicænum can. 19. ait, diaconiſſas nullam habere manus impoſitionẽ, accipiendũ eſt de ea manus impoſitione quæ faciat eſſe eas extra ordinem laicorum, vt ipſe canõ apertè dicit, ſi quis eum attentè legat. Mentionem enim, inquit, fecimus de diaconiſſis quæ in habitu eſſe probatę ſunt, quoniam manus impoſitionẽ non habeant: ita vt omnino inter laicos eſſe probentur. Hactenus canon. Ergo impoſitio manus, quæ non eximat ex ordine laicorũ, non erit contra canonem. Eſſe autem, vt paulo antè dixi, multiplicem manus impoſitionem, obſeruauit ante nos Igmarus Rhemẽſis tempore Nicolai primi, in libro de variis capitulis eccleſiaſticis cap. 16. Nam non vno modo, inquit, ſemper manus impoſitio intelligitur, ſed pro diuerſitate locorum ſub diuerſa ſignificatione reperitur. aliquando enim pro confirmatione neophytorum accipitur, vt in decretis Apoſtolicorum virorum Clementis, Vrbani, Melchiadis expreſſum ſæpenumero reperitur: nunc pro ordinatione ſacerdotum, ſiue diaconorum, iuxta illud Apoſtoli ad Timotheum, Nemini citò manus impoſueris. quod & canones apertiſſimè præſcribũt. Eſt & reconciliatoria manus impoſitio, per quã pœnitentes hæretici, ſiue excõmunicati ſanctæ Romanæ eccleſiæ reconciliantur, de qua & canones ſimiliter multa dicunt. de qua beatus Auguſtinus in libro 3. de baptiſmo contra Donatiſtas teſtatur, quòd nihil ſit, niſi oratio ſuper hominem, quæ & iterari poſſit. Fit etiam manus impoſitio ſuper infirmos, iuxta illud Euangelij, ſuper ægros manus imponent: item ſuper catechumenos, & energumenos pro expulſione diaboli, quæ ſpecialiter exorciſtis in ordinatione conceditur, quippe vt habeant poteſtatem imponendi manus ſuper catechumenos, ſiue energumenos. item & cùm ſimpliciter aliquem benedicimus, manus ei antiquo more imponimus. Sic enim Iacob patriarcha cùm filios Ioſeph

benedi-



benediceret, manus ei impoſuit: & Dominus in Euangelio, oblatos ſibi paruulos per impoſitionem manus benedixiſſe legitur. Siue autem manus impoſitio pro reconciliatione pœnitentium, ſiue pro depulſione infirmitatis, vel diaboli, ſiue pro ſimplici benedictione hominibus impendatur; ſatis congruè, iuxta Auguſtinum, nihil aliud niſi oratio ſuper hominem intelligitur; vnde & iterari, quoties opus fuerit, non prohibetur. Cùm verò pro confirmatione, ſiue ordinatione impenditur, non iam pro ſola oratione, ſed etiam pro ſacramento habenda eſt, quam ſancti patres iterari prohibuerunt. Hactenus Igmarus.

## Cap. XXI. *pag. ead.*

*Cùm hypodiaconum ordinaueris, epiſcope, impones ei manus, & dices, Domine Deus.*] Non pugnat hæc conſtitutio cum quinto canone quarti concilij Carthaginienſis, cùm ait, ſubdiaconus, cùm ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de epiſcopi manu accipiat vacuam, & quæ ſequuntur: impoſitio enim manus multiplex eſt, vt antè diximus. Cùm igitur conſtitutio ſancit, vt manus hypodiacono imponantur ab epiſcopo, hoc ſancit, vt epiſcopus creet hypodiaconum, non ſic imponendo manus, vt impoſitio manus perficiat conſecrationem, vt in ordinatione Leuitæ, abſit; ſed tãquam in ordinatione hypodiaconi miniſtrantis Leuitæ, ſiue diacono. Similiter cùm ait quarta Synodus Carthaginienſis, non accipere manus impoſitionem hypodiaconum, illam perfectam manus impoſitionem negat, quæ diacono conuenit, quem beatus Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem de ſeptem gradibus (ſi tamen eius eſt epiſtola) ait in conſecratione perfectum eſſe, in conſecratione ſcilicet diaconali, vt ex eo intelligamus ſubdiaconum non eſſe in tali conſecratione perfectum. Eſſe præterea, vt ſuprà dixi, multiplicem manuum impoſitionem, etiam intelligi poteſt ex 14. canone ſecundi concilij Nicæni: Quia ſcimus, inquit, nonnullos ſine manus impoſitione ab infantia tonſuram clerici accipere, & quæ ſequuntur: Manus impoſitionem dixit in ordinatione primæ tonſuræ. omnis itaque electio ac benedictio cuiuſuis eccleſiaſtici miniſtri, quæ ab epiſcopo ſit, per manus impoſitionem fieri dicitur. Hæc verò homonymia, & communio nominis graduum ipſorum diſtinctionem non tollit, neque eos in vnum confundit.

## Cap. XXVI. *pag. 144.*

*Exorciſta non ſit ordinatione.*] Hoc quoque dicet aliquis contra conſuetudinem eccleſiæ catholicæ eſſe, quæ ſecundum Apoſtolicam traditionem, quæ in omnibus eccleſijs Orientis, & Occidentis viget, exorciſtas ordinat. Verùm hæc Apoſtolica conſtitutio non de hoc genere exorciſtarum loquitur, vt ex verbis eius perſpici poteſt, ſed de eo de quo Apoſtolus 1. Cor. 12. poſt Apoſtolos, prophetas, doctores, & virtutes ait poſitas fuiſſe in eccleſia, qui habebant gratias curationũ; quos hic Apoſtolica doctrina, & conſtitutio interpretatur exorciſtas fuiſſe, quos dicit non fieri ordinatione. poſtquam enim dixit, exorciſta non fit ordinatione, ſubiungit, qui enim accepit gratiam curationum, per reuelationem à Deo declaratur, patefacta omnibus gratia, quæ in eo eſt. Itaque vt dabat tunc Deus gratiam interpretationis ſermonum ex alia in aliam linguam, ſic dabat gratiam curationum, qua eijciebantur dæmones, ex quibus ſunt ſpiritus infirmitatis, ſicut Euangelium Lucæ vocat, cùm ait, ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis 18. & inclinata erat, nec omnino poterat ſurſum reſpicere. Huiuſmodi ergo exorciſtæ, quorum gratia omnibus erat manifeſta, non fiebant ordinatione, ſicut nec illi tunc interpretes ſermonũ ſtudio, labore, & electione atque ordinatione fiebant, ſed gratia, quam Deus dabat ſolus, & omnibus manifeſtam faciebat. in locum huiuſmodi exorciſtarum ſucceſſerunt in eccleſia ſecundum Apoſtolicam traditionem, qui vocantur à Deo per epiſcopum ad miniſterium legendi exorciſmos, & imponendi manus ſuper energumenos, vt expellantur dæmones, & ſpiritus infirmitatis. Sic autem fieri exorciſtam non eſt in poteſtate voluntatis noſtræ, niſi accedat ordinatio eccleſiaſticæ hierarchiæ. idcirco huiuſmodi exorciſta nunc ordinatione fit: Sicut illius prioris generis exorciſta non fiebat tunc ordinatione, quia pendebat tum ex gratia, quam Deus dabat, & manifeſtabat ſine hominis miniſterio; tum ex bona voluntate eius qui in ea gratia curationum certare volebat. Vnde in eiuſmodi exorciſta, ſicut ait Apoſtolica doctrina, certamen eſt voluntatis eius, & gratiæ Dei, ſicut in virgine, quæ ſimiliter non fit ordinatione, quia certamen quoque eſt voluntatis eius, & gratiæ Dei.

## Cap. XXXI. *pag. 147.*

*Idem Matthæus ſtatuo, vt benedictiones, quæ in myſticis ſuperſunt, diaconi diſtribuant clero, epiſcopi, aut presbyteri auctoritate: epiſcopo partes quatuor; presbytero tres; diacono duas: alijs verò hypodiaconis, aut lectoribus, aut cantoribus, vel diaconiſſis partem vnam: hoc enim honeſtum eſt, & Deo gratum, vt pro ſua quiſque dignitate honoretur. Eccleſia enim non eſt indecori, ſed decori, & compoſitionis ſchola.*] Qui hæreticè tradunt, myſterium ſanctæ euchariſtiæ non eſſe extra vſum, & actum communionis; ac proinde non eſſe ſeruandum, quaſi non ſit corpus Domini, niſi cùm ſumitur, fortaſſis hanc conſtitutionem ſecum facere falſò exiſtimabunt, quippe quæ iubeat non quidem ſeruare ſacræ euchariſtiæ particulas, ſed diſpartiri ac diſtribuere, quaſi ſeruatæ nihil ſint: ſed non ita

eſt, non facit cum hæreticis hæc conſtitutio, immo aduerſus illos. Etenim ſi extra vſum communionis nihil ibi eſt præter panem, ſi non eſt, inquam, ibi corpus Chriſti, quid opus erat, ea quæ ex myſterijs ſuperabant, miniſtris eccleſiæ pro dignitate cuiuſque diſtribuere? neque enim diſtribuebantur vt communicarent, quaſi non prius communicaſſent; immo potius diſtribuebantur, ne ſeruanda eſſent, illis ſcilicet temporibus, cùm tanta erat multitudo, & vis infidelium; vt ſicut ex cap. 36. eiuſdem libri octaui intelligi poteſt, ſæpe propter infideles non liceret prodire ad eccleſiam; eſſetque neceſſe domi ad rem diuinam conuenire: immo aliquando ne in domo quidem priuata tutò liceret congregari. Ob hanc igitur cauſſam Clemens in perſona Matthæi Apoſtoli conſtituit, vt quæ ex myſterijs ſacris ſupereſſent, quæ quidem, benedictiones vocauit, Apoſtolum Paulum imitatus, cùm ait; Calix benedictionis, cui benedicimus nos, nónne communicatio eſt ſanguinis Domini? Conſtituit, inquam, vt diſtribuerentur ijs quos dixit, ne ſeruata, ab infidelibus, qui vbique dominabantur, tanquam à ſuibus, aut à canibus impiè & profanè tractarentur. Ex eo autem, quòd ſecundum hanc conſtitutionem plures particulæ impertiuntur ei qui maiori dignitate viſibili, & externa præditus eſt, & pauciores ei qui minore, cùm alioqui vnum tantum, & eundem Chriſtum quiſque eorum capiat, intelligi poteſt, ſub pluribus ſpeciebus, panis ſcilicet, & vini communicare, hoc quidem ad honorem, & dignitatem extrinſecus viſibilem pertinere; in alijs quidem, vt in conficientibus hoc ſacramentum, ex inſtitutione, & auctoritate diuina: in alijs verò ex auctoritate Pontificis. Vnde factum eſt, vt cùm Pontifex Romanus rem diuinam facit, propter honorem, & dignitatem miniſtrandi Pontifici ad aram, is qui diaconi miniſterio fungitur, ſub vtraque ſpecie communicet, niſi aliqua ratio ſpecialis id fieri prohibeat, vt cùm orta eſt hæreſis Huſſitarum: tunc enim ſolus Pontifex de calice participabat, vt Auguſtinus Patricius in libello quem de aduentu Friderici tertij Imperatoris Romam ſcripſit, de Paulo ſecundo teſtatur. Communicauit, inquit, ſummus Pontifex altaris ſacramentum cum Imperatore, diacono, & ſubdiacono de pane tantum; de calice autem, etſi conſuetudo, inquit, ſit communicantes cum Pontifice participare; propter inſurgentem tamen Huſſitarum, & Boëmorum damnatam hæreſim, quæ calicis potum ad ſalutem neceſſarium putat, præter Pontificem bibit nemo. hæc ille, qui ſe dicit tũc communioni Pontificis interfuiſſe. Hinc rurſus factum, vt quibuſdam quoque regibus hoc ipſum Pontifex iam olim conceſſerit, propter eorum dignitatem externam, vt regibus Chriſtianiſſimis Gallorum. Quare hoc vt vniuerſæ multitudini vulgi concedatur, non eſt æquum, cùm nulla externæ dignitatis ratio moueat; ac multo etiam minus, vt concedatur vni genti, & nationi, & non alij, niſi vbi aliqua priuatæ œconomiæ ratio poſtulet: præſertim cùm ſecundum decretum Synodi Tridentinæ, quod nuper factum eſt, nemo, qui vnam ſpeciem ſolam accipit, quod ad fructum attinet, neceſſaria ad ſalutem gratia defraudetur; immo neque dignitate interiore diuinæ gratiæ. Fieri enim poteſt, vt qui ſub altera tantum ſpecie communicat, dignius communicet, quàm qui dignè ſub vtraque. Hanc verò dignitatem interiorem, & inuiſibilem, qui ſolus occulta videt, remunerat, non autem eccleſia, quæ non videt niſi quæ oculis patent. Igitur vt maior honor, & dignitas externa, & viſibilis, neque omnes decet, neque omnibus vtilis eſt; ſic neque communicare ſub vtraque ſpecie, quod, vt dixi, ad honorem, & dignitatem exteriorem, & quæ ſub ſenſum cadit, pertinet, non omnes decet, neque omnibus conuenit, neque neceſſe eſt, vt cui ſub vna ſpecie ſancta communio vtilis fuit, mox eidem ſub altera ſit item vtilis recenti vtilitate; tametſi fieri poteſt, vt ſit; vt iam ne ex hac quidem parte vlla iuſta querela ijs relinquatur qui ſub vna communicant; quippe, qui ſub vna alioqui communicantes, poſſunt eos qui ſub duabus communicant, ſpirituali profectu pietatis, & interiore dignitate diuinæ gratiæ ſuperare. Hinc fortaſſis elici poteſt melior, ac ſolidior ratio, cur, ſi populus ſumat corpus ſine ſanguine ſub ſpecie vini, nullum inde detrimentum, vt ait ſanctus Thomas, ſequatur; ſcilicet non ſequitur, non ſolum quia ſacerdos in perſona populi offert, & ſumit ſanguinem, & ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus continetur; ſed quia ſumere etiam ſanguinem, ad exteriorem, & viſibilem dignitatem pertinet: Dignitatem verò exteriorem tantum ſine interiore dignitate inuiſibili diuinæ gratiæ ſi habuerimus, non abundabimus; neque ſi non habuerimus, deficiemus. Ergo neque ſanguinem hac ratione exterioris & viſibilis dignitatis ſumere ſub ſpecie vini, abundare eſt; neque non ſumere, erit deficere, idque cùm totus Chriſtus ſub vna ſpecie contineatur; interiore verò dignitate diuinæ gratiæ vnuſquiſque de populo æquè abundare poſſit. Sacerdos ergo pro dignitate ſua ſacerdotali, quam ſub ſenſibilibus ſignis ſacris in eccleſia catholica accepit, & quam omnes videmus, debet ſecundum Chriſti inſtitutionem, & Apoſtolicam traditionem, myſtica benedictione calicis effuſionem ſanguinis Domini, & repræſentare, & ſumere.

## CAP. XXXII. *pag. 147.*

*Si vir vxorem habet, aut mulier ſi virum, doceantur ſe ipſis contenti eſſe.*] Sic erat in duobus exemplaribus vetuſtioribus, & melioribus: in alio erat, *ſeipſis contenti, ac caſti eſſe.* Quod quidem videtur eſſe additum ab eo cui ſic videbatur intelligendum eſſe, vt quidem eſt: neq; enim laxat habenas omni incontinentiæ, qui coniugium concedit: ſed potius ita concedit Apoſtolus coniu-





gibus reuerti in idipſum propter incontinentiam, vt tamen modũ teneant in coniunctione corporum: ne ſint, inquam, intemperantes, & impudici. Itaque interpretatio potius videtur quàm textus. Facit enim cũ hac lectione Ignatius in epiſtola ad Heronẽ, vbi idem dicit, hinc mutuatus.

*Pag. 149. Qui docet, etſi laicus ſit, modò ſit peritus, & honeſtis artibus, doceat.*] Non permittit hic apoſtolica conſtitutio laicis (nequis erret) vt verbum Dei prædicent: quod ne diaconis quidem permittit, vt ex libro tertio cap. 20. intelligi poteſt. Verùm quando, & vbi laicos docere permittat, & quos docere poſſint, intelligendum eſt ex antecedentibus. Sicut enim philoſophi docent loquendum eſſe, ita locutus eſt hic auctor, ſcilicet ſecundum ſubiectam materiam. Erat autem ſermo de catecheſi tradẽda iis qui ad myſterium baptiſmi accedunt. itaque dixerat, quanto tempore tradenda eſſet: deinceps dixit, à quibus tradi poſſet. poteſt namque tradi à laicis, modò idonei ſint, & periti in verbo Dei, & ſint honeſtæ vitæ. Etenim mulier, cui docere in eccleſia non licet (hoc enim Paulus, & apoſtolica conſtitutio prohibent) poteſt ſecundum apoſtolicam conſtitutionem in eis quæ facilia ſunt, erudire eos qui ad fidem veniunt. alia enim difficiliora reſeruare debet epiſcopis, & presbyteris, & ad eos mittere. Quare conſequens eſt, vt laicus, ſi eruditus eſt, poſſit vel in illis quoque difficilioribus, quæ mulieribus tutò committi non poſſunt, catechumenum erudire, non autem docere in eccleſia. Illa namque auctoritas Eſaiæ citata, Erunt enim omnes docibiles Dei, cauſam declarat, cur laici ſciant; non autem cur doceant. Si enim idcirco docet laicus, vt hæretici volunt, quia eſt docibilis Dei, ſunt autem omnes, ſicut teſtatur propheta, docibiles Dei, eſt igitur licitum, & honeſtum, vt omnes doceant: at non ita eſt: hoc enim Paulus prohibet, cùm iubet vt omnia in eccleſia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant, qui in priore ad Cor. epiſt. de ordine eccleſiæ differens; Si totũ corpus, inquit, oculus eſt, vbi auditus? vbi odoratus? nunc autem poſuit Deus membra vnumquodque eorum in corpore, ſicut voluit. & paulò pòſt apertè, ac ſine parabola, Quoſdam, inquit, poſuit Deus in eccleſia: primùm Apoſtolos, ſecundò prophetas, tertiò doctores. Hi ſunt velut quidam ſpeculatores, qui tenent locum oculorum, vt populo lumen & viam oſtendant, Auditus verò eum ſignificat, cui conuenit percipere doctrinam quæ à magiſtro traditur. Similiter odoratus ſignificat vim diſcernẽdi doctrinam boni odoris, à doctrina mali odoris, vt illa appetatur, hæc fugiatur. Igitur non quia aliquis à Deo doctus eſt, permittitur ei vt doceat: ſed quia qui doctus eſt, ad hunc honorem docendi, ſecundum diuinam cõſtitutionem, vocatus eſt. Docet autem Deus, non vt olim per prophetas, loquens in eis multifariè multiſque modis, ſicut Paulus ait; ſed per filium docet omnes, quicunque diſcere cupiunt; ſic enim præſtat quod promiſit, futuros eſſe omnes doctos à Deo. Sic autem docendo, ſi qui doceri volunt, trahit eos ad patrem, ſicut ipſe idem magiſter noſter in euangelio Ioannis interpretatur. Cùm enim Iudæi murmurarent, quia dixerat deſcendiſſe è cælo, ſubiungit: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus, qui me miſit, traxerit eum: Scriptum eſt in prophetis, & erunt omnes docibiles Dei. Cùm igitur exprobraret eis, quòd indigni eſſent qui ad Deum patrem traherentur, vtpote qui filium non reciperent, ait; Nemo poteſt venire ad me, niſi pater, qui me miſit, trahat eum. quomodo autem trahit? ſcilicet docendo: docet verò omnes, quantum in ſe eſt: non tamen omnes diſcere volunt. Hunc locum interpretatus ſum, quòd eum hæretici malè intelligentes, prophetico teſtimonio probare volunt, licere omnibus, etiam laicis, docere verbum Dei.

## CAP. XXXIII. *pag. eadem.*

*Ego Paulus, & ego Petrus conſtituimus.*] Sic erat in exemplis manuſcriptis. quod quidẽ diſſimulare nolui, vt ſiquis in ea incideret, mutationẽ collocationis non per errorem, ſed callidè, & conſultò factam exiſtimaret; quaſi collocatio Pauli priore loco, beati Petri principatui quicquam derogaret. at non ita eſt, immo poſitus eſt ab ſcriptore Clemente ſecundo loco Petrus œconomicè, ad docendum nos modeſtiam; & vt faciamus quod Paulus præcepit, vt honore inuicem præueniamus. Hæc itaque collocatio docet nos modeſtiam; & dignitati Petri principis Apoſtolorum non derogat. Siquidem in eodem loco ſuprà cap. 4. dixit Petrus; Ego primus Petrus conſtituo, ſicut antea omnes ſimul. Erat enim princeps omnium; quem quidem honorem non ſibi ſumpſit, vt eſſet omnium agnorum, & ouium paſtor: etenim hæc omnes pariter antea conſtituerant. ergo non hoc ipſe nunc primum conſtituit. Quare cùm ait, Ego primus conſtituo, principatum ſuum planè ſignificat, ita vt πρῶτος non primum in numero, vt hæretici volunt, ſed τὸν πρόκριτον, id eſt, primarium declaret: vt eadem conſtitutio interpretata eſt, hoc verbo ibidem vſa. Similiter collocatio Pauli ad dexteram Petri non derogat dignitati Petri principis Apoſtolorum: cuius cauſa eſt, vt ſapienter explicauit eruditiſſimus auctor Petrus Damianus in Epiſtola ad Deſiderium Abbatem, interpretatio nominis Bẽiamin, de cuius tribu fuit. Factus eſt enim à Deo nouus Beniamin, id eſt, filius dextræ, ad certandum pro fide Chriſti cum Iudæis, & gentibus gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei: qui, ſicut de Beniamin ſecundum carnem ſcriptum eſt, mane tanquam lupus rapax comedit prædam, & veſpere diuidit ſpolia, ita ipſe prius ſpirans minarum, & cædis, deuaſtabat eccleſiam Dei, poſtea verò diabolum ſpoliauit, eripiendo eos qui ei prius ſeruiebant, & ad fidem Chriſti conuertendo: tum ad fidem conuerſos diuidendo paſtoribus eorum. Hactenus de Paulo prius in hac conſtitutione poſito: & de eodem

poſito ad dexterã Petri cum gladio diſtricto. Quanto verò eſt hoc grauius,& eruditius de Paulo prius poſito ante Petrum, quàm illud, quod quidam auctor, vir alioqui multa doctrina, multáque obſeruatione, in ſuis varijs quæſtionibus excogitauit, Ad dexteram, inquit, Petri eſt tanquam ſtipator, & comes, velut tegens latus dextrum.

*Pag. eadem. Sabbato, & Dominico die, vacent in eccleſia propter doctrinam religionis.*] Non ſignificat, non eſſe vacandum extra eccleſiam; ſed potius vacationem operum, quæ diebus quinque facere licet, ad hoc potiſſimum referendam eſſe, vt ſuppetat otium ad conueniendum in eccleſia ad rem diuinam, & audiendum in ea verbum Dei. Cùm enim Apoſtoli ſanciunt, vt quinque diebus operemur; ſimul ſanciunt, vt ſabbato, & Dominico non ſic operemur, ſed potius ab eiuſmodi operibus vacemus. Ac de ſabbato quidem cùm ratio eo die feriandi, hæreſis extiterit Simonis Magi, qui creationem mundi non tribuebat Deo, quam illis quidem temporibus hac ratione ſanctiſſimè, ac prudentiſſimè ſancti Apoſtoli vacatione operum feſtiua honorari voluerunt, cùm illa, inquam, hæreſis iam extincta ſit, non neceſſe eſt ab operibus aliorum quinque dierum ſabbato vacare, præſertim propter Iudæos, qui illo die Iudaicè vacant, quod Synodus Laodicenſis can. 29. Chriſtianis prohibet. De Dominico autem ratio vacationis eſt, ſancta Chriſti reſurrectio: cuius ſollemnis cultus, & perpetuus per omnes Dominicos dies agitur, vacando etiam ab omni opere aliorum dierum proprio, ſecundum traditionẽ eccleſiæ ab Apoſtolis relictam: conſuetudo enim omnium eccleſiarum catholicarum teſtis, & interpres eſt huius Apoſtolicæ conſtitutionis. de vacando autem tota hebdomada ſancta cum proxima ſequenti, vt liceat per quietem, & vacationem audire docentem, ſicut ait Apoſtolica conſtitutio, quis pro nobis mortuus ſit,& quis reſurrexerit, hæc conſtitutio non tam præceptum eſt, quàm ſuaſio; vt enim S. Epiphanius in epitome de fide catholicæ, & Apoſtolicæ eccleſiæ, cùm characterem eccleſiæ catholicæ deſcribit, alia ait in ea ſeruari ex præcepto, alia ex voluntaria ſuſceptione, id eſt, libera; ſic dicendum eſt, ex ijs quæ in eccleſia fiunt, quæ à S. Apoſtolis in ea ſtatuta ſunt, alia ſtatuiſſe ex præcepto ſeruanda; alia liberè, quæ nos nõ præcepta, ſed ſuaſiones potius vocabimus. huiuſmodi eſt hæc conſtitutio de vacando tota hebdomada ſancta ad audiendũ verbum,& tota proxima ſequenti: niſi fuerit conſuetudo totam vtramq; hebdomadam vacandi, ibi enim præceptum erit; quia ipſa iam conſuetudo teſtis eſt, ex præcepto eiuſmodi vacationem ſuſcipere voluiſſe.

*Pag. 150. Diebus Apoſtolorum vacent; magiſtri enim veſtri fuerunt ad cognoſcendum & profitendum Chriſtum: vobíſque ſpiritum ſanctum dederunt.*] Sunt quibus non videatur veriſimile, iuſſiſſe hoc Apoſtolos de ſeipſis quod ab Apoſtolicæ modeſtiæ exemplo alienũ eſſe videri poſſit: quibus quidem mirum, ſi ob eandem rationẽ veriſimile videatur dixiſſe Paulum, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Sed nunquid Apoſtoli huiuſmodi vacationem operũ, quam ſanciunt, ad honorem ſuũ referunt, an potius ad honorẽ Chriſti, & ad ſalutem noſtram? imò maximè. quod ſatis quidem declarãt, cùm rationem ſubijciunt, dicentes, *Magiſtri enim veſtri fuerunt ad cognoſcendum & profitendum Chriſtum: & vobis ſpiritum ſanctum dederunt.* Et beatus Chryſoſtomus in principio homiliæ in aſcenſionẽ Domini, & in corpora Martyrum quæ prope corpora hæreticorũ ſepulta erant, hortãs populum, vt ea ſepararent,& in templum ipſis dicatum trãsferrent, ſic ſanctos Martyres loquentes facit: Ne, inquit, nos hi Sancti accuſent, dicẽtes; Non habiti ſumus digni qui vnũ diem Domini noſtri celebrari in noſtris tabernaculis videremus? ne nos accuſent,& dicant, Sanguinem noſtrum pro eo profudimus, & digni habiti fuimus vt capita noſtra amputarentur, & non eſtis vos dignati facere vt in noſtris domicilijs vnum diem Domini agitari videremus? Vides quomodo Sancti qui in cælis ſunt, ſui memoriam in templis ſibi dedicatis celebratam, ad gloriam & culturam Dei referunt? Reprehendant ergo hunc ſermonem Chryſoſtomi patris ſanctiſſimi, & in ſcripturis ſanctis exercitatiſſimi, qui hanc apoſtolicam conſtitutionem à beato Clemente in perſona Apoſtolorum ſancitam,& litteris mandatam reprehendere audent: immo potius, ſi ſapere volunt, rationem, & œconomiam huius conſtitutionis cùm ex illo Chryſoſtomi ſermone, tum ex hac ipſa conſtitutione de celebrandis Apoſtolis intelligant, quare in eorum feſtis diebus vacare oporteat, nempe vt poſſimus gratias agere Deo,& ad exemplum horum magiſtrorum vitam moréſque noſtros componere, ac formare. Quid enim aliud eſt iubere, vt in diebus Apoſtolorum feriemur, quàm iubere vt ad Dei gloriam eorum memoriam celebremus? id eſt, vt vitæ & mortis eorum memores ſimus, ad imitandum: memores item beneficiorum Dei, quæ per eos adepti ſumus, ad agendũ pro eis gratias Deo. Sed quibus adhuc non videtur hoc veriſimile, dicant nobis, quid Paulus dicere voluerit, cùm in epiſtola ad Hebrços ſcripſit, Memores eſtote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum, quorum exitum intuentes conuerſationis, imitamini fidem? de mortuis enim loquitur, quorum memoria etiam feriando celebranda eſt; vt vacet nobis in eorum vitam & mortem, tanquam in formam & exemplum vitæ noſtræ intueri. Quòd ſi hoc dicit Apoſtolus de iam mortuis, & in primis de ipſis Apoſtolis, ex quibus iam erat Iacobus frater Ioannis interfectus, Memores eſtote præpoſitorum veſtrorum, quorum intuentes exitum conuerſationis imitamini fidem; an ſi idem de ſe quoque dicat per anticipationem, ambitioſus exiſtimabitur, qui iubeat vt memoriam eius ad honorem Chri-





ſti, & noſtram vtilitatem celebremus, qui aliàs dicit, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti? Illud verò, quòd reliquis quoque diebus Martyrum eadem conſtitutio vacare iubet, ſic quidam reprehendebat. Neque hoc, inquit, eſt veriſimile, conſtituiſſe Apoſtolos, cùm nullus ſit dies quo non Martyr aliquis paſſus ſit: quare quotidie vacandum eſſet. Reſpondemus igitur, vt Martyrum quidem memoriam celebremus, Apoſtolos conſtituiſſe: id quod per vniuerſas eccleſias obſeruatur: Quos verò Martyres vacatione etiam operum ſeruilium, quæ vocant, aut non vacatione huiuſmodi, ſed aliter celebraremus, & quos ſigillatim, aut communiter ſollemni die feſto omnium ſanctorum, paſtoribus eccleſiarum reliquiſſe. Propoſitum enim fuit ſanctis Apoſtolis, in ijs quæ ad Apoſtolicam & eccleſiaſticam conſtitutionem pertinent, dare nobis ὑπογραμμὸν, & typum quendam generalem, ad quem poſtea à paſtoribus ſingula accommodarentur, vt eccleſiaſtica œconomia ſecundum rationem temporum, locorum, cauſarum, ac perſonarum poſtularet. Hac etiam apoſtolica conſtitutione probatur piè & ſanctè ſanctorum auxilium precibus apud Deum implorari. ideò enim in eorum feſtis diebus ab occupatione operum ſeruilium vacamus, vt ipſi nos per eorum preces, quas eorum dies feſtos celebrando,& eoſdem orando imploramus, Deo commendemus. Quod verò ſancti pro nobis in cælis orent Deum, ad cæteras auctoritates ſcripturæ ſanctæ ab alijs productas aduerſus hæreticos, accedat auctoritas beati Petri principis Apoſtolorum, qui in 2. epiſt. cap. 1. ait: Dabo autem operam, vt poſt obitum meum frequenter horum memoriam habeatis. ſic enim eſt in Græco. Reſpondeat autem Vigilantius, & eius ſimiles Lutherani, quomodo poſt mortem daturus erat operam Petrus, vt obſeruarent illi quæ ex Petro prædicante audierant, ne fortè perfluerent, ſicut Paulus in epiſt. ad Hebræos ſcripſit, quomodo, inquam, niſi mortuus faceret pro eis orando, quod viuens Paulus pro Romanis, & Philippenſibus item orando, faciebat?

## CAP. XXXIIII. *pag. 151.*

*Fidelis cum catechumeno neque domi oret, neque enim iuſtum eſt, vt baptizatus cum non baptizato coinquinetur, item pius cum hæretico: neque domi oret; quæ enim communio luci cum tenebris?*] Ergo contra Apoſtolicam conſtitutionem faciunt (dicet aliquis) qui catechumenos inſtituunt,& in eadem domo, immo in eodem conclaui, dum orare docent, vnà cum eis orant. Item ſæpè contingit, vbi hæretici ſunt, vt in eadem domo habitent parentes cum filijs, id eſt, hæretici cùm catholicis, quos in eadem domo orare neceſſe eſt. Quid igitur dicemus, ne quis malè intelligendo hanc conſtitutionẽ reprehendat? repetenda ſunt ſuperiora,& cõuenienter illis interpretandus canon. Conſtitutum erat proximè, vt ſi fieri non poſſet, propter infideles, vt fideles congregarentur in eccleſia ad faciendam rem diuinam, domi ſaltem congregarentur, ne impius in eccleſiam piorum ingrederetur: quòd ſi neque domi, neq; in eccleſia congregari poſſent, vnuſquiſque apud ſe pſalleret, legeret, oraret. Quare cùm iubet conſtitutio, vt fidelis cum catechumeno neque domi oret, item neque fidelis cùm hæretico; tunc ſcilicet hoc iubet, cùm domi eccleſiam congregare neceſſe eſt ad faciendam rem diuinam: tunc enim idem obſeruandum eſt quod foris in publica eccleſia, ſcilicet, vt ante conſecrationem eijciantur catechumeni,& hæretici, ne cum eis ſecundam orationem oremus: vt prima oratio illa ſit, & dicatur, quæ ante conſecrationem adhibetur, quæ communis eſſe poteſt cum catechumenis, & alijs qui non ſint excommunicati. Vnde paulò ſuprà cap. 12. cùm edixit diaconus, poſtquam ſacerdos ſacrificans manus lauit, nemo catechumenorum, nemo audientium, nemo infidelium, nemo hæreticorum adſit; ſubiungit, Qui primam orationem oratis, exite. Sic quoque intellexit Antiochena Synodus, quæ cap. 2. ſanxit, vt non liceret, neque domi quidem cum eis precari, qui non precarentur nobiſcum in eccleſia. quod quidem cùm in re diuina obſeruetur, vt ſcilicet ex eccleſia, & communi nobiſcum precatione ante conſecrationem eijciantur; idem domi obſeruandum erit, ſi domi eadem res diuina fiat: ſin autem non fiat, non erit obſeruandum.

*Pag. eadem: Chriſtianus ſeruus, aut ancilla copulati, aut ſeparentur, aut eijciantur.*] Non eſt exiſtimandum, conſtitutum eſſe hic coniugium ſeruorum ſine voluntate, atque auctoritate dominorum, irritum eſſe: non enim eſt hæc conſtitutio de diſſoluendo vinculo matrimonij, quod ſemper firmum manet, & indiuiduum ſecundum legem diuinam, quæ ait, Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: ſed de ſola corporis ſeparatione: in coniunctione namque coniugali corporis & animi fit copulatio. Igitur ne euangelium blaſphemè vituperaretur, quaſi doceret ſeruos fraudare dominos ſuos, eóſque incommodo afficere, cùm miniſterium conuictu coniugum impeditur; conſtituerunt Apoſtoli, vt ſerui, qui non auctoribus dominis coniugium inirent, ſepararentur corpore; quòd ſi nollent, eijcerentur ex eccleſia: ſic enim fieri poterat, vt ſecundum Pauli præceptum viuerent, cùm iubet ſeruis, eſſe dominis ſuis ſubiectos, non defraudantes eos, vt doctrinam Saluatoris noſtri Dei ornent in omnibus. Quòd verò ſic ſit hæc conſtitutio intelligenda, elicitur ex verbo ἀφίστασθαι, id eſt, abſtrahi, quod ad ſeparationem corporum pertinet: quod ipſum declarat ἀπὸ præpoſitio, quæ Latinis eſt à, quaſi diceretur, ſeparari à conuictu,& cohabitatione. Similiter in diuina ſcriptura dimittere, quod Græcè ἀφιέναι καὶ ἀπολύειν dicitur, eandem vim habet; ait enim Apoſtolus, Si quis frater vxorem habet fidelẽ, & ipſa conſentit habitare

cum eo, μὴ ἀφιέτω, id eſt, ne dimittat eam: & in euangelio ait, ὃς ἂν ἀπολύσῃ, id eſt, qui dimiſerit vxorem, excepta cauſſa fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Verbum verò λύειν, id eſt, ſoluere, ſolutionem ſignificat vinculi coniugalis, ſicut ſcriptum eſt; Alligatus es vxori, ne quæras λύσιν, id eſt, ſolutionem: ſolutus es ab vxore, ne quæras vxorem. Sed quid ad canonem Baſilij Magni quadrageſimum reſpondebimus? ſic enim ait: Quæ contra Domini ſui auctoritatem nupſit, fornicationis crimen commiſit: ſi verò veniam poſtea & poteſtatem à Domino ſuo impetrauit, iam nupſit, ita vt illa fuerit fornicatio; hoc ſit coniugium. Conuenta enim & pacta eorum qui ſunt in alterius poteſtate, nihil rati habent. non ſignificat beatus Baſilius dirimendum eſſe huiuſmodi coniugium, aut dirimi poſſe: ſed non legitimè nupſiſſe, quæ ſic nupſit, ſed potius intemperanter, & libidinoſè, vt fornicatio potius videatur quàm matrimonium; quod quidem ad exaggerandum crimen dictum eſt, non autem vt coniugium irritum fiat: coniugium enim non eſt genus pacti humani, cuius ſit lex hominum: ſed potius pactum lege Dei ſancitum; qui, vt ait propheta Malachias, conteſtatus eſt inter te, & vxorem adoleſcentiæ tuæ: & ipſa particeps tui, & vxor teſtamenti tui. Deus enim copulat, qui dedit leges matrimonij: idémque veluti pronubus, vxorem viro conciliat, qui per Salomonem ait, Prou. 19. à Domino aptatur mulier viro; & qui dixit per Adam, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ. quam quidem promiſſionem omnes coniuges in ipſo Adam fecerunt, ſicuti à magiſtris eccleſiæ traditum eſt.

CAP. XXXVII. *pag. 152.*

*Ipſius Chriſti ante omnia Deus, & pater.*] Ante omnia dixit, id eſt, ante omnem creaturam: ante, inquam, quàm mundus fieret, ſecundum illud quod Salomon ait in perſona Sapientiæ viuentis, ac per ſe exiſtentis, quæ filius Dei eſt: Dominus creauit me initium viarum ſuarum, in opera ſua, ante ſæcula fundauit me in principio, & quæ ſequuntur. quod eadem doctr. Apoſtolica lib. 5. cap. 20. de humanitate Chriſti interpretata eſt, quam interpretationem poſteà cęteri Patres contra Arrianos ſecuti ſunt. Erat itaque pater creator, antequam mundus fieret: non autem erat pater, antequam generaret, vt Arriani volebāt: quoniam, vt beatus Cyrillus in Theſauris de Trinitate ait, Deo, vt ſit creator, conuenit natura, propter artem ſcilicet, quæ eſt eorum quæ naturæ diuinæ inſunt; cuius quidem artis, quæ Dei propria eſt, effectus eſt id quod extra ſubſtantiam eius efficitur, quod quidem quia non eſt ex ſubſtantia eius, nō neceſſe eſt vt ſimul ſit creator, & creatura; imò prius eſt creator, quàm creet; non autem ſic pater priuſquàm genitet, quia ſcilicet ex ſubſtantia ſua generat. Vt igitur ante carnem Chriſti conditam, Deus pater eius carnis conditor & creator erat; ſic etiam erat Deus eiuſdem carnis factæ ante mundum, factæ, inquam, non quidem re, & effectu, ſed præcognitione, ac prædeſtinatione, ſecundum conſilium antiquum, & verum, ſicut Eſaias ca. 25. prophetauit. Hoc enim myſterium à ſæculis, & generationibus, ſicut Apoſtolus ait, abſconditum, in fine manifeſtatum eſt nobis. Itaque quod Apoſt. doctr. dixit, Deum Chriſti ante omnia, perinde eſt, ac ſi diceret, Deum Chriſti primogeniti omnis creaturæ: Deum, inquam, Chriſti ſecundum humanitatem ex æternitate prædeſtinatam, ſecūdum quam prædeſtinationem ex æternitate erat Chriſtus: non quaſi verbum ſeparatim conſideratum, vnctum eſſet diuinitate, & ſic Chriſtus: qui fuit error, vt anteà dixi, Neſtorij, vt docuit Cyrillus in defenſione tertij anathematiſmi, & peius error Origenis in homil. 9. in Hieremiam, & Euſebius, vt dixi, in libris de demonſtratione euangelica, non vno in loco, ſed multis, nomen Chriſti verbo tribuit Arrianicè, ante carnem aſſumptam, non quidem propter carnem ſumendam, & ex æternitate præcognitam, vt hoc loco Clemens, ſed propter ipſam naturam diuinam verbi, quam dicit fuiſſe vnctam.

Paulò pòſt, *Dominus ſpiritus, & intelligibilium, & ſenſibilium rex.*] Prius quàm hoc interpreter, ne quis malè intelligat, repetendum eſt illud Dionyſij, alienum à ratione eſſe, & à recta via deflexum, non attendere quæ ſit vis propoſiti, ſed attendere voces: atq; hoc quidem non eſſe eorum qui volunt diuina intelligere, ſed eorum qui ſonos tantùm extrinſecus excipiunt auribus; neque ſcire volunt, quid hoc aut illud verbum ſignificet. Conſideremus igitur, quid hoc loco verbum Spiritus, declaret: non enim ſignificat Spiritum ſanctum, ſed animam: quod quidem vel ex eo poteſt facilè perſpici, quod aptiſſimè ſubiungit, *intelligibilium, & ſenſibilium rex.* Etenim ſi nomen Spiritus hoc loco Spiritum ſanctum ſignificat, quomodo Clemens nullam rationem habuit animarum? non enim inter νοητὰ, id eſt, intelligibilia numeratur anima, nec inter αἰσθητὰ, id eſt, ſenſibilia, ſed inter νοερὰ, id eſt, intelligentia, vt philoſophi docent; quare non opinandum eſt Clementem, in omni alioqui philoſophia exercitatum, ignoraſſe hoc. Dionyſius verò in iis quæ de ente, & ideis ſcripſit, Clementem, quem ibi philoſophum appellauit, ſecutus, tripliciter diſtinxit omnia hæc, inquiens in diuinis nominibus cap. 4. Status omnes, & motus, alij mentium cæleſtium, alij animarum, alij corporum ſunt. ac S. Maximus in ſcholio, quod in hunc locum ſcripſit, ſic ait, Νοερὰ ſunt, quæ intelligunt; νοητὰ verò, id eſt, mentes cæleſtes ſub intelligentiam cadunt; alimentum autem νοερῶν, id eſt, intelligentium, ſunt ea ipſa quæ ſub intelligentiam cadunt. ac conſequenter de anima loquens, facultates eius vocat νοερὰς, vt quæ ipſa ſolùm intel-

ligat



ligat ea quæ ſenſum ſuperant, & omnium quæ ſub intelligentiam cadunt extrema eſt: & paulò pòſt, Intelligis, inquit, ex his, quantum anima ab intelligibilibus quæ ſunt cæleſtes mentes, differat? illæ enim ſingulari intelligentia, id eſt, vna ſtatim applicatione notionis percipiunt diuinos ſuperiores fulgores, qui ſecundum menſuram eorum oſtenduntur. at verò anima ratiocinando, & diſcutiendo, id eſt, diuiſa in particularia, & docta ex participatione eorum, mens enim deſcendens ad cogitationes veluti diuiditur in partes, & indiget ratione diſcurrente per plura exempla, ad repræſentandum quod ſupra ſenſum intelligitur. mixtè igitur operatur anima, & ex alio ad aliud ſe transferendo, tum quando intelligit intellectualiter, id eſt, per ſe intus; hoc enim eſt proprium animæ; tum etiam quādo foris ad altiora manu ducitur, ex alienis enim extrinſecus aſcendit. Hactenus S. Maximus. Si igitur tantùm intereſt inter animas, & mentes cæleſtes, quî fiet veriſimile, aut quomodo nobis perſuadebitur, prætermiſſas eſſe animas à Clemente, vel mentibus cæleſtibus eſſe annumeratas? Quod verò τὸ πνεῦμα, id eſt, verbum ſpiritus, etiam cum articulo poſitum, vt hoc loco, aliquando animam ſignificet, ſi quis ambigit, ex Eccleſiaſte intelligere licebit, ait enim cap. 3. in perſona animalis hominis: & quis nouit τὸ πνεῦμα, id eſt, ſpiritum filiorum hominis, an aſcendat ipſe ſurſum? & ſpiritū iumenti, an deſcendat ipſe ſeorſum in terram? Hunc enim locum interpretans Gregorius Nyſſenus, Diſſerebam, inquit, apud me, de quibus carnales homines diſſerunt, & loquuntur: huiuſmodi enim hominibus idem finis videtur eſſe animantiū, quæ ſunt rationis participes, & quæ expertes: & interitum hominibus quoque contingere, vt reliquis animantibus: ac vniuſmodi ſpiritum eſſe omnibus, vtpote qui in nihilum intereat: & ex eadem terra ortum capiat, & conſtet, & in eandem terram vertatur. incertum enim eſſe, an humanæ animæ ſurſum euolaturæ ſint, & animæ reliquarum animantium ratione carentium, deorſum delapſurę. Ex quo factum eſt, vt eis videretur nihil eſſe bonum præter ſenſus voluptatem, qua quiſpiam fruitur in iis ipſis quæ in præſentia agit; atque hoc ſolùm ex vita caduca, & breui comparari. ſiquidem nemo eſt qui demonſtrare queat, quò abiturus ſit poſt hanc vitam. itaque dum hæc diſſerunt, & loquuntur, ſeipſi iumenta facere ſtudent. Hactenus Nyſſenus. Ergo animam hominis carnalis inſtar iumenti vocat Eccleſiaſtes τὸ πνεῦμα τοῦ κτήνους, id eſt, ſpiritum iumēti cum articulo. huic ſignificato tribuit quoq; teſtimoniū Didymus in tertio de Spiritu ſancto libro, adhibita hac ipſa Salomonis auctoritate. deinde cùm enumerat idem Didymus ſignificata huius verbi, adiuncto articulo, ait ſignificare etiam motum cordis, ſicut ait Eſaias; & cognoſcent errantes ſpiritu, prudentiam; id eſt, qui falſo iudicio alia pro aliis bona putant, diſcent, vt ſententiam falſam corrigant, & bona eligant. Sic enim idem Didymus interpretatur. Similiter dictum eſt illud Pauli 1. Corinth. ca. 7. de virgine, vt ſit ſancta corpore, & ſpiritu, cùm corpus dicit, opera ſignificat: cùm verò ſpiritū, voluntatem. & 1. Cor. cap. 14. orabo ſpiritu, orabo & mente; pſallam ſpiritu, pſallam & mente: vtrobiq; eſt ſpiritus cum articulo. quē locum explanans Cæſarius frater Greg. Nazianz. in reſponſionibus ad quæſtiones ſibi poſitas, Spiritum, inquit, vocat animā, mentem verò τὸν αὐτῆς ἡγεμόνα καὶ πρύτανιν, id eſt, ducē eius, & moderatorem, cui tanquā regi ſedenti in capite, & tanquam duci obediens anima, & conſilia cordis ad eam referens, efficitur difficile expugnabilis. Hoc ipſum igitur ſignificat apud Clementem, cùm laudans, ac concelebrans Deū, Dominum vocat ſpiritus, vt qui voluntatis, ac cordis noſtri dominatum teneat, Salomone auctore, cùm ait, Sicut impetus aquæ, ſic cor regis in manu Dei, quò voluerit inclinare, illuc inclinat ipſum. Hoc verò perſpici poteſt in Pharaone, quem Deus nimio ſuo furore inſtar impetus aquæ (voluntati enim eius quis reſiſtit?) decem illis intolerabilibus plagis ad breuiculum tempus flexit, tametſi ad improbitatem ſuam ſponte, pro natura ſcilicet liberæ voluntatis, quæ ſalua, & incolumis ſeruata eſt illi, tanquam immemor, & ingratus reuerſus eſt. Ait igitur Clemens, *Dominus ſpiritus*, laude concelebrans admirabilem hunc Dei dominatum, & imperium, quo voluntates hominum, cùm vult, per prouidentiam ſuam naturæ liberæ conſeruatricem, mutat, & vertit. Atque hæc quidem hactenus. Qui verò his contentus non eſt, vt ſine vlla dubitatione iam certùm habeat, de quo fortaſſis prius dubitabat, ſaltem confirmetur initio ſecundæ precationis. ait enim paulò pòſt, precando iterum, *Deus ſpirituum, & omnis carnis.* Dixit, Deus ſpirituum numero multitudinis, vt cæleſtes ſpiritus ſimul, & humanos complecteretur; omnem verò carnem dixit, vt animas intelligeremus animantium ratione carentium; quæ non ſunt verè ſpiritus, ſed quæ opinione carnalium falſa ſpecie eſſe videntur.

CAP. XLI. *pag. 153.*

*Oremus pro fratribus noſtris, qui in Chriſto requieuerunt, vt Deus ſummæ erga homines caritatis, qui animam defuncti ſuſcepit, remittat ei omne peccatum voluntarium, & inuoluntarium: ac propitius ei factus, collocet eam in regione piorum* τῶν ἀνειμένων, *id eſt, ſolutorum.*] Cùm ſic precatur eccleſia, ſatis clarè teſtatur, exiſtimare ſe in carcere, ſiue in vinculis eſſe animam, pro qua orat vt ſoluatur. orat enim vt ſoluatur vinculis, cùm orat vt deducatur in regionem eorum qui ſoluti ſunt. Eſt igitur poſt hanc vitam aliquis carcer piorum, non clauſus; vnde qui in eo vincti ſunt, aliquando dimitti poſſint liberi ac ſoluti. Ex quo rurſus fit, vt ſit in eiuſmodi carcere non clauſo locus ſoluendi debitum, patiendo: locus item remiſſioni, &

indulgentiæ ac ſubſidio: contrà atque eſt in carcere impiorum, qui clauſus eſt, quia nemo inde exire poteſt. de quo ait Iob cap. 3. Clauſit enim contra eum Dominus. Sic enim interpretatus eſt Dionyſ. Areop. in cap. de defunctis, cùm ait; Etenim eſſe vnumquemque remunerandum; rectè noui, Scripturam ſequens, quæ ait, Clauſit enim Dominus contra eum, &c. item paulò pòſt in eodem capite rurſus precatur eccleſia, vt collocetur mortuus inter ſolutos, & in terra rectorum immunium, id eſt, vbi nullus eſt vinctus, qui in vinculis ſoluat debitum. Obſeruãdus ergo eſt hic locus aduerſus eos qui vel purgatorium negant, vel eũ non concedunt ſupplicij locum eſſe, cùm ſit carcer: tametſi concedant iuuari animas defunctorum poſt hanc vitam noſtris precationibus, & ſacrificijs: hi autem ſunt Græci neoterici. obſeruandus quoque eſt aduerſus eos qui vel hoc etiam negant, qui ſunt peiores, & crudeliores. Illud verò, quod Apoſtoli in eodem capite tradunt eccleſiæ, vt precetur pro defuncto, inquiens, Colloca eum in ſinu Patriarcharum, & Prophetarum, atque Apoſtolorum, & omnium qui à ſæculo tibi placuerunt; quibuſdam videtur abſurdum. Quomodo enim, inquiunt, cõuenit, vt Apoſtoli dum ſuperſtites ſunt, doceant precari pro anima defuncti, vt collocetur in ſinu Apoſtolorum? non eſt diſſimile atque illud alterum de diebus feſtis Apoſtolorum poſt eorum obitum agitandis. quod quidem vt Apoſtoli ad Dei gloriam, & vtilitatem noſtram catholicè præceperunt, vt loco ſuo docuimus; ſic etiam ad doctrinam catholicam ab Apoſtolis traditam, & à Clemente Romano præſcriptam pertinet; ſic precari pro animis defunctorum, vt collocentur in ſinu Patriarcharum, & Prophetarum, & Apoſtolorum, Sanctorúmque omnium qui à ſæculo Deo placuerunt. ita enim docebant vnam eſſe, & fuiſſe ſemper fidem, & vnam ſpem vocationis: omnéſque quotquot à ſæculo placuerunt Deo, expectare in cælis repromiſſionem ſalutis paratæ reuelari in tempore futuro, ſicut ait B. Petrus; cùm erit ſcilicet omnium reſurrectio, vt non ſine nobis; ſicut Apoſtolus ait, conſummationẽ gloriæ accipiant. Sunt enim ſinus Patriarcharũ, ac reliquorum omnium Sanctorũ, vt Dionyſ. in cap. de piè defunctis interpretatur, diuiniſſimæ ac beatiſſimæ ſortes, & quietes, quæ cunctos ſanctos excipiunt; vt in eis beatiſſimam, & nunquam ſeneſcentem conſummationem capiant. Itaque intuens Dionyſius in illam formam Apoſtolicæ precationis, vt collocetur, inquam, in ſinu Patriarcharum, & Prophetarum, & Apoſtolorum, atque omnium qui à ſæculo Deo placuerunt, interpretans quid ſignificaret ille ſinus, dixit ſinus Patriarcharum, & reliquorum omnium ſanctorum, vt Prophetas, & Apoſtolos, quos ipſa precatio nominat, comprehenderet. Præterea teſtatur idem Dionyſius hanc ipſam precationem, quam pro defuncto facit epiſcopus, quam fere totam idem Dionyſius interpretatur, veniſſe ad eccleſiam ſui temporis ex traditione ſanctorum ſuorum magiſtrorum, quos vocat καθηγεμόνας, qui fuerunt ſancti Apoſtoli: ne quis iam dubitet tribuere Apoſtolis tanquam magiſtris, hanc formam precationis pro defunctis.

CAP. XLII. *Pag. 156.*

*Fiant exequiæ mortuorum die tertio, pſalmis, lectionibus, & precationibus, propter eum qui tertio die reſurrexit. item fiant die nono, ad recordationem viuorum, & mortuorum. deinde quadrageſimo ſecundum veterem typum; ſic enim populus Moyſen fleuit. ac rurſus anno exacto, ad habendam memoriam ipſius defuncti: ſuppeditetúrque ex bonis eius ad recordationem eiuſdem.*] Hic quoque dicet aliquis: Si hæc eſt Apoſtolica conſtitutio, quomodo Ambroſius ait lib. 5. epiſtolarum in oratione de exitu, & virtutibus Theodoſij, loquens de exequijs, Alij diem tertium, & trigeſimum obſeruant; alij diem ſeptimum, & quadrageſimum: & Origenes in commentarijs Iob libro tertio, ſeptem, inquit, diebus agitur luctus mortuorum: & Ephræn Syrus in teſtamento ſuo iuſſit, vt poſt trigeſimum diem ſui recordarentur. An ignorabant iſti Apoſtolicam conſtitutionem? minimè; ſed nihil referre exiſtimarunt, ſeptimo, an nono; quadrageſimo, an trigeſimo die exequiæ fierent, quòd eodem ſcilicet ſpectaret ratio ſeptimi; & noni; trigeſimi, & quadrageſimi. Sed explicemus, quomodo eadem ſit ratio ſeptimi, & noni in exequijs faciendis: quia ſcilicet vt tertio die facimus exequias ad precandum pro defuncto, & ad noſtram in eo luctu conſolationem, vt memores reſurrectionis Domini, qui tertio die reſurrexit, ſpem habeamus, quòd qui in Chriſto mortuus eſt, ſicut Chriſtus reſurrexit, reſurget & ipſe in nouiſſimo die: Sic etiam eodem propoſito ſeptimo die exequias repetimus ad orandum pro mortuo, & ad noſtram conſolationem, vt luctum temperemus, memores, quòd requieuit defunctus ab operibus ſuis, ſicut à ſuis Deus die ſeptimo: reliquúmque eſſe, vt is pro quo oramus, in requiem cæleſtem ingrediatur: dies enim ſeptimus, dies quietis eſt; ſiquidem ſabbatum dies ſollemnis quietis, dies ſeptimus erat. Vnde Græci, ex vetere, credo, traditione, per ſingula ſabbata totius anni tum hac cauſſa ſacrificium pro mortuis facere conſueuerunt; tum etiam, quia reſurrectioni Domini, quæ fuit reſurrectio noſtra, à veſpera ſabbati initium conſtat aſcribi. ſic enim Leo magnus in epiſtola 81. ad Dioſcorum Alexand. ſcripſit. Item Eccleſiaſticus cap. 22. Modicum, inquit, plora ſuper mortuum, quoniam requieuit. Luctus mortui ſeptem dies; fatui autem, & impij, omnes dies vitæ illorum. Septem, inquit, dies luctus mortui, vt ſcilicet veniret in mentem quietis quam defunctus ſortitus eſt; numerus enim ſeptem, vt paulò antè dixi, numerus eſt quietis, ſicut numerus ſex, numerus operum & laborum. Similiter die nono fiunt exequiæ ad recordationẽ viuentium, & mortuorum, vt ait Apoſtolica



ſtolica conſtitutio, & ad noſtrã conſolationem; vt precemur, inquam, pro viuis, & defunctis: numerus enim ſextus, eſt dies formationis hominis; & numerus triũ, numerus reſurrectionis mortuorũ per Chriſtum, qui die tertio reſurrexit. Euſtratius verò Conſtãtinopolitanus, vetus auctor, hanc rationem noui diei in exequijs faciendis attulit, quòd poſt dies octo iterum apparuit Dominus diſcipulis, ingreſſus ad eos ianuis clauſis; qui dies, inquit, accedẽs ad Dominicum, quo die Dominus reſurrexit, efficitur nonus. Rationem verò quadrageſimi illam eſſe, idem auctor ait, quòd poſt quadraginta dies aſſumptus eſt Dominus in cælũ, quare eo die exequias, vt ego exiſtimo, facimus, vt in eiuſmodi luctu nos conſolemur, memores aſcenſus Domini in cælum: vnde eum expectamus venturũ in die iudicij, ſicut aſcendit poſt 40. dies in cælum, vt idem Dominus dixit diſcipulis, cùm aſcenderet: Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælũ, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntẽ in cęlum. Vnde Apoſtolus conſolatur eos qui deflent mortuos ſuos, in epiſt. ad Theſſ. Si enim, inquit, credimus quòd Ieſus mortuus eſt & reſurrexit; ita & Deus eos qui dormierunt, per Ieſum adducet cum eo. & paulò pòſt, quoniam, inquit, ipſe Dominus in iuſſu, & in voce archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo. Hoc ergo in typo ſignificatũ eſt, cùm populus poſt 40. dies impoſuit finem luctui pro morte Moyſis, ſcilicet aſcenſurum eſſe Meſſiam poſt 40. dies in cælum, vnde venturus eſſet in generali iudicio, & reſurrectione mortuorũ, vt ſecum adduceret in cælum reſuſcitatos in gloriam. Idcirco ait conſtitutio Apoſtolica, Fiant exequiæ quadrageſimo die ſecundũ veterem typum: Populus enim, inquit, 40. diebus fleuit Moyſem; totidem diebus ſecundum eundem typum fleuit Ioſeph mortem patris Iacob. tametſi in exemplaribus quæ nunc habemus, tum Græcis, tum Hebraidis, tum Latinis, in luctu populi propter mortem Moyſis 30. dies leguntur, vt etiam reperi ſcriptum in exemplo Græco conſtitutionum Calabro, quod neſcio quomodo oblitus ſum notare in margine libri Græci impreſſi. Vtra verò lectio verior ſit, non auſim affirmare, tametſi hanc lectionem Calabri exemplaris de triginta dierum fletu in morte Moyſis, confirmet auctoritas Philonis, qui in extrema parte libri tertij de vita Moyſis ait, populum fleuiſſe mortem Moyſis integro menſe. Ratio verò trigeſimi in huiuſmodi exequijs, ſiue in luctu populi Iſraëlitici propter Moyſem 30. ſiue 40. dies legamus, illa eſt, quòd numerus trigeſimus, ſiue quia conſtat ex numero perfecto ter duplicato, numerus reſurrectionis eſt, in qua omnes reſurgent perfecti propter reſurrectionem Chriſti tertio die factam: ſiue quia eſt numerus ætatis Chriſti, cùm venit ad baptiſmum, & vidit cælos apertos: per baptiſmum verò noſtrum, cuius ille fuit protypoſis, conſepulti ſumus cum Chriſto; vt ſicut ille reſurrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos reſurgamus, & in cælũ cum eo aſcendamus: ſiue quia numerus trigeſimus, numerus eſt altitudinis arcæ Noe, quæ fuit typus baptiſmi, vt nos docuit beatus Petrus, per quẽ à diluuio peccatorũ liberamur, & nobis aperitur cælum, quò aſcendit, quẽ deſcenſurum inde ſperamus, vt ſecum adducat reſuſcitatos in reſurrectionem gloriæ. Denique cùm facere exequias mortuorum ſiue quadrageſimo, ſiue trigeſimo die ad ſubſidium mortuorum, & ad conſolationem lugentiũ pertineat, hoc, aut illo die facere, nihil referre voluerunt S. Apoſtoli, quorũ alij alijs eccleſiis hunc, alij alijs illum numerũ tradiderunt. Idem dicendum eſt de die ſeptimo, & nono: neque enim in ijs quæ huiuſmodi ſunt, hærere nos litteræ voluerunt, ſed ſpirituali intelligentia potius, cauſſas traditionum inquirentes, & obſeruantes. De die verò tertio nulla eſt in eccleſijs catholicorum varietas, quòd hic numerus vbique ſit dies reſurrectionis. idem quoque numerus erat antiquis patribus, ſecundum veterem typum ſollemnis in luctu mortui. Vnde Eccleſiaſticus cap. 28. Facies, inquit, luctum ſecundum dignitatem mortui vno die, & duobus propter calumniam. In fine verò anni poſt mortem defuncti exequias facimus, quod vbiq; etiam ſollemne eſt, & ratum, vt orãtes pro mortuo luctũ adhuc temperemus, memores, quòd etſi vitam hic finiuit, quod exitus anni poſt mortem illius ſignificat, tamen ſupereſt altera vita, quam annus ſequens, qui præteritum ſequitur, repræſentat.

CAP. XLVI. *Pag. 157.*

*Cum quo facie ad faciem loquebatur, non per obſcura, aut ſomnia, aut angelos, aut ænigmata.*] Poſuit genus: deinde diſtribuit in ſpecies. Habet enim aliquid obſcuritatis, ſiue aliquid non manifeſti ſermo Domini per ſomnium, aut per angelos, aut in ænigmate factus. vnde quia non omnes videbant huiuſmodi ſermones à Deo proficiſci, falſi prophetæ ſermones Dei, & viſiones, ac ænigmata prophetarum imitabantur. vt cùm Hieremias collo circumpoſuit circulum ligneum iuſſu Dei, ad repræſentandam futuram captiuitatem Babylonicam; & Ananias falſus propheta fregit eiuſmodi circulum ligneum, inquiens, ſic dicit Dominus, Fregi iugum Babylonis; & apud Oſeam, Ego, inquit, Dominus viſiones multiplicans, & in manibus prophetarum aſſimilatus ſum. Eſt autem in omni huiuſmodi viſione, ſcilicet phantaſtica, & in huiuſmodi aſſimilatione ἄδηλόν τι, quod propriè conuenit prophetiæ, id eſt, aliquid non omnino manifeſtum. Prophetia enim, vt ait S. Thomas $2^{da}$. $2^{dæ}$. q. 174. art. 2. ad $3^{m}$. importat quandam remotionem, & obſcuritatem ab intelligibili veritate. Sed dicet aliquis, quomodo non loquebatur Dominus cum Moyſe per angelos, cùm teſtetur Apoſtolus, locutum eſſe Moyſi legem per angelos, cùm ait Galat. 3. Lex Moyſis ordinata per angelos in manu mediatoris: & Stephanum actuum 7. Hic eſt, inquit, qui fuit

qui fuit in eccleſia in ſolitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sinai; qui accepit, ſcilicet per angelum ei loquentem verba vitæ dare nobis. & iterum: Qui accepiſtis, inquit, legem in diſpoſitione angelorum. Sed rurſus dicemus nos, quomodo neque per ænigmata loquebatur ei, ait enim ſcriptura Num. cap. 12. Ore ad os loquor ei, & non per ænigmata & figuras, cùm tamen dixerit ei Deus, Cùm conſummaret tabernaculum, Exod. 25. Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. Quod quidem, vt diuinus Dionyſ. in Hier. eccleſiaſtica cap. de myſterio ſacræ vnctionis Apoſtolum ſecutus, interpretatus eſt, ſignificabat illa omnia quæ ſecundum legem in Moſaica hierarchia fiebant, fuiſſe eorum myſteriorum quæ in nouo teſtamento futura erant, imagines, in illo typo & exemplari tabernaculi, quod tunc in monte oſtenſum eſt Moyſi, repræſentatas: per ænigmata ergo loquebatur Dominus Moyſi. Quare cùm ait Clemens, *Loquebatur ei facie ad faciem, non per angelos, neque per ænigmata*, non ſignificat nunquam ſic ei locutum eſſe, abſit: ſed quòd aliquando ſic ei loquebatur facie ad faciem, ſiue ore ad os, vt ait ſcriptura, Num. 12. quod idem valet; ita vt non per angelum, aut per ænigmata tunc ei loqueretur. Quomodo verò ore ad os, id eſt, apertè, & per ſe ei loqueretur, parum hoc refert intelligere, modò ſcripturæ, quæ hoc dicit, credamus: idque factum fuiſſe in figura; vt ſcilicet hac ratione eſſet Moyſes typus Chriſti filij Dei, in quo Deus nouiſſimè diebus iſtis ſine medio vllo locutus eſt; qui multifariam multíſque modis olim patribus locutus fuerat. qui prophetam ſicut Moyſem ſuſcitauit Dominum Ieſum, alterum legiſlatorem, de quo Deuteron. cap. 18. prædixerat, inquiens, Ponam verba mea in ore eius.

*Pag. 158. Nos autem tredecim Apoſtoli à Saluatore noſtro facti epiſcopi.*] Non diſcrepat hic locus à cap. 13. Actuum, vbi Paulus, & Barnabas ordinati ſunt ab ijs qui erant Antiochiæ. Paulus enim non fuit vocatus ab hominibus, aut per hominem, ſicut ipſe teſtatur in epiſt. ad Gal. & vt Lucas narrat Act. 22. ſed à Chriſto, vt reliqui Apoſtoli. Declarata verò fuit eius vocatio accepta poteſtate hierarchica per ordinationem factam à Chriſto per homines. Barnabas verò non ſic fuit immediatè vocatus à Deo, ſed à Deo per alios, à quibus fuit miſſus, Act. 11. qui & ipſe cum Paulo fuit ordinatus epiſcopus.

*Pag. eadem. Primus igitur natura pontifex vnigenitus Chriſtus.*] Non ſignificat (ne quis erret) verbum Dei natura ſua ante carnem aſſumptam, fuiſſe pontificem, qui fuit error Arrianorum, vt ex Euſebij libro 10. demonſtrat. euangel. cap. p. intelligi poteſt; quo in loco ait, Verbum, tanquam pontificem humanũ corpus de noſtro grege inſtar agni, aut ouis ſumpſiſſe. Idem ſimili errore tradit fuiſſe verbum ex æternitate diuinitate vnctum, ac proinde Chriſtum Dei, qui fuit quoq; Neſtorij error, qui Chriſti nomen non vni hypoſtaſi, ſed diuinæ naturę tribuebat, & rurſus tribuebat humanæ, in duos Chriſtum diuidens cum Paulo Samoſatenſi; neque ſignificat, natura factum eſſe pontificem, id eſt, virtute naturali: vt enim non eſt factus homo virtute naturali, ſed per operationem ſpiritus S. ita neque pontifex. Chriſtus igitur non fuit pontifex propter gratiam electionis, aut ordinationis, ſed propter humanitatem cum verbo vnitam, non vnione ſecundum gratiam, aut ſecundum voluntatem, aut dignitatem, aut aliquam habitudinem, vt hæretici aiebant, facta, ſed naturali, & hypoſtatica vnione: qui enim dixit ei, ſicut Apoſtolus ait, Filius meus es tu; idem dixit, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinẽ Melchiſedec. Quare ſicut filius Dei factus eſt filius hominis, non adoptione, ſed natura, id eſt, verè, & ſecundum ſubſtantiã; ſic factus eſt ſacerdos ſecundum eandem naturam verè, & ſubſtantialiter vnitam cum verbo in vnam hypoſtaſim. Rurſus quatenus Chriſtus vnum eſt natura cum Deo patre, ante incarnationem, & ante ſæcula fuit Chriſtus, & ſic in ſcripturis dicitur, vt in Hier. ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus; Dominus autem, vt Apoſt. ait, ſpiritus eſt. & idem, bibebant, inquit, de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. ac eadem ratione fuit pontifex primus natura; ac ſic quidem non cœpit ex tempore ſacerdotium, ſiue pontificatum; quia ante incarnationem non indigebat, donec ſumpſit humanitatem, quæ indigebat vnctione regali, & ſacerdotali naturali. huc pertinet quod ait Cyrillus in Catecheſi 10. de Chriſto, ἐκ ἀπὸ χρόνων ἀρξάμενος τῆς ἱερατείας, id eſt, non cœpit ex tempore ſacerdotium.

*Epiſcopus aut presbyter aut diaconus curas ſæculares ne ſuſcipiat; ſi non paruerit, deponatur.*] Fortaſſe dubitabit aliquis, an diſcrepet ab hoc canone Apoſtolorum decretum Anacleti Apoſtolici Pontificis in epiſt. 1. cùm ait, Si verò fuerit negotium ſæculare; apud viros eiuſdem ordinis, iudicio tamen Epiſcoporum, iudicetur. At non ſolùm non diſcrepat, ſed potius eum confirmat & declarat, & Apoſtoli Pauli locum de iudiciis ſæcularibus in epiſtola ad Corinthios interpretatur, Cùm enim Anacletus iubet, vt ſi negotium ſæculare ſit, apud viros eiuſdem ordinis iudicetur, apud ſæculares ſanè iudicari iubet, vt ſæcularia à ſæcularibus ex officio iudicentur. hi enim ſunt eiuſdẽ ordinis, cuius ſunt negotia ſæcularia. ſubiungit deinde Anacletus, cùm Apoſtolus priuatorum Chriſtianorum cauſſas magis Eccleſiæ deferri, & ibidem ſacerdotali iudicio magis terminari voluerit. cùm priuatorum Chriſtianorum cauſas dicit, laicorum ſiue ſæcularium cauſas dicit: Laici enim ſunt priuati Chriſtiani; clerici verò, publici miniſtri Eccleſiæ. Rurſus, cùm dicit Anacletus, Paulum horum cauſas magis Eccleſiæ deferri voluiſſe; laicis Chriſtianis dicit deferri

voluiſſe



voluiſſe, vt cum eo congruat quod proximè idem Anacletus dixerat, quodque auctoritate Pauli probat, vt ſi negotium ſæculare ſit, apud viros eiuſdem ordinis iudicetur, id eſt, apud ſæculares ſiue laicos, & ibidem ſacerdotali iudicio magis terminari voluerit. Cùm hoc poſtremum dixit, ſatis ſignificauit, quorſum iudicium Epiſcopi in cauſis ſæcularibus tunc adhibendum eſſet, ſcilicet vt qui parere noluiſſet, & ſtare iudicato, ex Eccleſia eijceretur. quod quidem ad illa tempora ſpectabat; cùm Gentiles dominabantur; & Chriſtiani nullo alio ſupplicij genere ad parendum iudicio, cogi poterant, nec alio gladio cæli, quàm anathematis. ad decernendum autem iuſtè anathema neceſſe erat, vt Epiſcopus cauſam cognoſceret ſæcularem, & eam cum ſæcularibus iudicibus iudicaret, vt ſic perduceretur ad finem iudicium, iuxta Prophetam Abacuc, pro quo Anacletus dixit terminari iudicium ſæculare, iudicio ſacerdotali. Cùm igitur canon Apoſtolorum vetat, ne Epiſcopus aut Presbyter aut Diaconus ſæculares cauſas ſuſcipiat, ad alia iam tẽpora ſpectat, & ad alium ſtatum Eccleſiæ, in quo dominatus non Gentilium ſed Chriſtianorum eſt. tunc enim non eſt neceſſe, vt Epiſcopus ſæcularia iudicet, qui reum iudicio non acquieſcentem ex Eccleſia eijciat, & communione fidelium priuet, & ſic demum finis liti imponatur; niſi cùm expedit, vt per viam denunciationis, vt nunc loquuntur, ratione peccati cauſas ſæculares iudicandas ſuſcipiat, aut ex defectu iuſtitiæ ad exhibendum iuſtitiæ complementum. Extra has cauſas qui eiuſmodi cauſas ſæculares ſuſcipit, non ſolum contrà canonem Apoſtolorum, ſed contra ſcripturam Pauli facit, cùm ait, ſæcularia autem negotia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, hos conſtituite. laicos dicit, qui nihil ſunt in Eccleſia. hoc enim ſignificat quod Græcè eſt ἐξουθενημένους ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, qui nihil, inquam, ſunt in Eccleſia, id eſt nullius gradus & ordinis Eccleſiaſtici. vt enim conſueuit Apoſtolus de primariis in Eccleſia dicere, eſſe aliquid, de quibus rurſus ibidem dixit, qui videbantur columnæ eſſe; ſic conſueuit dicere, eſſe nihil in Eccleſia eos qui nullum gradum in Eccleſia habebant, qui ſunt ſcilicet ſæculares ſiue laici; idcirco non dixit, qui nihil ſunt, ſiue contemptibiles ſunt, ſed addidit, in Eccleſia: ſic enim ſecernit laicos à clericis, qui ad eum honorem à Deo vocati ſunt, vt in tabernaculo teſtimonij, quod eſt Eccleſia, ex clero tanquã ex Leuitica tribu euangelica, Domino ſeruiant, qui eſt eorum pars & hæreditas, quia ex oblatis Deo viuunt, quod ad eorum quoque honorem pertinet, quórum neutrum laicis conuenit; idcirco eos vocat contemptibiles in Eccleſia. Ac quòd laicos intelligat Apoſtolus, cùm contemptibiles in Eccleſia dicit, eóſque iudices cauſarum ſæcularium conſtituere iubeat, confirmat B. Petrus cùm ait in ordinatione Clementis, in epiſtola eiuſdem ad Iacobum fratrem Domini, nec enim iudicem aut cognitorem iudiciorum ſæcularium hodie te ordinare vult Chriſtus. & paulò pòſt, Iſta namque, quæ tibi minus congruere ſuperius expoſuimus, exhibeant ſibi inuicem diſcentes, id eſt, laici. ac rurſus paulò infrà, Sicut enim impietatis tibi crimen eſt, neglectis verbi Dei ſtudiis, ſollicitudines ſuſcipere ſæculares; ita vniculque laicorum peccatum eſt, niſi inuicem ſibi etiam in iis quæ ad communis vitæ vſum pertinent, operam fideliter dederint. quòd ſi fortè à ſemetipſis hoc laici non intelligunt, per Diaconos edocendi ſunt, vt tibi ſolius Eccleſiæ ſollicitudines derelinquant. Laicos igitur, quamuis ſint inerudití, & doceri à Diaconis oporteat, vnde diſcentes paulò ſuprà eos vocauit, iudicio tamen rerum ſæcularium B. Petrus cum Paulo conſentiens præficere iubet. Ex libro 2. de Conſtit. Apoſt. intelligi quoque poteſt vocaſſe hic Paulum laicos contemptibiles in Eccleſia. Sic enim ait Apoſtolica conſtitutio cap. 14. Nec enim iuſtum eſt ô Epiſcope, cùm ſis caput, vt caudam attendas, id eſt laicum ſeditioſum, ſed Deum ſolum. cum cauda quę eſt extrema pars animalis, & ad motum facilis, comparauit laicos ad motus & ad tumultus promptos, qui ſunt extrema pars Eccleſiæ, tanquam myſtici animalis myſtica cauda. Vnde Dionyſius Areopagita in epiſtola ad Demophilum, poſt Epiſcopum in Eccleſia locat Presbyteros; poſt Presbyteros miniſtros; poſt miniſtros Eccleſiæ, monachos; eos intelligit, qui monachi ſimplices ſunt, neque clerici, neque laici; poſt monachos, laicos. immo ipſe Apoſtolus quóſnam vocat contemptibiles in Eccleſia, & cur, non obſcurè expoſuiſſe videtur, cùm paulò ſuprà dixit, & ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis qui de minimis iudicetis? ſiue, vt verbum verbo reddamus; indigni eſtis minimis iudicijs? minima iudicia vocat iudicia de minimis, id eſt, de ſæcularibus negotiis, quæ minuta ſunt & contemnenda, ſi cum ſpiritualibus conferantur. Huiuſmodi ergo iudiciis minimis præeſſe eos qui in Eccleſia minimi eſſent, iuſſit Apoſtolus. minimos enim vocat B. Chryſoſtomus, interpretans hunc locum, quos Apoſtolus vocauit contemptibiles. idem facit B. Hieronymus explanans eundem locum. minimi autem in Eccleſia, ſæculares ſiue laici ſunt; contrà verò, magni ſunt & potentes in Eccleſia Epiſcopi, & infra eos Presbyteri, quibus talem & tantam dedit Deus poteſtatem, ligandi ſcilicet & ſoluendi, quæ eſſent liganda & ſoluenda in cælo, & infra Presbyteros reliqui miniſtri Eccleſiæ, qui ſuis etiam gradibus diſtincti ſunt. infimi verò omnium in Eccleſia ſunt laici; quatenus ſæculares ſunt. non decebat igitur vt qui maiores erant, minimis iudicijs præficerentur; ſicut neque rurſus decebat, vt minimi in Eccleſia præfecti eſſent maximis iudicijs, qualia ſunt Eccleſiaſtica, quamuis in eis eſſent periti, immo peritiſſimi. Sed quaſi aliquis Apoſtolo reſponderet, non poſſe minimos in Eccleſia Corin-

thiorum

thiorum, id eſt, laicos, cauſarum ſæcularium iudices conſtitui, quòd non eſſent ſapientes & periti, occurrit Apoſtolus, inquiens, Ad verecundiam veſtram dico, ſic non eſt apud vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum? ſed frater cum fratre contendit, & hoc apud infideles? ſignificare voluit his verbis, non ita magna ſapientia opus eſſe ad dirimendum controuerſias de rebus ſæcularibus inter fratres, ne publicè litigandum eſſet, præſertim apud infideles, quod omnino licere noluit. Declarat magis hunc locum Apoſtolica conſtitutio lib. 2. Clementis cap. 46. Ne igitur, inquit, diſceptationes veſtras Gentiles cognoſcant. & paulò pòſt; Si autem fratres habuerint aliquid alius aduerſus alium, quod Deus auertat, ex ipſiſmet & ex re ipſa intelligere debetis, qui præpoſiti eſtis, quòd qui tales ſunt non faciunt opus fratrum in Domino, ſed potius hoſtiliter diſſidentium. atque alter quidem eorum reperietur lenis, æquus, & filius lucis; alter verò immitis, contumax, oppreſſor. qui igitur conuictus fuerit, obiurgetur, eijciatur, & pœnas fraterni odij luat. Deinde ſi eum peccati pœnituerit, recipiatur, atque ita caſtigati iudicia veſtra alleuabunt. Huc ergo ſpectat ſapientia, quam Apoſtolus in iudicijs ſæcularibus à Corinthijs laicis requirebat, quæ non poterat deeſſe illis, ſiquidem ex ipſis fratribus contendentibus, & ex ipſa re, de qua erat contentio, cognoſcere poterant præfecti iudicijs iſtis, vter eorum eſſet in crimine, & non faceret opus fratris in Domino, vt condemnatus obiurgaretur, ac vt meritus eſſet, puniretur. atque ita fieret, vt frater cum fratre non litigaret, quod Apoſtolus volebat. pro quo Apoſtolica conſtitutio dicit, ſic caſtigati iudicia veſtra alleuabunt. Cùm ergo dixit Apoſtolus, ad verecundiam veſtram dico; ſic non eſt quiſquam ſapiens inter vos qui iudicare poſſit inter fratrem ſuum? ſed magis frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? perinde eſt, vt ſi diceret, erubeſcendum vobis eſt, ſi nemo ſit inter vos tam ſapiens qui ſciat cauſas ſæculares diiudicare; ne neceſſe ſit publicè litigare. ſic B. Hieronymus. erat itaque ad hoc faciendum ſapiens, quicunque bonum & æquum ſciret, quíq; virtutibus præditus eſſet. Ferè enim inquit Ariſtoteles in libro 5. Moralium, pleræque leges ſunt, quæ ab omni virtute iubentur. Lex enim iubet viuere ex omni virtute, & rurſus prohibet viuere ex omni vitio. & paulò pòſt, Qui controuerſiam, inquit, habent, confugiunt ad iudicem: adire autem ad iudicem, eſt adire ad ius ipſum; Iudex enim eſt velut ius animatum. & quærunt Iudicem medium, & vocant nonnulli iurimedios, tanquam conſecuturi ius ipſum, ſi medium conſequantur. Iuſtum ergo eſt medium quid; & iudex ad medium redigit æquando. vt ſi linea in duas partes diuiſa eſſet, & id quo maior pars minorem ſuperat, minori addiderit, ſitque iam totum diuiſum in partes duas æquales, tunc aiunt habere quemque ſuum, cùm æquale habent. Hæc princeps Philoſophorum. Huiuſmodi autem ratio iudicandi tantæ ſapientiæ erat, vt erubeſcendum eſſet populo Corinthiorum, ſi nullus eam haberet ad iudicandas ſæculares cauſas fratrum de damnis & iniurijs. in his enim habere ſolent fratres aliquid alius aduerſus alium. Huc pertinet quod Plato ſola ratione magiſtra libro 9. de Legibus ſcripſit, Vbi, rectè, inquit, omnia conſtituta ſunt, cùm futuri iudices bene educati & omni diligentia probati fuerint; ibi in ijs quæ alij aliis debent, etiam parum eruditi iudicare poſſunt, ac ſcire cuiq; culpæ parem pœnam irrogare. Hæc Plato. Nolebat itaque Apoſtolus, vt de rebus ſæcularibus iudicarent, qui erant aliquid in Eccleſia, vt Epiſcopi, qui ſunt columnæ, neque Presbyteri, qui ſunt eorum adiutores, neque reliqui miniſtri Eccleſiæ, ſed qui nullius gradus eſſent in Eccleſia, id eſt, laici, & ij quidem, non qui ſapientiores cæteris eſſent; illos enim ad gubernandas potius Eccleſias, quàm ad iudicia ſæcularia eligi volebat, vt ex ijs quæ in epiſt. ad Timotheum & ad Titum de Epiſcopis ſcribit, quales eſſe debeant qui eligendi ſunt. Sed abſoluamus totum Pauli locum de iudicijs iſtis ſæcularibus. ſequitur enim, iam quidem omnino delictum eſt, quòd iudicia habetis inter vos. ἥττημα eſt Græcè, quod interpres Latinus vertit delictum. ſignificat autem verbum Græcum hoc loco ſuccumbere tentationi, in quam incidit frater cùm litigare vult cum fratre, & non potiùs damnum pati. ſubiũgit enim ſtatim, quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudẽ patimini? ſic hunc locum Apoſtolica conſtitutio ibidem interpretatur, cùm ait, ſi tamen alicuius opera aut tentationẽ quapiam fiat, vt incidat fratri lis, det operam vt dirimatur, quamuis opus ſit aliquid damni facere, & ne adeat ad iudicium Gentilium. Hactenus explicatio loci Pauli de iudiciis ſæcularibus, quibus tanquam minimis minimos in Eccleſia, id eſt, laicos præeſſe iubet. Quid igitur dicturi ſunt Epiſcopi, qui cùm Chriſtum Epiſcopum animarum noſtrarum repræſentent, qui, vt eos etiam exemplo ſuo inſtitueret, illi ex turba, qui in Euangelio Lucæ dixerat, Magiſter, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem, reſpondit, Homo, quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem inter vos? & cùm ſint in ſummo Eccleſiæ gradu tãquam capita à Deo collocati, tamen dum iudicijs minimis, id eſt, ſæcularibus præeſſe volunt, ſe ipſi è ſummis minimos in Eccleſia ſecundum Apoſtolum, & ex capitibus caudas ſecundum Apoſtolicam conſtitutionem faciunt, quos parabola Ioathan in libro Iudicum planè arguit, & condemnat: Ferunt, inquit, ligna vt vngerent ſuper ſe Regem dixeruntque oliuæ, Impera nobis. quæ dixit, Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dij vtuntur, & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixerúntque ligna ad arborem fici, Veni & ſuper nos regnum accipe, quæ reſpondit eis, Nunquid





poſſum deſerere dulcedinem meam fructuſque ſuauiſſimos, & ire vt inter cætera ligna promouear? locutaque ſunt ligna ad vitem, Veni & impera nobis. quæ reſpondit eis, Nunquid poſſum deſerere vinum meum quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoueri? dixerúntque omnia ligna ad rhamnum, Veni & impera ſuper nos. quæ reſpondit, Si verè me regem vobis conſtituiſtis, venite & ſub vmbra mea requieſcite. hactenus parabola, quę in epiſcopos planè cõuenit: hi enim ſunt qui relicto verbo Dei dulci, vitali & illuminante, ad ſpineta litiũ ſiue rerum ſæcularium, vt in earum iudiciis regnent, ſe transferri patiuntur, ex arbore fici, oleæ, & vitis facti arbores rhamni, id eſt, infrugiferæ & ſpinoſæ; ſiue potius dicendum eſt, in arborem fici, oleæ, & vitis rhamnum inſerentes; non intelligentes cùm vtrumque facere volunt, alterum eorum, quod præcipuum eſt, planè deſerere, ſicut S. Apoſtoli docuerunt, cùm aiunt in Actis Apoſt. Non eſt æquũ nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres viros ex vobis boni teſtimonij, plenos Spiritu ſancto & ſapientia, quos conſtituatis ſuper hoc opus; nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus. Deinde, ſi Apoſtolus ait, quod ad Timotheum ſcripſit, Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt placeat Deo qui ſe probauit, ſiue, vt verbum verbo reddam, qui ſe delegit; ergo Epiſcopus, qui lites ſiue res ſęculares laicorum iudicat, teſtatur ſe non militare Deo, ac proinde non placere ei qui eum ad militiam ſpiritualem delegit. Denique quid peccet Epiſcopus, qui ſe negotiis ſæcularibus implicari patitur, ex iis quæ B. Petrus in ordinatione Clementis dixit, perſpici poteſt: ſi enim, inquit, Clementem alloquens, mundialibus curis fueris occupatus, & teipſum decipies & eos qui te audiũt, non enim poteris quæ ad ſalutem pertinent, pleniùs ſingulis quibuſque diſtinguere; & ex eo fiet, vt & tu tanquam qui non docueris quæ ad ſalutem hominum pertinent, puniaris, (Græcè eſt κολασϑήσῃ) & diſcipuli per ignorantiam pereant. idcirco tu quidem ad hoc ſolũ vacato, vt opportunè & ſine intermiſſione doceas verbum Dei, per quod ſalutem conſequi poſſint: illi verò contrà, cum tanta reuerentia tua verba ſuſcipiant, tanquam qui ſciant te legatum & præconem eſſe veritatis; vt doceas, inquit, opportunè verbum Dei (Gręcè eſt εὐκαίρως.) Epiſcopus autẽ negotiis ſæcularibus occupatus, neceſſe eſt vt ſurripiat tempus occupationi ſæculari ad miniſtrandum verbo Dei: & rurſus vt ſurripiat tempus miniſterio verbi Dei, ad inſeruiendum iudicio rerum ſæcularium: ita fit vt non ſolum alterutrũ, ſed neutrũ opportunè facere poſſit. Denique qualia eſſe debeant iudicia Epiſcoporum, docet Apoſtolica conſtitutio, lib. 2. Clem. cap. 47. omnia enim ſpectare debent ad faciendam reconciliationem pacis inter fratres & cum Deo, vt cum Apoſtolo dicere poſſint, Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Hæc hactenus occaſio Canonis huc me non importunè, nec, vt ſpero, & confido, inutiliter detulit. qui legit, intelligat; & qui habet aures audiendi, audiat.

CANON XXXVII. *pag. 161.*

*Epiſcopum, aut presbyterum, qui hæreticorum baptiſmum, aut ſacrificium probauerint, deponi iubemus: quæ enim conſenſio Chriſto cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* Nonnullis fortaſſis hic canon ſcrupulum iniiciet, vt aliquando cuidam amico meo, viro valde bono, & erudito, atque acri iudicio iniecit; quaſi non fuiſſet falſa beati Cypriani ſententia quæ cum Apoſtolico canone congruere videatur; aliis contrà falſus videbitur, quaſi cum Cypriani ſententia conſentiat: pręſertim cùm hoc Vrbano 2. pontifici Romano viſum fuerit 32. c. præter hoc, §. ſciendũ verò. Sed hoc Vrbano vt interpreti viſum eſt, non vt legiſlatori. eſſe ergo hunc canonem de iis hæreticis intelligendum, qui non ſeruant formam quam S. Apoſtoli eccleſiæ tradiderunt, facilè intelligi poteſt ex cauſſa ſubiecta. Poſtquam enim dixit epiſcopum, aut presbyterum, qui hæreticorum baptiſma probauerint, aut ſacrificium, deponi iubemus: ſubiungit, quæ enim conſenſio Chriſto cum Belial? ſcilicet declarat verbum Belial, abſque iugo, & peruerſum: ex quo intelligimus, eiuſmodi hęreticorum baptiſmum hic improbari, qui peruerſè baptizant, ac deprauatè, & non ſecundum legem Chriſti, cui nolunt eſſe ſubiecti. Præterea ſic intelligendum eſſe hunc canonem Apoſtolorum, qui eſt ex lib. 8. Clem. Romani, ſcilicet de hæreticis qui non baptizant in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quæ eſt forma Eccleſiæ catholicæ ſecundum doctrinam Chriſti per Apoſtolos traditam, ex lib. 6. eiuſdem Clementis didicimus. Iubet enim Apoſtolica cõſtitutio cap. 15. vt ſimus contenti vno baptiſmo, qui, inquit, non ab hæreticis, ſed à probatis ſacerdotibus fit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Illorum ergo hæreticorum baptiſmum improbat, qui non fit ſecundum hanc formam: & illi ſunt in miniſterio baptiſmi ſacerdotes ἀμέμπτοι, id eſt, probati, qui in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti baptizant. Vnde in eos qui non ſic baptizant ſecundum doctrinam Dei, interpretatur dictum eſſe illud Oſee cap. 4. cùm ait de ſacerdotibus veteribus, qui legem Dei deprauabãt, Quoniam abiecisti cognitionem, abiiciam & ego te, ne fungaris mihi ſacerdotio; vt perinde ſit, quaſi dictum eſſet iſtis per Prophetam: quia ſcientiam baptizandi, quam Eccleſiæ tradidi, in baptizando nõ tenetis, erit irritus baptiſmus à vobis miniſtratus. Vnde ſtatim, poſtquam dixit Dominus de iſtis, & ego abiiciã te, ne fungaris mihi ſacerdotio, ſubiungit Apoſtolica doctrina, Itaque qui ab eis baptizati ſunt, non ſacramentum baptiſmi acceperunt, ſed potius inquinati ſunt. Quare hæretici quanquam in ſacramento Trinitatis peccent, ſicut Arriani,

ut Arriani, qui filium Dei faciunt creaturam, ſi tamen ſecundum formam Eccleſiæ traditam baptizant, verè baptizant, ſicut eſt in Arelatenſi conc. 9. c. 17. ſicut Arrianos, inquit, baptizare in Trinitate certum eſt, &c. de iis verò Arrianis qui non ſecundum formam eccleſiæ traditam baptizabant, ſic eſt in Arelaten. 1. cap. 8. de Arrianis, inquit, qui propria lege vtuntur, vt baptizētur, placuit. Scilicet hi erant filij Belial, quos canon Apoſtolicus ait. Deinde ſubiungit Synodus Arelaten. Si ad Eccleſiam alioqui ex hac hæreſi venerint, interrogent eos noſtræ fidei ſacerdotes ſymbolum, & ſi peruiderint in patre, & filio, & ſpiritu ſancto, eos baptizatos, manus eis tantum imponant, & accipiant Spiritum ſanctum: quòd ſi ſic interrogati non reſponderint hanc Trinitatem, baptizentur. Hinc intelligere licet quod ait Optatus Afer, lib. 1. contra Parmen. hæreticos, quia ſymbolum falſant, aut duos Deos dicentes, aut patrem in perſona filij cognoſci; aut carnem à filio detrahentes, hos alienos eſſe à ſacramentis catholicis, neque baptizare; hoc, inquam, ſic intelligendum eſt, ſcilicet non baptizare, ſi ex deprauatione ſymboli manet apud eos deprauatio formæ baptiſmi. Etenim ſi ſecundum formam eccleſiæ baptizant iſti, id eſt, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, baptiſmus erit verus, eſto ipſi ſymbolum falſent. Vt Arriani ſymbolum quidem falſant, cùm filium faciunt minorem patre ſecundum naturam, & Macedoniani ſpiritum ſanctum, verus tamen eſt eorum baptiſmus iuxta canonem 6. conc. Conſtantin. quamdiu baptizant, ſicut traditū eſt eccleſiis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; quicquid ipſi de Patre, aut filio, aut ſpiritu ſancto ſentiant. dū enim credunt ſcientiā ſuam de diuinis perſonis, ſcientiam eſſe eccleſiæ catholicæ, & hoc exiſtimantes, quanquam falſo, ſecundum formam eccleſiæ baptizant, verè baptizant. tametſi enim cùm baptizant, dicentes, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, perinde ſit ſecundū ſenſum eorū, & hæreſim, ac ſi dicerent, in nomine Patris, & Filij creaturæ, & Spiritus ſancti; tamen quia non ſic efferunt, quæ eſſet propria eorum forma, & lex, ſed potius ſecundum formam Eccleſiæ, quam credunt ſentire, quòd ipſi, licet errent, idcirco verè baptizant. Ob hanc cauſſam Nicæna ſyn. cap. 19. ex omnibus hæreticis ſolos Paulianiſtas iudicauit tunc non baptizare, quia in nomine Patris, & filij, & ſpiritus ſancti non baptizarent, vt etiam notauit B. Innocentius 1. in epiſt. 22. ſic enim ait cap. 8. de his, qui nominant ſeipſos Catharos, id eſt, mundos, & aliquando veniunt ad eccleſiam: Placuit ſanctæ, & magnæ ſynodo, vt accepta manus impoſitione, ſic maneant in clero: poſſumus verò dicere de ſolis Nouatianis eſſe hoc præceptum, neque ad aliarum hæreſum clericos pertinere. Nam ſi vtique de omnibus definirent, addidiſſent, de Nouatianis, aliiſque hæreticis reuertentes debere in ſuum ordinem recipi. quod ita eſſe etiam illud maximè, quod Paulianiſtis dictum eſt, poterit confirmare, à quibus veniētes etiam baptizari præcipiuntur. deinde ſubiungit, Num quid nam, cùm de Paulianiſtis iubent, omnes, qui ab hæreticis reuertuntur, erunt hoc exemplo baptizandi? quod cùm nullus audeat facere, de ipſis tantum eſſe præceptum, ratio ipſa demonſtrat; quia ſcilicet Paulianiſtæ, vt idem ſtatim ait, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti minimè baptizant. Quid igitur dicemus de beato Cypriano? Fuitne in errore? Fateamur hoc planè neceſſe eſt, ſiquidem, vt beatus Auguſt. in epiſt. 48. ad Vincentium ſcribit, aliter ſenſiſſe de baptiſmo, quàm forma, & conſuetudo habebat eccleſiæ, in ſuis, & in concilij litteris inuenitur: cur verò ortus huius hæreſis de baptiſmo hæreticorum, & ſchiſmaticorum iterando à nullo, quod ſciam, eorum, qui hæreſes, & earum auctores notarunt, beato Cypriano tribuatur, ſed Donato potius, vt Philaſtrius tribuit, credo hanc fuiſſe cauſam, quòd primus Donatus eccleſiā ſcidit rebaptizando; Cyprianus verò ſic rebaptizabat, vt nulli eorum qui baptiſmum hæreticorum probabant, diceret anathema; nullamque faceret diſceſſionem; ſed potius paci & tranquillitati eccleſiæ ſeruiret.

CANON LX. *pag.* 163.

*Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut lector, aut cantor ſancta quadrageſima non ieiunat, vel quarta feria, vel ſexta, deponatur; niſi propter infirmitatem corporis impediatur: ſin verò laicus fuerit, excommunicetur.*] In quinto quoque libro ſcriptum eſt, iuſſiſſe nobis Dominum, vt quarta, & ſexta feria ieiunaremus; quarta quidem, propter Iudæ proditionem: ſexta verò, propter paſſionem. idem decernitur hoc canone. Quamobrem Græci, cùm vident nos quarta feria veſci carnibus, canonem violari putant, dum in id quod fit, intuentur, cauſam verò, cur fiat, parum conſiderant. Defenſione igitur nobis opus eſt, & Gręcos noſtros alioqui fratres, iudicio, & condemnatione, quo ad nobis licet, liberare oportet. Periculoſum enim, & Deo infeſtum eſt, eum, qui neque iudex eſt, neque præeſt, alios iudicare. Ne igitur nos viciſſim iudicemus, ſicut Paulus præcipit, ne condemnemur. Qui ſapit, inquit, diem, Domino ſapit; & qui non ſapit diem, Domino non ſapit. Qui manducat, Domino manducat, & gratias agit Deo. Omnes igitur, quæ pacis ſunt, ſectemur, & quæ ædificationis, &c. Hæc, & alia huiuſmodi ſententiæ Pauli conſentanea, arbitror Latinis, & Græcis ſufficere, ſi inter ſe amare volunt, & non alij in alios eſſe contumelioſi. Sed ne videatur hic canon eſſe rei alicuius, quam nihil interſit ſic, aut ſecus habere, & ne cauſſa contentionis, ac rixæ in re quaſi indifferenti præbere videatur, præſertim cùm ij qui non ſeruant canonem, partim depoſitione, partim excommunicatione mulctentur, & ne hac ratione bonum noſtrum, vt Paulus ait, blaſphemetur, aggrediar explanare canonem: ac Græcos quidem docere





de noſtra cauſſa; Latinos verò docere de cauſſa Græcorum: vtroſque hoc modo, & via in hac re mutuo concilians. Igitur cauſſa ieiunandi apud Gręcos quarta feria, eſt iudicium, quod eo die ſecundum apoſt. doctr. contra Dominum factum eſt, cùm Iudas proditionis promiſſionem fecit. Cauſſa verò, cur nos ſabbato ieiunemus, eſt, Chriſti ſepultura; quòd eo, inquam, die in ſepulchro fuit. Illud itaque iudicium de morte Chriſti quarta feria factum, ad mortem ipſam, qua affectus, ſepulturæ mandatus eſt, pertinet. Ergo qui pro propoſito propter ſepulturam, ſabbato ieiunat, non differt ab eo qui propter iudicium de morte quarta feria pronunciatum, ieiunat; in iis enim quæ ſic fiunt, non eſt neceſſe, vt nullo modo varient, ſi idem ſit propoſitum, quæ enim differunt, ſi eandem vim habent, cùm fiunt, non ſunt cenſenda diſſimilia: Sicut euenit in quibuſdam quæ variè recitantur. Vnde apoſt. doctr. in deſcriptione myſtici cultus, quem Miſſam vocamus, in quibuſdam quæ nihil intereſt variare, Dicat, inquit, Epiſcopus hæc, & quę huiuſmodi ſunt; tanquam ſit in ſimilibus eadem vis. Præterea, durior ac difficilior eſt apud nos temperantiæ ratio, qui nulla intermedia relaxatione, ieiunium ſextæ feriæ cum ſabbati ieiunio copulamus, quàm apud eos qui duorum dierum, id eſt, quartæ, & ſextæ feriæ interiecto. Itaque nos poſt ieiunium duorum dierum habemus relaxationem Dominici: Græci verò poſt proximum ieiunium vnius diei, id eſt, ſextæ feriæ, habent laxamentum ſabbati. Illud etiam addo, in multis locis, & regionibus Occidentis, præter ſextam feriam, & ſabbatum, quarta etiam feria piè ac religioſè ieiunari: verùm ſabbato neceſſariò, & vbique ieiunatur, ſecundum legem nobis à principio traditam. Loquor hic de altero genere ieiunij, cùm ſcilicet carne abſtinemus, ſicut ait Ioannes Damaſcenus in libro de ieiuniis ad Cometam: Ieiunium enim, inquit, eſt, non ſolum cùm quis ab aurora vſque ad veſperam nihil prorſus edit, ſed etiam cùm quibuſdam cibis abſtinemus, vt vino, & carne. quia enim, inquit, canon Apoſtolorum iubet non ieiunare ſabbato, & Dominico, & ieiunare quadrageſima, fortaſſe iubet ieiunare quinque diebus integrum ieiunium, duobus verò diebus, ſabbato, & Dominico, abſtinere quibuſdam cibis. Ex duobus enim propoſitis, anteponendum eſt præſtantius. Sanxit quidem Spiritus ſanctus per miniſtros verbi, ieiunium quinque diebus vſque ad veſperam: ſabbato verò, & Dominico abſtinere quibuſdam cibis, propter excellentiam reſurrectionis, quæ die Dominico facta eſt. Hactenus Damaſcenus. hoc ieiunium, vt aliàs dixi, vocat Tertull. portionale ieiunium, vt Damaſcenus ieiunium inchoatum. Illud hic obiter obſeruandum eſt, quemadmodum hic pater, ac magiſter cauſſam agitandi ſabbatum, ac Dominicum, feſtos dies, vnam eandémque eſſe dixit, nempe reſurrectionem, ſimiliter vt diuinus Ignatius, qui in epiſt. ad Philippenſ. interfectorē Chriſti vocat eū qui ſabbato, & Dominico die ieiunat. Quare quod apoſt. conſtit. lib. 5. ait, *Sabbatum celebrabis propter eum qui creauit mundum*, non ſolum accipiendum eſt de creatione mundi, quæ ſemel à principio effecta eſt; ſed etiam de creatione parui mundi, ratione vtentis, id eſt, nouæ creaturæ, quæ per eum qui ſemel pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit, facta eſt: noua enim creatura δημιουργία eſt, & vocatur, ſicut eſt in 7. libro capite 35. cùm ait, *Effector creationis per mediatorem, tanquam auctor*. Nouam creaturam ſignificat, quæ per incarnationem, & paſſionem Chriſti facta eſt, cuius auctor fuit Chriſtus Dei & hominum mediator. Creatio enim mundi medio tanquam inſtrumento caruit; ſicut ſuperius in explicatione huius demonſtraui. Quare ſabbatum propter ſolam mundi creationem celebrare, Iudæorum eſt: Græci verò propter excellentiam quoque reſurrectionis. Sabbatum cum dominico celebrant, veluti agitationem Dominici diei feſti, qui reſurrectioni dicatus eſt, à pridiana veſpera, id eſt, ſabbato incipientes: reſurrectioni enim Dominici à veſpera ſabbati initium aſcribi conſtat, ait magnus Leo in epiſt. ad Dioſcorum Alexand. 81. Nos verò totum quidem Dominicum, qui eſt, vt ait Epiphanius, magnum ſabbatum, in honorem reſurrectionis impendimus; paruum verò ſabbatum, vt idem vocat, in honorem ſepulturæ ſecundum ritum nobis traditum, ne myſterium ſepulturæ ſine myſterio myſtici cultus prætereamus, idque vt conſepulti Chriſto, extincta eorum, quæ ſub ſpeciem cadunt, cura in iis quæ ad contemplationem animi pertinent, & mente tractantur, veluti in ſepulchro quodam quieſcamus: vt appareat ratio tanquam à mortuis excitata. Sic enim ex antiquis patribus S. Maximus de ſepultura Chriſti myſticè philoſophatus eſt. Rurſus verò de ieiunio ſabbati adhuc addam quod beatus Hieronym. in epiſt. ad Licinium ſcripſit: De ſabbato, inquit, quod quæris, vtrum ieiunandum ſit, illud te breuiter admonendum puto, traditiones eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt. Neque aliorum conſuetudinem, aliorum contrario more ſubuerti; atque vtinam omni tempore ieiunare poſſimus, quod in Actibus apoſtolorum diebus Pentecoſtes, & die Dominico apoſtolum Paulum, & cum eo credentes feciſſe legimus. neque tamen Manichææ hæreſeos accuſandi ſunt, cùm carnalis cibus præferri non debuerit ſpirituali. & paulò pòſt ſubiungit: Neque hoc dico, quòd Dominicis diebus ieiunandum putem, & cōtextas quinquaginta diebus ferias auferam, ſed vnaquæque prouincia abundet in ſe non ſuo, & præcepta maiorum, leges apoſtolicas arbitretur. Vt igitur in Oriente ieiunare ſabbatum vetatur; ſic in Occidente permittitur. illic præceptum eſt, vt habeatur pro vetito tale ieiunium: hic præceptum eſt, vt non pro vetito, ſed vt pro licito habeatur. Itaque ſi ad vſum eorum quæ non officiunt fidei, pertinet, inter-

prete beato Hieronymo, quod Apoſt. dixit, Vnuſquiſque in ſe nō ſuo abundet, cùm eiuſmodi ſit, ieiunare ſabbatum, aut non ieiunare, vt neutrum ſcilicet officiat fidei; erit in vtroque tenenda conſuetudo eccleſiæ ſuæ ex præcepto maiorum deſcendens, & ſecundum eam firmanda conſcientia. Denique in lege ieiunij obſeruandum eſt, vtrum ſit hoc, aut illud ieiunium in commune traditum, an non. Hanc enim diſtinctionem ieiuniorum docuit Synodus Gangrenſis can. 19. dies Pentecoſtes, id eſt, à Paſcha vſque ad Pentecoſten iubet Apoſt. conſtit. feriari, id eſt, non ieiunare; tamen in cœnobiis Ægypti (vt auctor eſt idē Hieron. in lib. De cuſtodia virginitatis ad Euſtochium) toto anno æqualiter ieiunant, excepta Quadrageſima, cùm ſtrictius ieiunāt, & diebus Pentecoſtes, cùm laxius: quia etſi ſemel in die capiunt cibum, tamen cœnas, inquit, mutant in prandia.

FINIS.

*Hi Apoſtolicarum conſtitutionum B. Clementis Romani libri, cum reuerendi patris* Franciſci Turriani *ſcholiis & obſeruationibus, veterem Eccleſiæ primitiuæ morem oſtendentes, piiſsimi ſunt ac maximè vtiles populo Chriſtiano. Quare imprimi poſſe iudico. Datum Antuerpiæ, 21. Iunij, Anno* 1575.

Siluester Pardo S. Theol. Licentiatus, & Cathedr. Eccleſiæ Antuerp. Canonicus.

# INDEX EORVM QVÆ IN LIBRIS DE CONSTITVTIONIBVS, ET DOCTRINA APOSTOLORVM à Clemente Romano ſcriptis obſeruata ſunt.

ABRAHAM ex ipſa naturæ facultate cœpit ingredi viam veritatis, & ſic bene operanti ſola natura duce dedit Deus fidem; & ſic quæ prius ei fuerant opera carnis, id eſt, ſolius naturæ, facta ſunt ei opera fidei ad iuſtitiam eidem reputata, pag. 105.c. 106.a.
Abrahæ Chriſtum fuiſſe oſtenſum ſcilicet in Iſaac quantum ad propoſitum iam immolato, & ad vitā ſine corruptione reuocato typo Chriſti manifeſto. pag. 131.a
Abſolutionem quæ impoſitio quoque manus dicitur, & eſt pars pœnitentiæ, pœnitenti eſſe pro baptiſmo quodam; & hinc manauit, vt ſecundum Apoſtolicam traditionem pœnitentia ſacramentalis à patribus ſecundus baptiſmus laborioſus, aut ſecunda tabula diceretur, 32.a.
Abſoluendi & ligandi poteſtatem, viuificandi, & ad mortem ignis ſempiterni damnandi poteſtatem eſſe, 28.a.
Acceptare perſonam, eſſe diuitem reuereri præter æquum, aut ei blandiri, aut pauperem deſpicere, item præter æquum. 8.a.
Acceptio perſonarum in iudicio quibus locis ſcripturæ notetur, 10.b.
Accuſatio quomodo examinanda eſt, & quomodo agendum ab epiſcopo cum accuſato iuſtè, 30.c.
Accuſationes non eſſe facilè ab epiſcopo ſuſcipiēdas, quia contingere ſoleat vt ſint falſæ, vt illorùm ſenum Babylone contra Suſannam, & illius Ægyptiæ contra Ioſeph, 30.b.
Accuſatores quomodo examinandi ſunt, id eſt, quæ inquirenda de eis, 35.c.
Adam breui morte affectus tanquam ſomno quodam captus, vocatus eſt ad renaſcendum in Chriſto de ſemine Abrahæ, cui facta eſt interpoſito iuramento promiſſio filiorum Dei, id eſt regenerādorum ſecundū promiſſionem Chriſti, ex aqua ſcilicet & ſpiritu ſancto, 107.c.
Adam vita, quæ fuerat ei propoſita merces, priuatus per peccatum, 107.
Adæ corpus ex quatuor elemētis primis corporibus formatus, & anima ex nihilo, 107.b.
Adorationem prohiberi non imaginum, ſed eorum quæ cogitatione ficta ſunt, fictum verò eſſe cogitatione ſolū conuenit idolo, quod idcirco dixit Apoſtolus nihil eſſe in mundo, 67.a.
Adulterij propria eſſe diuidere vnum quod Deus fecit ex duobus, & liberos reddere ſuſpectos, & legitimum matrimonium exponere inſidiis, 92.b.
Ætate parua qui reges in Iſraël regnarunt, & laudabiliter, 6.c.
Agapen conuiuium domeſticum fuiſſe, ad quod pauperes & viduæ inuitabantur à laicis, vnde epiſcopo ſua portio quamuis non adeſſet, ſeparabatur, & diaconis ſingulis duplo maior pars quàm ſingulis laicis, & preſbyteris duplo etiam maior quàm diaconis, 26.b.
Annas ſocer Caiphæ fuit, ad quem tranſacta nocte in domo pontificis Caiphæ primo diluculo adductus fuit Chriſtus, 68.b.
Anathema eſſe gladium quendam ignis, 33.a.
Angelos creatos eſſe à Deo ante mundum hūc qui cernitur. 129.c.
Angelos eſſe nobis cuſtodiendis præfectos, 110.c.
Anima quia eſt rationis particeps, & libera, à ſe habet motionem; quod autē à ſe mouetur, ſemper mouetur; rurſus quod ſemper mouetur, nunquam ceſſat; quod nunquam ceſſat, immortale eſt. hunc ſyllogiſmum ſuggerit Apoſtolica doctrina, cùm ait animam eſſe immortalem, vtpote rationalem, & liberam, 80.c.
Animam à propria ira interire, & interdum non ſolum à propria ira, ſed ſimul etiam ab alterius incuria & culpa, quod eſt interire ab inſidiis alterius, 39.a.
Animam eſſe incorpoream & immortalem, vtpote rationis participem, & liberam, 80.
Apoſtolos preſbyteri repræſentant, 26.b.
Preſbyteros repręſentare Apoſtolos, & eſſe doctores cognitionis Dei, 25.b.
Apoſtolos tredecim, id eſt, duodecim cum Paulo conſtitutos eſſe à Chriſto epiſcopos, ab Apoſtolis verò Iacobum, Clementem & alios, 158.a.
Apoſtolos verbo Dei alioqui miniſtrantes laboraſſe manibus, vt adminiculo eis eſſet artificium piſcationis, tabernaculorum, agriculturæ, 44.a.
Apoſtoli quæ in communem vtilitatem Eccleſiarum ad correctionem ſpectabant, poſt illud concilium Hieroſolymitanum conquiſierunt ad tradendum ea Eccleſiis, 82.c.
Apoſtolos initio prædicationis qui primi pſeudoapoſtoli ſubſecuti ſint à diabolo immiſſi, ſcilicet Simon magus, & Cleobius diſcipuli cuiuſdam Dorithei, quem reiecerunt, 78.c.
Apoſtolorum ſermonem & doctrinam ſeruant qui ſunt memores doctrinæ eorum quos Apoſtoli dum viuerent, ordinarunt, illi enim quæ ab Apoſtolis acceperunt, nobis tradiderunt; id eſt, Apoſtoli per eos quos ordinarunt epiſcopos, & per eorum ſucceſſores doctrinam ſuam nobis tradiderunt, 117.a.
Aqua ad baptiſmum qua formula orationis ſanctificetur, & benedicatur, 115.a.
Aquę & olei ſanctificatio per epiſcopum vel preſbyterum ad ſanitatem, & ad fugam dæmonum, 146.c.
Aquam baptiſmi non aſperſam, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, aquam ſolam eſſe, id eſt, non habere virtutem emundandi ſordes animæ, ſed corporis tantum, 115.c.
Aquam baptiſmi cum inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, aſperſam ei qui baptizatur, non eſſe ſolam aquam, id eſt, eſſe aquam cum virtute emundandi peccata, & adoptandi baptizatum, inter filios Dei, 115.c.
Aquam baptiſmi per ſanctificationem quæ per verbum & orationem fit, accipere gratiam & virtutem ſpiritualem tanquam inſtrumentum quo Deus vtitur in miniſterio huius ſacramenti ad regenerationem & adoptionem nouæ creaturæ, 115.a.
Arrogantia vnde exiſtat, ſcilicet ex cupiditate gloriæ, ex elatione animi & altis cogitationibus, 97.c.
Auaros qui nec ipſi cum aliis communicant, nec vtuntur, ſimiles eſſe ſerpentibus, quos aiunt fabulæ cubare in theſauris, 54.a.
Auaros qui loci ſcripturæ redarguant, 54.c. & 55.a.
Auxilium tulit Deus hominibus temporibus Enos, & Enoch, ſcilicet quia hic cœpit inuocare nomen Domini, ſicut ait ſcriptura Gen. 4. & Enoch tranſlatus eſt, cuius tranſlatio magno auxilio fuit hominibus ad ſtudium virtutis, ſiquidem propoſita fuit in eo ſpes reſurrectionis, & futuræ remunerationis. 110.b.
Auxilium Dei allatum hominibus per ſingulas ætates, quoties opus fuerit, variis exemplis commemoratis, 110.b.

B

BAptizatum qualem oporteat eſſe poſt baptiſmum, & quomodo vitam agere,id eſt,quibus virtutibus, 52.c.

Baptiſmi cærimoniæ,& miniſteria in iis quæ adhibentur, aqua,oleo,chriſmate,mergi, emergere, & inuocatione trium perſonarum diuinarum, 52.a.

Baptiſmum in Eccleſia miniſtrare non licere vllis clericis, præterquam epiſcopis, & presbyteris, & qui fecerint, pœnas Coritarum daturos, 49.b.

in Baptiſmo viros à diacono, feminas à diaconiſſa ſuſcipi,vt honeſtè,& à quibus debet,fiat ſignum crucis, in aliis ſcilicet partibus,non tantùm in fronte, 52.a.

in Baptiſmo fieri Chriſtianos regale ſacerdotium,gentem ſanctam per vnctionem capitis, quæ ab Epiſcopo tantum tunc fiebat, 51.c.

in Baptiſmo ſolum Epiſcopum vngere caput; cũ dicit ſolum, diaconum excludit, hunc enim dixerat proximè vngere frõtẽ,vt intelligamus ſolũ epiſcopũ,ſi epiſcopus baptizat;aut ſolũ presbyterũ, ſi baptizat presbyter, 51.b.

Baptiſmum qui accipit, prius oleo ſancto vngendum eſſe, deinde baptizandum aqua, poſtea ſignandum chriſmate, 100.b.

Baptiſmi totam virtutem eſſe ex patre Deo, & totam atque eandem ex Deo filio,& ſimul totam atque eandem ex Deo Spiritu ſancto, hoc ſignificat baptizari in patrem,& baptizari in filium,& baptizari in ſpiritum ſanctum, 113.c.

in Baptiſmo ſi oleum defuerit & chriſma, ſufficere aquã, tum ad vnctionem,tum ad ſigillum, & ad cõfeſſionem fidei ſcilicet muniendam, 100.b.

Baptiſmi oleum vnctionis, participationem eſſe ſpiritus; aquam ſymbolum mortis; chriſma ſigillum, id eſt, cõfirmatio, 100.a.

Baptiſmum qui recuſat,exprobrandum eſſe ei quod Dominus dixit, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum; & illud, qui crediderit,& baptizatus fuerit,ſaluus erit; qui autem nõ crediderit,condemnabitur, 84.a.

Baptiſmus quæ requirat, vt diſcat catechumenus de trinitate diuinarum perſonarum, de creatione mundi, de noua creatura per baptiſmum, de prouidentia Dei, de ſupplicio malorum futuro in noua lege,non in præſenti tempore,ſicut ſub Moyſe;cur mundus factus,cur homo, & quæ eius natura,item de incarnatione Domini, & paſſione,ac reſurrectione,& aſcenſu in cælos, 111.a. & 112.ab.

Baptiſmum hæreticorum non eſſe baptiſmum, ſed inquinamentum,eorum ſcilicet hæreticorum, & impiorum, qui non baptizant; ſecundum Apoſtolicæ traditionis ſcientiam,ac regulam, quam tenet Eccleſia; iſti enim dicuntur abieciſſe cognitionem,de quibus ait propheta Ozeas,quia abieciſti cognitionem, & ego abiiciam te, ne fungaris mihi ſacerdotio, 84.a.

Baptiſmum qui differt vſque ad tempus mortis, ne peccando inquinet baptiſmum, Deum ignorare, & oblitum eſſe naturæ ſuæ;quia ſcilicet periculum ſit, ne abſque baptiſmo excedat è vita, 84.a.

Baptiſmi quia Chriſtus eſt Dominus,idcirco vt Dominus ſuæ conſtitutionis, non ante baptiſmum,ſed poſt baptiſmum ieiunauit, 101.a.

Baptiſmum antecedere debet ieiunium,quia ieiunium lugentis eſt;qui autem baptizatur,reſurgit myſticè, & nõ decet vt lugeat in ipſo tempore reſurrectionis & lætitiæ ſuæ recenter baptizatus, 100.c. 101.a.

Baptiſmus quare fiat in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, ſicut Dominus inſtituit, ſcilicet quia pater eſt, qui miſit;& Chriſtus,qui miſſus eſt;& Spiritus ſanctus, qui teſtimonium perhibuit,de quo ait Ioannes,qui miſit me baptizare in aqua, ille dixit mihi, ſuper quem videris Spiritum ſanctum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in ſpiritu ſancto, 100.a.

Baptiſmum qui iterant, quantum ſcelus committant, 84.a.

ad Baptiſmum ſeruus Chriſtiani admitti non debet, niſi dominus teſtimonium ei tribuat. 147.c.

ad Baptiſmum ſi accedere velit ſeruus Ethnici, docendus eſt prius,vt placeat ſuo domino, ne Euangelium vituperetur, 147.c.

ad Baptiſmum qui accedere volunt, adducendos eſſe primum ad Epiſcopum,aut ad presbyteros, & interrogandos, cur velint fieri Chriſtiani, item tribuendum eſſe eis teſtimonium ab iis qui eos adducunt, & inquirendum eſſe in eorum mores & vitam,& an ſerui,an liberi ſint, 147.c.

Baptiſmus cùm adhibendus eſt, qualem gratiarum actionem adhibeat, & quæ precetur catechumeno, qui baptizare vult, 112.a.

ante Baptiſmum in ipſo tempore baptiſmi renunciare catechumenũ ſatanæ, & operibus eius, & pompis eius, & quæ ſequuntur,& recitare ſymbolum, 113.a b.

Baptiſmus cùm fit, ſpiritualis templi Dei conſummati dedicationem fieri,eiúſque typum fuiſſe, dedicationem templi Salomonis conſummati, non obſcurè admonuit Apoſt. doctr. 115.c.

Baptiſmus ſecũdus laborioſus vt diceretur ipſa pœnitentia ſacramentalis, ſiue ipſum ſacramentum pœnitentiæ, manaſſe ex Apoſtolica traditione, 32.a.

Baptiſmum cùm quis accipit, tunc Dominus in eum ſacram illam vocem emittit, filius meus es tu, ego hodie genui te, 27.b.

in Baptiſmo renunciatio, id eſt,repudiatio quæ fit, ſatanæ, & operum eius,ac pomparum, & eorum quæ ſequuntur, & recitatio ſymboli ex Apoſtolica doctrina Eccleſiis Catholicorum tradita deſcendit, 113.

in Baptiſmo mulierum frontem tantum vngi oleo ſancto, reliquas partes à diaconiſſa propter decentiam, & honeſtatem, 51.b.

Baptiſmo accepto,commortuos Chriſto non debere peccare,ſicut mortui peccatum operari deſierunt, 10.c.

Baptiſmata tria, ſiue tres merſiones faciendas eſſe in vno myſterio baptiſmi ſecundum canonem Apoſt. 50.quomodo accipiendum ſit intelligere licet ex Apoſt.doctrina, quæ docet baptizare in patrem, & baptizare in filium,& baptizare in ſpiritũ ſanctum, quod nihil aliud ſignificat,quàm vnicum eſſe baptiſmum,cuius tota virtus vna, & eadem ſit ex patre, & ex filio,& ex ſpiritu ſancto, 113.c.

ad Baptiſmum qui catechizat, agricola quidam ſpiritualis eſt, & ager eſt catechumenus, ex quo vellendæ ſpinæ, & ſerendum frumentum dogmatum, & poſtea irrigandus baptiſmo, 113.a.

ad Baptiſmum non licere admittere eos qui aliquid rei prohibitæ faciunt, & exercent, niſi deſiſtant, vt lenones,meretrices,ſtatuarios gentilium, aurigas, gladiatores, & reliquos qui recenſentur, 148.a. 149.a.

Baptiſmum vnum eſſe probandum, qui non ab hæreticis ſine inuocatione ſcilicet patris,& filij, & ſpiritus ſancti, ſed qui à probatis ſacerdotibus fiat, id eſt, ab iis qui ſecundum regulam Apoſtolicæ traditionis fiat in nomine patris,& filij,& ſpiritus ſancti, 83.c.

Baptiſma vnum Euangelij ſucceſſiſſe variis baptiſmatibus legis veteris, 90.a.

Baptizatus non eſt Chriſtus in mortem ſuam, quia nondum paſſus erat;neque baptizatus eſt, quia ipſe baptiſmo indigeret propter illud peccatum, ſed vt nos exemplo ſui baptiſmi ad baptiſmum adduceret, & vt Ioanni baptiſmum pœnitentiæ prædicanti atteſtaretur,100.c. 101.a.

Baptizare ſi licuiſſet mulieribus, Chriſtus à matre ſua baptizatus fuiſſet,& non à Ioanne, 40.c.

Baptizare mulieres impium eſſe, & præter legem, ac præter naturam,& quare, 4.c.

Baptizare non eſſe Diaconorum, quod autem de Philippo,qui Eunuchum baptizauit,& de Anania, qui Paulũ, olim obiiciebatur,à Chriſto Pontifice electos eſſe hos,vt Melchiſedec, & Iob, vt eſſent ſacerdotes, 159.a.

Baptiſmi virtutem conſiſtere in aſperſione aquæ ſuper eum qui baptizatur,& in inuocatione patris, & filij, & ſpiritus ſancti, 115.c.

in Baptiſmo fieri appoſitionem manus, quæ χειροθεσία dicitur, cùm aqua,in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, aſpergitur, 115.c.

Baptizandos eſſe catechumenos in illis vigiliis quæ Sabbato ſancto à veſperis vſque ad galli cantum in Eccleſia aguntur, 71.b.

Baptizandos eſſe pueros infantes, & educandos eſſe in diſciplina, & monitione Dei, & eò pertinere quod Dominus dixit Matth. 19. ſinite paruulos venire ad me, & ne prohibete eos, 84.b.

Barbatos eſſe viros feciſſe naturam,vt deceret: contrà verò mulieres eſſe barbatas, feciſſe,vt dedeceret,lib.1. c 3.

Barbam non eſſe laicis radendam, eſſeque id mutare formam viri contra naturam. legenda eſt explanatio eius loci, 2.c.

Benedictionem, id eſt, remiſſionem aliam eſſe magnam, aliam paruam; magnam ſcilicet magnorum peccatorum,paruam minorum, 49.a.

Benedictio aquæ & olei ab epiſcopo præſente presbytero, & diacono facienda, aut eo abſente à presbytero præſente diacono, 146.c.

Benedictio Epiſcopi ſuper populum ad exemplum benedictionis Moyſis,qua iuſſit ſacerdotibus vt populo benedicerent, 40.c.

Benedicere non conuenire diaconiſſæ, 146.b.

Benedicere Epiſcopus, & presbyter in Eccleſia poſſunt, & committere aliis vt benedicant in Eccleſia ſua, Epiſcopus coëpiſcopo,& presbytero, & diacono, 145.c. & 146.a.

ad Blaſphemiam quæ adducant, nempe obtrectatio, contumacia,duritia cordis,iracundia efferueſcens,paruo animo eſſe, 97.c.

Bonorum eccleſiaſticorum non dominos ſed diſpenſatores eſſe Epiſcopos,& illis vtendum tanquam ſuis ad neceſſitatem tantum naturæ;neque licere abuti, 22.c.

Bonis eccleſiaſticis quomodo, & quatenus vti epiſcopos oporteat,& quæ ſuperant vſus neceſſarios, cum iuſtitia egentibus diſtribuere, 33.a.

Bona eccleſiaſtica quæ neceſſitati ſuperſunt,qui egentibus non diſtribuunt,iuſtitiam,& charitatem violare, 33.a.

Bonum nihil mali in ſe habere, 92.c.

C.

CÆlum factum in modum cameræ inſtar quadrati lapidis ſtabile, 108.c.

Caiphas propheta malus mortem ſibi conciuit, 120.b.

Caiphas fuit,ad cuius ædes Chriſtus cùm primum captus eſt in horto,ductus eſt, & ibi tota nocte vſque ad primum diluculum fuit, 68.b.

Calicem diſtribuit diaconus in communione dicens, ſanguis Chriſti, calix vitæ, 137.a.

Calicem ex vino & aqua miſcuit Dominus,vt in myſterio noui teſtamenti illum conſecraret, & daret, 132.c.

Canones eſſe ſummum Eccleſiaſticæ cõſtitutionis, 120.c.

Canones Apoſtolorum conſtitutos, & traditos eſſe à ſanctis Apoſtolis tunc,cùm Hieroſolymis poſt illam quæſtionem de ceſſatione legalium,& illud concilium de ea re habitum,multis diebus ibi remanſerunt conquirentes quæ ad communem vtilitatem,& correctionem pertinerent,vt Apoſtolica doctrina teſtatur, 82.c.

Canones Apoſtolicos regulas eſſe non hominum,ſed Dei, id eſt,non ſecundum ſententiam,& voluntatem humanam,ſed diuinam factos eſſe, 156.c.

Canones Apoſtolorum datos eſſe Eccleſiæ per Chriſtum perhibente teſtimonium ſpiritu ſancto per Apoſtolos, & epiſcopos,qui ſunt Apoſtolorum ſucceſſores, ex Apoſtolica doctrina, 123.a.

Cantica ethnica & meretricia non eſſe Chriſtiano conceſſa, 66.a.

Cantica diabolica vt Gentilium,aut hæreticorum, dæmonem immittere vtenti, 66.a.

Catechumenos ab epiſcopo fouendos eſſe inſtar ouorum, quos ſic vocat,vt fiant noui baptizati, quos pullos vocat,& cum pullis, qui ex ouis excluduntur, comparat; eoſdem vocat poſtea agnos, 17.a.

Catechumenos poſt tradita eis elementa Chriſtianæ religionis baptizandos eſſe, 85.a.

Catechumenus docendus eſt,quare mundus ſit factus, & quare homo factus ſit ciuis mundi huius,& qualis natura hominis: item docendus de ſupplicio quo Deus ſceleſtos puniuit in diluuio,& in igne de cælo in Sodoma,& Gomorrha miſſo,& rurſus de honore quo ſanctos ſæculis eorum affecit, vt illos ſanctos patriarchas, & alios deinceps, 111.a.

Catechumenus in martyrio verius baptizatur, quia ipſa experientia mortis commoritur in Chriſto, reliqui verò myſtica repræſentatione, 62.b.

Catechumenus quę diſcere debeat ante baptiſmum,nempe eſſe Deum patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum; eſſe creationem mundi, & creationem nouæ creaturæ per baptiſmum;& quomodo lex vetus ſupplicio mortis puniret in hoc ſæculo peccata, & Euangelium puniat in futuro, 111.a.

Catechumenum doceri poſſe à laico,modò peritus ſit, & honeſta vita, 149.b.

pro Catechumenis oratio Eccleſiæ per Diaconum recitata, 125.a.

Catechumenum docendum eſſe de incarnatione Domini & paſſione,ac reſurrectione,& aſcenſu in cælos, 112.b.

Catechumenum annis tribus catechizandum eſſe,ſed contrahi poſſe tempus ratione virtutis, & deſiderij ipſius baptiſmi, 149.b.

Catechumenus in ipſo tempore baptiſmi quomodo renunciare debeat ſatanæ,& operibus eius, & pompis eius,& cultui eius,& angelis eius,& inuentis eius, & omnibus quæ ſub eo ſunt, & quomodo dicat ſe aſcribi Deo,& credere,ac baptizari, 113.a.

Capilli cultus qualis honeſtus, & qualis luxurioſus,lib.1. c. 3. a.

Caſtitatis promiſſio quare non ſeruetur ab eo qui promiſit,docet Apoſtolica doctrina, ſcilicet quia cum fide, & timore Dei non venit ad ſeruandum, 44.b.

Cauſas Chriſtianorum non eſſe ad tribunal & iudicium Gentilium deferendas,ne Gẽtiles exprobrent Chriſtianis quòd non habeant ſapiẽtem aliquem qui poſſit eas iudicare;id quod diabolus ſtudet, 34.b.

Chariſma Dei eſt epiſcopum eſſe, aut presbyterum, aut diaconum,quod non eſt in noſtra poteſtate, ſed penes Deum,qui huiuſmodi chariſmata tribuit, 120.a.

Chariſmata, cuiuſmodi eſt poteſtas remittendi peccata, participationem ſpiritus ſancti eſſe, ex Apoſtolica doctrina, 123.b.

Chariſma aliud eſſe ſignorum, ſiue miraculorum, aliud ſpirituale, 118.c.

Chariſmata dici & eſſe dignitates eccleſiaſticas, quæ ſunt ſpirituales, vt eſſe epiſcopũ,presbyterũ,aut diaconũ,aut in alio ordine & gradu inferiore, non autem dignitates ſæculares, vt eſſe regem, aut alium magiſtratum; hæc enim ab hominibus tribuũtur, intelligi poteſt ex Apoſtolica doctrina, 119.c.& 120.a.

Chariſma miraculorum prius datum fuiſſe ſanctis Apoſtolis,poſtea cum iis qui per prædicationem eorum crediderunt, communicatum eſſe, 118.a.

Chariſma ſpirituale eſſe credere in Deum per Chriſtum, quod vnuſquiſque Chriſtianus accepit, 118.c.

Chariſmata non debere efferre eum qui illa accepit in alium,exemplo Moyſis,qui non ſe extulit in Aaron propter ſigna,neque Ioſues in Phineem, & Caleph propter miraculum ſiſtendi ſolem ad Gabaon; neque Samuel in Dauid,nec Elias in Abdiam,nec Eliſeus in diſcipulum, nec Daniel, neque tres pueri in alios, 119.b.

Chariſma ſpirituale eſſe, quæ de Chriſto credenda ſunt, credere, non vtcunque nec inconſideratè, ſed cum iudicio & plenitudine, 119.a.

Chariſma miraculorũ non omnibus dari, ſed iis qui propter aliquam cauſam vtilem digni eò habẽtur, ad ſalutẽ eorũ qui digni ſũt ſalute per operationẽ miraculi, 118.b.

Chariſma miraculorum, quæ quidem non viribus hominũ,ſed ſola Dei voluntate fiunt,vt nõ omnibus dari, ita chariſma ſpirituale nõ ſine noſtro ſtudio, & opera omnibus fidelibus à Deo dari, 118.c.

Chariſma eſſe tolerantiam laborum, & continentiam legitimam,& ſimilia,vt eſſe hoſpitalem,ſobrium,facilem ad docendum, non cupidum,& ſimilia, ex Apoſtolica doctrina, 119.b.

Cibum & potum capienti habendam eſſe rationem ſalubritatis,& iuſtitiæ,ac temperãtiæ in eis quę loci ſcripturæ doceant,Apoſt.doctrina notat. 99.c.
Cibos tanquam execrabiles damnare,carnem ſcilicet & vinum propter hypocriſim, vt ſic admirationi eſſent hominibus, hæreſis tempore Apoſtolorum, 79.c.
Ciborum delectum poſſe iuſtum eſſe, & ad cultum Dei pertinere, 99.c.
Cibus cum gratiarũ actione percipi poteſt, cùm iuſtè percipitur;iuſtè autẽ non perciperetur,vt Apoſtolica doctrina dicit, niſi aliquando etiam iniuſtè perciperetur, ſcilicet cùm præceptum, vel conſuetudo Eccleſiæ prohibet, 80.a.
Ciborum delectum Iudaicũ interdictum eſſe Chriſtianis, cum aliis conſuetudinibus veteris legis, 86.a.
Cibos quoſdam tanquam malos qui abiiciebãt, & nuptias item tanquam malas,& à diabolo excogitatas,iidem reſurrectionem carnis negabãt, quia vt impij ſuſcitari ſecundum carnem nolebant ; & quia ab illis cibis quos damnabant,abſtinebant,fingebant ſe angelos,id eſt,dęmones incorporeos eſſe ſuſcitandos, 91 a.
Circumciſionem non carnis,ſed cordis conuenire fidelibus iuxta Hieremiæ præceptũ,c.4.Circumcidimini Deo veſtro; & circumcidite præputia cordis veſtri, 83.c.
Chriſti aduentus ad iudicium in terręmotu cum omnibus ſanctis ſuis ſuper nubes, 105. a.
Chriſti fideles eſſe Eccleſiam deſcriptã in cælis, quos Paulus primogenitos vocat,quia Deus ſibi tanquam primogenitos ſpirituales eos ſanctificauit, ſicut in veteri lege de primogenitis ſcriptum eſt, 24.a.
Chriſtus naſcendo ex virgine ſola de ſemine Dauid extulit ſiue erexit thronum,ſiue ſolium Dauid, 109.c.
Chriſtũ in ſpiritu qui viderunt, & vbi,Moyſes in Gen.c.9. Abraham Gen.18.rurſus Moyſes Ex.3.& Deut.18.Ioſues c.5.Samuel 1. Reg.16.Dauid 44. cùm Pſal. inſcripſit canticum pro dilecto, & de eo dixit , Accinge gladium tuum,&c. Salomõ Prou.8.cùm ex perſona ipſius ait, Dominus creauit me principium viarum ſuarum, &c. Et rurſus: c.9.Sapientia ædificauit ſibi domũ,&c. Eſa.c.11.cùm ait,Egredietur virga de radice Ieſſe,& flos ex radice eius aſcẽdet: & paulò pòſt ,Et erit radix Ieſſe, & qui reſurget,vt ſit princeps gentiũ,in eo gentęs ſperabunt,Zach. 9. Ecce Rex tuus,&c. Hunc vidit Daniel, quem dicit eſſe filium hominis venientem ad patrem,& omnem iudicij poteſtatem ab eo accipientem, Dan.7.& eſſe lapidem ex monte ſine manibus exciſum, Dan.2. Hier.4. pag.72.c.&.73.a.
Chriſto ſimili Moyſis Annam & Caipham reſtitiſſe,ſicut reſtiterunt Iannes & Mambres Moyſi, 118.c.
Chriſtum Dei filium habere in ſe in vno ſuppoſito ſiue perſona naturam humanam naturali vnione vnitam, & eſſe nobis homouſion,& verum hominem anima rationali pręditum,cõtra Paulum Samoſ.Neſtoriũ,Theodorum Mopſ. Eutychem, Arriũ & Apollinarẽ, Apoſt. doctrina tradit,cùm ait feciſſe filium Dei,vt in ſe natura humana ex muliere ſumpta ſubſiſteret, ſiue ſuppoſitata eſſet,vt in ſcholis loquuntur, 109.a.
Chriſtum eſſe Dominum,Regem, iudicem, legiſlatorem, nũcium patris,vnigenitum Deum, vbique omnes prophetas dixiſſe, quem ſancti Apoſtoli prædicarunt, & euangelizarunt, 73.b.
Chriſtus natura Pontifex à patre conſtitutus, 158.a.
Chriſtus permiſſu Dei patris paſſus,& mortuus,in eos qui dicunt Deum patrem non ſolum permiſiſſe paſſionem Chriſti, ſed voluiſſe, 109.a.
Chriſtum per Iacob demonſtrauit Deus, tunc ſcilicet, cũ dixit, vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea, 106.a.
Chriſtum eſſe non nudum hominem,ſed Deum verbum, & hominem, Dei & hominum mediatorem ,pontificem patris, 80.c.
Chriſtianum eſſe chariſma eſſe, quod in poteſtate noſtra eſt, vt illud à Deo accipiamus, 120.a.
Chriſtum,cùm primum captus eſt,ad ædes Caiphæ adductum fuiſſe , & ibi vſque ad diluculum poſteri diei fuiſſe omni genere contumeliarum acceptum, 68.b.
Chriſma eſſe poſt baptiſmum ſigillum, id eſt, tutelam & munitionem pactionum quæ ſcilicet factæ ſunt in baptiſmo:petiuit enim fidẽ qui baptizatus eſt, & fides iſta præſtat vitam æternam,hoc eſt pactũ:confeſſionẽ huius fidei datæ in baptiſmo firmat,& munit chriſma, 100.b.
Chriſma baptizatis cum oratione adhibendum, 115.b.
Chriſmatis vnctio quid ſignificet, & operetur in baptizato,ſcilicet ſignificat odorem cognitionis Euangelij omnibus ſuauem,quem Chriſtus præbuit,quem vnctio iſta in eo qui vngitur firmat, 115.c
Chriſmate vngere baptizatos ad epiſcopũ pertinere, 52.a.
Chriſma qui repudiat,& pro eo gratias non agit, non eſſe recipiendum inter fideles, nec ei permittendum vt euchariſtiam offerat.lege ſcholiõ,ſiue obſeruationẽ,103.c
Clemens Romanus epiſcopus & ciuis ab Apoſtolis dictus per anticipationem , cùm in Apoſtolica doctrina loquuntur, 79.a.
Clericis minoribus nullis licet facere opus diaconi, 146.a
Cœnæ Dominicæ non interfuiſſe Iudam, 68.a.
Cælibatum miniſtris ſcilicet minoribus qui vocantur ὑπηρέται,lectoribus,cantoribus,ianitoribus non præcipi,ſed monogamiam tantum, 84.c.
Cælibatum epiſcopi, presbyteri,& diaconi,ſic eſſe debere, vt ſcilicet ſi virgines non ſunt,ſint monogami,id eſt,vnius vxoris viri,cùm ordinantur;ſiue vxores viuant , ſiue non;poſt ordinationem verò ſi vxores non habent, non licet iam ducere,aut ſi habent,quas ante ordinationem duxerant , contentos eſſe debere ſcilicet habendo tantum,vt ſint iam illę deinceps tãquam ſorores, quod eſt,vt Paulus ait,habere vxores tanquam nõ habentes, 84.c.
Communicare peccatis aliorum non eſſe intelligendos, qui cum malis habitant,ſi cum illis non peccant, 13.
Communionem laicam concedere,vocari in Apoſtolica conſtitutione reſtituere in populum Eccleſiæ, 17.b.
Communionem ſanctorum in eccleſia credere,eſt credere fieri per baptiſmum Chriſti in Eccleſia participationem ſortis ſanctorum qui in cælo ſunt,id eſt, participationem regni cælorum quod ſancti poſſidẽt.Vnde Apoſtolica doctrina in Symbolo pro eo quod dicimus credere in communionem ſanctorum, dixit, credere in regnum cælorum, 114. a.
Communionem eccleſiæ in oratione non concedi pœnitentibus,niſi ad audiendum verbum tãtum, donec fructus dignos pœnitentię ferant, 31.a.
Communia facta eſſe omnia à principio in ſtatu ſcilicet naturæ integræ,& non eſſe dicenda nunc propria, vt nõ communicentur cum indigentibus, 98.c.
Concubitum contra legem,& eum qui eſt contra naturã, nefarium & ſceleratum eſſe, 80.c.
Concupiſcentiæ malorum deditum ad nimia peccata trahi, 97.c.
Confeſſionem pœnitentis eſſe quandam palinodiam, qua nos de iis quę diximus,cogitauimus,fecimus,ſigillatim accuſamus ; & contraria deinceps facturos promittimus,ex Apoſtolica doctrina, 126.b.
Confirmationis ſacramentum libro primo, c.1.pag.a. vocatur robur,& participatio ſpiritus ſancti, libro 3.c.17. vocatur confirmatio confeſſionis.
Confeſſor non fit ordinatione , ſed voluntate pro Chriſto patiendi,& ipſa tolerantia ex conſtitutione Iacobi Alphæi, 143.c.
Conuicium vlli facere omnibus clericis & laicis vitandum eſſe,ne pro benedictione maledictionem reportẽt, 51.a.
Conuiuium,quod agape vocatur,domeſticum fuiſſe,& nõ fieri ſolitum in eccleſia,ad quod pauperes, & viduæ inuitabantur à laicis, 26.b.
Coritæ & Rubenitę in Moyſen iaculati ſunt lapides,76.a.
Correctio fraterna accuſati iuſtè , quomodo fieri debet ab Epiſcopo,& quomodo ſi eum non audierit teſtibus adhibitis , dicere debeat eccleſiæ, quod hodie fit per tres monitiones,vt ſi eam cõtempſerit,fiat anathema, 30.c.
Creatio mundi vt à Deo in principio fieret , non fuiſſe illi opus materia,ſed ex nihilo feciſſe ſola voluntate, 64.b.
Creationis mundi,& partium eius in modum laudis confirmata deſcriptio, 129.c.


Crea-




Creationis mundi deſcriptio in formam orationis redacta, 106.& 107.
Credere quæ de Chriſto credenda ſunt, nõ vtcũq; nec incõſideratè,ſed cũ iudicio,chariſma ſpirituale eſſe,119.a
Crucis trophæo ab epiſcopo Miſſam celebrante in fronte manu ſua facto , quibus verbis ſalutet populum ante præfationem, 129.b.
Cultus corporis talis eſſe debet qualem neceſſitas tantum, & honeſtas poſtulant in facie, in capillo, in veſtitu, in calceis,in digitis,in barba, lib.1. c.3.a.
Cultus corporis quo alius, aut alia ad appetendum allicitur,quamuis non adhibeatur ad peccandum, ſed ad ornatum tantùm,illicitus eſt propter ſcandalum ſolũ, 5.b.
Curioſum ſpectatorem eorum qui turpiter viuunt,non licere eſſe, 3.b.

D.

DÆmones qui expellunt alioqui impii,decipiunt alios, quaſi ſua ſanctitate eos expellant, & rurſus decipiuntur ab eis,quia putãt ſe ab eis ſanctos haberi, 120.a.
Dæmones ignorantia obrutos eſſe propter voluntariam malitiam,nec habere eos ſcintillam pietatis, 120.a.
Damnatis ad vincula,aut ad mortem, aut ad exilium propter Chriſtum ſubueniendum eſſe omnibus modis à Chriſtianis,vt liberentur, 59.c.
Damnatos propter aliquod flagitium ad mortem aut vincula,aut exilium vitandos eſſe à Chriſtianis , ne ſint ſuſpecti de communione,ac ſocietate flagitij, & ne infamia ad Chriſtianos manet, quaſi delectentur ſceleribus, 59.c.
Decalogi legem naturalem & ſcriptam à Deo datam homini,vt rectè viueret, 126.c.
Decalogi recitatio,& breuis explicatio, 29.b.
Decalogi mandata tria,non furtum facies , non mœchaberis,non concupiſces rem proximi tui,in mandato de praua cupiditate fugienda contineri, 29.b.
Decalogus lex ex ore, manu, & ſcriptione Dei in tabulas lapideas inciſa, 76.b.
Decimas dandas eſſe ad alendos reliquos clericos infra diaconos,& ad virgines,& viduas,& pauperes, 147.a.
Decimas & primitias frumenti,vini,olei,pomorum, & lanæ,& quicquid Dominus ſuppeditat, offerenda eſſe ſacerdoti Dei, 28.c.
Decimam omnem dandam eſſe à populo pupillis, viduis, pauperibus,proſelytis. 104.a.
Deuteroſis quæ vocetur in Apoſtolica doctrina , & quid contineat,ea ſcilicet quæ partim per aduentum Domini abroganda erant, & tanquam vincula quædam ſoluenda,partim in alia transferenda, 6.b.
Deum eſſe legem eo ipſo quod eſt,id eſt, legẽ in Deo eſſe eſſentiam eius, 129.c.
Deus pater cognitio ſine principio,auditus ingenitus, ſapientia non tradita ab alio, ex quo intelligimus , filium eſſe cognitionem de principio,auditum genitum, & ſapientiam patris;idcirco ait in Euangelio , quæ ego loquor,ſicut dixit mihi pater,ſic loquor;quod,vt ait Ath. in dialogo Orthodoxi,& Macedoniani,eandem naturam patris,& filij eſſe maximè demonſtrat , ex Apoſtolica doctrina, 129.b.
Deus pater nulla re indigens,ergo quòd per filium creauit omnia,non fuit,quia indigeret , ſed vt ex creatione rerum demonſtraretur eandem naturam eſſe vtriuſque, ex Apoſtolica doctrina, 129.c.
Deum eſſe ſupra omnem numerum,id eſt, infinitum, infinitæ inquam eſſentiæ,& virtutis;quia eſt ſuum eſſe, cõprehendens omnem plenitudinem perfectionis totius eſſe,& omnium cauſa, 129. c.
Deum filium eſſe vnigenitum Dei, & eundem primogenitum omnis creaturæ;quia ſcilicet cùm eſſet filius Dei, factus eſt filius hominis, primogenitus in multis fratribus, 129.c.
Deum verbum eſſe ſapientiam viuentem,paulo antè dixerat eadem doctrina Apoſtolica, Deum patrem eſſe cognitionem ſine principio,ſunt igitur pater & filius vna eſſentia, 129.c.
Deus pater cognitio ante omne tẽpus,aſpectus perpetuus, auditus nõ genitus,ſapientia nõ tradita à doctore, 129.c.
Dei patris theologia in modum orationis in formula prefationis miſſæ ex negantibus, & affirmantibus compoſita;negantia,ingenitum eſſe Deum, ſine origine , ſine rege , ſine domino , nulla re indigentem,ſine vlla cauſa & ortu,id eſt, nec ab alio, nec à ſe extitiſſe : affirmantia, eſſe Deum verum ex æternitate , & verum & vnicum patrem,ad cuius ſimilitudinem nos qui illum imitamur,patres vocamur; eſſe fontem omnium bonorum, creatorem omnium, eſſe ſemper in eodem ſtatu , eſſe Deum ſuam cognitionem, ſuũ aſpectum, ſuam legem, & primum natura, infinitum , & omnium per verbum creatorem, 129.b. c.
Deum verbum eſſe Angelum magni conſilij , & Pontificem Dei patris,quia ſcilicet factus homo , operatus eſt myſterium redemptionis ex æternitate à Deo patre decretum,cui ſe obtulit hoſtiam, 129.c.
Dei filium ſine vllo medio genitum ante omnia ſæcula, ergo neque fuit media voluntas tanquam principium gignendi filium,neque medium tempus,quare naturaliter illum genuit ex æternitate.ergo non fuit , quando non erat,id eſt, non eſt creatura ex non ente facta, ſecundum Arrianos;eſt igitur coæternus patri, & vna atque eadem cum eo eſſentia, 129.c.
Dei proprietates,ac laudes variæ in formam orationis redactæ, 108. a b.
Dei filij theologia, genitum eſſe ex æternitate à patre potente,bono, & volente, non autem voluntate media, quia non eſt creatura,ac proinde nõ creauit omnia pater per eum tanquam per mediatorem, ſecundum Arrianos;item eſſe filium vnigenitum,verbum Deum , ſapientiam viuam, quæ eſt ipſe Deus; eſſe primogenitum omnis creaturæ, Angelum magni conſilij,& Põtificem patris,& quæ ſequuntur, 129.c.
Diaboli peccatũ ex volũtaria malitia profectũ eſſe, 125.c.
Diaboli lapſum è cælo non fuiſſe localem,id eſt,corporeũ, ſed ſpiritualem,quia ſcilicet amiſſa gloria cæleſti,qua in cælo fruebatur , decidit in ſupplicium , & dedecus, & tenebras inſtar fulguris, quod erumpendo è nube fulgorem amittit,ex Apoſtolica doctrina, 125.c.
Diabolus propter maleuolentiam ex ingrato animo profectam ſpoliatus fuit dignitate, 91.c.
Diabolus maximè diligit ingratos, ignauos, negligentes, ſomniculoſos, 91.c.
Diaconiſſam repræſentare Spiritũ ſanctum quatenus ſine ea nulla mulier adire poteſt ad epiſcopũ, aut diaconum, ſicut nec in Chriſtum quis credere poteſt , niſi docente Spiritu ſancto, 25.b.
Diaconiſſam nihil facere debere,aut loqui ſine diacono,& ſine ea nulla mulier debet adire epiſcopum , aut diaconum, 26. b.
Diaconiſſã eligendã eſſe quæ ſit virgo pudica; ſin verò nõ fuerit virgo, ſaltem debere eſſe viduam quæ vni nupſerit, & fidelem , atque honoratam, 84.c.
Diaconiſſarum eſſe miniſtrare infirmis mulieribus, 53.a.
Diaconiſſas eligendas ab epiſcopo quales eſſe oporteat, & ad quem vſum,& miniſterium eligantur, 51. b.
Diaconiſſis oportere ſubiectas eſſe viduas Eccleſiæ; diaconiſſæ autem eligebantur ex viduis Eccleſiæ annoſioribus, 48.a.
Diaconiſſam non benedicere, nec facere aliquid eorum quæ presbyteri aut diaconi faciunt in Eccleſia, præterquam cuſtodire ianuas Eccleſiæ, quibus ſcilicet ingrediũtur mulieres in Eccleſiam, & miniſtrare in baptiſmo mulierum propter decorum, 146.b.
Diaconorum eſſe curare & videre, vt decorè & honeſtè à laicis tum viris, tum feminis, ſedeatur in Eccleſia, & in ſilentio, 39.b.
Diaconos ſimiles eſſe in Eccleſia,quę eſt inſtar nauis,nautis,& iis qui lateribus nauis præſunt , & oportere eſſe ſuccinctos ſine multa veſte, 39.b.
Diaconi eſſe increpare eum qui in Eccleſia loco non decenti ſedet;quod proreta facit in naui, qui eſt cuſtos, & gubernator in prora nauis, 40.a.
Diaconus non baptizat,nec offert; diſtribuit tamen populo oblata ab epiſcopo aut presbytero, 146.a.
Diaconos ab omni macula & labe alienos eſſe debere , vt


epiſcopum;

epiſcopum;& ad ſubeundas in miniſterio ſuo moleſtias faciliores epiſcopo, 53.a.
Diaconum quæcunque facit,indicare debere epiſcopo, vt per eum perficiantur, 27.a.
Diaconorum numerum debere eſſe ad proportionẽ multitudinis Eccleſiæ,vt poſſint miniſtrare imbecillis tanquam operarij, 53.a.
Diaconum nihil cuiquam dare oportere,neque facere,niſi cõſcio, & auctore epiſcopo, ne detur ſcãdalum,& occaſio murmurandi contra epiſcopum, quaſi ipſe non habeat curam pauperum, 27.a.
Diaconum nihil abſque epiſcopi auctoritate facere debere, vt Chriſtus ſine patre nihil facit, 25.a.
Diaconum eſſe epiſcopi aurem,oculũ,os, cor,& animam, vt epiſcopus ſollicitudine rerum tantum grauiorum teneatur, 34.a.
Diaconorũ eſſe epiſcopis,& presbyteris miniſtrare, 157.c.
Diaconos adiutores ſuos,operarios vitæ,& iuſtitiæ, gratos Deo,quos ex cuncto populo maximè probauerit, eligendos eſſe ab epiſcopo, 51.a.
Diaconorum eſſe miniſtrare infirmis, & ob hanc cauſam debere numerum eorum ad proportionem multitudinis eccleſiæ, 53.a.
Diaconos debere eſſe animam,& ſenſus epiſcopi,& promptos ad ferendas moleſtias, & per omnia epiſcopo obedire tanquam patri & magiſtro, 59.c
Diaconorum eſſe viſitare omnes quibus viſitatione opus eſt,& nunciare epiſcopo de afflictis,& calamitoſis, 53.c.
Diaconum eſſe noſtrũ Aaronem, qui erat propheta Moyſis;& vt Chriſtus item eſt angelus, & propheta patris, ſic diaconum angelum,& prophetã epiſcopi eſſe, 27.a.
Diaconus,qui facienti ſacrum aſſiſtit,cùm inſtat cõſecratio corporis Domini,dicit populo,nemo contra aliquẽ, nemo in ſimulatione, & de oſculo in Domino,quo deinde inter ſe ſalutant viri viros, & feminæ feminas, 40.b.
Diaconorum eſſe ſpeculari populum in eccleſia, ne quis murmur obſtrepat,ne dormitet,aut nutus faciat, 40.b.
Diaconus neque benedicit, neque dat benedictionem, id eſt non committit diaconus vlli, vt benedicat, 146.
Diaconos de omni re ad epiſcopũ debere referre, vt Chriſtus ad patrem, 34.a.
Diaconos,ſi quid faciant,aut tribuant egentibus clam epiſcopo,facto ipſo eum vituperare, 27.a.
Diaconi eſſe miniſtrare epiſcopo, & presbyteris, 53.c.
Diaconorum,& diaconiſſarum munus eſſe nunciare, peregrinari,miniſtrare,ſeruire, 53.a.
Diaconos,quæcunque poſſunt,facta ab epiſcopo poteſtate,moderari,& curare debere,vt epiſcopus quæ maiora ſunt,iudicare poſſit, 34.a.
Diaconum repræſentare Chriſtum, quatenus ſine epiſcopo nihil agit,vt neque Chriſtus ſine patre, 25.b.
Diaconi opus nullus ex clericis facere poteſt, 146.a.
Dignitates ſæculares,vt eſſe Regem, aut alium magiſtratum,nõ dici,nec eſſe chariſmata,ſed dignitates,ex Apoſtolica doctrina intelligitur,quæ iſta diſtinguit, 120.a.
Diuites quibus non opus ſit laborare ad parandum victũ, cum aliis fidelibus ſermones ſalutares conferendo, aut ſecum ſcripturas ſacras legendo occupari oportere, 3.b.
Docere mulieres,& verbum Dei prædicare ſi neceſſe fuiſſet,Chriſtus primus mulieribus, quæ cum ipſis Apoſtolis tunc erant,ſcilicet virgini matri,Magdalenæ,Mariæ Iacobi,& aliis præcepiſſet, 46.c.
Docere quia videtur quoddam præeſſe, vir autem caput eſt mulieris,non decet,nec æquum eſt, vt mulieres doceant, quod quidem eſſet,reliquum corpus capiti præeſſe, 46.c.
Docere in eccleſia non licere mulieribus,nec vnquã Chriſtum mulieres ad docendum Gentes miſiſſe, 46.c.
Docere de dogmatibus eos qui in eis inſtrui volunt, ad præpoſitos eccleſiæ, & non ad inexercitatos, & ignaros pertinere, vt ſine periculo,& cum laude fiat, 46.a.
Doctrinæ catholicæ dogmata oppoſita falſis dogmatibus hæreſiarcharum, & pſeudoapoſtolorum, qui temporibus Apoſtolorum exierunt, 80.a b c.
Doctrina hęc catholica Apoſtolorum à Clemente ſcripta, ad quem vſum relicta fuerit, epiſcopis, & ſacerdotibus ab ipſis Apoſtolis,nempe vt ea vterentur,tanquam medicina ad confirmandos eos qui per verbum Euangelij crediderunt, 85.c.
Doctrinam conſtitutionum Apoſtolicarum cõſonam eſſe vocibus Chriſti,id eſt,euangelio,pag.1.in princip. libri.
Doctrinam Apoſtolicam librorum Clementis de conſtitutionibus ſcriptam eſſe ad fulciendum & confirmãdum epiſcopos,quibus gubernatio vniuerſalis Eccleſiæ commiſſa eſt,vnicuique ſcilicet ſua portio, 83.b.
Doctrinæ catholicæ, & Apoſtolicæ ſumma ex dogmatibus, quæ ſancti Apoſtoli prædicabant, & docebant, & Eccleſiæ tradiderunt, 83.a. b.
Doctrinæ Apoſtolicæ de Deo patre,filio,& ſpiritu ſancto expoſitio contraria primis illis hæreſiarchis, 80.a.
Doctrina catholica miſſa ab Apoſtolis per Clementem, qui eam litteris mandauit, & Barnabam, ac Marcum, Titum etiam,ac Lucam,Iaſonem,Lucium,Soſipatrum, 85.c.86.a.
Dominico die totius anni reſurrectionem Domini celebrari, quia victa eſt à Domino mors in die reſurrectionis, & illuminata vita; ſcilicet quia per reſurrectionem Domini factum eſt, vt per fidem viderent Deum credentes in eum, 109.a.
Dominico die tres orationes fieri in memoriam reſurrectionis,& adhiberi lectionem, oblationem ſanctæ Euchariſtiæ,& communionem, 41.c.
Dominicus dies quas ob cauſas pręſtantior ſit ſabbato veteris legis,& quæ ſint quæ repræſentat, 109.b.
Dominicum diem propter ea beneficia diuina nobis collata,quæ repræſentat,hortari ad offerendum in eo Euchariſtiam pro vniuerſis, 109.c.
Dominicis diebus omnibus conuentus eccleſiaſticos eſſe habendos,ad officium ſcilicet diuinum, & ſanctam Euchariſtiam celebrandam,& in eis lætitia fruendũ, 74.a.
Dominico die,qui ad audiendum verbum Dei ad Eccleſiam non adit,nihil eũ excuſare poſſe apud Deum, 41.c.
Dominico die qui ieiunauerit, reum eſſe peccati, quia ſit dies reſurrectionis, 74.
Dominico die,reſurrectioni Domini ſacro, cõueniendum eſſe ſine intermiſſione cõuentus ad ſacrificium, ad agendas Deo gratias,& profitenda beneficia accepta, 104.b.
Dominicos dies eſſe dies lætitiarum, in quibus non permittitur quicquam dici, aut agi non graue,& honeſtum, 66.a.
Dominos ſeruis debere beneuolè proſpicere, 149.c.
Dominos quomodo oporteat dominari Chriſtianis ſeruis tanquam fratribus,& filiis,ſaluo famulatu, 57.c.58.a.


E.


EBrietas quibus locis ſcripturæ reprehendatur, Pro.31. 26.23. 156.b.
Eccleſia cùm prohibentur qui digni ſunt prohiberi, tunc eſſe eccleſiam magis ornatam, & pulchram, 33.c.
Eccleſiam congregare ſiue magnam,ſiue paruam, ſiue in templo,ſiue in domo aliqua,epiſcopi eſſe, 150.c.
Eccleſia cum auctoritate epiſcopi congregatur quamuis parua,vt duorum,aut trium, tunc in nomine Domini congregatur, 150.c.
Eccleſiam eſſe ſanctum ouile, 126.b.
Eccleſiam adeundam eſſe mane, antequam quis opus facere aggrediatur,& veſpere item, 29.b.
Eccleſiam adeundam eſſe veſpere, vt agantur Deo gratiæ de bonis ſcilicet ſpiritualibus, propter quæ vitam largitus eſt, 29.b.
Eccleſiam non ſolum nauis,ſed gregis ſimilem eſſe,idcirco debere ſimiles cum ſimilibus ibi congregari, ſexus & ætatis ratione habita,ſiue ſtandum ſit, ſiue ſedendũ, 4.a.
in Eccleſia oportere ſtare ſapienter, ſobriè, vigilanter, & attentis auribus ad verbum Domini, 40.b.
Eccleſia prohibere pœnitentes,ne orent communiter cum aliis,quas vtilitates pariat, 31.b.
Eccleſiam ſtudioſius adeundam eſſe die Dominico in honorem reſurrectionis, & die ſabbati, à cuius ſcilicet veſpera incipit celebrari reſurrectio, 41.c.
Eccleſię locus qua forma eſſe debeat,oblõga ſcilicet in modum nauis,verſus Orientem;& de ſedilibus presbyterorum





rum vtrinque, & de ſolio epiſcopi medio, ac de paſtophoriis, 39.b.
Eccleſiæ corpus eſſe integrum,ex membris ſanis conſtans, quæ in Deum in metu Domini, & charitate credunt, ſed eſſe nihilominus in ea partes deformes & fœdas, quæ ſuis vitiis Eccleſiam vilem & ſordidam faciunt, & ei moleſtias & vituperationes inferũt,quæ ſunt eiiciendæ, & exturbandæ, 33.c.
Eccleſiam qui turpitudine vitæ fœdant, & turbant, inſtar alicuius partis in corpore eminentis, & ſuperuacaneæ, quæ dicitur hyperſarcoma,abſcindendum eſſe, ſicut illa pars corporis ſuperuacua, 33.b.
Eccleſiam Chriſti tranquillum portum, & pacem eſſe, in quam peccatores abſoluendo reſtituit ſanos,& à peccatis liberatos ſacerdos,ſicut Dominus dixit illi, fides tua te ſaluam fecit, vade in pace, 18.a.
ad Eccleſiam Catholicam qui conuocati ſunt, ad nuptias conuocati ſunt,& conueniunt vbi lætentur, & exultent laudantes Deum, 39.a.
in Eccleſia Catholica quæ dona conſequantur Chriſtiani, ſcilicet credere in veram religionem, ferre per fidem veræ religionis fructum,qui eſt regnum ſempiternum, accipere robur, & participationem Spiritus ſancti per ſacramentum ſcilicet confirmationis, fieri participes ſanguinis Chriſti in ſacramẽto ſcilicet ſanctæ Euchariſtiæ, habere fiduciam appellandi Deum patrem, quia ſunt facti filij eius,& eſſe cohæredes,& comparticipes Chriſti,ſcilicet vt cum eo in cælo regnent, libro primo,c.1.a.
Eccleſia Catholica tanquam vinea à Deo electa,& arbor à Deo ſata, fructum fert per fidem in baptiſmo,regnum ſcilicet ſempiternum.ibidem.hinc eſt Apoſtolica traditio, quòd baptizandus adducitur ad Eccleſiam, ſi fieri poteſt,& adductus interrogatur, quid in eccleſia petat, qui reſpõdet aut per ſe, aut per ſuſceptorem,fidem.rurſus interrogatur,quid tibi pręſtat fides, reſpondet,vitam ęternam.hic eſt ergo fructus quem fert per fidem in baptiſmo,qui in domo Dei plantatus eſt, id eſt, Eccleſiæ Catholicæ, tanquam vineæ ſiue arboris factus palmes vel ramus.
Eccleſiam vt quotidie mane & veſpere frequentet populus,monendum eſſe ab epiſcopo, 41.b.
Eccleſiæ à Deo electę poſt repudiatam Iudæorum ſynagogam excellentia, & loci ſcripturæ de ea. Eccl.24.Pſ. 67. Ier.17.Eſa.2. 77.b.
Eccleſia ſi adiri non poterit propter impios, & infideles,vt congregetur ab epiſcopo in priuata alicuius domo, quæ domeſtica Eccleſia dici poterit, 150.c.
Eccleſiam adire,omni operi,& artificio exercendo anteponendum eſſe, 42.c.
Ex eccleſia exire non licere ingreſſis ad rem diuinam, donec finiatur, exceptis iis qui eiiciũtur poſt auditum verbum,ne communiter cum fidelibus orent. ex Apoſtolica doctrina,quæ cum canone Apoſt.1x.cõgruit, 127.a.
Eccleſiam qui non frequentãt,peiores eſſe quàm Gentiles, & Iudęos;ſiquidẽ Gẽtiles ſtatim vt è ſomno ſurrexerũt, ante omne opus ad idola adeũt,vt eis preces adhibeant, & Iudæi omni Sabbato in ſynagoga conueniunt, 42.a.
Eccleſiam eiectus inde, qui ingreditur, cum Oza comparatur, qui arcam tetigit,cùm ei non liceret; & cum Achar,qui quæ erant Deo conſecrata ſurripuit; & cum Giezi, qui acceptis nummis, contempſit ſacrum chariſma curationis factæ ab Eliſeo.Eccleſia enim eſt quædã arca myſtica,& Deo ſacra in qua ſunt chariſmata multa myſticæ curationis,& regulę Eccleſiaſticæ diuinæ, 10.c.
Eccleſiam qui non frequentat, ſe diſpergere non congregando ſe cum reliquo corpore,cuius Chriſtus caput eſt, vnúmque membrum à corpore Chriſti decerpere, 41.b.
Eccleſiam fidelium eſſe, quæ in ſcriptura dicitur, Eccleſia deſcripta in cælis,populus Dei,gens ſancta,populus acquiſitionis,ſpõſa ornata Domino Deo,Eccleſia magna, Eccleſia fidelis, regale ſacerdotium, 24.a.
Eccleſiam ſibi interdictam qui ingreditur per contemptũ, continuò pœnas dare,vt Oza,2. Reg.c.6. vt Achar, Ioſ. 7.vt Giezi,4.Reg.5. 10.c.
Eccleſiam malignantium,& hæreticorum non licere propter vllam neceſſitatem,aut vllius metum adire,ne quæ Deus odit, approbare videamur, 42.c.
Eccleſia filia altiſſimi,quæ nos per verbum gratiæ parturiuit,& Chriſtum in nobis firmauit, 43.a.
Eccleſiam non adire qui excuſat cauſã operis faciendi, excuſare excuſationes in peccatis, 42.c.
Eccleſia Catholica plantatio Dei,pag.1.in principio. hinc licet intelligere vocaſſe Dominum in Euangelio,Matt. c.15.Eccleſiam malignantium Iudęorum φυτείαν, id eſt, plantationem, quam non plantauit Deus.
Eccleſiam deſcriptam in cælis,eſſe eos qui in eccleſia ſunt, ſcilicet ambulantes in via iuſtitiæ, 24.a.
Eccleſiam ex gentibus collectam in terris eſſe Iſrael, 108.a.
Eccleſiam fieri ſpeluncam latronum, cùm ex ea non eiiciuntur,qui excommunicatione digni ſunt, 15.c.
in Eccleſia quotidie canendum,mane pſalmum lxij. Deus Deus meus,ad te de luce vigilo,& veſpere pſal.cxl. Domine clam. ad te, &c. 41.c.
Eccleſiam deſerere non frequentando eam,cauſam eſſe deſidię in ſtudio virtutis,& apoſtaſiæ,ac maleficiorũ, 42.a.
Eccleſiam hæreticorum qui adeunt,quibus locis ſcripturæ notentur, 42.c.
Eccleſiam ingredi cùm exteri & peregrini volũt, tum viri, tum feminę, quoquomodo à Diacono examinãdi ſunt, an fideles,an hæreſi quapiam maculati; & de litteris cõmendaticiis,quas ferunt, 40.c.
Eccleſiæ regnum,quod eſt Chriſti regnum non temporale,ſed ſpirituale,eſſe monarchiam Romanorum, quam Dominus elegit, cui præeſt in Pontifice vicario ſuo; ex Apoſtolica doctrina licet hoc intelligere, 73.c.
Eccleſia catholica vinea à Deo electa, ibidem.
Eccleſiæ nõ oportet graues eſſe, qui laborare honeſtè poſſunt,ac ſibi,& aliis ſufficere, 43.c.
Eccleſiam eſſe communem omnium requiem. 47.a.
Eccleſia catholica vniuerſitas Chriſtianorum, qui per baptiſmum facti ſunt participes aſperſionis ſanguinis Chriſti, ibidem.
Eleemoſynam qui parcè ſeminat, ait Apoſt. parcè & metet; Apoſtolica doctrina ait, quantum fuerit ab eo datum,tanta fiet ei remuneratio, 98.c.
Eleemoſynas,qui ſunt diuites,pro portione ſuarum facultatum facere debere, 59.a.
Eleemoſynam vt quis manibus ſuis faciat, Apoſtolica doctrina monet, 98.c.
Eleemoſynam faciendam eſſe ex iis quæ habemus, aut ex labore.aut ſi non ſuppetit ex bonis, aut ex labore, ieiunandum eſſe iſti,vt de cibo illius diei impertiat egenti, 59.a.
Eleemoſynas, quæ damnatis propter nomen Domini, id eſt, martyribus fiunt, acceptiſſimas Deo, & excellentiſſimas omnium eſſe, 59.a.
Eleemoſyna indignos eſſe edaces,& ebrioſos, & otio deditos,& quibus locis ſcripturæ id teſtatum ſit, 7.c.
Eleemoſynas qui impudenter petunt, & inſatiabiliter accipiunt,multos facere ad dandum pigriores, 47.b
Eleemoſynas omnibus egentibus eſſe faciendas ſine ſtudio ſcrutandi hunc,vel illum,quicunque ſit, 45.c.
Eleemoſynas aliorum cũ diſtribuit epiſcopus, quibus dat, dicat quis dederit, vt pro eo nominatim precentur, 45.c.
Eleemoſynam qui facit, debere celare nomen ſuum, non canens tuba ante ſe, 50.b.
Eleemoſynas facere pauperibus vniuerſam ſcripturã hortari, citatis ibidem Iſaia, Daniele, Dauid, & Salomone, 45.b.46.a.
Eleemoſynam qui accipit cùm non indigeat,& poſſit aliis dare, daturum eſſe rationẽ in die iudicij, & panem pauperum rapere, 54.b.c.
Eleemoſynam qui accipit aut propter ętatem paruam, qua eſt pupillus, aut propter ſenectutem, aut morbum, aut quia multos filios habet alendos, nõ reprehenſione, ſed laude dignus eſt, ſi pro eis qui dant, aſſiduè oret, 54.c.
pro energumenis qualem orationem cum benedictione adhibeat epiſcopus, vt Deus increpet malos ſpiritus, 125.c.& 126.a.
Energumenũ docendum eſſe pietatem, ſiue cultum Dei, id eſt, catechizandum quidem eſſe, ſed non eſſe baptizãdum priuſquam liberetur, niſi mors inſtet, ſic intelligẽda eſt con-

eſt conſtitutio, quia non licet catechumenum baptizare, cui baptizato non licet dare Euchariſtiam, 148.a.
Epiphaniæ feſtum ſexto die Ianuarij, in quo Dominus diuinitatem ſuã patefecit, vnde nomẽ accepit feſtũ, 67.b.
Epiſcoporum honorem, & gradum iam tempore Apoſtolorum nonnulli contemnebant, iocularem ducebant, turbabant, & tollebant, 157.b.
Epiſcopos os Domini eſſe exiſtimare nos oportere, 26.c.
Epiſcopi ordinatio ab epiſcopo primo cum duobus aliis per impoſitionem libri euãgeliorum aperti ſuper caput eius qui ordinatur, cum impoſitione libri comprehenſa eſt impoſitio manuum, 121.a.
Epiſcopi honorem & gradum eſſe ad imitationem Ieſu Chriſti veri Põtificis Dei patris, & Regis noſtri, 157.a.
Epiſcopum poſt presbyteros decere hortari populũ, 40.a.
Epiſcopi Romani primus Linus à Paulo ordinatus, primus ſcilicet inter eos qui ab hominibus, & per hominem ordinati ſunt, qualis non fuit Petrus Princeps Apoſtolorum, idémque primus epiſcopus epiſcoporum à Deo ordinatus. mortuo autem Lino ſucceſſit Clemẽs Petro, ab eodẽ ordinatus ſecundus à Petro vt ſucceſſor, 116.b.
Epiſcopi Epheſi primus Timotheus à Paulo ordinatus, ſecundus Ioannes à Ioanne Apoſtolo ordinatus, 116.b.
Epiſcopum eſſe poſt Deum, patrem noſtrũ, quia per eum à Domino adoptamur in baptiſmo, 27.c.
Epiſcopi dexteram eſſe matrem noſtram; quia per epiſcopum nos baptizantem, quod eſt imponere manus, adoptat nos Deus, 27.b.
Per Epiſcopos quot, & quanta dona ſpiritualia conſecuti ſimus, 27.b.
Epiſcopi electio ex optimis quibuſque, de quo nulla ſit querela, & cui omnis populus die Dominico aſſentiatur cum presbyteris, interrogãte Metropolitano ter, an placeat omnibus, 121.a.
Epiſcopi Smyrnæ primus Ariſton, ſecũdus Strateas Loidis filius, tertius alter Ariſton, 116.
Epiſcopo cuſtodiam corporum, & animarum commiſſam eſſe; Regi corporum tantum, 28.b.
Epiſcopos tanquam internuncios ſermonis noſtri ad Deũ in prophetis habendos eſſe, & tanquam Deos quoſdam colendos, 27.a.
Epiſcopus poteſt benedicere, ſed nõ benedici, quia epiſcopus eſt ſummi in eccleſia gradus, & nemo niſi à maiore benedicitur, 145.c.
Epiſcopi Alexandriæ primus Annianus à ſancto Marco ordinatus, ſecundus poſt eum Abilius à S. Luca ordinatus, 116.b.
Epiſcopi Cæſareæ Palęſtinæ ab Apoſtolis ordinati primus Zachęus, ſecũdus Cornelius, tertius Theophilus, 116.a
Epiſcopos oportere quæ vitiis carent, retinere, vitioſa verò vel curare, vel ſi ægritudo eſt inſanabilis, expellere tanquam peritos argentarios, qui nummos adulterinos ſeparant; probos autem adiungunt, 30.b.
Epiſcopum eſſe tanquam gubernatorem magnæ nauis eccleſiæ, 39.b.
& rurſus ſimilem gubernatori nauis, 40.a.
Epiſcopum eſſe ſcopum omnium in populo ſuo, ſicut Chriſtus ſcopus epiſcopi, 23.c.
Epiſcopos, & presbyteros laicorum ſacerdotes eſſe, quare fruſtra eſſe epiſcopos, & presbyteros ſine laicis, 120.a.
Epiſcopis, & presbyteris habendũ eſſe honorem vt dominis, vt patribus, vt auctoribus boni ſtatus noſtri, 104.b.
Epiſcopos quæ maiora ſunt in Eccleſia moderari; & iudicare debere, minora verò facta ab Epiſcopo poteſtate, diaconos, 34.a.
Epiſcopus cùm eligitur, de quibus interrogare debeat Metropolitanus, aut is qui loco eius eſt, populum, & presbyteros; vt ſciat, an in eis de quibus interrogat, teſtimonium perhibeant, 121.a.
Epiſcopum malum non eſſe epiſcopum, ſed falſum epiſcopum, id eſt, quamuis epiſcopus ſit, non eſſe tamen dignũ qui epiſcopus vocetur, ſed potius falſus epiſcopus, hoc eſt indignus ſuo nomine, 120.b.
Epiſcopos datis à Deo, id eſt, oblationibus vti debere vt propriis Dei, id eſt, moderatè, & ad neceſſitatem, & non amplius, vt bonos diſpenſatores, 22.c.
Epiſcopos eſſe Prophetas ſuis laicis, & Duces, ac Reges, 23.b.
Epiſcopi vt ſint digni Domino, quales eligendi ſunt, 104.b.
Epiſcopi qui Hieroſolymis tempore Apoſtolorum ab ipſis ordinati fuerunt, primus Iacobus frater Domini, ſecundus Simeon Cleophæ filius; tertius Iudas Iacobi filius, 116.
Epiſcopi qui ſuperſtites Apoſtolis vixerunt, Iudas Iacobi tertius epiſcopus Hieroſ. Theophilus epiſcopus tertius Cæſareæ Palęſtinæ, Ignatius Epiſcopus ſecundus Antiochiæ poſt Euodium mortuum viuente Petro, & poſt Petri diſceſſum Romam; Abilius Alexandriæ epiſcopus ſecundus poſt Annianum, Clemẽs beati Petri in eccleſia Romana ſucceſſor, Ioannes ſecundus epiſcopus Epheſi, Ariſtõ ſecundus, tertius epiſcopus Smyrnę, Gaius primus epiſcopus Pergami, Demetrius primus epiſcopus Philadelphiæ, Lucius primus epiſcopus Cenchrenſis, Titus primus epiſcopus Cretæ, Dionyſius primus epiſcopus Atheniẽſis, Marthõ primus epiſcopus Tripolitanus in Phœnicia, Archippus primus epiſcopus Laodicenſis in Phrygia, Philemon primus epiſcopus Coloſſenſis; Oneſinus qui fuit ſeruus Philemonis, primus epiſcopus Beroenſis in Macedonia, Creſcens primus epiſcopus eccleſiarum Galatiæ, Aquila, & Nicetas primi epiſcopi parœciarum Aſiæ, Criſpus primus Æginenſis, 116.c.
Epiſcoporum, qui ab Apoſtolis, dum viuerent, ordinati ſunt, enumeratio, 116.a.
Epiſcopum inſtar medici variis medicamentis debere peccata ſuorum curare, 32.b.
Epiſcopi quomodo ſint ſuorum populorum ſacerdotes Leuitæ, 23.b.
Epiſcopum de omnibus ſollicitum tanquam de omnibus rationem redditurum, & id doceri in eo, quod dictum eſt, Num. 18. tu & Aaron ſuſcipietis peccata ſacerdotij, 16.a.
Epiſcopos eſſe mediatores Dei, & fidelium, ſcilicet quia pro fidelibus tãtum qui ſunt in eccleſia, offerre poſſunt, 23.b.
Epiſcopos non oportere inſumere in vana, neque magnas impenſas facere, 22.c.
Epiſcopum, niſi ſit ſibi bene conſcius, & incorruptus, non poſſe fidenter aggredi ad inquirendum in alterius iniuriam, aut ad increpandum aliquem, nec eum adiuuabunt ſubditi, vt alios puniat, 15.b.
Epiſcopus quã multis virtutibus ornatus eſſe debeat, 22.c.
Epiſcopi Antiochiæ ab Apoſtolis ordinati, primus Euodius à Petro ordinatus, ſecundus Ignatius à Paulo ordinatus; ſed Ignatius quidem primus epiſcopus ſolus & vnus Antiochiæ poſt Petrum, Euodius verò cum Petro fuit primus epiſcopus Antiochiæ tanquam adiutor, & Petro viuente mortuus, 116.b.
Epiſcopi quanta ſit dignitas, & quòd ſit Deus quidam terrenus, 25.a.
Epiſcopus benedictionem poteſt committere coëpiſcopo, & presbytero, 146.
Epiſcopatum vniuerſalem concreditũ eſſe epiſcopis, ſcilicet vnicuique eorum ſuam epiſcopatus vniuerſalis portionem, 83.a.
Epiſcopos vti debere bonis eccleſiaſticis tanquam ſuis & non alienis, moderatè tamen, id eſt, ad neceſſitatem tantum naturæ, 22.c.
Epiſcopus, qui aut iniuſtè excommunicat, aut pœnitentem & conuerſum non recipit, quàm grauiter Deum offendat, 19.a.
Epiſcopum oportere non celare ſuis ſubditis leges, & pręcepta, & quæ ad pœnitentiam pertinent, & non eſſe facilem ad excommunicandum, 18.b.
Epiſcopus quibus virtutibus præditus eſſe debeat, & quæ cauere, vt bene gubernet ſubiectos & ſibi cõmiſſos, 18.b.
Epiſcopum eſſe patrem, dominũ, magiſtrũ, regem, & laicos ei ſubiectos, filios, ſeruos, diſcipulos, milites, 13.c.14.
Epiſcopum oportere eſſe perſpicacem ad cognoſcendum improbos, & ab eis cauendum, & omnia quæ hominibus pulchra ſunt, in ſe habere, 9.a.
Epiſcopũ, qui eſt aries rationalis, honorandum eſſe à laicis, qui



qui ſunt oues etiam rationales, diligendum, metuendũ vt patrem, vt dominum, vt herum, vt Dei Pontificem, vt magiſtrum pietatis, 17.a.
Epiſcopum habere mãdatum Dei de pœnis corporalibus imponendis propter peccata, contra hæreticos, qui hoc negant; ſiquidem iubet Apoſtolica conſtitutio Epiſcopis, iudicare delinquentes, vt Deus iudicauit Ionam, Ezechiam, Manaſſem, 19.b.
Epiſcopum debere declinando omnia vitia, exemplo ſuo laicos confirmare, & inducere ad declinandum eadem, ſic enim implere eum quod ſcriptum eſt, facite filios Iſrael εὐλαβεῖς, id eſt, reuerentes, id eſt, propter reuerentiam in Deum declinantes à peccato, 9.a.
Epiſcopus quibus modis diuerſas ſpecies ægrotationis ſpiritualis ouium ſuarum curare debeat, ex loco Ezec. 34. explicato, 17.b.
Epiſcopum debere ſcire diſcernere quæ ſint quæ ad legem id eſt, ad decalogum pertinent; & quæ illa quæ ſunt abrogata, quæ ad Deuteroſim pertinent, hæc enim ſunt iam vincula non credentium Iudæorum, 8.a.
Epiſcopum, qui ſcelus fratris nõ punit, dignitatem ſuam, & ſuam eccleſiam violare, 10.b.
Epiſcopum non debere parcere ei qui ſcelus commiſit, ſed punire, & ex Eccleſia eiicere vt auctorem ſcandali, 10.b.
Epiſcopum non debere auribus excipere libenter delationem, aut maledicentiam, 9.a.
Epiſcopum debere eſſe ſcopum iuſtitiæ, præconem bonorum cæleſtium, & iræ Dei denunciatorem, 16.c.17.a.
Epiſcopum oportere ſicut de ſpeculatore apud Eze. ſcriptũ eſt, c. 33. tuba canere, id eſt, prædicare Euangelium, prænunciare gladium venientem, id eſt, iudicium, 9.b.
Epiſcopum, ſi iuuenis eſt, oportere eſſe mitem, & tranquillum, quales nõ ſolent eſſe iuuenes; item miſericordem, pacis conciliatorem, & omnis vitii purum, 6.b.
Epiſcopum poteſtate fretum iudicare tanquam Deum pœnitentes, ita vt eos recipiat, quia Deus, Deus miſericordiæ eſt, ex eo fieri, vt cognoſcere peccata pœnitentium ſingula debeat, 11.c.11.
Epiſcopum exemplar Dei repræſentare præſidendo omnibus hominibus, ſacerdotibus, regibus, magiſtratibus, parentibus, filiis, & cunctis ſubiectis, 11.c.11.
Epiſcopo vtendum eſſe cibo commodo, & tanto quantus ſufficiat ad ſobrietatem, 8.a.
Epiſcopum non debere eſſe multũ in ſumendo, neque voluptarium, neque delicatum, neq; deditum cibis ſuauibus, ibidem.
Epiſcopum debere eſſe malorum tolerantem, magna patientia in monendo, multa didiciſſe, ſtudere libris Domini, eſſe multum in lectione ſcripturarum, & quomodo debeat eas interpretari, ibidem.
Epiſcopus, qui bonam conſcientiam nõ habet, facilè muneribus corrumpitur, & patitur impune eſſe ei qui ſcelus commiſit, 9.c.
Epiſcopum oportet eſſe vnius vxoris virum, id eſt, qui vnã duxerit, quæ vni tantum nupſit, 7.a.
Epiſcopi vxorem oportere eſſe pudicam, aut fuiſſe, ibidem.
Epiſcopum nõ debere eſſe acceptatorem perſonarũ, id eſt, nõ debere diuitem reuereri, aut ei blandiri pręter æquũ, neque pauperem deſpicere item præter æquum, 8.a.
Epiſcopum non debere ſpondere pro aliquo, nec implicari negotiis vitæ, neque defendere cauſas nummarias, neque conferre in agitandos dies feſtos Gentilium. 9.a.
Epiſcopum oportet ſcire præeſſe bene domui ſuæ, filios habentem ſubditos, ſi enim non habeat obedientes eos qui cum eo propinquitate iuncti ſunt, quomodo eos qui extra domum eius ſunt habebit? 7.a.
Epiſcopum debere eſſe promptum ad impartiendum, facilem ad ſubeundas vexationes, id eſt, vt non moleſtè ferat, & impatienter, ſi importunis interpellationibus, cùm opus eſt, vexetur, 7.b.
Epiſcopus non poteſt ſolus presbyterum deponere, 146.b.
Epiſcopum eſſe medicum eccleſiæ, & eius eſſe medicinam cuique ægrotantium ſpiritualiter adhibere, & omnibus modis curare, 18.b.
Epiſcopum eos qui extra diſciplinam verſantur, debere audacter & liberè reprehendere, 9.c.
Epiſcopus qua ſanctitate vitæ eſſe debeat, & quàm grandi ætate, & quare, & quando, & vbi adoleſcens poſſit eſſe, f.6. 6.c.1.
Epiſcopum poſſe fieri adoleſcentem in parua parœcia, ſi non reperiatur ætate prouectus, & ætatem ſenilem vita, & moribus oſtendat, ibidem.
Epiſcopi ætas non minor quàm 50. annorum, ibidem.
Epiſcopum oportere eſſe eruditum, & vſu ſermonis exercitatum, ibidem.
Epiſcopos eſſe œconomos, & adminiſtratores rerum eccleſiaſticarum, & non eſſe ab iis qui eis dant, vocandos ad rationes, nec obſeruandam eſſe eorum diſpenſationem qualis ſit, 29.c.
Epiſcopum eligendum eſſe, in quo non ſit vlla macula ſpiritualis ex iis quas in ſpiritu ſignificant illæ maculæ, & vitia corporis, quæ in Leuitico inſpicienda erant in eligendo ſacerdote, vt ſi vlla ex illis macula eſſet, non eligeretur, 7.a.
Epiſcopus externus quomodo honorandus in Eccleſia alterius Epiſcopi, inuitandus ad offerendum Euchariſtiã, aut ſi noluerit honoris proprij epiſcopi gratia, ſaltem ad benedicendum populo cogendus, 41.a.
Epiſcopum externum venientem ex parœcia ſua ad alterius Eccleſiam rogandum eſſe ab epiſcopo eius Eccleſię, vt ſermonem exhortatorium ad populum habeat, propter vtilitatem, 41.a.
Epiſcopum proſpicere omnibus, omneque curare debere, quacunque ratione, & modo egeant, 45.b.
Epiſcopum oportere eſſe ſanctum, omni macula carentem, conuertendi, & docẽdi, & conſtituendi ſtudioſum, & alias virtutes ibidem notatas habere, 39.b.
Epiſcopum à tribus ordinandum eſſe, & vt minimum, à duobus; ita vt ab vno conſtitui non poſſit, 53.c.
Epiſcopum debere, cùm egentes ſubleuat, cognoſcere, quis ſit ſubleuatione dignior, 7.b.
Epiſcoporum eſſe principatum ſacerdotij, 157.c.
Epiſcopi quæ ſit poteſtas, & officium, ſcilicet remittere peccata, ſoluere omne vinculum, dare ſortes miniſterij eccleſiaſtici, offerre ſacrificium, 123.c.
Epiſcopum eſſe noſtrum Moyſem, & Deum, 27.a.
Euchariſtiæ ſacrificium eſſe nobis legitimum ſempiternũ vſque ad conſummationem ſæculi, 72.a.
Euchariſtia cùm miniſtratur, ſacerdos dicit, corpus Chriſti, ſcilicet cuſtodiat animam tuam, aut ſit tibi in ſalutem æternam, aut aliud ſimile, 137.a.
Euchariſtia dicta communio Sanctorum ſacrorum, ſalutaris, diuinorumque myſteriorum, 126.c.
Euchariſtiæ ſanctæ reliquias poſt communionem inferendas eſſe in ſacrarium, ſiue tabernaculum, quod paſtophoriũ vocatur, 138.
Euchariſtia ſancta ſũpta quę rurſus à Deo petamus, 140.b.
Euchariſtia ſancta ad quid valeat, & data nobis ſit, ſcilicet ad plenitudinem fidei in iis quæ bene nouimus, & ad cuſtodiam pietatis, ac remiſſionem peccatorum, 140.b,
Euchariſtia ſumpta, quæ gratiarum actio fiat, & quid Deũ rogemus, ſcilicet vt non fiat nobis in iudicium, ſed in ſalutem, & vtilitatẽ animæ, & corporis, in cuſtodiã pietatis, in remiſſionẽ peccatorũ, in vitã futuri ſæculi. 139.c.
Euchariſtiam eſſe corpus Domini in ſacramẽto, quod corpus Domini in ſacramento ſumunt, qui ad communionem ſacram accedunt, accedendumq; eſſe ad illud cum metu & reuerentia vtpote ad corpus Regis, 40.c.
Euchariſtiæ ſanctæ reliquias, quæ poſt communionem ſuperſunt; (ſcilicet ſi neceſſe ſit non ſeruare) diſtribuendas eſſe epiſcopo, clero, & diaconiſſis pro portione dignitatis cuiuſque, ordinis, & gradus, 147.
Euchariſtia dum diſtribuitur, pſalmus 33. recitatur, quia ad ſacrificiũ Miſſæ pertinet propter panes propoſitionis, qui erant typus ſanctæ Euchariſtiæ quos Dauid accepit ab Abimelech ſacerdote, cùm faciem ſuam immutauit coram eo, ſimulans ſe non fugere à Saule, ſed potius miſſum eſſe ab eo, 137.
Euchariſtia ſancta quo ordine communicetur cum diuerſi gradus hominibus & cum metu, & reuerentia, & ſine tumultu, & ſtrepitu, 136.c.
Euchariſtiam miniſtrat diaconus populo non tanquam ſacerdos,

ſacerdos,ſed tanquam miniſter presbyterorum, 146.a.

Euchariſtiæ ſacræ qui participes fiunt, corpus & ſanguinem Chriſti participare, 27.c.

Euchariſtiæ munus immenſum,quia datũ nobis eſt, quomodo agendæ Deo gratiæ pro tanto dono, 102.c.

Euchariſtiam dici ſacrificium mundum,non ſolùm quia ſit incruentum,ſed quia reprehenſione careat, & Deo acceptum ſit,cùm ad agendas Deo gratias,& recolenda beneficia Dei per Chriſtum accepta ſit, colligitur ex Apoſtolica doctrina, 104.b.

Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti, cuius antitypa, id eſt, ſacramenta celebramus, 102.c.

Euchariſtiam qui ſine fide accipit,æternum iudicium mãducare vt reum corporis Chriſti, 103.a.

Euchariſtiæ ſanctæ cõmunione peracta quomodo agendæ gratiæ Deo pro ſancto corpore Chriſti, quod in nobis vt habitaret,fecit, 103.a.

Euchariſtiam qui per ignorantiam ante baptiſmum acceperit, continuo inſtituendum catecheſi Chriſtiana, & baptizandum eſſe, 105.a.

Euchariſtiam vt offerant presbyteris committendum eſſe, 103.b.

Euchariſtiæ beneficium operuiſſe,id eſt, ſuperaſſe magnitudine ſua cætera omnia beneficia, 109.c.

ad Euchariſtiam quomodo cum metu, & reuerenria tanquam ad corpus Regis,& quo ordine accedatur, 40.c.

Euchariſtia dum conſecratur,& ſumitur à populo, ianuas Eccleſiæ cuſtodiri, ne quis infidelis, aut non baptizatus ingrediatur, 40.c.

Euchariſtiam non poteſt accipere niſi baptizatus, 102.c.

Excommunicationi cùm opus eſt,non eſſe parcendum, ſiue propter diuitias & potentiam alicuius, ſiue propter paupertatem; quia ſcriptum ſit, Pauperis non miſereberis in iudicio: & rurſus,non accipies perſonam diuitis in iudicio, 32.c.

Excommunicandus iuſtè ſi non excommunicetur ab epiſcopo,violare eum dignitatem ſuam,& ſuam eccleſiam, 10.c.

ad Excommunicandum tanquam ad amputandum non oportere eſſe epiſcopum præproperum, eſſéque excommunicationem inſtar gladij, aut ſerræ dentatæ, 32.c.

Excommunicatos non eſſe ab epiſcopo, qui eos excommunicauit,vitandos, neque prohibendos ab audiendo verbo Dei,licet ſemel,& iterum lapſi ſint,ſed potius curandos,conſolatione ſubleuandos, & fulciendos, 31. b.

Excommunicatione curandos eſſe ab epiſcopo tanquam medico eos qui ſunt à pœnitentia alieni, & obduruerunt, 32.b.

Excommunicatus quomodo recipiendus ad pœnitentiam indicto illi ieiunio, vt poſt oſtenſum fructum dignum pœnitentiæ,per manus impoſitionem, id eſt, per abſolutionem recipiatur in Eccleſia, id eſt, ad eccleſiæ communionem in oratione, 33.a.

Excommunicatum iuſtè ab epiſcopo, à vita immortali & gloria reiectum eſſe,& apud iuſtos & pios homines inhonoratum,& apud Deum damnatum, 35.b.

Excommunicatum abſciſſum eſſe à cœtu Domini, id eſt, ab Eccleſia primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cælis, 33.c.

Excommunicare debere Epiſcopos eos qui non ſunt ſanabiles,ſed non celeriter, 30.b.

Excommunicatum alloqui,& cum eo etiam prãdere propter vtilitatem animæ eius licere ſecundum Apoſtolicam traditionem, 31.b.

Excommunicare non licere hypodiacono alios clericos, quia omnes ſunt miniſtri diaconorum,neque diaconiſſam, 146.b.

Excommunicare quos poſſit diaconus,nempe clericos inferiores,& diaconiſſam, 146.b.

Excommunicandus dominus, qui ſeruum,quem ſcit fornicari,matrimonio prohibet, 148.a.

Excommunicatus ſi quis iniuſtè ſit ab epiſcopo, ſanguis eius effuſus iniuſtè, ſicut ſanguis Abel clamat ad Deũ, 19.a.

Excommunicatus ſi quis eſt ab epiſcopo, continuo accedere ad eum lupos tanquam ad agnum,id eſt, dæmones, & prauos homines,& Iudæos,atque Gentiles, 18.c.

ad Excommunicandum non debere eſſe facilem epiſcopum,ſed in re certa niti, 18.b.

Excommunicatio ad quem finem dirigatur, & quid efficiat ad exemplum excommunicationis illius Corinthij à Paulo factæ, 17.b.

Excommunicatus,qui in Eccleſiam per contemptum ingreditur,comparatur cum Oza, qui continuo pœnas dedit,quia arcam tetigiſſet; & cum Achar, qui quæ ſacra erant Deo, & regulam auream ſurripuit; & cum Giezi,qui,contempto chariſmate diuinæ curationis ab Eliſæo factæ, nummos accepit, 10.c.10. vide vocabulum Eccl.

Excommunicatos non poſſe afferre oblationes ad Eccleſiam,nec eas licere accipere, 56.c.

Excommunicatio facit, vt qui erat membrum Eccleſiæ, non ſit,donec dignus habeatur,& rurſus fiat, 56.c.

Exequię mortuorum die tertio adhibitis pſalmis,orationibus,& lectionibus,itẽ die nono,& quadrageſimo, 156.a

in Exequiis mortuorum epulum funebre fieri, vt qui inuitati ſunt,pro defuncto precentur Deum, 156.b.

Exorciſta non fit ordinatione ſcilicet quia non eſt ſolius voluntatis Dei, ſed noſtræ etiam adiuuante eam Deo, 144.c.

Exorciſtam eſſe in primitiua Eccleſia gratiæ Dei erat, & voluntatis propriæ,vt confeſſorem eſſe, aut virginem, aut viduitatem ſeruare,ex Apoſt. doct. 144.c.

Exhortari & docere in Eccleſia populum & presbyteros quo ordine deceat, 40. a.

Exteri cùm ad eccleſiam veniunt,quomodo ad locum eos decentẽ ſine acceptione perſonæ à diacono,ſi viri ſunt, & à diaconiſſa ſi feminæ, deducendi ſunt, 41. b.

F.

FEſtum aſſumptionis Domini in cælum celebrandum eſſe quadrageſimo die à Dominico primo Paſchæ, 72.a.

Feſtorum dierum celebratio quòd ad commemorationem beneficiorum Dei pertineat, & ad doctrinam verbi, illis ipſis diebus audiendam cum vacatione operum,intelligi poteſt ex Apoſtolica doctrina conſtitutione de feſtis, 149.& 150.

Feſtorum dierum conſtitutio, & de ratione cuiuſque eorum,de Dominico, de Hebdomada magna & proxima ſequenti,de Aſcenſione in cælos, de Pentecoſte, de Natali,de Epiphania, de diebus Apoſtolorum, & martyrum, & reliquorum ſanctorum, 149.c.150.a.

Feſto Pẽtecoſtes celebrato vnam hebdomadam eſſe agendam feſtiuè,& poſt illam, vnam item eſſe ieiunandum, 24.

Feſtum Pentecoſtes maximè celebrandum eſſe decimo die poſt Aſcenſionem Domini in cælum propter donum Spiritus ſancti eo die miſſum,quo S. Apoſtoli repleti Iudæis & Gentilibus prędicarunt illum eſſe Chriſtum Dei decretum ab eo iudicem viuorum & mortuorum, 72.c.

Feſtos dies Domini celebrandi, natalem & Epiphania; illum 25. die Decembris,hũc 6. Ianuarij,cõſtitutio, 67.b.

Fides immaculata,ſiue in fide immaculati, ſicut fides non ficta, 43.a.

Fidem ſine operibus mortuam eſſe, quod Iacobus ait, dixiſſe Dominum in parabola Euang. Matth. 25. lucernas enim dixit cognitionis Dei,quæ per fidem eſt, extinctas fuiſſe, quia defuiſſet oleum beneficentiæ, id eſt, bonorum operum, 11.c.13.

Fidem ſolam ſine operibus non iuſtificare,quia dictum eſt, Ecce homo,& opus eius coram eo, 13.c.14.

Fidem Abrahæ antegreſſa eſt cognitio, cognitionẽ ſecuta fides;& fidem inſecuta pactio,ſiue promiſſio, 106.a.

Fidem qui non confitetur metu ſupplicij, non ſolùm ſe priuare vita æterna,quod eſt ſe interficere, ſed aliorum quoque interfectorem eſſe,quia dat eis ſuſpicionem falſam eſſe doctrinam,quæ vera eſt,& ob eam cauſam daturum eſſe duplas pœnas. 62.a.

Fidem gratiæ & miſericordię eſſe,& non dignitatis,& meriti; ſic enim ait Apoſtolica doctrina in perſona Matthæi,qui fuit prius publicanus; nunc autem per fidem miſericordiam conſecutus non dixit proter fidem, ſed per fidem, ipſa enim fides fuit miſericordiæ, id eſt, miſericordiam conſecutus eſt in ipſo dono fidei, quod accepit per Dei miſericordiam, 31.a.

Fides Simonis Magi poſtquam voluit oblata pecunia emere donum dandi gratiam ſpiritus ſancti per impoſitionem manuum, non ſtatim amiſſa fuit teſtimonio ſcripturæ ſanctæ, contra Proteſtantes, 78.a.

Fidem qui confitetur contempto ſupplicio, & ſe ſaluat, & recentes Chriſtianos confirmat, & vt catechumeni credant, facit, 62.a.

Fidem eſſe ſine mutatione ſeruandam, 155.a.

Filius genitus à Patre voluntate, potentia, bonitate ſine vllo medio, 129.c.

Filij vt litteras ſacras, & omnem ſcripturam diſcant, ſtudendum eſſe parentibus, 57.b.

Filij vt nummos in conuiuium conferant, non eſſe à parentibus permittendum, idque, ſi incuria eorum euenerit, futuros eſſe reos de animis filiorum, 57.c.

Filios à patribus caſtigandos eſſe, qui loci ſcripturæ moneant, 57.b.

Filiis neq; remiſſionẽ,neq; relaxationem dandã eſſe à parẽtibus, ne poteſtatẽ,& licentiam in parentes ſumãt, 57.c.

Filios maturo tempore iungendos matrimonio,antequam ſe incipiant dedere meretricibus, ne ratio à parentibus repoſcatur, 57.c.

Filium à patre occidi non licere, 97.

Flabella ex tenuibus membranis, aut pennis pauonis ad abigendas muſcas,aut culices,ne in calicem incidãt, diaconi ex vtraque parte altaris tenent ſacrum faciente epiſcopo, 129.b.

Fornicationis iniuria in proprium corpus redundat,quia non ſpectat è ſe ad procreationem liberorum, ſed tota ad voluptatem, 92.b.

Fornicationes,& adulteria naſci ex turpi ſermone, oculorum iniectione, & vinolentia, 97.c.

Furtum punitum in Achar,in Giezi,etiam cum mẽdacio, in Iuda,in Anania,& Sapphira, 96.b.

G.

GEntilium libros mortuorum libros eſſe diaboli inſtinctu editos,ad interficiẽdúmq; valere, & ad ponendum multitudinem Deorum deferre legentem, 43.a.

Gentilium pompas,ludos,theatra ſpectatum ne Chriſtiani eant,vetat Apoſt. doctr. Hieremia,& Iob citatis, 43.a.

Gentilium ferias,ſpectacula,auguria,auſpicia,pompas,incantationes,diuinationes,vaticinia, expiationes, necromantias,omina fugienda eſſe, 43.b.

Gẽtiliũ nũdinas vitãdas eſſe,& quid in eis emere liceat, 43.c

Gentilium monomachias non licere Chriſtiano ſpectare, nec eorum conuiuium, 43.c.

Gloriam Chriſti videre iam eos qui ex hac vita migrarũt, & Deo placuerunt,teſtatur Apoſtolica doctrina, 155.a.

H.

HEbræorum obliuio beneficiorum, & ingratus animus in Deum tunc maximè apparuit, cùm vitulum fecerunt,& Deum,ac Moyſen negauerũt,dicentes, hi ſunt Dij tui qui te eduxerunt, 87.a.

Hebdomadis & dierum, & hebdomadarum, & menſium, & annorum quanta religio in lege Moyſis, 109.a.

Hæreticos eſſe quos Chriſtus vocauit pſeudochriſtos, & falſos magiſtros, 85.a.

Hæreſes variæ Apoſtolorum prædicationem ſubſecutæ, alia ponentium plures Deos,alia tres aduerſos principio carentes,qui ſemper vna ſint; alia infinitos, & ignotos; item alia nuptias improbantium; alia quædam genera ciborum tanquam execrabilia repudiantium; alia omni pudore ſublato ſcortantium, 78.c.

Hæreſi omni liberari,chariſma ſpirituale eſſe, 119.a.

Hæreſiarchas duces fieri populis ad interitum, 76.c.

Hæreſes, & ſchiſmata, & perſecutiones Eccleſiæ, ac blaſphemias ortum primum habuiſſe ex inuidia diaboli,qui repudiata ſynagoga Iudæorũ, Dei gratiam affluentem tranſlatam eſſe ad Eccleſiam dolebat, 77.c.

Hæreticos temporibus Apoſtolorum ſcripſiſſe libros, quibus calumniabantur creationem mundi, nuptias, prouidẽtiam, procreationem liberorũ,legem & Prophetas, & in illis vſos eſſe nominibus barbaris, quæ fingebant eſſe angelorum,cùm eſſent potius dæmonum, quorum inſtinctu ſcribebant, 84.c.

Hæreſum ortus, & initium ex Simone Mago quomodo extiterit, 78.a.

Hæreticos eſſe pſeudochriſtos, pſeudoapoſtolos, & pſeudoprophetas,nomine Chriſti,Chriſtũ,& nomine Moyſis,Moyſem oppugnãtes,& pelle ouis lupũ tegẽtes, 82.c.

Hæreticos eſſe partes vulpium, & vinearum humiliũ non remotis à terra vitibus deuaſtatores, 82.c.

Hæreticos omnes eſſe organa, ſiue inſtrumenta diaboli,& filios iræ, 79.c.

Hæreticos impios non pœnitentes, remouendos eſſe ab Eccleſia,nullámque cum eis communionem ſermonis, aut precationis habendam eſſe, 85.a.

Hæreticos eſſe inſidiatores Eccleſiæ qui corrumpunt gregem,& fœdant hæreditatem Chriſti, eſſéque ſapientiæ ſimulatores, 85.a.

Hæreſim grauius à Deo puniri, quàm ſchiſma, 75.c.

Hæreticos in ſpiritum gratiæ, id eſt, in ſpiritum ſanctum blaſphemos eſſe;qui poſt gratiam acceptam donum eius contumelioſe reſpuerunt,iſtis neque remitti in hoc ſæculo,nec in futuro,magíſque impios eſſe, quàm Iudęos, & magis ſine Deo quàm Gentiles;& iſtos aut ſcripturas negare,aut ſimulare approbare ad decipiendum, eſſéq; vaſtatores Eccleſiarum, vt vulpes vinearum, 85.b.

Hæreſes Iudaiſmi multæ, Sadducæorũ negantium reſurrectionem, Phariſæorum peccata hominum fortunæ, & fato aſſignantium, Maſbotheorum tollentium prouidentiam, Hemerobaptiſtarum, niſi quotidie lauent, non comedentium, Hebioneorum diuinitatem Chriſti negantium,& Chriſtum ex cõiunctione Ioſeph,& Mariæ natum facientium, Eſſæorum proprios quoſdam ritus ſeruantium, 77.c.

Hæreticorum communionem, ac ſocietatẽ & amicitiã, ac pacem fugiendã eſſe, qui loci ſcripturæ moneãt, 85.b.c.

Hæreticorum ſocietatem declinandam eſſe, quia neque cũ fure currere liceat,neq; cũ adultero ponere portionẽ, ſcilicet ſignificat Apoſtolica doctrina nullũ magis furẽ eſſe, nec magis adulterũ,quàm hęreticum hominẽ, 85.b.

Hæreſes variæ tempore Apoſtolorum, eorum qui legẽ,& prophetas improbabãt,qui nõ cõfitebantur eſſe filiũ Dei Chriſtũ,quia generationem ſecundũ carnem negabant, alij Chriſtum hominem tantũ putabant;alij Deum eſſe, ſed non genitũ eſſe ante ſæcula; alij Deũ eſſe eundẽ ſui ipſius patrem,& eundẽ filium,ac paracletum; alij cibos quoſdã tãquã natura malos execrabãtur;alij nuptias, 91.

Hæreſes fugiẽdas eſſe vt ignẽ,qui appropinquãtes vrit, 75.

Hæreticos ignorare quid ſit iuſtitia, 85.b. quia ſcilicet,vt puto,nihil ſit iniuſtius,quàm Eccleſiam quæ eſt Chriſti hæreditas ſanguine eius acquiſita,oppugnare,& vaſtare poſt acceptam gratiam adoptionis. deinde quia hæreticus à ſemetipſo loquitur, & propriam gloriam quærit,qui autem quærit gloriam eius qui miſit illum,hic verax eſt,& iniuſticia in illo nõ eſt, Ioan. 7.

Hæreticos tempore Apoſtolorum paucos fuiſſe, proceſſu tamen temporis, & cùm propè erit extremum ſæculi, plures & difficiliores futuros, 85.c.

Hæreſim eſſe in iis quæ ad fidem pertinent,non idem ſentire;ſchiſma verò,ſcindere vnionem, 76.c.

Hęreticis illis primis Apoſtolici temporis vnum atque idẽ propoſitum fuiſſe,negare Deum eſſe mundi effectorem, patrem Chriſti poſſe cognoſci, legem, & prophetas dediſſe, negare item prouidentiam Dei, reſurrectionem, iudicium,immortalitatem animæ:& cùm diuerſas alioqui hæreſes profiterentur, in eo conueniebant omnes, quod ad omnẽ religionem deflectere liceret, 79.c.

Hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradus & ordines qui tollunt, Deũ,vt Coritę, & Ozias,irritare,& Chriſtũ,qui hęc cõſtituit,itẽ prouocare,& Spiritũ ſanctum fruſtrari,qui teſtimoniũ Chriſto Dei filio perhibuit, 157.a.

Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ordines diuerſi diuerſis nominibus diuerſitatem rerum, & miniſteriorum declarantes Epiſcoporum,presbyterorum,& diaconorum, 157.c.

Hierarchiæ Moſaicæ gradus,& miniſteria, qui confundebat,aut vſurpabat,morte plectebatur, quod potiſſimum in Saule demonſtratum eſt, 157.b.

Hierarchiæ contemptus quàm ingens crimen ſit,& quãto ſupplicio dignum oſtenſum eſſe in Saule, qui ſine propheta,& pontifice Samuele ſacrificare voluit,& in Ozia, 157.b.
Homini vetitum fuiſſe ne de arbore interdicta cibum caperet propter ſpem meliorum, vt præmium obedientiæ ferret immortalitatem, 130.
Hominem eſſe fabricatum,vt eſſet mundi mundus, id eſt, ornamentum, 130.
Hominem eſſe conſtitutum à Deo ex anima immortali ex nihilo creata,& ex corpore mortali ex quatuor elementis conſtituto, 130.
Homini promiſiſſe Deum in Abraham , interpoſito iuramento,regenerationem in Chriſto de ſemine Abrahæ, & reſurrectionem ex reſurrectione eius, 130.
Homini inſitam eſſe legem naturæ , vt è ſe habeat ſemina cognitionis Dei, 130.
Hominis formatio,& animæ in ipſo creatio ex quibus locis ſcripturæ conſtet,Gen.Pſal.Iob.Eſa. 64. b. c.
Homini datam eſſe animam rationis participem,vt diſcerneret pietatem,& impietatem,iuſtum, & iniuſtum , & quinque ſenſus corporis ad certamen continẽtiæ quintuplex, 130.
Hominis corpus à principio ex diuerſis à Deo effectum eſſe;animam verò,quæ antea non erat, ex nihilo in eo creatam, 64.b.
Homicidium eſſe, ſi quis conceptum iam figuratum, & anima præditum perimat, 97.a.
Hominis corpore in vtero ex parua gutta formato anima immortalis infunditur dono Dei, 110.c.
Homini quæ beneficia maxima omnium à Deo collata ſint,eſſe ſcilicet liberatum ab idolorum cultu, & iudaiſmo, factum eſſe verbum Dei hominem propter eum, habitare in eo ſpiritum ſanctum, & præfectum eſſe angelum cuſtodiæ eius,& diabolum victum, 110.c.
Horarum canonicarum orationes, quam rationem quæque earum habeat, 150.c.

I.

IAcobi fratris Domini ordinatio à ſanctis Apoſtolis, ſcilicet Petro,Ioanne, & Iacobo, & à Chriſto , id eſt, voluntate,& ſpiritu Chriſti, 152.a.
Iacobum fratrem Domini ab Apoſtolis conſtitutum eſſe epiſcopum ſicut Clementem & alios, 158.a.
Iannas eccleſiæ ſimiliter cuſtodiri in eccleſia,vt olim in tabernaculo teſtimonij, & in templo Dei, 40.a.
Ianitores ad introitus virorum, & diaconiſſæ ad introitus mulierum in Eccleſiam cuſtodiæ cauſa, eſſeque eos inſtar eorum qui recenſent in naui vectores,id eſt,eos qui naui vehuntur, 40.a.
Ianuarum templi cuſtodes tempore miſſæ diaconi, & hypodiaconi, illi ianuarum, quibus viri ingrediuntur , hi, quibus mulieres, 129.a.
Idololatria gentilium aut in diis inanimis, aut ratione carentibus,aut dæmonibus verſabatur, 29.b.
Idolothyta ad honorem dæmonum, & ſolius Dei contumeliam immolari,& ob eam cauſam abſtinendum eſſe ab eis,ne participes dæmonum efficiamur, 99.a.
Idololatriam maximum omnium peccatum eſſe, & pœnitentia remitti, 21.c.
Ieiunium indicendum eiecto ex eccleſia,ad explorandum, an verè, & ex corde pœniteat,vt ſi dignus ſit, recipiatur poſtea per manus impoſitionem ad communionem orationis in Eccleſia, 33.b.
Ieiunandum eſſe non habenti aliud vnde ſubueniat egenti , niſi ieiunet,& de cibo eius diei impertiat illi, 59.a.
Ieiunium hebdomadæ ſanctæ ſex diebus pane tantum, ſale,oleribus,& aqua adhibitis,ſexta feria, & ſabbato magno nihil edendum iis qui ferre poſſint, 71.a.
Ieiunandum eſſe omnibus per hebdomadam ſanctam cũ timore & tremore,& precãdum illis diebus pro pereũtibus Iudæis, 67.c.
Ieiunium quadrageſimæ ſeruandum eſſe , contineréque vitæ Chriſti , & legis latæ euangelicæ recordationem, incipiendúmque eſſe à ſecũd a feria, vt quidem incipitur nunc à religioſis, 67.b.
Ieiuniũ Moyſis & Eliç quadragenis diebus,Danielis tribus hebdomadis dierum , cùm panẽ deſideriorũ non comedit, neque caro & vinũ ingreſſa ſunt in os eius. Annę, cùm à Deo peteret Samuelem ieiunauit, etiam à vino, & temeto abſtinens. Niniuitarum tribus diebus , cùm periculum diuinę iræ effugerunt.ieiunium Eſther, Mardochæi,& Iudith,cùm Holofernis , & Aman exitium declinarunt, 74.c.
Ieiunium hebdomadæ ſanctæ ad deflendum , & lamentandum interitum Iudæorum pertinere ad exemplum Domini,qui illacrymatus eſt illis,quòd non cognouiſſent tempus viſitationis, 69.b.
Ieiunium ſextæ feriæ,& ſabbati ſancti, ſic faciendum eſſe, vt ſi comedendum ſit,vſque ad veſperam differatur,reliquis diebus ad horam nonam,aut veſperam , aut pro ratione virium, 71.a.
Ieiunandum eſſe quarta,& ſexta feria,quarta propter proditionem Iudæ illo die factam , ſexta propter mortem Chriſti, 101.c.
Ieiunare non licere 2.& 5. tantum feria propter hęreticos, qui illis diebus olim ieiunabant,ſed aut totis quinque diebus,aut ſaltem quarta,& ſexta feria, 101.c.
Ieiunia hypocritarum olim ſecunda,& quinta feria, 101.c.
Ieiuniũ die Dominico non eſſe licitum quia ſit dies reſurrectionis,neque Pẽtecoſte,nec aliis diebus feſtis Domini,quia ſint dies lætitiæ,quibus diebus lętandũ ſit, 74.a.
Ieiunandũ nobis eſſe,cũ à Deo aliquid petimus ad exẽplũ, & imitationẽ eorũ qui in ſcriptura hoc fecerunt , 74.a.
Ieiunio quæ ſuperſunt, egentibus largienda eſſe, 74.a.
Ieiunium quartæ, & ſextæ feriæ, 67.c.
Ieiunium ſabbati ſancti vſque ad gallicantum producendum,& vigilias in Eccleſia agendas à veſpera vſque ad gallicantum cum lectione ſcripturarum, & ſermone ad populum,& oratione, 71.b.
Ieiunij ſoluendi tempus hora nona, aut veſpera , aut pro ratione virium, 71.a.
Ieſu nominis principiũ,quod eſt i, quæ littera apud Græcos nota eſt numeri x. admonere de decimis quæ ſunt Chriſti,& miniſtrorum Chriſti,& de decalogo ſeruãdo, & quòd Chriſtus Ieſus plagas peccatorũ noſtrorum ſanauit,quas illæ x. Ægyptiorum in ænigmate ſignificarunt, 24.a.
Immortales,vt eſſent omnes homines,quod facere potuiſſet Deus ſi voluiſſet , docuiſſe in Enoch & Elia ſeruatis ſine experientia mortis, 63.a.
Impiorum congreſſum non eſſe vitandum,ſi eis poſſumus vtiles eſſe, 57.a.
Impiorum congreſſus non nocet piis,ſed ſocietas religionis cum illis, 57.a.
Ingratos,& negligentes,ac ſomniculoſos diligit diabolus, ſi quis alius, 91.c.
Ingenitum eſſe ſolum Deum patrem,id eſt, ſine principio, ſiue ſine origine, 129.b.
Inimicitiam cum ira , & iniuſtitia facere,ne orationes exaudiantur, 37.b.
Iniuriam factam propulſare non eſſe malum, ſed præſtare tolerare, 95.c.
Inuidia diaboli excitauit homines principio ad perſecutiones Eccleſiæ,ad hęreſes,ſchiſmata,& blaſphemias, 77.c.
Inuidiæ,& ęmulationis malum cauendum eſſe ſtudioſè,ne eueniat quod Caino, qui propter inuidiam Abelem occidit;quod Sauli, qui Dauid inſectabatur; quod Ioab, qui Abnerem,& Abſalonem peremit, 97.b
Iob patiẽtiſſimus declaratus à Deo victor diaboli, qui fuit origo peccati, 131.a.
Iudæi nomine Moyſis Moyſem oppugnant, & pelle ouis lupum tegunt, 82.c.
Iudæ proditoris duo ſigna dediſſe Dominum,alterum cũ dixit,qui intingit mecum manum, Matth.26. alterum, cũ dixit,cui ego intinctũ panẽ porrexero,Ioã.xiij. 68.a.
Iudam non interfuiſſe cùm Dominus corpus ſuum dedit diſcipulis,ſed prius egreſſum fuiſſe, 68.a.
Iudices,qui iniuſtè iudicãdo ſenes illos qui Babylone Suſannam condemnarunt;imitantur, eorum & ipſos condemnationem ſubituros, 36.c.
Iudaicos ritus,& obſeruationes cauẽdas eſſe fidelibus , ne propter eas in lege Euangelij ſe pollui putent, 91.b.

Iudicare



Iudicare altera parte tantũ audita,altera abſente, non eſſe æquũ,& eũ qui ſic temere iudicauerit,reum eſſe de cæde illius ſic iudicati,& eadẽ menſura menſũ eſſe, qua mẽſus eſt calumniator,ac proinde eadem remetiendũ ei, 36.c.
Iudicium Epiſcopi ſi iuſtum fuerit,à Deo cõprobari, 35.a.
Iudices de peccatis eſſe medios ſcilicet inter peccata , & pœnas quas decernunt peccatis, æquando enim pœnas peccatis,reperiunt medium,id eſt,æquale, 35.c.
Iudicandi ſcilicet in Eccleſia ſolis ſacerdotibus datam eſſe poteſtatem, 29.c.
Iudicandi iuſtè quanta apud Gentiles cautio, & ſtudium eſſet, quod Chriſtianis iudicibus ad exemplum propoſitum eſſe debet, 30.c.& 37.a.
Iudicium iniuſtè qui facit, contra ſeipſum pronunciare ſententiam,quia ſcriptum ſit,quo iudicio iudicatis, iudicabimini, 33.a.
Iudicandum eſſe ab epiſcopo vtriſque, accuſatore ſcilicet, & reo,auditis, & non ex iudicio anticipato; nec alterius partis tantum ratione habita, ſed potius iuſtè, 35.b.
Iudicium epiſcopi de cauſis diſcrepantium faciendum eſſe feria ſecunda,vt ſuppetat tempus ad pacificandum eos in diem Dominicum , eique iudicio aſſiſtere oportere presbyteros,& diaconos, 35.a.
Iurare prohibitum eſſe per idola,per luminaria,per cęlum, terram, elementa , quia hæc ad Gentilium impiam cõſuetudinem pertineant:item per Hieruſalem,per ſancta Dei,per altare,donum,templi inaurationem, ſuum caput;quia hæc Iudaicæ conſuetudinis ſint, 66.c.67.a.
Iuſtificatos per obedientiam cordis miſericordiam eſſe cõſecutos,ergo non ſola fide apprehenditur miſericordia Dei ad iuſtificationem,vt hæretici tradunt, 69.c.
Iuſtitia iudicat vt legiſlator,hoc dicit Apoſtolica doctrina, quaſi legiſlator ſit velut ius animatũ, ſicut Philoſophus dixit,lib. 5.Ethic.iudicem eſſe velut ius animatũ, 64.c.

L.

LAicum de ſe tantum ſollicitum eſſe,epiſcopum verò de omnibus, 16.b.
Laicos, qui miniſtrare volũt in Eccleſia,Deũ contẽnere,& in ſacerdotes eius inſanire, & honorẽ ſibi ſumere, 25.c.
Laicis non licere quæ ſacerdotibus licent; quæ ſi tentent, propoſitum eſſe illis ſupplicium Coritarum,& Dathan, & Abiron, 26.a.
Laico non licere facere aliquod opus ſacerdotale, vt ſacrificium,aut baptiſmũ, aut manus impoſitionẽ, aut vllã benedictionem eccleſiaſticam,quæcunque ſit, 49.a.
Laicos, ſi quid in Eccleſia operẽtur,comparari cum Saule, qui cùm ſacrificium Samuele abſente feciſſet , audiuit, ſtultè egiſti;& cum Ozia , qui cùm non eſſet ſacerdos, fecit quod erat ſacerdotis, 25.c.
Laicos,qui aliquid ſacerdotalis muneris , & ordinis faciũt, ſimiles eſſe Oziæ, & ſupplicij illius hæredes fore, 49.a.
Laicos oblationes ſuas epiſcopo aut per ſe ipſos , aut per diaconos offerre debere, 26.a.
Laicos repræſentabant alienigenæ, de quibus iubebat lex, Num.18.ne miſcerẽtur cũ ſacerdotibus,& leuitis,id eſt, vt nõ poſſent miniſtrare in tabernaculo teſtimonij, 25.c.
Laicos, qui ad eos accedunt,qui tradunt dogmata contraria ſententiæ,participes eſſe impietatis eorum, 77.a.
Laicos cauere oportere,ne obſtrepant epiſcopo , & ei moleſti ſint,& ſi quid volunt,per miniſtros, id eſt,per diaconos ſignificare illi debere, 26.b.
Laicos epiſcoporum, & presbyterorum laicos eſſe , quare fruſtra eſſe laicos,ſi non ſint epiſcopi,& presbyteri;laici enim ab epiſcopis , & presbyteris tanquam à ducibus reguntur,ſine quibus laicorum ſalus, & vita ſpiritualis non conſiſtit. huc pertinet Apoſt.doctr.119.c.& 120.a.
Lamentationes Hieremiæ legi à Iudæis in vnũ cõgregatis menſe Decembri,qui ſecundũ Macedones dicitur Gorpiæus, ad lamẽtandũ deuaſtationẽ à Nabuchodonoſor factam, vt ipſi putant, potius verò & verius ad faciendũ principiũ futuri fletus. ſiquidem in ipſis lamentationibus Hieremiæ , quas legunt, ſcriptum eſt, ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus , comprehenſus eſt in corruptionibus eorum, 72.c.
Lauare manus ſacerdotẽ cũ ſacrũ facit,ſymbolũ eſſe puritatis animarũ, quę Deo cõſecratæ,ac dedicatę ſunt, 129.a.
Lauare viros nõ decere in balneo mulierum , ſed virorum; ne vir mulieris,aut mulier viri corpus nudum cum ſcãdalo aſpiciat, lib, 1.c. 6. 6.
Lauare in balneo mulierem cum viris non decere , neque licere,& quare, 6.a.
Latro in paradiſum introductus,vbi myſticis bonis fruendum ei eſſet, 69.a.
Legatos noſtros ad Chriſtum ſacerdotes eſſe, 27.c.
Legem eſſe decalogum , & hanc legem ante vitulum factum datam eſſe Hebræis, & hanc vituperaſſe Simonem Magum, 86.c.
Lectores tenere locum prophetarum in Eccleſia, 26.b.
Lectoribus vnam partem dandam eſſe, item vnam cantoribus, & vnam ianuarum cuſtodibus, 26.b.
Legem naturalem decalogi quomodo Chriſtus non ſuſtulerit in Euangelio,ſed confirmarit, 89.c.
Legem naturæ inſitam eſſe homini vt è ſe habeat ſemina cognitionis Dei, 130.
Legem ſeruitutis tunc Deum Hebræis impoſuiſſe , cùm vitulum fecerunt, cultu Dei ad idolum traducto, 87.c.
Legem ſeruitutis tanquam onus & iugum Hebræis propter duritiam cordis impoſitam fuiſſe, vt aſſiduitate, & neceſſitate tot obſeruationum in ſacrificando,feriando, purificando,& talia quædam faciẽdo Dei meminiſſent, à quo hæc ipſa conſtituta, & mandata eſſent, 87.c.
Legem non ſuſtuliſſe Chriſtum, ſed legis non naturalia, quæ vocat vincula,& aſcita,quæ ad cęrimonias, & ritus iudiciales pertinebant,poſt legem decalogi per ſecundã legiſlationem à Deo propter duritiam cordis Iudæorum inducta, 89.c.& 90.a.
Legem decalogi eſſe bonam & ſanctam, & non coactam, id eſt, eſſe libertatis legem, 86.c.
Legem Moyſis iuſtam,& ſanctam eſſe, & ſcripturam prophetarum teſtimonia eſſe in Euangelio, quod Chriſtus Luc.5. & Matth.8.leproſo mundato dixit, abi, oſtende te ſacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes in teſtimonium illis; & illud,Iota vnum , aut vnus apex non præteribit à lege,donec omnia fiant ; & illud , non veni ſoluere legem, aut prophetas, ſed adimplere ; item illud, quod Moyſes legiſlator,& Elias propheta interfuerunt transfigurationi tanquam amici,& familiares, 86.b.
Legem ſcriptam & per Moyſem datam adiutricem fuiſſe legis naturalis, 131.b.
Legem ſeruitutis impoſitam fuiſſe Hebræis ad premendum eos, & conſtringendum, quia lege libertatis abuſi fuerant, 87.b.
Legem decalogi ſcriptam eſſe legis naturalis adiutricem, immaculatã,& perfectam,ac conuertentẽ animas, 86.a.
Legẽ decalogi naturalem à Deo datã Simon vituperabat, quòd exiſtimaret non eſſe ab ea iudicandum , ſi eam aſpernaretur, 86.c.
Legem Moyſis non ſeruaſſe Ieſum, tanquam malam, calumniabatur Simon magus, 86.a.
Legem Moyſis quomodo Chriſtus impleuit in circumciſione carnis ſuæ, in aſperſionibus,in ſacrificiis,& in aliis conſuetudinibus legis, 89.c.
Legem Iudæis extra terminos Iudææ legere non fuiſſe licitum,nec altare ponere extra Hieruſalem, 90.c.
Legem dictam eſſe νόμον,quòd natura,id eſt, lege naturali iuſtè fiant iudicia, 86.c.
Leges Eccleſiaſticas, quas canones Eccleſiaſticos Apoſtoli vocarunt,datas eſſe à Chriſto per Apoſtolos epiſcopos à Deo creatos,teſtimoniũ per eos perhibente ſpiritu ſancto,quia ipſe à Chriſto, & patre eius miſſus,Apoſtolos ea quæ ſucceſſoribus tradiderunt, docuit,ex Apoſtolica doctrina, 123.a.
Legis naturæ tacita quadam voce docuiſſe Deũ ſingulos homines,eſſe omnia huius ſæculi vanitatem,ſolam verò conſcientiam fidei non fictæ vehere in cælos , & remunerationem à Deo ferre, 105.c.
Legis naturalis eſſe, Deum toto corde, totis viribus , tota mente diligere, 87.c.
Legis quædã nõ naturalia,ſed quæ erãt ſecũdę legiſlationis poſt legem decalogi,nõ abrogaſſe , & ſuſtuliſſe omnino Chriſtũ,ſed mutaſſe, vt baptiſmata,ſacrificia,ſacerdotiũ,



tem

templũ vno loco Hieroſolymitano circũſcriptum, 90.a.
Legis aſcita, id eſt, quæ ad decalogum extrinſecus acceſſerunt, vnde aſcita vocantur, ſilere fecit Chriſtus, 88.a.
Legis maledictio eſſe nos ſolutos, & liberatos, non autem lege ſcilicet naturali decalogi. hanc enim Chriſtum ratam habuiſſe, & impleuiſſe, 88.a.
Legis cęrimonias, & conſuetudines, vt ſeparationes, lauationes, expiationes de mortuo tacto, & alia huiuſmodi, non eſſe obſeruanda, 93.c.
Legis conſtitutiones varias mutaſſe Chriſtum, vt qui ſapientiam, & poteſtatem ad mutandum vt legiſlator haberet, illis fixè, & immutabiliter conſeruatis quæ naturalia erant, 91.a.
Lætitias oportere eſſe cõiunctas cũ metu, & tremore, 66.a.
Leuitas populi Chriſtiani eſſe diaconos, & reliquos miniſtros infra diaconos, item diaconiſſas, viduas, virgines, & orphanos, quatenus debent ſuppeditare iſtis omnibus epiſcopi, & presbyteri, ſecundum Apoſtolicam traditionem, & iuxta canonem Apoſt. 24.a.
Lex ſeruitutis in quibus iubendis verſaretur decreto ſupplicio non obedienti tanquam ſeruo; vnde lex ſeruitutis dicta mihi videtur, & metam eius, finéque ei propoſitũ fuiſſe retrahere Hebræos à falſo cultu multorũ Deorũ, & reducere eos ad vnũ Deum, & ad legẽ naturalẽ, 87.c.
Lex vetus cùm legitur, à quibus in ea abſtinendum ſit, ab iis ſcilicet, quæ iudicialia ſunt, & ad cærimonias Moſaicas pertinentia, quæ vocat Apoſt. doctrina deuteroſim, quæ non continebatur in lege naturali decalogi, quæ fuit prima lex à Deo data, lib. 1. c. 6.a.
Lex decalogi lex ſimplex, vera, & viua, lib. 1. cap. 1. 6.
Libidinem contra naturam qui loci ſcripturæ vetent, & qui adulterium, & fornicationem, 92.c.
Libido contra naturam illa Sodomitarum, & corpus cum beſtiis miſcentium; libido contra legem, adulterium, & fornicatio, 93.a.
Libidinis contra naturam proprium eſſe, quod à natura eſt id contra naturam facere; libidinis contra legem proprium, iniuriam aliis facere, vt in adulterio; aut ſuo corpori, vt in fornicatione, 92.a.
Libertate arbitrij nullum priuat peruerſitas, aut malitia, 87. c.
Libri gentilium quæ habeant, quæ ad lectionem inuitare ſoleant, ſcilicet hiſtorias, ſapientiam, acumen, & argutias, cantus ſuauitatem, antiquitates rerum; hæc verò longè excellentiora eſſe in ſcripturis, lib. 1. c. 6.a.
Libros omnes Gentilium vt alienos à nobis, & à diabolo excogitatos, nõ eſſe legẽdos, quòd homines leues facilè à fide recta detorqueant, & nihil in eis deſiderari poſſit, quin in libris ſacris habeamus, lib. 1. c. 6.a.
Libros nomine Chriſti, & diſcipulorum eius compoſuiſſe Simonem Magum, & Cleobium, quos ad decipiendum circumferebant, 84.b.
Libros Regum ſacros legendos eſſe, vt ſciamus Reges iuſtos à Deo fuiſſe vnctos, & vitam æternam conſecutos; eos verò Reges qui à Deo defecerunt, ſupplicium pro requie ſortitos, lib. 1. c. 6.
Libros apocryphos peſtiferos, & veritatis inimicos ſcripſiſſe quoſdam priſcis temporibus nomine Moyſis, & Enoch, Adam, Eſaiæ, Dauid, Eliæ, & trium patriarcharum, 84.b.
Librorum non nomina Apoſtolica attendenda eſſe, id eſt, non eſſe attendendum quòd inſcripti ſint Apoſtolis, ſed attendendam eſſe naturam rerum, & ſententiam numquam à recto deflexam, 84.b.
Ligandi, & abſoluendi poteſtatem, poteſtatem vitæ, & mortis eſſe, 28.a.
Litteras commendaticias exteros, cũ ex parœcia quapiam ad aliam Eccleſiam veniunt, ferre debere, & à diacono ipſius Eccleſiæ interrogari, & inquiri de fide, &c. 40.c.
Lis ſi Chriſtiano inciderit tentatione quapiam, aut alicuius opera, ſtudendum eſſe ei, vt quamuis opus ſit facere iacturam aliquam, controuerſia dirimatur, 34.b.

M.

MAgiſtratus, & ſacerdotes Deus conſtituit; illos ad tuẽdam vitam, hos ad colendum Deum, 152.c.
Malum omne fugiendum eſſe, & quicquid ſimilitudinem mali habet, 97.b.
Mali nihil ineſt in bono, 92.c.
Malorum enumeratio, quę in via mortis, id eſt, in vita peccatoris reperiuntur, 99.b.
Maledictionem qui vitare vult, ne alteri maledicat, 51.a.
Mandatorũ decalogi enumeratio; & expoſitio breuis, 29.b
Mandatum de non dicendo falſo teſtimonio contra proximum ſuum, contineri in mandato diligendi proximum ſicut ſeipſum, & ad eum quoque referri mandatum cõmunicandi cum egentibus, quæ ad vſum vitæ pertinẽt, 29.b.
Mammona colere, eſſe lucro ſeruire, 47.b.
Maranatha quomodo Apoſtolica doctrina vſa ſit in gratiarum actione poſt communionem, 103.b.
Mariam Magdalenam non fuiſſe ſororem Marthæ, & Lazari, ſed aliam Mariam & Martham fuiſſe ſorores Lazari, 46.c.
Maritus quomodo ſtudere debeat, vt placeat vxori, lib. 1. c. 2. 6.
Maritus erga vxorem qualis eſſe debeat, & quomodo ſtudere, vt placeat vxori, lib. 1. c. 2. 6.
Maritis non licere ſe ita ornare, vt ornatu ſuo aliis mulieribus cupiditatem ſui excitent, quamuis ipſi eas non appetant, nec ab eis ſollicitati conſentiant, daturóſque pœnas ſcandali propter ornatum ſolum, 2.c.
Martyr, quia baptizatur baptiſmo ſanguinis; & baptiſmus dicitur, & eſt φώτισμα, id eſt illuminatio, in eo enim datur fides qua illuminamur ad cognoſcendum Deum, idcirco dicitur accipere illuminationem gloriæ euangelij, & conformari morti Chriſti in adoptionem, 58.c.
Martyrem in carcere incluſum qui viſitat, & ſubuenit, eſſe ei habendum vice martyrii apud Deum non re, ſed voluntate, 59.a.
Martyr quis ſit, & qualis, frater ſcilicet Chriſti, filius altiſſimi, receptaculum ſpiritus ſancti, qui cordi eius lumen gloriæ Euangelij, pro quo patitur, immiſit, 58.c.
Martyr verus, & auctoritate dignus quis ſit, is ſcilicet, qui in martyrio nõ fallaciter pro veritate exceſſit è vita, 66.a.
vt Martyres eſſe recipiendos & adiuuandos eos qui perſecutionem propter Chriſtum patiuntur, & ſocios perſecutionis eorum fieri eos qui illos recipiunt & adiuuant, ac proinde beatos, 60.a.
Martyrem accipere illuminationem gloriæ Euangelij, ſicut fit à Deo, dignum corona immortali, & teſtimonio paſſionum eius, ac ſocietate ſanguinis, vt conformetur morti Chriſti, & adoptionem à Deo adipiſcatur, baptiſmo enim ſanguinis regeneratur, 58.c.
Martyrem vt redimat, qui bona ſua omnia largitur, perfectiorẽ eſſe eo qui largitur omnia ſua indigentibus, 50.a.
Martyrem eſſe, qui propter nomen Dei damnatus eſt ad ludum, aut ad beſtias aut ad metalla, eíque quantum in nobis eſt, eſſe ſuccurrendum, 58.c.
Martyrij propter Chriſtum ſubeundi exemplum propoſitum nobis eſſe in ipſo Chriſto, cuius paſſiones imitari oportet, 60. c.
Martyres qui nolunt fieri, negantes ſe eſſe Chriſti, ne ſint hominibus odio, miſerabiles, ac miſeros eſſe, vt impuros, & deteſtandos, 60.a.
Martyrium qui recuſat, quàm ſit miſer & infelix, 62.a.
Martyres proſequendos eſſe cantu pſalmorum, & lectionibus ſcripturæ, & quare, require in ſcholio, 93.c.
Martyrium verior baptiſmus catechumeni, quã ex aqua, quia experientia mortis commoritur Chriſto, reliqui verò myſtica repræſentatione, 62.b.
Martyrium qui ſubit, quæ eum conſolari, & lætitia afficere debeant, 62.b.
Martyrium propter Chriſtum ſubire, ne eum negemus propter vitã corporis, qui loci euangelij ſuadeant, 60.b.
Matrimonij vnitas multiplex, natura, conſpiratione, vnione, affectione, vita, more, 96.a.
Matrimonium ſecũdum poſt promiſſionem caſtitatis ſceleratum eſſe non ratione coniugij alioqui iuſti, ſed ratione promiſſionis prius Deo factę, 45.a.
Matrimonium legitimum, & generationem filiorum honorata, & mũda eſſe. legitimum matrimoniũ dicit, quod iuſtè contrahitur. cùm igitur non iuſtè cõtrahitur, quia nõ eſt legitimũ, erit inhonoratum, & immundum, 80.c.
Matrimonium ſimplex, & vnum, iuſtum eſſe, & Deo probatum ab ipſo initio, 45.a.
Matrimonium legitimum qui diſſoluunt, vnum iſtos in duo diuidere, & inimicos eſſe operis Dei, & prouidẽtiæ eius aduerſarios. 83.c.
Matrimoniũ tertiũ indiciũ eſſe intemperãtię; quartũ verò planè libidinoſum eſſe, & impudicitiã præ ſe ferre, 45.a.
Mediatores Dei, & fidelium eius, eſſe presbyteros. 23.b.
Mediatorem eſſe Chriſtum per Epiſcopum in ordinatione miniſtrorũ Eccleſiæ, quam ipſe epiſcopus immediatè facit, ex Apoſtolica doctrina, 123.a.
Mediatorem eſſe per ſe in redemptione Chriſtũ, 1. Tim. 2. per Apoſtolos verò, & eorum ſcilicet ſucceſſores in iis quæ ipſi in Eccleſia auctoritate Chriſti agunt, ex Apoſtolica doctrina, 123.a.
Melchiſedec Pontificem fuiſſe, ſiue ſacerdotem diuini cultus, 131.a.
Mendacij genus omne odit Spiritus ſanctus, & diabolus contrà omne genus veritatis, 91.c.
Menſtrua purgatio naturalis non diſplicet Deo quæ eſt mulieribus à Deo prouiſa cauſa firmitatis, & bonæ valetudinis, cùm minus quàm viri moueantur, & plus domi ſedeant, 92.c.
Mentem eſſe animæ aurigam, & ſenſibus quinque ad certandum quintuplex certamen continentiæ prępoſitam ac præfectam, 107.b.
Miracula ſuperuacanea eſſe, ſi nulli ſint infideles, 119.c.
Miracula facere ad Deum pertinere, cuius virtute fiunt; pium verò eſſe ad eum qui pius eſt, pertinere, quia ex beneuolentia eius in Deum pendet, 119.c.
Miraculis illos tantum moueri qui ſunt grato in Deum animo, quorũ cauſa placet Deo vt miracula fiãt, 118.c.
Miraculorum chariſma non ad vtilitatem eorum qui miracula faciunt, ſed vt qui non credunt, ad credendum adducantur, 118.
Miraculorum reuerentia non omnes impios, & infideles moueri, vt euenit Iudæis, qui Chriſto non crediderunt, & prius Ægyptiis, qui tot ſignis, & miraculis Moyſis non crediderunt, 118.b.
Miraculorum chariſma prius datum fuiſſe Apoſtolis; poſtea cum iis communicatum eſſe, qui per prædicationem eorum crediderunt, 118.a.
Miſſa cùm celebratur, in ea lectionem legis, & prophetarum, & euangelij adhiberi, quod hodie quoque fit, 31.b.
Miſſa cùm finitur, ite in pace dicit ſacerdos, 141.
Miſſa cùm celebratur, tempore oblationis nec ingredi, nec egredi licere vlli fideli, 129.a.
in Miſſa cùm oblationis tempus inſtat, quid diaconus moneat, & quomodo diaconi dona conſecranda epiſcopo qui Miſſam celebrat, adhibeant; & de presbyteris ex vtroque latere aſtantibus, & de diaconis ex vtraq; parte altaris flabella tenentibus, 129.b.
in Miſſa pro omnibus ſanctis offert ſacerdos, pro Patriarchis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, non vt pro eis oret, qui non indigent oratione noſtra, ſed vt gratias agat pro gloria, qua eos dignatus eſt, vt ſic gratias agendo ad ſocietatem beatitudinis per eorum imitationem incitemur, 135.a.
in Miſſa quæ memoret ſacerdos antequã conſecret corpus Domini, quæ nos in præfatione, quam vocamus, breui complectimur, 132.b.
in Miſſa orare ſacerdotem pro omnibus hominibus, & iis qui in ſublimitate ſunt, & pro omni genere neceſſitatis omnium, 135. 136.b.
in Miſſa quę fiant, & quo ordine ſalutatio epiſcopi ſacrum facientis, pax Dei cum omnibus vobis, reſpõdente populo, & cum Spiritu tuo, deinde oſculum ſanctum virorum inter ſe, & mulierum inter ſe, ſtatio puerorũ apud ſuggeſtum, diaconi cuſtodes ad ianuas, quibus viri in Eccleſiam ingrediuntur, hypodiaconi ad ianuas mulierum, hypodiaconus aquam ad lauandum manus ſacerdotibus miniſtrat, 129.a.
in Miſſa Clementis, hoc eſt myſteriũ noui teſtamenti, accipite ex eo, comedite, hoc eſt corpus meum, &c. 132.c.
in Miſſa quid ſacerdos oret poſt cõſecrationẽ, orat Deum, vt ſpiritum ſuper illud ſacrificium mittat, orat, inquã, vt ad hoc mittat, vt qui eũ participant, cum fructu participent, 132.c. & 133.a.
in Miſſa orare ſacerdotem pro piè defunctis, 136.b.
in Miſſa, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth, plenum eſt cælum, & terra gloria eius, 131.c.
Miſſam habuiſſe tempore Apoſtolorum lectionem ſcripturæ, & immiſtam pſalmodiam, teſtatur Apoſtolica doctrina, 137.c.
Miſſam eſſe celebrationem ſacrificij Euchariſtiæ cum gratiarum actione, & profeſſione beneficiorum per Chriſtum, qui ab ignorãtia, errore, & vinculis liberauit, colligitur ex Apoſt. doctrina, 104.b.
Miſſam qui celebrat, precationem ſilentio facit, & ſplendidam veſtem induitur, 129.
Miſſæ hymnus, qui incipit, gloria in excelſis, ex angelico hymno, & ex gratiarum actione ab Apoſtolis tradita ductus, vt perſpici poteſt ex Apoſt. doctr. 117.b.
Miſſæ præfatio ante conſecrationem à Domino vobiſcũ incipiens, deinde ſurſũ corda, & quæ ſequũtur, 129.b.c.
Moyſem lapidatum fuiſſe à Coritis, & Rubenitis his verbis precantem, ne attendas ad ſacrificium eorum, *Num.* 16. 76.c.
Moyſem quibus probris Dathan, & Abirõ, & quibus Coritæ affecerint, propter quæ pœnas dederunt, 76.a.
Moyſi quia probrum intulit Maria, cũ dixit, duxiſſe eum vxorem Æthiopiſſam, ex caſtris vij. diebus eiectam eſſe, 75.a.
Moyſis variæ laudes, & encomia, & in Hebræos beneficia, & mirabilia opera, 76.b.
Mortem nõ eſſe mercedem ſupplicij, ſiquidem ſancti mortem ſubierunt, immo etiam ipſe ſanctus ſanctorum, 63.b.
Mortis via ignorantiam Dei, caligines & turbas habet, vnde omnia genera peccatorum oriuntur, 99.a.
Mortis via in quibus actionibus cernatur, & verſetur, 99.b
Mortuos tactos non contaminare tangentem, & eorum reliquias auerſari non licere, & eiuſmodi obſeruationes ſtultas eſſe, 94.a.
Mortuos ſanctos honorandos eſſe, tum ipſos, tum eorum reliquias, qui loci ſcripturæ teſtentur, in Pſalmis, Prou. Sap. 94.a.
Mortuos ſanctos orationibus, lectione ſcripturarum, pſalmodiis, & oblatione ſanctæ Euchariſtiæ proſequendos eſſe, & quare, vide ſcholion, 93.c.
Mortuos impiè nullis eleemoſynis iuuari poſſe, 156.a.
Mulier impudica, & improba, quibus locis ſcripturæ notetur, in Eccleſiaſt. & Prou. 5.c.
Mulierem factam eſſe ex coſta viri, eíque tanquam capiti ſuo ratione creationis ſubiectam, ac proinde non licere ei docere, hoc enim eſſet relicto capite ad corpus deſcendere, 48.b.
Mulierem baptizare eſſe munere ſacerdotali fungi, & hoc rurſus Gentilium eſſe, qui Deis feminis ſacerdotes feminas eligunt, 48.c.
Mulieres operto capite ad Euchariſtiam accedere, 40.c.

N.

NAturalia quaſi inquinent, non eſſe obſeruanda, vt fluxum ſeminis, purgationem menſtruam, legitimas coniunctiones corporum, & alia huiuſmodi, 93.c.
Nautis eſſe ſimiles diaconos in eccleſia, & iis qui titarchi dicuntur in naui, id eſt, præfecti murorum naualium, 39.c.
Neophytos vocat pullos, qui ita tractandi, & curãdi ſunt, vt fiant gallinæ quæ pariunt oua, id eſt, alios catechumenos, 17.a.
Nubium pluentium quãta ſit vtilitas, & neceſſitas, 130.
Nuptias honoratas, & honeſtas eſſe, ſignificauit benedictio illa qua Deus illis benedixit in Gen. c. 1. & illa benedictio in Pſ. 127. Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo qui timet Deum, 92.
Nuptias damnantium tanquam execrabiles, hæreſis tempore Apoſtolorum orta, 79.c.

O.

OBedientiæ exemplum nobis eſſe, quæ effecta à Deo ſunt,& anima carentia ordinem ſeruant,vt nox,dies, ſol,luna,ſidera,& elementa,&c. quanto magis nos debemus nihil mouere eorum quæ ſecundum Dei voluntatem à ſanctis Apoſtolis nobis tradita ſunt, 157.a.
Oblationes in Eccleſia qui accipit, à quibus non licet, vt ab excommunicatis,futurum eſſe reum in iudicio Dei, ſicut Adonias propheta, qui quia accepit ad comedendum & bibendum,vnde Deus vetuerat propter impietatem Hieroboam,à leone diſcerptus eſt, 51.a.
Oblationes fidelium,& pecuniam ex eis redactam,in quos vſus egentium collocare debeat ſacerdos eccleſiæ, 57.a.
Oblationes prohibitas,ne recipiantur, eſſe inſtar commutationis canis, & mercedis proſtibuli; vtrumque enim lege Moyſis prohibebatur, Deut.23. 56.b.
Oblationes ab excommunicatis priuſquam membra Eccleſiæ fiant,non licere accipere, 56.c.
Oblationes accipere à quibus non licet, quàm ſit cauendũ ſacerdotibus,& viduis Eccleſiæ, 48.b.
Oblationes Eccleſiæ ſucceſſiſſe primitiis, decimis, portionibus,& donis populi veteris,offerrique illas ipſas oblationes ab Epiſcopis Deo per Chriſtum, 24.a.
Oblationes cùm ſacerdotes ab excommunicatis accipiunt, aut ab iis qui turpi quopiam modo parant vnde offerant,precari eos pro eo qui vult perſeuerare in peccato, & communionẽ orationis cum illo ipſo à quo accipit, eos habere,& illum in peccato ædificare, & ſe cum eo inquinare,quia non ſinunt ad pœnitentiã venire, 47.b.
Oblationes à quibus accipere debeat epiſcopus,& à quibus non,oportere eum ſcire;& à quibus cauere debeat ne accipiat, enumerat, 55.b.
Oblationes laicorum Epiſcopo eſſe offerendas aut per ipſos laicos,aut per diaconos, 26.a.
Oblationes ab inimicis Dei non eſſe accipiendas, nec ad alendos inde pauperes,pręſtareque fame interire,quàm facere quod faciat eſſe ludibrio amicos Dei, 56.c.
Oblationes malæ conſcientiæ ne ad altare Dei afferantur cauendum eſſe ab epiſcopo, 56.c.
Oblationes voluntarias quas ad eccleſiam offerunt fideles, epiſcopo committi ab illis ipſis,vt ipſe quibus videbitur pauperibus his aut illis diſtribuat, 45.c.
Oblationes factæ eccleſiæ ſi non ſuffecerint alendis egentibus,denunciandum eſſe fratribus, & faciẽda collecta, & nullo modo ab excommunicatis accipiendum, 56.c.
Oblationes voluntarias non eſſe accipiendas à ſacerdotibus,nec à viduis eccleſiæ,quæ ſunt Deo ſacratæ, ab excommunicatis,nec ab aliis qui ex rapina, aut alio quopiam inhoneſto viuendi modo victum parant, 48.a.
Oblationes primitiarum, & decimarum, & pro peccatis ſacerdoti deberi, 29.a.
Oblationes impiorum ex argento ſi inuiti & coacti ſacerdotes aliquando accipiant, in ligna,& carbones emendos conferenda eſſe,ne inde pauper cibum emat, & ſit ludibrio piis, 57.a.
Oblationes non pœnitentium, ſed permanentium in peccato, ſimiles eſſe oblationi Simonis Magi allatæ ad Petrum,& Azaelis ad Eliſeum,& Hieroboam ad Achiam prophetam, 56.c.
Oblationes Eccleſiæ Chriſti eſſe,& miniſtrorum, 24.a.
Obtulit ante paſſionẽ ſuã Chriſtus hoſtiã ſpiritualẽ, 158.a
Obtuliſſe Melchiſedec panem & vinum tanquam ſacerdotem teſtatur Apoſtolica doctrina, cùm dicit fuiſſe eum electum ſacerdotem diuini cultus,nihil autem diuini cultus de eo in ſcriptura narratur, præterquam oblationem illam panis & vini, 131.a.
Offerre presbyteri tantum eſſe, ex quo fit, vt aliud genus oblationis ſit hoc,præter illud quod cuique nõ presbytero,immo laico licet, 53.c.
vt Offerrent hoſtiam,quam Chriſtus ante paſſionem Deo patri obtulit,ſacerdotes conſtituit Chriſtus, 158.a.
Olei,& aquæ ſanctificatio ad ſanandos morbos, & dæmones fugandos, 146.c.
Oleum ſanctificatum ad baptiſmum, virtutem accipere à Deo ſpiritualem tanquam inſtrumentum, quo Deus vtitur ad remiſſionem peccatorũ in baptiſmo, ad quem preparat per vnctionẽ ſanctã ex oleo ſanctificato, 114.b
Olei ſancti benedictio ab epiſcopo in remiſſionem peccatorum,& præparationem baptiſmi, 114.a.
Operandum eſſe adoleſcentibus, vt ſuppetat tum ipſis ad neceſſitatem,tum ad ſuppeditandum neceſſitatem patienti,& ne neceſſe ſit graues eſſe Eccleſiæ, 43.c.
Opera bona ſuperiora per peccatum amittuntur,ita vt nõ reuiuiſcant per pœnitentiam. ſiquidem ait Apoſtolica doctrina oportere manere alienum à peccato, graui ſcilicet,vt ſuperiora rectè facta conſeruemus. Ergo ſi non maneamus alieni à peccato, non conſeruabuntur, ac proinde pereunt, 13.
Opera fidei iuſtificare,quia dictum eſt,ecce homo,& opus eius ante faciem eius, 13.c.14.
Oratio actionis gratiarum veſpere, quæ ex parte accommodata eſt ad hymnum gloriæ in initio Miſſæ, 117.c.
Oratio actionis gratiarum pro primitiis oblatis, 153.b.
Oratio ad ordinationem diaconi comprehendens ea quibus opus eſt ei ad officium ſuum rectè obeundũ, 142.c.
Oratio epiſcopi cum benedictione ſuper pœnitẽtes, 126.c.
Oratio epiſcopi cum benedictione pro petentibus baptiſmum, 126.b.
Oratio actionis gratiarũ principio noctis ſuper populum poſt incenſa prima lumina, 152.c.
Oratio actionis gratiarum matutino tempore, vnde hymnus gloriæ, qui mane ad Miſſæ initium adhibetur, ex parte manauit, 117.
Oratio in ordinatione presbyteri quæcũque presbyteris opus ſunt, complectens, 140.c.
Oratio ad ordinationem epiſcopi, 121.c.
Oratio ſacerdotis ad benedictionem populi finita miſſa, 140.c. 141.a.
Oratio in chriſmate quod baptizatis adhibetur, 115.
Oratio ſacerdotis in Miſſa pro iis qui adeſſe vellent ſi poſſent,habẽtque cauſam abſentiæ ſuæ probabilẽ, 135.c.
Oratio in benedictione epiſcopi ſuper catechumenos, 125.b.
Oratio epiſcopi in benedictione energumenorum, 125.c.
Oratio ad ordinationem diaconiſſæ, 145.a.
Oratio matutini temporis ſuper populum, 153.a.
Oratio baptizati poſt orationẽ Dominicã recitatã, 116.a.
Oratio epiſcopi benedicentis populo in eccleſia, cùm ſacrum facit, 40.c.
Oratio cùm inſtat in eccleſia poſt auditum verbum Dei, exeundum eſſe catechumenis,& pœnitentibus, 40.b.
Oratio in Miſſa pro omnibus hominibus,&c. iuxta præceptum Apoſtoli 1. Tim.c. 2. 40.b.
Oratio actionis gratiarum ad ſumendum cibum, artificioſè ad clauſulam libri ſeptimi appoſita, 117.c.
quòd ſeptimus dies ſymbolũ ſit requieſcendi ab operibus, & laboribus, ſicut ſcriptum eſt, ſeptima die requieuit Deus ab omni opere quod patrarat, & nos poſt laborem & opus cibo corpus,& vires reficere ſolemus. Vnde libros de diſputatione Petri cum Simone Mago more dialogi ſcriptos, cibo & ſomno ad neceſſitatem naturæ capiendis ſæpe idem Clemens claudere ſolet. hoc obſeruare volui,vt animaduertamus nihil, licet minutũ, eſſe in his libris non appoſitè ſcriptum, & collocatum.
Oratio quæ adhibetur ad ſanctificationem ſiue benedictionem aquæ baptiſmalis, 114.b. 115.a.
Oratio quæ adhibetur ad ſanctificationem ſiue benedictionem olei ad baptiſmum, 114.b.
Oratio pro defunctis ad Deum, vt remittat eis omne peccatum voluntarium & non voluntarium, 153.c.
Oratio ad ordinationem lectorum, ex qua licet intelligere lectores ſimiles eſſe iis quæ in mundo enarrant gloriam Dei;vt cæli tanquam quidam lectores, ſic iſti per lectionem ſcripturarum opera Dei denuntiant, 143.
Oratio ad benedictionem, ſiue ſanctificationem aquæ, & olei,ad ſanãdos morbos,& expellẽdos dæmones, 146.c.
Oratio ſacerdotis poſt oblationem hoſtiæ pro omnibus,& pro omni gradu,& pro ſanctis martyribus, vt certaminibus eorum digni efficiamur, 136.b.
Orare verſus Orientem in eccleſia quorſum ſpectet,& qua ratione ad cultum Dei referatur. hoc adiaphoron contra hæreticos, 40.b.

Orare



Orare oportere toto corde,& non mente diſtracta,qui exaudiri velit, 47.b.
Orare nominatim pro aliquo acceptũ eſſe Deo,cõtra Vuiclef hęreticũ, qui ſpeciales orationes improbabat, 45.c.
Orare vt poſſimus mundo corde,tollendam eſſe omnem inimicitiam,& animi exiguitatem, 37.b.
Orare quæ debeat fidelis quiſque quotidie mane, 153.a.
Orandum eſſe non more hypocritarum, ſed potius ſicut Dominus conſtituit,& docuit, vt orationem Dominicam ita oremus,vt quia patrem Deum in ea appellamus,dignos nos adoptione paterna exhibeamus, 102.a.
Orandum eſſe ne dormiamus in mortem,id eſt, ne in peccato vitam finiamus,non enim profutura eſſe ſuperiora rectè facta,ſi ad extremum à vera fide aberratum fuerit, 104.c.
Orandum eſſe ter ſingulis diebus, oratione Dominica ita ad precandum adhibita, vt nõ exprobretur nobis, quod Deum patrem appellemus, qui non ſimus ſancti, ſicut pater noſter ſanctus eſt, 102.b.
Orationem Dominicam recitari à baptizato poſt baptiſmum, & chriſmatis vnctionem, 115.c.
Orationem Dominicam,quæ à baptizato ad altare maius verſus Orientẽ fieri ſolet, repræſentatam fuiſſe typicè in laudibus,& canticis,à ſacerdotibus,& Leuitis,in die dedicationis templi Salomonis adhibitis, Apoſt. doctrina nos admonet, 115.c.
Orationes ad ſanctificationem aquæ ad baptiſmum, & olei,& vnguenti chriſmatis, poſitas eſſe tanquam formulas ad quarum exemplum ſimiles aliæ, ſi videatur, fiant,intelligi poteſt ex Apoſt. doctrina quæ poſt orationem ad chriſma baptizato adhibitum, hæc atque alia, inquit, his conſentanea dicat, 115.c.
Orationes habentium cum aliquo inimicitiam iratè, & iniuſtè, non exaudiri, 37.b.
Orationes eorum qui pro iis qui volũt permanere in peccato,& cum voluntate Dei pugnant,non exaudiuntur.
Orationes eorum qui peccauerunt, & peccatorum non pœnitet,non ſolum non exaudiri,ſed magis Deum illis irritari, quia eorum oratio recordatio eſt Deo peccatorum, 56.a.
Orationis Dominicę clauſula Apoſtolicę traditionis, quoniam tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria patris, & filii, & ſpiritus ſancti,&c. 55.a.
Orationis aſſiduæ exemplũ eſſe ter in hora precari,quamuis ter, inquit, in hora preces adhibeant, 37.b.
Orationis eccleſiæ formula per diaconum denunciata ad precandum pro catechumenis, 125.a.
Oratio quæ ſecreta dicitur, & eſt, quæ fit in miſſa antequam fiat conſecratio, 40.c.
Orationes pro omni gradu hominum ab Eccleſia,& à ſacerdotibus ad altare adhiberi, ex Apoſtolica doctrina, 128.a.b.c.
Orationes non exaudiri ira ſubeunte nobis habẽtibus aliquid aduerſus fratrẽ, aut fratri habẽti aliquid aduerſus nos,quare oportere ante omnia recõciliari fratri, 37.b.
Orationis eccleſiæ formula per diaconum denunciata ad precandum pro petentibus baptiſmum, 126.a.
Orationis veſpertinæ conſtitutio Iacobi fratris Domini, 152.a.
Orationis & ſermonum thymiama per omnes mundi partes Deo offerri, 105.b.
Orationis eccleſiæ formula per diaconum denunciata ad precandum pro energumenis, 125.b.
Orationem Dominicam à baptizato velut nomine communis cœtus fidelium adhibendam eſſe, 52.c.
Orationis Eccleſiæ formula per diaconum denunciata ad precandum pro iis qui ſunt in pœnitentia, 126.b.
Ordinatio non eſt virginis, ſed voluntas, 144.a.
Ordinatio epiſcopi ab epiſcopo primo cum duobus aliis per impoſitionem libri Euangeliorum aperti ſuper caput ordinati,cum qua impoſitione libri comprehenſa videtur impoſitio manuum, 121.a.
Ordinatio non eſt confeſſoris, ſed voluntas, & tolerantia, 143.
Ordinatio Iacobi fratris Domini ab Apoſtolis,& Chriſto, 152.a.
Ordinum in eccleſiaſtica Hierarchia diſtinctio epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum, 157.c.
Ordinari à presbytero aut diacono non poſſe reliquos clericos, 53.c.
Ordinationem epiſcopi ab vno ex decreto ac cõſenſu plurium abſentium fieri poſſe, ſi neceſſitas cogat propter perſecutionem, aut aliam cauſam, quæ plures adeſſe prohibeat, 145.c.
Ordinationem epiſcopi à duobus, aut tribus epiſcopis fieri debere,conſtitutio Simonis Cananæi, 145.c.
Ordinandos eſſe presbyterum,diaconos, & reliquos clericos ab epiſcopo vno, 53.c.
Ordinationem epiſcopi à tribus, & vt minimũ à duobus, nullo autem modo ab vno faciendã eſſe, vt in ore duorum,vel trium ſtet teſtimonium, 53.c.
Ordinationem epiſcopi,& aliorum miniſtrorum eccleſiæ fieri à Deo mediatore Chriſto per epiſcopum ordinatorem,ex Apoſt. doctr. 123.a.
Ordinationis diaconi cõſtitutio ex perſona Philippi Apoſtoli, 143.
Ordinationis lectorum conſtitutio ex perſona Matthæi, 143.c.
Ordinationis diaconiſſæ conſtitutio ex perſona Bartholomæi, 143.a.
Ordinandi diaconos,aut diaconiſſas,aut lectores, aut cantores,aut ianitores, poteſtatem non habere presbyteros, ſed epiſcopos tantum, 49.c.
Ordinationis presbyteri conſtitutio ex perſona Ioannis Euangeliſtæ, 141.c.
Oſculum ſanctum virorum inter ſe,& mulierum item inter ſe in Miſſa,ſymbolum ſalutationis poſt ſalutationem epiſcopi Miſſam celebrantis, 129.a.
Otioſi quibus locis ſcripturæ in Apoſt. doctrina notentur, 44.a.
Otioſo,qui poteſt labore victũ quęrere,non eſſe dandũ, 7.b.
Otioſos exemplo formicæ,& apis à Salomone ad laborandum excitari, 44.a.

P.

PAcis quantũ ſtudiũ,& cura eſſe debeat Chriſtiano, 37.c.
Pacem vt omnes inter ſe habeant,quibus verbis diaconus in Miſſa moneat, & pacem qui ſecum habet, cum omnibus habebit, 37.c.
Paſcha celebrandum eſſe poſt decimam quartam lunam, & æquinoctium proximo die Dominico, 70.c.71.a.
Paſcha cùm tempore Chriſti,& tempore Clementis actũ eſt, fuiſſe æquinoctium 22. menſis Dyſtri, id eſt, Martij, qui incepit quarto die, à quarto autem die vſque ad vigeſimum quintum numeratur vigeſimus ſecundus, qui eſt idem vigeſimus quintus ſecundum rationem computationis noſtræ, 70.c.
Paſſionem Chriſti veniſſe primum in conſultationem Iudæis feria ſecunda menſis primi,id eſt, Aprilis, & tertia die duraſſe,quarta decretam fuiſſe mortẽ in cruce, 67.c.
Paſſiones cum hominibus conſeneſcere niſi fortiore freno coërceantur, 144.c.
Paſtoris ſpiritualis genera medicinæ ſpiritualis, quibus in grege ſuo rationali vſurus eſt, ex loco Ezech. 34. explicato, 17.b.
Paſtor bonus quomodo veluti animam ſuam ponit pro ouibus ſuis ad exemplum Domini non moriendo, vt Dominus mortuus eſt, 17.c
Paſtorem,qui eſt aries rationalis,honorandum eſſe à laicis, qui ſunt oues item rationales, diligendum, metuendum vt patrem, vt dominum, vt herum, vt Pontificem, vt magiſtrum pietatis, 17.a.
per Patres ſpirituales qui ſunt in primis Epiſcopi, quot, & quanta dona,& beneficia Dei accipiamus, 27.c.
Patres ſpirituales, qui loquuntur populo ſermones Dei, magis honorandos eſſe,quã patres ſecundũ carnẽ, 98.a.
Patri non licere filium ſuum cæde perimere, 97.
Pauperum curam habendam eſſe epiſcopo, vt cuique eorum in tempore quæ cõmoda eis ſunt, diſtribuat, 45.b.
Peccata in nos ab aliis commiſſa remittendi poteſtatem in nobis poſitam eſſe à Domino, 37.b.
Peccata non vno modo iudicanda eſſe, nec eiſdem pœnis plectenda, aliter factum, aliter ſermonẽ, aliter propoſitũ,

aliter

aliter conuicium, aliter ſuſpicionem, 35.b.
Peccata remittendi,& retinēdi poteſtatem iudicialem eſſe contra hæreticos,qui hoc negant, 27.c.&.28.a.
Peccata quàm variè punirentur in vetere lege pro varietate ipſorum peccatorum, 35.c.
Peccatum arguendum eſſe exemplo Eliæ, & Michææ in Achab, Abdemelech Æthiopis in Sedecia, Nathan in Dauid, Ioannis in Herode, 98.a.
Peccata populi ſibi attribuere,& propria ducere epiſcopos debere,ac pro eis dolere,vt Chriſtus peccata noſtra portauit,& pro eis doluit, 33.b.
Peccatum in ſpiritum ſanctum peccatum eſſe, quod quis peccat eiecto omni timore Dei,cogitans Deum nō eſſe iuſtum vt pœnas de peccantibus ſumat, 21.
Peccata iniquorum non nocere iuſtis,& ex quibus locis ſcripturæ id conſtet,& quibus exemplis id demonſtretur, 12.& 13.
Peccatum quo nullum maius ſit idololatriam eſſe, quæ tamen pœnitentia remittatur, 21.c.
Peccatum alterius quomodo veluti propriū, ſi fieri poſſet, epiſcopus debet facere,& pro eo mortē ſuſcipere, 17.c.
Peccatum cui ex corde dolet commiſiſſe, continuò ei dicere ſpiritum ſanctum,& Dominus remiſit tibi peccatum,confide,non morieris, 16.a.
Peccatorum tanquam vulnerum curandorum varias eſſe medicinas, 32.b.
Peccati grauitatem augeri circumſtantia perſonæ,ita vt ſit inſtar trabis, quod in alio fuerit inſtar feſtucæ,vt iniuſtitia in epiſcopo,& in ſubdito, 15.b.
Peccata veterum iuſtorum, & patriarcharum ideo ſcripta eſſe,non vt exprobremus illis,ſed vt nos noſtrorum peccatorum pœniteat; ſic eſſe illorum peccata noſtram tutelam,& monitionem,futurum eſſe, vt,ſi nos peccauerimus, & ſimiliter pœnitentiam egerimus,remittatur nobis, 16.a.
à Peccato neminem vacare, ſicut Iob dixit,25. nullus purus à ſorde,&c. 16.a.
Peccatum quod non arguitur,deterius fieri, & alijs nocere;& loci plures ſcripturæ de ea re, 15.c.
Perſecutionem qui patiuntur propter Dominum, recipiēdos eſſe ſecundum mandatum Domini, & ſuccurrendū illis, 156.c.
Petrum eſſe primum,id eſt, Principem Apoſtolorum, primum, inquam,poteſtate; primū enim vocat hic Apoſt. conſtitutio,ex Apoſt. doctr. 121.a.
Pilatus cùm Chriſtum ad mortem damnauit, ſe ipſe redarguit,& de malitia conuicit;quia cùm innocentiæ teſtimonium Chriſto præbuiſſet, tanquam nocentem tamen & reum capitis ad crucem damnauit, tametſi leges Romanorum,nequis niſi conuictus necaretur,prohibebant, 68.c.
Pluuiæ commoditas ad pabulum cuiuſque generis animantium, & ad temperationem aëris, 107.b.
Pœnas, quibus plectenda ſunt peccata, varias eſſe oportere,vt ſunt varia peccata,aliquando ſolis minis, & terroribus puniri, aliquando mulctatione largiendi pecuniā pauperibus, alias ieiuniis, alias excommunicatione pro grauitate criminis, 35.b.
Pœnitentiæ viam qui inuenerunt,quæ dona adipiſcantur, nempe conterunt ſatanam ſub pedibus,& à laqueo eius liberantur;deletur chirographum, quod cōtra eos erat, & remiſſis omnibus peccatis per pœnitentiam, & confeſſionem ſcribuntur in libro vitæ, ex Apoſtolica doctrina, 126.c.
Pœnitentiam procuraſſe Deum ſua miſericordia hominibus,vocando ad eam omnibus temporibus ante diluuium,in diluuio,poſt diluuium,ipſo tempore legis,poſt legem, & paulo ante aduentum Chriſti,& in ipſo aduentu, & poſt paſſionem; & exempla ſigillatim cuiuſque temporis, 38.a.
Pœnitentiam cum fructibus,id eſt,operibus dignis pœnitentia,neceſſariam ad ſalutem prædicaſſe ſanctos Apoſtolos,& prædicare nunc, qui eis in prædicando verbo Dei ſucceſſerunt,ſicut prædicauit Ioannes Baptiſta;cōtra hæreticos qui hoc negant, 38.a.
Pœnitentiæ ſacramentum conſtare ex tribus partibus,pœnitentia interiore,ſiue contritione,fructu pœnitentiæ, ſiue ſatisfactione,& abſolutione,quæ implicata eſt cum confeſſione, 32.a.
à Pœnitentia qui alieni ſunt,& obduruerūt, tanquam inſanabiles eiiciendos eſſe ex Eccleſia per excommunicationem, 32.c.
ad Pœnitentiam qui recipitur, adhibendo medicinam eſſe recipiendum, 22.a.
Pœnitentiam Niniuitarum acceptam fuiſſe Deo, ſcilicet ad iuſtificationem eorum, 127.a.
Pœnitentiam veram, in qua conſiſtit vera conuerſio, non conſiſterę ſine fructu pœnitentię,qui dicitur ſatisfactio, 32.a.
Pœnitentiam afferre ſpem ſalutis conſequendæ, non autem certitudinem remiſſionis iam factæ, vt hæretici tradunt, 11.c.12.
Pœnitentiæ poteſtas an ſit futura nobis, quia nō habemus certum,vel ob hanc cauſam debere nos abſtinere à peccatis 11.a.c.12.
Pœnitentiæ non eſſe locum, neque tempus poſt mortem, 11.c.13.
Per pœnitentiam reſtitui peccatorem in priorem dignitatem,& honorem ſcilicet adoptionis, & gratiæ iuſtificātis ad exemplum filij prodigi, 127.a.
Pœnitentes quandiu fluctuant,ſcilicet faciendis fructibus dignis pœnitentia,non admitti ad communionem myſteriorum ſanctæ Euchariſtiæ, vt intelligi poteſt ex oratione,quam pro eis epiſcopus adhibet, 126.c.
Pœnitentem qui nō recipit,cum eo comparari, qui ingredientem iuxta fluuium, & iam prolapſurum, contis impellendo protrudit in amnem, cùm potius manum porrigere deberet, 14.c.15.
Pœnitentes examinandos eſſe, an ſint digni vt in Eccleſiam ex toto recipiantur;id eſt,non ſolū ad audiendum verbum, ſed ad communionem orationis, 15.c.16.
Pœnitentes vt recipiantur, quæ exempla in ſcriptura ſuadeant,ſcilicet Matthæus, Petrus, Paulus, Magdalena, mulier deprehenſa in adulterio, 22.c.
Pœnitentes ad audiendum verbum in Eccleſiam admittuntur,ſed non ad communionem orationis,ſicut Ethnici,cùm pœnitentiam agere, & conuerti volunt, 31.
Pœnitentem qui non recipit,peccare in Dominum,& iuſtificare ſe ſupra illius iuſtitiam. 22.a.
Pœnitentem recipiendum eſſe imponendo pœnam ad ſatisfaciendum,quæ vocatur pœnitentia, ſiue ſatisfactio pœnitentialis, 11.c.13.
Pœnitentem qui nō recipit, ad iram Deū prouocat, 22.a.
Pœnitentes ſuſcipiendos eſſe, hanc enim eſſe voluntatem Dei in Chriſto, 85.a.
Pœnitentem eſſe recipiendum, teſtari Pſ.73. & Hier.c.8. & 3. 12.c.14.
Pœnitentiā ei qui peccauit,diuina bonitas ſuggerit, 126.c.
Pœnitentes ex Eccleſia eiici, ne communiter orent cum fidelibus, donec agant fructus dignos pœnitentiæ, ex Apoſt.doctr. 127.a.
Pœnitenti palinodiam & confeſſionem peccatorum eſſe neceſſariam,ex Apoſt.doctr. 126.b.
Potentiam Dei prædicare cælos,& motum terræ in nihilo pendentis, & mare fluctibus agitatum,& innumerabilium animalium copias paſcens, 107.c.
Poteſtatibus ſæculi tanquam miniſtris Dei in iis quę Deo placent oportere omnes ſubditos eſſe, exhiberéque eis omnem metum debitum, omne vectigal, omne tributum,&c. 58.a.
Presbyter quid facere poſſit in Eccleſia, ſcilicet docere,offerre,baptizare, benedicere populo, 53.c.
Pontifices noſtros eſſe epiſcopos, 24.b.
Poteſtates eccleſiæ eſſe presbyteros, quo nomine epiſcopi in primis intelliguntur;& deinde infra eos, qui propriè dicuntur presbyteri,id eſt, ſimplices ſacerdotes, & diaconos, 156.b.
Presbyter committere poteſt benedictionem compresbytero,& diacono, 146.
Presbyteri, & diaconi vt ſint digni Domino, quales eligendi ſunt, 104.b.
Presbyteri tantum eſſe offerre, ex quo fit, vt aliud genus ſacrificij



ſacrificij ſit hoc præter illud, quod omni Chriſtiano licet offerre ex orationibus, 53.c.
Preſbyteros eſſe ſacerdotes eccleſiæ, 24.b.
Presbyteros, id eſt,epiſcopos, & ſimplices infra eos ſacerdotes, & diaconos eſſe poteſtates Eccleſiæ, qui iudiciis Eccleſiaſticis præſunt, 156.b.
Presbyteros locū Apoſtolorum tenere, & conſiliarios Epiſcopi eſſe, ac concilium,& ſenatum Eccleſiæ, 26.b.
Presbyteros ſucceſſiſſe ſeptuaginta ſenioribus à Moyſe electis tanquam typis presbyterorum, ex oratione, quam epiſcopus in eorum ordinatione adhibet, intelligitur, 142.a.
Presbyterorum ſermonem exhortatorium, decere, vt ſequatur epiſcopi ſermo, 40.a.
Presbyterum exterum ex parœcia aduenientem excipiendum eſſe à presbyteris in Eccleſia in commune, & diaconum à diaconis,epiſcopum ab epiſcopo,& cum eo ſedere oportere, 41.a.
Presbyterorum eſſe ſacerdotium, 157.c.
Primatum Petri in omnes epiſcopos, qui ſunt Apoſtolorum, quorum princeps erat,ſucceſſores,ex conſtitutione Apoſtolorum in perſona Petri colligere licet, 121.a.
Primitias etiam panum recentium,vini ex dolio,olei,mellis,pomorum,ſiue baccarum,vuæ,& aliorum fructuum dandas eſſe ſacerdotibus, 104.a.
Primitias,decimas, & quæ offeruntur, ſcilicet voluntariè pro peccatis, ſacerdoti deberi, 29.a.
Primitias epiſcopo,presbyteris,& diaconis ad eos alendos offerendas eſſe, 147.a.
Primitias argenti,aut indumenti,& cæterorum, quæ quis poſſidet,largiendas eſſe pupillo, & viduæ, 104.a.
Primitias omnes torcularis,areæ,vindemiæ,meſſis,boum, atque ouium dandas eſſe ſacerdotibus, 104.b.
Prophetas impios & decipere alios quibus prophetant,qui eos ipſos Prophetas attendunt, & rurſus ab eis decipi, quia putant ſic ſe haberi ab eis pios,& ſanctos, 120.a.
Prophetas falſos fuiſſe Ananiam,de quo eſt in Hier.c.28. & Semeiam,ac Sedeciam,& Achiam,de quibus Hier.c. 29.id eſt,fuiſſe in eis gratiam prophetiæ, ſed fuiſſe ipſos prauos,& aliquando mendaces, prædicentes quæ Deus non iuſſerat,ex Apoſt.doct. 120.b.
Prophetæ vt non eſt mendacem eſſe;quod ſi aliquādo prophetat, non ex gratia prophetiæ falſus propheta eſt: ſic non eſt epiſcopi nequā eſſe;ſin verò eſt,falſus epiſcopus eſt;ſimiliter in presbytero,ex Apoſt.doctr. 120.b.
Prophetiſſas fuiſſe olim mulieres,Mariam ſororem Moyſis & Aaron,Deboram Ioſia Rege,Oldad Dario, item Elizabet,& Mariam matrē Domini,& Annam,ac filias Philippi, 120.c.
in Prophetis falſis,ſiue malis,vt gratia prophetiæ eſt donec à Deo auferatur;ſic in falſis,id eſt, malis Epiſcopis chariſma epiſcopatus; & in falſis presbyteris chariſma ſacerdotij, ex Apoſt.doctr. 120.b.
Prophetiæ gratiam, & edendi miracula ſæpe Deum prauis hominibus dediſſe, 120.c.
Prophetas non omnes pios eſſe, vt Balaam quidem Propheta impius fuit,& Caiphas, & dæmones multa prædicere, 110.a.
Prophetia futurorum vltimis diebus, & de Antichriſti aduentu, cùm mutabuntur oues in lupos, & charitas in odium, 104.c.
Prophetis falſis ablaturum eſſe Deum gratiam, 120.b.
Prouidentia Dei erga populum Iſraeliticum ab ipſo principio ingreſſus in Ægyptum,vſque ad ingreſſum in terram promiſſionis, 131.c.
Prouidentia Dei in alendis animantibus quanta,& quàm varia. 55.a.
Prouidentia Dei erga genus humanum ab ipſo principio incarnationis Chriſti; & cauſæ eius vſque ad aſcenſum in cælum poſt reſurrectionem ex mortuis, 132.a.b.
Prouidentiæ Dei variæ deſcriptio in formam orationis redacta, 107.c.
Prouidentiæ diuinæ in conſtitutione humani corporis, & partium eius ad vſum vitę deſcriptio, 110.b.
Pſeudoapoſtoli primi, Simon Magus, & Cleobius diſcipuli Dorithei ab ipſis reiecti; hos ſecuti ſunt alij,ac diuerſi hæreſiarchę Querintus, Marcus, Menander, Baſilides, & Satornillus, 78.c.
Publicani, & Ethnici loco habendus, id eſt, anathematizandus, qui conuictus eſt in maleficio, neque tamen eum pœnitet, 31.a.
Pudicitiæ Ioſeph præmium, & remuneratio principatus in Ægyptios, 131.a.
Pupillum puerum, aut virginem pupillam ſuſcipere loco filij, aut filiæ habere,& dare nuptam filio virginem, aut virgini filium in matrimonium,ſi ætas conueniat, præclarum opus eſſe, 54.a.
Pupilli loco filij ſuſcipiendi & habendi non debere diuitem pudere; alioqui continget,vt alienī bona eius deuorent, 54.a.
Pupillorum curam alendorum epiſcopum habere debere, vt nihil eis deſit;item viduarum,& puellarum,quæ ſunt maturæ coniugio;& artificum, vt habeant opus ad laborandum; & omnibus egentibus pro cuiuſque neceſſitate ſubuenire, 54.b.
Purgatorium eſſe poſt hanc vitam docet Apoſtolica conſtitutio, quæ precatur Deum pro defuncto, vt collocet eum in regione piorum, qui laxati ſunt; ex quo ſequitur,vt ſit locus poſt hanc vitam, in quo ſunt aliqui tanquam in carcere,vnde vt laxentur,precādum eſt, 153.c.

R.

REgem impium non eſſe Regem,ſed tyrannū, id eſt, nō eſſe dignū,qui dicatur Rex,ſed potius tyrānus, 120.b.
Regem militaria tantùm adminiſtrare bello & pace ad cuſtodiam corporis ſuſceptis; epiſcopus verò ſacerdotium adminiſtrat, vt pericula ab anima & corpore propulſet, 28.b.
Regi qui ſeditioſè reſiſtunt,non euadunt impuniti,vt Abſalom & Seba, 76.
Regni Dauid ſolium extulit, ſiue erexit Chriſtus ex virgine ſola de ſemine Dauid natus, 109.c.
Reliquias ſanctorum mortuorum,qui apud Deum viuūt, non eſſe inhonoratas teſtimonio Eliſæi, qui mortuus mortuum tactu corporis ſui ſuſcitauit,4. Reg.6. & Ioſeph, qui Iacob patrem defunctum in lecto iacentem amplexus eſt,Gen.50. & Moyſis, ac Ieſu Naue,qui reliquias Ioſeph ſecum duxerunt,Ex.13. Ioſ.24. 94.a.
Remiſſionem peccati continuo conſequi eum qui ex corde dolet peccaſſe,cui ſtatim dicit Spiritus ſanctus, Dominus remiſit tibi peccatum,confide, non morieris, 16.a.
Remiſſionem peccatorum non propter fidem tantùm, vt hæretici fingunt, promitti, ſed propter pœnitentiam, quæ eſt fidei opus ſiue officium, 20.c.
Remittenda eſſe peccata cū impoſitione manus, & iniunctione pœnitentię,ſiue pœnitētialis ſatisfactionis, 16.b.
Repetere eadem de eiſdem dicta,vtile interdum eſſe;vt ſępe audiendo aliqui pudore commoti,ſemel tandem aliquid boni faciant, 9.c.
Reſurrectionem ſpecialem in phœnice aue aiebant aliqui Philoſophi ſe demonſtrare, quod eos ipſos conuincit, temere non credere reſurrectionem, quam fides noſtra docet,& prædicat, 64.a.
Reſurrectionem omnium futurā per Chriſtum, vt Apoſtoli prædicando ſuaderent, multa teſtificatos fuiſſe de Chriſto,quæ non ſunt teſtificati prophetæ, 65.a.
Reſurrectionem ſic futuram eſſe, vt quales modò ſumus, & in hac forma, qua nunc conſiſtimus,reſurgamus,nihil mutilum,aut mancum habeamus, 62.c.
Reſurrectionem mortuorum facere,& mundum fabricaſſe,ad eandem poteſtatem pertinere, 64.b.
Reſurrectionis auctorem fore eum,qui à principio auctor fuit hominis,& animæ in ipſo creatæ ex nihilo, 64.b.
Reſurrectionis fidem,& ſpem certam, facere, vt martyriū & perſecutiones fortiter tolerentur, 64.a.
Reſurrectionem futuram gentilibus non credētibus ſcripturæ ſanctæ,debere fidem facere eorum prophetiſſam Sibyllam,quæ cum eis loquitur, 63.c.
Reſurrectionem futuram vnde credamus, ex quibus ſcilicet ſcripturæ ſanctæ locis, 63.c.
Reſurrectionis omniū quòd Chriſtus ſit futurus auctor, quàm multa argumenta ſuadeant, & certam faciant, 65.a.

Reſurrectionis Dominicæ loci ex Pſalmis Dauid, 81.11. 40. 71.c.
Reſurrexiſſe Iob cum iis quos Euangelium Matthæi dicit reſurrexiſſe, cùm Chriſtus reſurrexit, & iterum cum illis reſurrecturum ſcriptum eſſe in ſcriptura Iob, c.42. 64.c.
Reſuſcitatum non eſſe Chriſtum Iudæis propter infidelitatem, ſed mortuum, quia nõ credunt reſurrexiſſe; Chriſtianis verò, qui in eo ſpem ponunt, reſurrexiſſe, 72.a.
Reſuſcitare omnes ſeculis ſuis, quod potuiſſet Deus, ſi voluiſſet, docuiſſe Dominum tum per alios, vt per Eliam in filio viduæ, & per Eliſeum in filio Sunnamitidis, tum per ſe, 63.b.
Reprehendant vt ſe inter ſe mutuo fideles, ſine vlla ira, & manſuetè præcipit Apoſt. doctrina, 104.c.
Deus qualis ſit vita, & moribus, quibus virtutibus præditus aut non præd tus, ſed potius contrariis vitiis, inquirendum eſſe, 36.a.
Romani poſtquam in Ieſum crediderunt, à multitudine Deorum deſciuiſſe, & iuſtitiam coluiſſe, & Iudæos tributum pendere coëgiſſe, 90.c.

S.

SAbbatum Iudæis ſancitũ eſſe ad vacandũ in eo, vt eſſet adiumentum ad cognitionem diuinæ poteſtatis, 109.a.
Sabbato vno ſepulturæ Chriſti decere ieiunare, non autem feſtum agere, 101.c. 102.a.
Sabbati, id eſt, ſeptimi diei hebdomadis religionem commendat quoque religio hebdomadis, id eſt, ſeptem dierum in feſto tabernaculorum, & paſcha & poſtea expletionis ſeptem hebdomadarum, id eſt, quinquageſimi diei, & ſeptimi menſis, item ſeptimi anni, poſtremo ſepties ſeptem annorum, qui eſt annus quinquageſimus Iubilei, 109.c.
Sabbati veteris definitio ex cauſa inſtitutionis, & ex fine, tum ex forma celebrandi eum ſpiritaliter gratias agendo pro beneficiis, 109.b.
Sabbatum, & Dominicum dies feſtos agendos eſſe, illum propter creationem mundi, hunc propter reſurrectionem Domini, 101.c.
Sabbatum hebdomadis, origo religionis hebdomadis dierum ſeptem, & hebdomadis hebdomadarũ, id eſt, quinquageſimi diei poſt paſcha, & hebdomadis menſium, hoc eſt ſeptimi menſis, hebdomadis annorum, id eſt, ſeptimi anni, & hebdomadis hebdomadarũ annuarum, hoc eſt ſepties ſeptem annorum, qui eſt annus quinquageſimus dictus Iubileus, 109.c.
Sabbato omni præterquam vnum ieiunandum eſſe, 74.
Sacerdotium regno excellentius eſſe, quia pro animis certat, 75.c.
Sacerdotium per ordinationem optimi cuiuſque ex quauis gẽte, & natione ſucceſſiſſe ſacerdotio Leuitico eorũ qui ex tribu tantum Leui erant, 90 a.
Sacerdotium Eccleſiaſticum ex ordinatione aliud eſſe à ſacerdotio laico ex baptiſmo, contra hæreticos; ſiquidem laico nõ licet aliquid ſacerdotij Eccleſiaſtici facere, 49.a.
Sacerdotij munus quia Ozias, ſiue Azarias Rex Iuda tentauit, cùm vellet incendere thus in templo, facta eſt ei frons leproſa, 75.b.
Sacerdotium tanto excellentius eſſe regno terreno, quantò anima corpore, 28.b.
Sacerdotij principatus epiſcopis cõuenit, ſacerdotium preſbyteris, miniſtrare vtriſque diaconorum eſſe, 157.c.
Sacerdotium aliud eſſe ex ordinatione, aliud ex baptiſmo commune omnium Chriſtianorum, quod dicitur ſacerdotium regale, 51.c.
Sacerdotes ante legẽ fuiſſe à Deo electos Abel, Seth, Enos, Enoch, Noë, Melchiſedec, Iob, Abraham, & reliquos poſtea patriarchas cum Moyſe, Aaron, Eleazaro, Phinee, 123.a.
Sacerdotibus Gentilium quamquam vanis, & falſis quantũ honoris ab ipſis Gentilibus tribueretur, ita vt ſtatuas ipſas per illorum ora loqui putarent, mouere hoc debere ad deferendum honorẽ Deo per eius ſacerdotes, 26.c.
Sacerdotis eſſe, quæ ei dantur tanquam debita, primitię ſcilicet, & decimę, ac pro peccatis oblationes voluntariæ, hæc tanquam bonum diſpenſatorem eorum, impertiri egentibus, 29.c.
Sacerdotibus qui reſiſtit, grauius peccare, quàm qui regibus, quanto præſtantius eſt ſacerdotium regno, 75.c.
Sacerdotes licet malos, ſacerdotes tamen eſſe ex Malachia intelligi, qui malos ſacerdotes vocat, 120.b.
Sacerdotes eccleſiæ eſſe eos qui dicuntur, & ſunt presbyteri, 24.b.
Sacerdotes non ordinari in baptiſmo, quod hæreticorũ eſt, qui omnes Chriſtianos faciunt ſacerdotes, 51.c.
Sacerdotes ad Dei cultum, magiſtratus ad tutelam vitæ Deus conſtituit, 152.c.
Sacerdotes legatos noſtros eſſe ad Chriſtum, 27.c.
Sacrificium Barac, & Deboræ in Siſara Deo acceptum vocat Apoſt. doctrina canticum illud in Dei laudem, quæ fuit gratiarum actio Deo oblata inſtar ſacrificij, Iud. 5. 110.a.
Sacrificiis veteris legis ſucceſſiſſe in Eccleſia precationes, obſecrationes, & gratiarũ actiones, & S. Euchariſtiam, 24.a.
Sacrificium Samſonis inſiti acceptum Deo ante delictum illud, ſcilicet fornicationis, Iud. 16. 100.a.
Sacrificiorum, quæ in ſcriptura ſancta Deo grata & accepta fuerunt, enumeratio, 110.a.
Sacrificium corporis, & ſanguinis Domini in memoriam mortis Chriſti, & ſacrificium rationale, atque incruentũ, orationũ ſcilicet, & eleemoſynæ, & omnis ἀσκήσεως, id eſt, exercitationis corporalis, & ſpiritualis, ſucceſſiſſe ſacrificiis Moſaicis, 90.
Sacrificium ſanctæ Euchariſtiæ reſuſcitato Domino cœpiſſe, & in memoriam mortis, & reſurrectionis eſſe faciendum, ſicut Dominus conſtituit. 71.c.
Sacrificium noſtrum quod ſine intermiſſione vlla die Dominico faciendum eſt, acceptũ eſſe Deo, qui nos liberauit per Chriſtum ab ignorantia, errore, & vinculis legis veteris, 104.b.
Sacrificium Deo acceptum benedictiones Iaëli dictas à Debora, & Barach, Iud. 5. 110.a.
Sacrificium Gedeonis in petra, & in vellere, acceptum Deo ante peccatum, illud ſcilicet, quod commiſit cùm ſenes Socot crudeliter occidit, Iud. c. 8. 110.a.
Sacrificium Iephtis in bello acceptũ Deo ante votum illud temerarium & inconſideratum, Iud. 11. 110.a.
Sacrificaſſe Abelem, Noë, Abraham, & alios non iuſſos, ſed lege naturæ excitatos vltro, & grato animo, 87.a.
Sacrificia veteris legis, in quibus locis ſcripturæ repudiaret Deus propter peccata eorum qui illa faciebãt, quæ erat ſimul prophetia abroganda eſſe ea in aduentu Domini, 87.a. b.
etenim ſi illa tunc propter peccata eorum, cùm adhuc lex duraret, aſpernabatur, multo magis poſt finem legis, & poſt peccatum in cęde Chriſti conſummatũ aſpernatur.
Sacrificium mundum, & incruentum, id eſt, ſanctam Euchariſtiam, vt offerrent ſacerdotes, id eſt, Epiſcopi, & presbyteri conſtituiſſe Chriſtum, 158.a.
Sacrificare non iuſſiſſe Deum Hebræis antequam vitulum facerent, ſed permiſiſſe, ſi vellent, & approbaſſe, ſi recto animo facerent, 87.a.
Salomon xij. annos natus regnauit, 7.b.
Samuelem fuiſſe ſummum ſacerdotem, 119.b.
Samuel propheta, & Pontifex, 157.b.
Sanctificatio, ſiue benedictio creaturę aquæ, & olei per verbum Dei, & orationem cum gratiarum actione ad ſanandos morbos, & fugandos dæmones, 146.
vt ſanctificat locũ homo ſanctus, ſic fœdat impius, 150.c.
Sanctificari locum ab homine, non homo à loco, 150.c.
Sanguinem & ſuffocatum antiquis etiam qui ante legem ſecundum naturam viuebant, prohibita fuiſſe lege naturali, ſcilicet quatenus erant inter gentes immolaticia Diis falſis, 82.
Sanguis & ſuffocatum in decreto Apoſtolorum prohibita Act. xv. quatenus pertinebant tunc inter gentes ad idololatriam, quia habebantur Diis ſacra, vnde inter cõtaminationes gentium ponit ea Apoſtolica doctrina tanquam interpres Apoſtolici decreti, 82.b.
Sanctificatio creaturæ, vt aquæ, & olei, ex nomine alicuius qui creaturam ad benedicendum, ſiue ſanctificandum obtulit epiſcopo, aut presbytero, 146.c.





Satisfactiones pro peccatis, quas ἐπιτίμια, id eſt, pœnas Apoſtolica doctrina vocat, omnes debere, quia nemo gloriari queat habere ſe mundum cor, 126.b.
Satisfactio, quæ fructus pœnitentiæ eſt, & dicitur, fit aliquando per ieiunium, vt pœnitens abſoluatur per manus impoſitionem, 33.b.
Satisfactionem imponendam eſſe in remiſſione peccatorum cum impoſitione manus, 16.b.
Satisfactio cum pœnitentia pro peccatis propriis ad ſoluẽdum debitum vlciſcendi propria peccata, 15.c.16.
Satisfactionem imponendam eſſe pœnitenti, eſſeque partem pœnitentiæ, 11.c.13.
Scandalum quibus facilè detur, & quibus in primis cauendum eſt, ne detur, puſillis ſcilicet, qui in Chriſtum credunt, id eſt, nouis Chriſtianis catechumenis, adoleſcentibus, 10.c.
Schiſma non eſſe faciendum à ſanctis, id eſt, à piis, & catholicis, 98.a.
Schiſmata qui olim tentare auſi ſunt, non tulerunt impune, vt Dathan, & Abiron, & Core cum quinquaginta, 75.a.
Schiſmata eſſe fugienda, non enim fas eſſe ab iis qui vnum atque idem ſentiunt, ambitionis cauſa ſeiungi, atque diſtrahi; hoc enim accidit in ſchiſmate, 75.a.
Schiſmatis principes fuiſſe cõtra Moyſem Dathan, & Abiron Rubenitas, & dixiſſe, eligamus nobis principem ac ducem, eóſque hiatu terræ abſorptos eſſe, 76.c.
Schiſma non ita graui ſupplicio à Deo puniri vt hæreſim, 76.c.
Scripturæ ſacræ lectio tam veteris, quàm noui teſtamenti, in officio Miſſæ, 39.c.
Scripturas ſanctas aſſiduà memoria meditandas eſſe Apoſt. conſt. 3.
Scripturas ſcrutari quid ſit, ſcilicet veterem ſcripturam cũ doctrina Chriſti, & Apoſtolorum eius conferre, & ita interpretari vtramque, vt ſecum, & inter ſe conſentiant, 8. a.
Scripturas vt aſſiduè ita legat epiſcopus, vt eas interpretetur, nouum quidem teſtamentum, vt conſonet veteri, vetus, vt conſonet nouo, 8.a.
in Scriptura omnia interpretanda eſſe ſecundum verbum, ſed hoc accommodandum eſt rei ſubiectæ, 8.b.
Scripturas quomodo oporteat interpretari, nouum teſtamentum vt conſonet veteri, vetus vt nouo, 8.a.
Senſus quinque ad quintuplex certamẽ virtutis datos eſſe, 107.b.
Senſuum humani corporis deſcriptio ad rationem diuinæ prouidentiæ relata, 110.b.
Sermo vanus fugiendus, qui in Euangelio dicitur verbum otioſum, 97.a.
Seruis debere dominos beneuolè proſpicere, 149. c.
Seruos Chriſtianos quomodo oporteat ſeruire dominis ſuis cum timore Dei, & charitate erga dominos ſaluo dominatu, 57.c.
Seruis non eſſe iubendum, nec ancillis, amaro animo, ne gemant aduerſus dominos, & iraſcatur Deus, 98.c.
Simon Magus quo conſilio à diabolo impulſus fuit, vt oblata pecunia donum dandi ſpiritum ſanctum per impoſitionem manuum ab Apoſtolis emere vellet, ſi poſſet, ſcilicet vt ſanctos Apoſtolos deceptos dono Dei priuaret, ſicut Adam priuauerat, 78.a.
Simon Magus Cæſareę Stratonis primo Petrum conuenit, cùm erãt cum eo Zachæus, qui fuerat publicanus, Barnabas, Nicetas, & Aquila fratres Clementis, 79.a.
Simon Magus quomodo Romæ cum Petro certat promittens ſe per aërem volaturum, & quomodo volans à dæmonibus vectus ad preces Petri delapſus in terram, coxam, & anteriores plantas pedum fregit, 79.b.
Simon Magus à Philippo baptizatus, in ieiunio, & oratione perſeuerabat, 78.a.
Simon Magus ſuperatus in diſputatione cum Petro, & in Italiam profugere coactus, 79.a.
Spiritum ſanctum à Deo patre tanquam cooperatore incarnationis miniſtrari Chriſto filio ſcilicet ſecundum humanam naturam, quæ communi operatione trinitatis creata, & vnita fuit ſubſtantialiter cum verbo, ex Apoſtolica doctrina, 123.a.
Spiritus ſanctus in eis permanet qui honeſtis actionibus ſtudent, eóſque ſapiẽtia, & intellectu implet, neque malum ſpiritum ſinit propè accedere, 91.c.
Spiritu ſancto plenum eſſe vnumquemque, aut ſpiritu immundo, 91.b.
Spiritus ſanctus à quibus ſeparatus eſt, ſuo illos præſidio nudat, & malo ſpiritui attribuit, 91.c.
Sociari iuſtos cum iniuſtis in hoc ſæculo communitate vitæ, ſed non ſanctitatis, 12.c.14.
Societatem ſermonis cum delinquentibus non nocere ſine ſocietate actionis, & exempla ſcripturæ, 12. & 13.c 14.
Sodomitica libido cum pueris ex Sodomorum ciuitate nata, quæ igne à Deo miſſo conſumpta eſt, 96.a.
Suffocatum, & ſanguinem antiquis etiam qui ante legem ſecundum naturam viuebant, prohibita fuiſſe naturaliter, quatenus ſcilicet ad idololatriam pertinebant, quia habebantur inter gentes Diis ſacra, 82.b.
Suffocatum qua ratione prohibitum eſſet in Apoſtolico decreto intelligi poſſe ex Apoſt. doctr. quæ inter contaminationes gentium retulit illud propter idololatriam, quia habebatur ſacrum Diis, 82. b. vide in verbo ſanguis,
Synagogæ Iudæorum repudiatæ, & derelictæ à Deo, loci prophetici Eſaiæ, & Hieremiæ, 77.a.
Symboli Apoſtolorum ad baptiſmum recitatio, 113.c.& 114.a.
in Symbolo Apoſtolorum credere in regnum cælorum, quod eſt in Apoſtolica doctrina, ſignificat credere in communionem ſanctorum, per baptiſmum enim in quo recitatur ſymbolum, efficimur participes regni cælorum, id eſt, ſortis ſanctorum, quam habent in cælo, 114.

T.

TAbernaculum teſtimonij quomodo ex ea quoque parte erat Eccleſiæ figura, quòd ſicut in illo Leuitæ, qui Domino miniſtrabant, ex oblationibus viuebãt ipſi & eorum vxores, & filij, ac filiæ; ſic miniſtri Eccleſiæ ex oblatis Deo viuere debent ipſi, & eorum familia, quæ ſunt viduæ, orphani, virgines, pauperes, 33.a.
Templo Hieroſolymitano veteris legis ſucceſſiſſe in nouo teſtamento omnes vbique terrarum Eccleſias docet Apoſtolica doctrina, cùm ait pro cultu circumſcriptione loci definito pręcepiſſe Dominum, vt ab Oriente vſque ad Occidentem in omni loco adoraretur, 90.b.
Tentationẽ cùm diabolus fidelibus Eccleſiæ machinatur, præſto eſſe Dominum, qui illum increpet, ſicut increpauit in Ieſu filio Ioſedec, & dicat illis ſicut Apoſtolis, ego rogaui, ne deficiat fides veſtra, 77.c.
Tentationem non eſſe ingrediendam, quod quidem fit, cùm nos promptè obiicimus periculo, idque Dominum in Euangelio docuiſſe, cùm dixit, orate, ne intretis in tentationem, ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma, 62.a.
Tentatio ſi inciderit nobis, forti animo, & ſalua confeſſione in ea ſtandum, 62. a.
Tentare diabolum in Eccleſia variis modis, & temporibus fideles, ſicut Iob tentauit & Ieſum filium Ioſedec, cùm populum ex captiuitate reducebat, & ſanctos Apoſtolos, 77.c.
Theologia de patre, & filio, & ſpiritu ſancto, & de incarnatione, 80. a.
Teſtem in falſitate & calumnia deprehenſum ab epiſcopo iudicandum eſſe ab eo ſeuerè, & gladio anathematis feriendum, 33.a.
Teſtes quales eſſe debeant, vt eorum teſtimonium graue ſit, & firmum, 36. a.
Teſti vni credere iniquum eſſe, & contra legem, quæ ait Deut. 19. in ore duorum, vel trium teſtium ſtabit omne verbum, 36.a.
Teſtimonium quod Epiſcopus contra aliquem accipit, quale eſſe debeat, 18. b.
Teſtimonium falſum eſſe inſtar ſanguinis effuſi, quia quãtum in ſe eſt falſus teſtis occidit, 33.a.
Traditionem Apoſtolicæ doctrinæ per Epiſcopos, quos Apoſtoli ordinarũt, & per eorum ſucceſſores in Eccleſia

Catholica relictam,& conſeruatam,qui non tenent,nō eſt Chriſtus,qui Apoſtolos docuit,cum eis,ex Apoſtolica doctrina, 117.a.

Traditionem Apoſtolorum tenere non poſſunt, qui non tenent quæ Epiſcopi,ab ipſis Apoſtolis ordinati, per ſe, & ſucceſſores ſuos, tradiderunt, 117.a.

Trapezitæ boni eſtote, à Domino dictum eſſe, 29.c.


V.


VÆ eis qui habent, & in hypocriſi accipiunt; rurſus dixit Dominus. fortaſſe hoc quoque ſumptum eſt ex Apoſtolica traditione ſine ſcripto, 54.b.

Veneficij vetatio, & Magiæ, 97.a.

Veneratio ſanctorum quare iuſta ſit, & ſanctis adhibéda, nempe quia eos fecit Deus beatos in cælo, & dedit eis ſanctitatem in terra, ex quo fit, vt honor, & cultus eorum ad honorem & cultum Dei omnino pertineat, & quia viri ſancti eos honorarunt,& quia ſcriptura ſancta eos celebrat, 65.b.

Verbum Dei qui inſcienter & ſine vſu atque experientia tractat,& eo vtitur,periculoſum eſſe ei, 46.b.

Verbū Dei audire anteponendū eſſe operi faciēdo, 149.b

Verbum Dei qui audiunt non tantum explicari in myſteriis præſertim de incarnatione, vel paſſione, quantum opus eſſet,idque propter inſcitiam docentis, magis eos irridere iſta tanquam falſa,quàm laudare,ſi gētiles ſunt; eſſeq; hoc proiicere margaritas ante porcos, quod Dominus dixit, & quæ ſequuntur, 46.b.

Verbum Dei cùm Epiſcopus prædicat, & aliquis nobilis externus ad Eccleſiam venerit, non debet intermittere, vt illum recipiat,nec audientiam, aut ſermonem interrumpere, & quomodo à Diacono recipiendus eſt ſeſſum, 41.a.

Verbo Dei audiendo non eſſe anteponenda ea quæ ad vſus vitæ pertinent, 41.c.

Verbum Dei qui tractat ſine vſu,& inſcienter,proditorem eſſe,& moneri illum à Domino illis verbis, ne proiiciatis margaritas veſtras ante porcos,ne conculcent eas pedibus ſuis,& conuerſi dirumpant vos, 46.b.

Vetatio ſimulationis, peruerſitatis, ſuperbiæ, acceptionis perſonarum,iræ,odij,inuidiæ, 97.a.

Vetatio maledicentiæ,irę reſidentis,Deum toto corde diligere,proximos,vt noſipſos,non facere alteri quod nobis fieri nolimus,& reliqua,quæ ex his ſequuntur, & cū his conſentiunt,quę ſigillatim pleraque exponit Apoſt. doctrina, 95.c.

Vias duas,vnam vitæ,alteram mortis,omnino inter ſe diſiunctas,& ſecum diſcrepantes,propoſitas eſſe homini in lege vetere, & in euangelio, alteram ad declinandum, alteram ad ſequendum, 95.a.

Viam vitæ è natura eſſe; viam mortis alienam, & à nobis accerſitam, 95.a.

Via vitæ quæ præcepta contineat, 95.97.98.99.

Viduas Eccleſiæ non fieri ordinatione, ſed cooptatione, ſiue electione,cùm dignæ ſunt,quales Iudith, & Anna, & aliæ ſimiles, 144.c.

Vidua ſi paulo antè maritum amiſit, non eſſe ei credendum, ſi velit eligi inter viduas Eccleſiæ, diiudicandámque eſſe adoleſcentiam eius ex ætate, nō enim vult propter ſuſpicionem,vt in ea locum ſubeat illud in Sapientia,ſenectus vita immaculata, 144.c.

Viduam, ſi iamdiū virum amiſit,& caſtè ac laudatè vixit, & ſuorum diligentem curam habuit,eligendam eſſe inter viduas Eccleſiæ, 144.c.

Viduas,& pupillos, exiſtimare nos oportere, quaſi altare repræſentent,ſcilicet propter preces quas tanquam ſoli & derelicti aſſiduè adhibere debent, & ideo nos eos honorare debere, 25.b.

Viduas,quæ verè viduæ ſunt,ſimiles eſſe illius Iudith quæ nocte & die pro Iſraël deprecabatur: ſic verè viduæ pro Eccleſia,& de aliis earum virtutibus, 47.c.

Viduis Eccleſiæ tanquam Deo ſacratis per votum caſtitatis vidualis coram Eccleſia factum,opitulari epiſcopum oportere, 48.b.

Viduas Eccleſiæ laborare oportere lanam faciendo, vt potius ſuppetat ad ſuppeditandū aliis, quàm vt indigeant, 47.c.

Viduas Eccleſiæ debere eſſe obedientes Epiſcopis, presbyteris,diaconis,& etiam diaconiſſis,& eis omnibus reuerentiam adhibere,neque poſſe eas quicquam facere, neque ire ad aliquem ad comprandendum niſi permiſſu diaconi;aut ſi fecerint, pœnas eis eſſe ieiunium,aut excommunicationem, 48.a.

Viduarum Eccleſię,quæ falſæ viduæ ſunt,qualis ſit oratio, ſcilicet mentis diſtractæ, ac proinde inutilis, quia non exauditur, 47.b.

Viduæ quæ die Dominico non eunt ad Eccleſiam, neque eos qui docent verbum Dei vel legunt,non audiunt; & quales ſint, 47.a.

Viduam Eccleſiæ eſſe altare Dei,& domi ſuæ ſedendum ei eſſe,& nullo prætextu ingrediēdum in domos fidelium ad accipiendum, 46.c.

Viduam Eccleſiæ adoleſcentem, ſi iterum nubat, ream eſſe apud Deum,non quia nupſit, ſed quia promiſſionem caſtitatis non ſeruauit, 44.b.

Viduas non minoris ætatis quàm ſexaginta annorum eligendas eſſe,quia ea ætas teſtętur non venire eas in ſuſpicionem,ne iterum aliquando nubant, 44.b.

Viduas non debere reſpondere de dogmatibus, ſi quis eas interroget, ſed remittere ad præpoſitos Eccleſiæ, ipſam verò ſatis eſſe reſpondere iis qui catechumeni fieri volunt,de fide in Dominum, de bonis operibus, & de ſpe in Deum,& ad confutationem falſæ opinionis de multitudine deorum, 46.a.

Viduas adoleſcentes non eſſe conſtituendas in gradu viduali,id eſt,non eſſe ſacrandas Deo in Eccleſia per votum caſtitatis cooptando eas in numerū viduarum quæ ab Eccleſia aluntur,ſi non habent qui eas alat, ne tentatione carnis ſuperatæ iterum nubant, & eccleſiam vituperent, 45.b.

Viduæ quæ falſa ſpecie viduæ ſunt, quales ſint, & quibus vitiis præditæ; quarum viduitas pro nihilo reputabitur, 49.c.

Viduas inuidas, & obtrectatrices, aliarum ſubſidiis inuidentes,ſimiles eſſe Cain, qui frater Abelis erat,ſed iura fraterna non exercebat, 49.c. & 50.a.

Viduam eſſe quoddam altare Dei ſanctum, quia aſſiduè precari debet, 50. b.

Viduæ non contentæ Eccleſiaſticis ſubſidiis,quales ſint, auaræ,petaces,impudentes,voluptatibus deditæ, 47.b.

Vidua quæ precari debeat ei quem audit dediſſe conuiduę ſuæ,& epiſcopo qui eleemoſynam illi impertiuit, 50.b.

Viduas eccleſiæ & virgines non debere circumcurſare, neque vagari per alienas domos & viduas, quæ id faciunt, vidulos potius eſſe, id eſt, ciſtas,quàm viduas, ad accipiendum promptas, 47.a.

Viduis Eccleſiæ nihil aliud ſtudendum, curandúmque eſſe,quàm vt pro iis qui dant, & pro cuncta Eccleſia orent, 46.a.

Viduas alias monendas, alias obiurgandas,alias conſolandas,alias laudandas eſſe, 46.

Viduæ quales eſſe debeant,& à quibus vitiis cauere,& fugere, 46.a.

Vinum ne immoderatè bibatur qui loci ſcripturæ prohibeant, Prouerb.31.26.23.

Vngi frontem tantùm in baptiſmo oleo ſancto mulieribus à diacono, diaconiſſam verò poſt eum illinere eas in aliis partibus corporis quas non decet à viris inſpici, 51.b.

Vngi oleo ſancto caput eius qui baptizatur in typum baptiſmi ſpiritualis, 52.a.

Viris prohiberi ne cum vxoribus dum eſt illis menſtrua purgatio,cubent,vt proli conſultum ſit.

Viris præcepta de diligendis vxoribus tanquam ſociis vitę, & adiutricibus ad ſuſcipiendos liberos, 93.a.

Viris ne rem cum vxoribus ſuis grauidis habeant Apoſtolica doctrina præcepit,vt ſint amatores Dei, & non voluptatis, 93.a.

Virgines honorādas eſſe vt thuribulum & odoratum thymiama repræſentantes, ſcilicet propter orationes quas cum ſanctitate corporis,& ſpiritus,Deo adhibēt, 25.b.

Virginitatem voluntatis eſſe certare volentis pro præmio virginitatis,& non pertinere ad vituperationē coniugij, ſed eò pertinere,vt ſuppetat otium ad ſeruiēdum Deo, 44.a.

Virgo non fit ordinatione, ſed voluntate, Deo adiuuante, 144.a.

Virgines,& viduas,& diaconiſſas, quæ ſunt annoſiores viduæ, ante reliquas mulieres in Eccleſia locandas eſſe, ſiue ſtandum ſit,ſiue ſedendum, 40.a.

Virgo,quæ votum virginitatis fecit, qualis eſſe debeat, ſcilicet ſic viuere, vt exercendo quæ digna voto ſint, demonſtret veram promiſſionem ſe feciſſe ſtudio pietatis in Deum,& non ad vituperandum coniugium, 58.a.

Virtutis ex pietate erga Deum plenitudo, in qua vt perſeueremus precandum eſt, 127. c.

Voluntatem cuiuſque per conſcientiam ſcrutari Deum, 105.b.

Voluntarias oblationes iuſtas eſſe,& Deo acceptas, & ad cultum Dei pertinere, 29.b.

Votum quod vouit Iephtes,Iud.c.xi.temerarium, & incōſideratum. 110.a.

Votum virginitatis non facilè, & leniter, ſed conſideratè faciendum eſſe,& viuendum poſtea eſſe vt dignum eſt voto, 58.a.

Votum caſtitatis qui faciunt, & nō ſeruant, ideo non ſeruare,quia non veniunt cum fide,& metu Dei ad ſeruandam promiſſionem, 44.b.

Votum ſimplex caſtitatis, quod eſt apud ſe promittere Deo,vocat Apoſtolica doctrina in viduis habere ſuper ſe donum viduitatis,id eſt,caſtitatis vidualis,nolendi, inquam,amplius nubere, 44.c.

Vxori vt placeat vir quomodo ſtudere debet,lib.1.c.2.p.2.

Vxorem viro ſuo fidelem,in plateis caput ſuum obnubere debere, vt aſpectum curioſioribus occludat, lib.1.c.7. 5.c.

Vxores debere pudore, & lenitate pietatem in Deum oſtendere, vt eos etiam qui foris ſunt,ad fidem conuertant, 6.a.

Vxorem conſortem ſiue ſociam vitæ eſſe, eſt eſſe ex duobus in vnum corpus à Deo copulatam, ſicut Dominus dixit,erunt duo in carnem vnam, 83. c.

Vxorem eius qui ex clero eſt, non debere eſſe quæ antea fuerit meretrix,aut ancilla,aut vidua,aut repudiata, ſicut & lex etiam iubet,Leu.21. 84.c.

Vxor vt maritum caput ſuum timeat, & reuereatur poſt Deum patrem & caput Chriſti,qui eſt caput viri, 2.c.

Vxoribus præcepta,vt viris ſubiectæ ſint,& eis cum timore & charitate ſeruiant,ad exemplum Saræ, 93.a.

Vxorem non debere eſſe pugnacem contra vllum, præſertim contra virum ſuum, ne ſit ei ſcandalo, & cum ad blaſphemiam prouocet, aut ad dicendum illud Prou. melius eſt eſſe in deſerto, quàm cum vxore pugnace, 6. a.

Vxorem non ream nō licet poſt matrimoniū eiicere, 83.b.

Vxores quomodo oporteat deiectis oculis deorſum,& obtectas incedere,quia id deceat, 5.c.


FINIS.

# INDICES LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, QVI IN EISDEM LIBRIS CLEMENTIS OBSERVATI ſunt, cum notatione interpretationis eorum.

### GEN. I.


CRESCITE,& multiplicamini, illam multiplicationem ſancit quę iuſta eſt,iniuſtam verò per adulterium vel fornicationē damnat. ſic interpretatur Apoſtolica doctrina, 92.a.

Gen.1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona;in eos tum viros,tum mulieres,qui pingunt facies ſuas, 5.c.

Gen.1.Faciamus hominem,&c.dixiſſe Deũ filio ſuo,64.b.

Gen.1. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, dixiſſe hoc Deum patrem ſapientiæ ſuæ, 130.

Gen.1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona;huc pertinet quod ait Apoſtolica doctrina , nihil enim mali ineſt in bono, 92.c.

Gen.2. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum , faciamus ei adiutorium ſimile ſibi,non eſſe bonum, eſſe ſolum ſcilicet ad id aſſequendum quod prius dixerat ſcriptura, creſcite,& multiplicamini, opúſque eſſe vxore adiutrice tum ad hoc,tum ad ſocietatem vitæ, interpretatur Apoſtolica doct. 93.b.

Gen.19. Accepit Dominus à Domino ignem & ſulphur, & pluit,hoc loco teſtimonium præbuit Moyſes,qui tũc ignem , & ſulphur accepit à Domino, & pluit, & illos peccatores puniuit, fuiſſe Chriſtum Dei decretum ab eo iudicem viuorum, & mortuorum, 72.c.

Gen.49. Catulus leonis Iuda, ex germine fili mi aſcendiſti, propheticè dictum fuiſſe de Chriſto, qui ex Maria natus eſt,quæ fuit germen, ortum ducens ex Iuda filio Iacob, 80.c.

Gen.4.Peccaſti,quieſce,id eſt, ne pergas peccare, 15.c.16.

Exod.15. Si auditu audieris Dominum Deum tuum, & feceris bonum,& rectum in oculis eius, & Ex.20.

Audi Iſrael,Dominus Deus tuus Dominus vnus eſt , exempla repetitionis eorundem ſæpe neceſſariæ, 9.c.

Exod.23. Pauperis non miſereberis in iudicio, & aliàs,non accipies perſonam diuitis in iudicio, non eſſe parcẽdum excommunicationi,cùm opus eſt,& iuſtitia poſtulat, ſiue propter alicuius diuitias,ſiue propter paupertatem, 32.c.

Exod.23. Non eris cum multis in malitia,non conſenties cum multitudine ad peruertendum , teſtari hic ſcripturam, ſolere aliquando plures in malo contra aliquem conuenire,vt Iudæos in Chriſtum , & alios in Stephanum protomartyrẽ , & ſenes Babylonios in Suſannam, & illos duos contra Nabuthæos, 36.b.

Exod.20.Quod ſi altare lapideum feceris mihi,non dixit, fac,ſed ſi feceris, quia non impoſuit neceſſitatem ſacrificandi,ſicut poſt vitulum, ſed poteſtati liberæ permiſit, ſicut ante legem Abel,Noë, Abraham & alij , non iuſſi , ſed lege naturali excitati ſponte ſacrificabant, 86.c. 87.a.

Exod.7. Conſtitui te Deum Pharaonis,ſcilicet quatenus Moyſes Rex ſimul,& Pontifex, 26.c.

Leu.21. Non radetis barbas veſtras, Apoſt.conſtitutio ad viros laicos retulit,& ad decentiam viri naturalem,& ne id fieret ad placendum alicui, prohibuit, 3.a.

Leu.21. Homo de ſemine tuo, ſi habuerit maculam , non accedet ad miniſterium , ſi cæcus fuerit, ſi claudus , &c. hæc ſecundum ſpiritum,id eſt, in vitiis animæ cauenda eſſe in epiſcopo eligendo, 7.b.

Leuit.7. Quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis abſumet, &c.19. quicquid autem reſiduum fuerit in diẽ tertium,igni comburetis, ſignificaſſe in typo , non eſſe in Eccleſia accipiendas oblationes impiorum,vt intempeſtiuas,& ſeras , ac Deo minimè acceptas , ſed iuſtum potius eſſe,vt igne conſumantur,quod fit,cùm ligna ex pecunia iſtorum,quæ ab inuito ſacerdote accepta eſt, emuntur.quæ igitur ex ſacrificio in diem tertium ſeruãtur, ſignificant oblationem eius qui neque corporis,nec animæ in hoc ſæculo,quod hodie,& cras ſignificãt , curam aut rationem habet, quia impiè viuit. 57.a.

Leu.15.Facite filios Iſrael reuerentes, id eſt, facite vt fugiant & vitent peccata, hoc autem fit arguendo , monendo,caſtigando eos qui peccant, vt alij caueant . hæc autem eſt vis verbi εὐλαβείας φυλακὴ κακοῦ, vt Andronicus definit in libro περὶ παθῶν, 15.c.

Leu.15. Facite reuerentes filios Iſraël,id eſt, vt caueant & declinẽt à vitiis,hoc enim ſignificat εὐλάβεια φυλακὴν κακοῦ, reuerentia vocatur hic fuga,& declinatio à peccato,9.a.

Leu.19. Non facietis vobis rotunditatem ex coma capitis veſtri, Apoſtolica conſtitutio legit in LXX. non ſiſoem facere , nec anaxyridas, 3.a.

Leu.15.Facite filios veſtros reuerentes , ad hoc pertinere, & proſicere excommunicare eos qui obdurùerunt , & non ſunt ſanabiles, 32.c.

Leu.18. Ad mulierem menſtruatam nõ accedes,idem Apoſtolica doctrina tradit, non tanquam ex legis obſeruatione,ſed tanquam naturale, vt proli conſultum ſit, 93.a.

Leu.19.Non odio habebis omnem hominem, nec amicos nec inimicos intelligit, 37.b.

Leu.26. Si obliquè in me inceditis,& ego item in vos obliquus incedam,in eandem ſententiam Pſ.17.cum peruerſo peruerteris,moneri his verbis epiſcopum cũ clericis ſuis, vt rectè tractet verbum veritatis , rectè autem tractabit,ſi Eccleſiam mundam ab iis qui inde eiici digni ſunt,ſeruet, tunc laudem feret à Domino,hoc enim eſſe cum ſancto ſanctum eſſe Dominum, & cum innocẽte innocentem.contra verò ſi fecerit, rurſus vituperationem feret, quod eſt,cum obliquè incedentibus obliquum incedere, 34.a.

Num.12. Si pater in faciem eius expuiſſet, an non erubuiſſet? ſeptem diebus extra caſtra amoueatur,oportere eum qui deliquit, ſi ratio peccati poſtulet , eiicere ex caſtris Eccleſiæ, vt cum peccati pudeat, antequam recipiatur ad pœnitentiam, & ad ſatisfactionem pœnitenti imponendam. eſt itaque eiici ex Eccleſia, & pudore iſto publicè,ac manifeſtè affici ab epiſcopo, veluti ſputo faciem filij aſpergi, 15.c.16.

Num.8. Tu,& Aaron ſuſcipietis peccata ſacerdotij, ſignificare epiſcopo omnium curam ſuſcipiendam eſſe tanquam de omnibus rationem redditurum, 16.c.

Num.24. Qui benedicit tibi,benedictus eſt, & qui maledicit tibi,maledictus eſt, eodem pertinere , quò pertinet in Euangelio,benedicite maledicentibus vobis, lib.1.c.2.p.6.

Deut.11.Ponite hæc verba mea in cordibus, & docete filios veſtros, vt illa meditentur,quando ſederis in domo tua,& ambulaueris in via,& accubueris,& ſurrexeris,& aſſiduam lectionem ſcripturæ his verbis commendari, interpretatur Apoſtolica doctrina, & conſtit. 3.b.

Deut.19. In ore duorum vel trium ſtabit omne verbum, hinc manauit Apoſtolica traditio interrogandi ter populum , & presbyteros , an placeat eis,qui eligitur epiſcopus, 121.a.

Deuter.27. Tace,& audi, ad eos qui ſtant in Eccleſia maximè pertinere nunc quos oportet ſtare magno cum ſilentio,





ſilentio,& attentè ſcripturas audire, 40.a.

Deut.19. Qui ſanguinem hominis fuderit , effundetur ſanguis illius;in eum qui falſum teſtimonium contra fratrem ſuum dicens,quantum in ſe eſt, fratrem occidit, 33.a.

Deut.6.Meditaberis verbum quod ego præcipio tibi, ſedens domi, ac ſurgens ac deambulans; de lege naturali decalogi intelligendum eſſe,ex Apoſtolica doctrina intelligi poteſt, 90.b.

Deut.23. Non offeres mercedem proſtibuli in domo Dei tui, non eſſe accipiendam oblationem voluntariam ab eo qui iniuſto modo,& arte victum acquirit, nec ab excommunicatis, 48.a.

Deut.13.& 19. Auferte malum ex vobis ipſis, ad eiiciendum ex Eccleſia ſceleris,& ſcandali auctorem, 10.c.

Deut.16.Iuſtè quod iuſtum eſt, perſequeris, ad vetandam acceptionem perſonarum pertinere, 8.a.

Deut.16. Iuſtè quod iuſtum eſt perſequeris, in eum Epiſcopum,qui eum qui excommunicandus eſt, & ex Eccleſia propter ſcelus commiſſum eiiciendus,non eiicit, 9.c.

3.Reg.13. Quia reuerſus es,& comediſti panem,& bibiſti aquam in loco in quo præcepit tibi Dominus, ne comederes panem. Adonias propheta erat iſte , ad eos pertinere,qui oblationes accipiũt in Eccleſia ab iis qui excommunicati ſunt,vt pro eis orent, 55.c.

4.Reg.c.8. Eliſeum non accepiſſe ab Hazaele munera Benadab Regis Syrię,nec Achiam prophetam à Hieroboam Rege impio Iſrael,exemplũ eſſe , ne Epiſcopi oblationes impiorum accipiant, 56.b.

3.Reg.18. Vſquequò claudicatis in duas partes ſiue duplici poplite, id eſt, vſquequò vultis ambulare duas vias, vitæ,& mortis,quod fieri non poteſt? 95.c.

2.Paralipomen.c.8.7. Et ſacerdotes per cuſtodias ſuas ſtantes,& Leuitę in organis carminum,&c.Clemens legit ſacerdotes,& Leuitæ,ac cantores ſteterũt ad Orientem cum cymbalis,& pſalteriis , laudantes, & confitentes,atque dicentes,laudate Dominum quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius, 115.c.

2.Paral.19. Tibi cum peccatore amicitia eſt , vel ei auxilium fers,quem Deus odit?&c. pertinere hoc ad fugiẽdam communionem hæreticorum,& cauendum, ne ſit nobis cum eis pax, 85.b.

Iob 42. Scriptum eſt ipſum rurſus reſurrecturum eſſe, cum quibus reſurgit Dominus, ſic legit Apoſtolica doctrina , quæ teſtatur vnum ex illis fuiſſe Iob , qui cum iis qui cum Chriſto reſurrexerunt , reſurrexit, & iterum cum eiſdem reſurrecturum in conſummatione ſæculi in generali omnium reſurrectione , Iob 19. 64.c.

Iob 40. Aut ligabis eum, quaſi paſſerem puero? de Satana dictum eſſe,eiuſque orationem, & exorciſmos tanquam vincula quædam ad conſtringendum,& alligandũ eum. ex Apoſt.doctr. 125.c.

Pſal.17.Cum ſancto ſanctus eris,& cum viro innocẽte innocens eris,& cum peruerſo peruerteris,in eandem ſententiam dictum eſſe atque illud Leu.26. ſi obliquè in me inciditis,&c. 34.a.

Pſal.50.Redde mihi lætitiam ſalutaris tui,& ſpiritu principali confirma me. hæc epiſcopus precatur pœnitentibus in Apoſtolica doct. 126.c.

Pſal.7. Si reddidi retribuentibus mihi mala , doceri nos hoc loco,præſtare tolerare, quàm iniuriam factam propulſare,quamuis hoc liceat, 95.c.

Pſalm.3. Diſperſit, dedit pauperibus , iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi,pertinere hoc ad iuſtitiam euangelicam , quæ ſuperat iuſtitiam ſcribarum, & phariſæorum, quibus non tantam curam omnium egentium lex mandabat propter eorum imperfectionem, 29.a.

Pſal.4. Iraſcimini,& nolite peccare,id eſt, ſi contingat iraſci,fiat citò reconciliatio pacis,ne ira reſidens afferat iniuriæ recordationem, & pariat peccatum mortis , quia ait Salom . animæ memores iniuriarum in mortem, 37.a.

Pſ.2.Seruite Domino in timore,exultate ei cum tremore, pertinere hoc ad dies lætos , & feſtos;cuiuſmodi ſunt Dominici dies, nequid in eis non honeſtum , & graue dicatur,aut agatur, 66.a.

Pſal.62. Laudabitur omnis qui iurat in eo,præcipi hic,vt ſi fieri non poteſt quin iuremus, ſicut Dominus vetans periurium præcepit in Euangelio non iurare omnino, ſaltem iuremus verum, 97.a.

Pſal.1. Meditaberis in ea die ac nocte,aſſiduam lectionem cõmendari hic interpretatur Apoſt.doct. 3.b.

Pſal.139. Vir linguoſus non dirigetur in terra,de homine duplicis linguæ,aut duplicis mentis interpretatur Apoſtolica doctrina,id eſt,de eo qui non conſtat ſibi, 97.a.

Pſalm.12. Nequando obdormiam in mortem, dormire in mortem,nihil aliud eſſe , quàm ad extremum vitæ aberrare à vera fide,& finire vitam in peccato, 104.a.

Pſalm.138. Tu cognouiſti ſeſſionem meam , & reſurrectionem meam , Apoſtolica doctrina legit formationem meam , quod magis conuenit cum eo quod ſequitur,& reſurrectionem meam, ſic enim probat reſurrectionem , quia qui potuit formare, poterit ſuſcitare, 64.c.

Pſal.118. Beati immaculati,qui ambulant in lege Domini,de lege naturali decalogi intelligendum eſſe ex Apoſtolica doctrina, 90.b.

Pſal.18. Ego dixi, Dij eſtis, & filij altiſſimi omnes,de epiſcopis,& ſimilibus dictum eſſe hoc à Deo, 25.a.

Pſal.6. In inferno autem quis confitebitur tibi? ſignificare non eſſe poſt hanc vitam facultatem pœnitentiam agendi ei qui in peccato mortuus eſt, quare pœnitendum eſſe hic , & ne opus ſit pœnitentia, abſtinendum eſſe à peccato, 11.c.13.

Pſal.108.Genua mea infirmata ſunt à ieiunio,& caro mea immutata eſt propter oleum,de ieiunio Dauid, cui nec oleum adhibebat, 74.

Pſ.40.Et tu Domine miſerere mei,& reſuſcita me , & retribuam eis,de reſurrectione Domini dictum eſſe hoc, & in ea impletum, 7.c.

Pſal.81. Exurge,& iudica terram, quoniam tu eris hæres in omnibus gentibus,impletum eſſe hoc die Dominico paſchæ,cùm Chriſtus reſurrexit, 71.c.

Pſal.67. Mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo;etenim Dominus habitabit in finem;de Eccleſia, quæ eſt gratia Dei pinguis , & opima, cui Dominus dixit,Ego vobiſcũ ſum vſque ad conſummationem, accepit Apoſtolica doctrina, 77.b.

Pſal.2. Quare fremuerunt gentes,& populi meditati ſunt inania,aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerũt in vnum, impletum eſſe hoc , cùm clamante populo crucifige,crucifige, & illud, non habemus Regem niſi Cæſarem,Pilatus præſes,& Herodes rex iuſſerunt crucifigi, 71.c.

Pſal.11.Nunc exurgam,dicit Dominus,ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo,impletam eſſe hanc prophetiam in die reſurrectionis Domini, 71.c.

Pſal.90. Cadent à latere tuo mille, & à dextris tuis decem millia,de eo qui ad Deum præpotentem per fidem, & obedientiam confugit,& in eo habitat,de quo canit Pſ. Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur;hunc licet innumerabiles hoſtes inuadant,omnes proſternit, 69.c.

Pſalm.67. Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium,de iis qui relicta multitudine Deorum facti populus Dei vna fide & obedientia inſtar currus inter ſe, & cum Deo copulati, vnum Principem , & moderatorem Deum tamquam vnum aurigam currus per Chriſtum habent, in quo lætantur, & exultant, 69.c.

Pſal.26.Congregati ſunt ſuper me teſtes iniqui,& mentita eſt iniquitas ſibi, impletũ eſſe hic quod ait Marc.14. multi autem teſtimonium falſum dicebant cõtra eum, & non erant teſtimonia conuenientia, 68.a.

Pſal.73. Ne tradas beſtiis animam confitentem tibi, in eũ qui pœnitentem non recipit , dæmones vocat beſtias, 12.c.14.

Pſal. 144. Imples omne animal bona voluntate, ſic legit Apoſtolica doctrina, 55.a.

Pſal.73. Poſuerunt ſigna ſua ſigna,& in medio ſollemnitatis ſuæ non cognouerunt,impletum eſſe hoc à Romanis,qui in Paſcha Iudæorum eos ceperunt,& poſuerunt vexilla victoriæ ſigna; & tamen in medio ſollemnitatis ſuæ cùm hæc accidiſſent,nondum intellexerunt propter mortem Chriſti, quem in feſto ſuo comprehendiſſent, & occidiſſent,ipſis eueniſſe, 69.b.

Pſalm.127.Vxor tua ſicut vitis abundans,&c.Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum,ſignificat puram eſſe generationem filiorum,quæ ex nuptiis;Dei benedictione honoratis, proficiſcitur, 92.c.

Pſ.50. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me,&c. teſtimonium eſſe hoc,pœnitentes à Deo non ſolum recipi, ſed in priorem gradum dignitatis reſtitui, 32.a.

Pſal.138. Odientes te oderam,& ſuper inimicos tuos tabeſcebam; perfecto odio oderam illos,in hæreticos maximè conuenire hæc, 85.b.

Pſ.18. Lex Domini immaculata conuertens animas, &c. de decalogo dicta eſſe, 86.a

Pſal.140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum, conuenire hoc in oblationes ſceleratorum prohibitas, 56.c.

Prou.4. Honora Deum ex tuis iuſtis laboribus,eſſe Deo faciendas aſſiduè oblationes ex laboribus operum noſtrorum. huc pertinet illud Apoſt.Eph.4.qui furabatur, &c.magis autem laboret operando manibus ſuis,vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti, 29.c.

Prou.16. Benedictio ſuper caput impartientis, de eis qui in benedictionem ſuã ſacerdoti Dei primitias, & decimas,& fructus ſuos,& opera manuum ſuarum offerũt, 28.c.

Prou.10. Qui conuicia inferunt imprudentiſſimi, quia ſcilicet ſibi ipſe maledicit qui alteri temere maledicit, conuicium enim temerarium inſtar maledictionis eſſe videtur, 51.a.

Prou.23. Ebrioſus,& leno inopia laborabit, non eſſe tali, vtpote indigno,tribuendum, 7.c.

Prouerb. 22. Eiice peſtilentem ex concilio,& egredietur cum eo contentio,pertinere ad eiiciendum ex Eccleſia auctorem ſceleris, & ſcandali, 10.c.

Prouerb.26. Sicut aues volant, & paſſeres, ſic maledictio vana non abibit in nihilum, ſignificare ſibi ipſum maledicere qui alteri temere maledicit, 51.a.

Prouerb.31. Mulierem fortem,& quæ ſequuntur, laudes eſſe,quibus Deus vxorem pudicam,& virum ſuum diligentem laudat, 5.a.b.

Prouerb. 3. Honora Dominum de iuſtis laboribus tuis, pertinere eò hunc locum, vt ſacerdos Eccleſiæ non accipiat oblationes ad alendum egentes; niſi à quibus licet, 57.a.

Prouerb.18. Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit, in eum conuenire, qui cùm in vna quapiam re quaſi deſperanter ſemel peccauerit, ad alia peccata amiſſo ſenſu doloris ex peccato, ſe vertit, 5.c.

Prou.6. Exemplum apis,quod in Hebraico non reperiri teſtatur Hier. 44.a.

Prou.19. Abſcondens piger manum ſuam in ſinu ſuo, nõ poterit ipſam admouere ori ſuo; in otioſos, qui labore victum parare poſſunt, quibus non eſt præbendum, 7.c.

Prou.23. Lacero veſtitu vtetur,qui ſe nimium dederit ſomno; in otioſos,quibus non eſt tribuendum, quia poſſunt labore victum quærere, 7.a.

Prou. 24. Præpara in exitum opera tua, & para te in agrum,hortari hic Salomonem, vt operemur, & ſeminemus opera bona,dum in agro huius mundi ſumus, antequam à vita recedendum ſit, ne quid boni operis nobis deficiat, vt fatuis virginibus defecit oleum in parabola Euangelij, 11.c.13.

Prou.1. Audi fili diſciplinam patris tui,& ne abiicias leges matris tuæ,exemplum repetitionis vtilis, & quomodo Iſraël non audiuit,quia audita neglexit,quòd non haberet aures audiendi, 9.c.

Prouerb.23. Si in phialas, & pocula oculos tuos dederis, nudior piſtillo ambulabis;in otioſos,qui laborare poſſunt:quibus non eſt tribuendum, ibidem.

Prou.18. Qui tenet adulteram,ſtultus,& impius eſt;id eſt, legis violatorem eſſe,qui eam,quæ legem naturæ violauit, retinet,violauit autem legem naturæ adultera,quia vnum corpus in duo diuiſit,cùm Dominus duo corpora in vnum copulauerit, 83.c.

Prou.19. A Domino aptatur vxor viro;de iuſtis,& legitimis nuptiis dictum eſſe. ſicut illud,Propter hoc relinquet homo patrem,& matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erũt duo in carnem vnam.& Malac.2. Vxorem adoleſcentiæ tuæ ne relinquas, quoniam ipſa particeps vitæ tuæ,& reliquiæ ſpiritus tui, 83.c.

Prou.14. Qui calumniatur pauperem, irritat eum à quo factus eſt;falſum autem teſtimonium in pauperem dicere,calumniari eſt, 97.a.

Prou.6. Fortis laqueus viro propria labia, præcipit prouerbium hoc, quod Apoſtolica doctrina ait, ne ſit homo duplici lingua,aut duplici mente,id eſt,ne ſit inconſtãs, is enim vna lingua ait, alia negat, 97.a.

Prou. 5. Suorum quiſque peccatorum catenis conſtringitur,iuſtos non ſoluere pœnas pro iniuſtis, 13.c.14.

Prou.26. Piger manus ſuas complexus eſt, & carnes ſuas deuorauit;in otioſos,qui labore victum parare poſſunt, quibus non eſt tribuendum, 7.c.

Prou.14.& 16. Eſt via quæ quibuſdam videtur recta, extrema verò eius ſpectant ad profundum inferni; in hæreticos,qui ſimulant ſe pios,cùm ſint impij, 85.a.

Prou.6. Vt cùm cubarit,cuſtodiat eum;cũ excitatus fuerit à ſomno, colloquatur cum ea, ſignificare hic Salomonem, numquam pollui hominem vllo ritu, aut obſeruatione Iudaica,quin liceat ſemper orare,& ſcripturam ſanctam legere, aut ſi non licet,erit iſte aliquando vacuus ſpiritu ſancto, 91.b.

Prouerb.6. Laqueus fortis labia proprij oris, in eum qui falſus teſtis eſt, qui ab inconſtantia ſua redarguitur qui ſpoponderat dicturum ſe verum teſtimonium, 33.a.

Prou. 5. Lætare cum vxore ex adoleſcentia tua cerua amicitiæ,&c. ad hunc locum pertinet Apoſtolica doctrina de diligenda vxore tanquam ſocia vitæ, & adiutrice ad procreationem liberorum, 93.a.

Prou.3. Ne differas conuerti ad Dominum, neſcis enim quid poſterus dies pariet,in eum qui differt baptiſmum, quouſque inſtet tempus mortis, 84.a.

Prou.31. Qui poteſtates ſunt,iracundi ſunt,ne bibant vinum, ne bibendo ſapientiæ ſuæ obliuiſcantur, & incorruptè iudicare non poſſint,ad Epiſcopos, presbyteros,& diaconos pertinere, quia ij ſunt poteſtates eccleſiæ, 156.b.

Prouerb. 11. Benedicta omnis anima, de tribuente in ſimplicitate, ſicut Apoſtol. Roman. 12.ait, intelligendum,ſuper cuius caput benedictio,vt p. 28.c. dixit, 29.a.

Prouerb. 12. Animæ eorum qui ſunt memores iniuriarum,in mortem, ſic legit Apoſtolica doctrina, pro eo quod nunc eſt in noſtris exemplaribus, viæ eorum,&c. ſignificat recordationem iniurię parere peccatum mortale,recordationem verò fieri ira reſidente, 37.a.

Prou.13.Qui ambulat cum ſapientibus,ſapiens erit; qui verò ambulat cum inſipientibus, cognoſcetur; moneri nos hic, vt declinemus ſocietatem, & communionem ſermonis,& conſuetudinis cum hæreticis, 85.b.

Prou.14. Qui eſt parui animi,valde amens eſt; in eum cõpetere, qui præ immoderato dolore pœnitentiæ, in amentiam incidit,ſiue nimia triſtitia,vt Paulus dixit,abſorbetur, 31.c.

Prou.26. Sicut qui tenet caudam canis, ſic qui præeſt alieno iudicio,in eum qui iniquè aliquem iudicat, id enim eſt alienum iudicium,quia non eſt Dei,ſed diaboli, qui autem ſic iudicat, contra ſeipſum pronunciat, vt dixit eadem Apoſtolica doctrina paulò ante, c.42. ſic euenire ſolet ei qui caudam canis tenet, ab eo enim mordetur quem tenet; ſic iſte ſuo iudicio, quod facit,ſe cõdemnat, 36.c.

Pr. 10. Memoria iuſtorum cũ laudibus,ad venerationem iuſtè ſanctis adhibendam pertinere, 65.c.



Eccl.4. Quis enim veſtrum edit,aut bibit ſine ipſo? admonet hic locus viduas & pupillos, & omnes egentes, vt quæ eis ſuppeditantur,cum omni reuerentia, & Dei metu accipiant,& gratias agant Deo,qui dat eſcam eſurientibus, 55.a.

Eccleſiaſtes 4. Piger manus ſuas amplexus eſt, & deuorauit carnes ſuas;in otioſos,qui poſſunt labore ſuo victum quærere,quibus non eſt largiendum, quia indigni ſunt ſubſidio, 7.c.

Eccl. 5. Multo melius eſt non vouere,quàm poſt votũ promiſſa non reddere,oportere non temere,nec inconſideratè promiſſionem facere, ſed cautè, 44.c.

Eccl.18. Qui viuit in æternum,creauit omnia κοινῇ, id eſt, communiter, Apoſtolica doctrina interpretatur, hoc dictum eſſe de communitate rerum à principio ante peccatum Adæ in ſtatu ſcilicet naturæ integræ à Deo inſtituta, 98.c.

Eccl.25. A carnibus tuis abſcinde illam, de adultera dictũ eſſe,quæ eiicienda eſt,& cũ illo cõuenire,quod eſt in Pr. 18. qui tenet adulterã,ſtultus,& impius eſt, 83.c.

Eccl.12. Adducet Deus omne factum in iudicium in omni neglecto, ſiue bonum ſit,ſiue malũ, omnibus eſſe reſurgendum tum piis,tum impiis,vt quiſque pro meritis ſuis ſoluat, 63.a.

Eccl.24. Et quaſi tigris implet in diebus nouorum, quaſi fluuius Ægypti;ſic legit Apoſt. doctrina, & ad eccleſiam retulit, quæ ſpiritali gratia ad inſtar fluuij Ægypti in diebus inundantis repleta eſt, 77.b.

Eſd.35. Propter quod remiſſas manus,& ſoluta genua erigite,ad conſolationem pœnitentium pertinere, qui donec proferant fructus dignos pœnitentiæ,non ſinuntur communicare in oratione cum fidelibus, 31.c.

Eſd.11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, Chriſtum ſignificat hic tropologicè flos, 80.c.

Eſd.28. Diſſolue omne vinculum iniquitatis,pertinere ad legem, & præceptum de remittendo aliorum in nos peccata, 37.b.

Eſd.2. Et erit in nouiſſimis diebus manifeſtus mons Domini,& domus Dei ſuper verticem montium, & extolletur ſupra colles,de Eccleſia Dei dictum eſſe, 77.b.

Eſd.c.1. Lauamini,& mundi eſtote,prædictum eſſe hoc de baptiſmo noui teſtamenti, 126.a.

Eſd.c.1. Regionem veſtram in conſpectu veſtro alieni deuorant,in diuites,qui cùm liberis careant non ſuſcipiũt pupillos,aut pupillas, quos loco filiorum habeant, quibus accidere ſolet iuſto Dei iudicio, vt alieni bonis eorum fruantur, 54.a.

Eſd.c.6. Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis,& non ſcietis, incraſſatum eſt enim cor populi huius, in eos conuenire, qui non attentè,& ſobriè, ſed dormitanter, & negligenter, & velut aliud agentes audiunt eos qui docent,vel legunt verbum Dei, exemplo talium viduarum licet hoc intelligere, 47.a.

Eſd.57. Non eſt ſaluere impiis, pertinere ad fugiendam communionem hæreticorum, quibus beatus Ioannes ait,nec aue dixeritis, 85.b.

Eſd.c.9. Magni conſilij Angelus,admirabilis conſiliarius, Deus fortis poteſtatem habens,princeps pacis, pater futuri ſæculi;hæc omnia legit Apoſtolica doctrina,Ex.70. p.70. a.

Eſd.22. Comedamus, & bibamus, cras moriemur;in viduas Eccleſiæ falſas voluptati deditas, 47.b.

Eſd.14. Proiecerunt dilectum tanquam cadauer abominabile,ſic legit Apoſtolica doctrina, quæ de Chriſto interpretatur,& impletum eſſe dicit, cùm Herodes, & Pilatus iuſſerunt in crucem tolli, 71.c.

Eſd.56. Canes muti non valentes latrare, in hæreticos, ſcilicet quia, vt ait Sal.Pr.13.impius confunditur, & non habet fiduciam loquẽdi;vnde lupos occultos eos vocat Apoſtolica doctrina, 85.c.

Eſd.40. Hortamini populum meum, loquimini ad cor Hieruſalem,moneri epiſcopos hic, vt ſermones exhortatorios faciant peccatoribus,ad reuocãdos eos ad pœnitentiam,& faciendum vt bona ſpe ſint, 14.c.15.

Eſ.59. Et viam pacis non cognouerunt, in malos iudices, quales ſunt iudices Eccleſiæ epiſcopi, qui non recipiunt pœnitentẽ, cùm Dominus Ieſus, qui eſt via pacis, docuerit,dicens,remittite,& remittetur vobis, 19.a.

Eſd.59. Pedes eorum ad malum currunt, & celeres ſunt ad effundendum ſanguinem, & quæ ſequuntur, in eos Epiſcopos,qui iniuſtè,& celeriter excommunicant; hi enim ſunt iudices Eccleſiæ: & de malis iudicibus loquitur Eſ. 19.a.

Eſd.63. Irritauerunt Spiritum ſanctum, & conuerſus eſt eis in inimicitiam.in Iudæos,quos Deus cæcitate affecit propter malum animum eorum, quia cùm Chriſtum viderent,propter infidelitatem ſuam, nec ex operibus, nec ex prophetiis eum cognouerunt, 70.a.

Eſd.52. Exite de medio eorum,& ſeparamini,& immundum ne tetigeritis,& ego recipiam vos,præcipi his verbis laicis, vt ab eis qui contraria ſententiæ Dei docent in eccleſia,recedant,ne fiant participes impietatis eorũ, 77.a.

Eſd.28. Quoniam aliis linguis loquar populo huic,& aliis labiis,& neque ſic credẽt,ſignificaſſe his verbis prophetam, non omnes credituros eſſe miraculis. ex quibus fuit loqui linguis variis Apoſtolos, 118.b.

Eſ.53. Iuſtificauit iuſtum bene ſeruientem multis, ad exemplum Chriſti,de quo hoc dictum eſt, debere diaconos miniſtrare,& ſeruire omnibus infirmis, & diaconiſſas infirmis feminis etiam cum periculo mortis ſubeundæ propter eiuſmodi miniſterium, 53.a.

Eſd.52. Propter vos nomen meum blaſphematur inter gentes,in eum etiam conuenire, qui verbum Dei ſine vſu,& peritia gentilibus prædicat, 46.b.

Eſd.26. Locus de reſurrectione mortuorum, reſurgent mortui,& exaltabuntur qui ſunt in monumentis, &c. 63.a.

Eſd.57. Viri iuſti tolluntur,de martyribus dictum eſſe interpretatur Apoſtolica doctrina, de quibus Salomon in Prouerb. 10. memoria iuſtorum cum laudibus, 65.c.

Hierem.15. Si ſteterint Moyſes, & Samuel ante faciem meam pro ipſis, non exaudiam eos, in eos conuenire, qui pro eis qui peccant peccatum ad mortem, à quo ſcilicet recedere nolunt, precantur,qui non exaudientur, 55.c.

Hier.7. Et tu ne ores pro populo iſto,quoniam non exaudiam te,in eos conuenire,qui pro iis orant, quos eccleſia, quia à peccato nolunt recedere, excommunicat, 55.c.

Hier.12. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſilua; dederunt vocem ſuper me,impletum eſſe hoc, cùm clamauerunt Iudæi dicentes,crucifige, crucifige, 68.c.

Hierem.17. Thronus gloriæ in ſublimi poſitus ſanctuariũ noſtrum,de Eccleſia dictum eſſe, 77.b.

Hierem.15. Si eduxeris ex indigno dignum, & honoratum,tanquam os meum eris,hanc eſſe maximam mercedem promiſſionis, eſſe ſicut os Dei faciendo ſcilicet, vt conuertatur frater ab errore viæ ſuæ, ſicut ait Iacobus, 39.a.

Hier.21. Ecce dedi ante faciem veſtram viam vitæ,& viam mortis;& ſubiungit,elige vitam,pertinere hæc ad illud quod Dominus dixit in Euangelio, Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, docet Apoſtolica doctr. Seruire enim duobus dominis, eſt, quaſi ambulare duas vias, vitæ,& mortis;quod fieri non poteſt, 95.a.

Hierem.12. Multi paſtores vineam meam vaſtauerunt, & fœdarunt hæreditatem meam,c.23. ira mea concitata eſt in paſtores,in epiſcopos, qui peccata populi negligunt;& pœnitentes non recipiunt, eoſque eſſe qui mactant,& perdunt, 14.c.15.

Hierem.23. A prophetis Hieruſalem egreſſa eſt pollutio in vniuerſam terram, in auctores hæreſum conuenire, 77.a.

Hier.8.& 3. An qui cadit, non reſurgit, &c. eò pertinere hæc,vt pœnitens recipiendus ſit, 12.c.14.

Hier.12. Facta eſt hæreditas mihi tanquam leo in ſilua; dedit ſuper me vocem ſuam,in Iudæos dictum eſſe hoc, cùm clamantes dixerunt, crucifige, crucifige, 68.c.

Baruc c.3. Hic Deus noſter, nõ reputabitur alius ad eum, inuenit omnem viam ſcientiæ,& dedit eam Iacob, & Iſraël dilecto ſuo, poſt hoc in terris, &c. de Chriſto dictum eſſe, 72.c.

Ezech.37. Oſſa noſtra aruerunt,periit ſpes noſtra, dixiſſe hæc olim Iudæos,cùm non crederent futuram eſſe reſurrectionem, quibus reſpondit Deus, ecce ego aperio ſepulchra,& quæ ſequuntur, 63.a.

Ezech.20. Dedi eis præcepta non bona,& iudicia,in quibus non viuent,nõ bona dicit illorum propoſito, quia non ſeruata mortem eis afferebant;ſicut ferrum,& ſcalpellum,dolorem & cruciatum afferunt non valentibus, 88.a.

Ezech.33. Fili hominis ſpeculatorẽ dedi te domui Iſraël, hoc & ea quæ ſequuntur de gladio,& tuba, ſignificare, debere epiſcopum prædicare euangelium, quod eſt tuba,qua canit epiſcopus, & affirmare de iudicio,cui præeſt,quod ſignificat gladius, 91b.

Ezech.34. Lac deuorabatis, & lanis operiebamini, in eos epiſcopos,qui quæ vſus neceſſarios ex bonis Eccleſiaſticis ſuperant,non communicant cum egentibus, 33.a.

Ezech.44. Primitias omnium ſacerdotibus dandas interpretari videtur Apoſtolica conſtitutio enumerans ſingula,primitias,& decimas frumenti,vini,olei, pomorũ, & lanæ,& quicquid Dominus ſuppeditat, 28.c.

Ezech.2.Conteſtare ipſis hæc,fortè audient vocem tuam.

Ezech.3. Si fortè audiant,ſi fortè cedant, exempla repetitionis eorundem interdum neceſſariæ, 9.c.

Ezech.18. Iuſtitia iuſti ſuper ipſum erit, & delictum iniqui ſuper ipſum erit, nõ nocere communitatem ſermonis cum delinquentibus,ſed actionis, 12.c.14.

Ezech.14.Terra ſi peccauerit mihi vt iniuriam faciat, extẽdam manum meã,&c. Et ſi fuerint in medio eius tres viri,Noe,Iob,& Daniel,&c. nõ nocere cum iniquis ſermonem habere communem ſed actionem, 12.c.14.

Ezech.34.Iudicabo inter ouem,& ouem,& inter arietem, & arietem, laicos vocari hic oues; & epiſcopos, ac magiſtratus,qui ſunt ouium duces,arietes; ne laicus dicat, ego ouis ſum,nõ paſtor,ipſe pro me pœnas dabit, 17.a.

Ezech.34. Quod validum eſt, mactaſtis; quod in eis erat vexatum,non roboraſtis,&c.quæ genera ſpiritualis medicinæ iſtis tropis ſignificentur, 17.b.

Ezech.33. Impietates noſtræ in nobis & nos in ipſis liqueſcimus,& quomodo viuemus? de eis dictum eſſe, qui propter multitudinem ſuorum peccatorum ſalutem deſperant, qui ſunt requirendi, hortandi, & non derelinquendi, 17.c.

Ezech.18. Væ paſtoribus Iſrael,qui paſcebant ſeipſos,& quæ ſequuntur, doceri, quantum periculi propoſitum ſit epiſcopis,ſi in curandis ouibus commiſſis negligẽtes fuerint, 16.b.c.

Dan.c.2. Donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus,& percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus,& comminuit eos, tunc contrita ſunt pariter ferrum,teſta,æs,argentum,& aurum,&c.Et paulò pòſt: & qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus,& impleuit vniuerſam terram, hunc eſſe Chriſtum, qui dominatum multorum Regum,& multitudinem Deorũ confregit, vnum Deum prædicauit, & Romanorum monarchiam elegit, 73.c.

Daniel.c.7.millia millium, & decies centena millium, ſignificare plenitudinem eorum qui ſalui fiunt, 69.c.

Danielis c.12.Locus de reſurrectione mortuorũ, & multi defunctorum,in quo loco ait Apoſtolica doctrina teſtatum eſſe Gabrielem illos, quos dixit reſurrecturos eſſe ad vitam æternam, ſacrum Dei nomen, id eſt, verum ens cognouiſſe, 63.a.

Oſe.9. Sacrificia eorum vt panis luctus ipſis, omnes comedentes ex eis,contaminabũtur, prophetia de abrogandis ſacrificiis legis veteris. Panis enim luctus erat, qui apponebatur lugentibus mortuum, qui quia tangebant mortuum, dum funus curabant, immundi erant, & polluti,& quicquid tangebant,erat pollutum, etiam panis;ex Cyrillo,in locum Oſeæ, 89.b.

Oſeæ c.10. Accendite vobis lumen cognitionis ad ſtudiũ ſcripturæ ſanctę pertinere,vnde petenda eſt cognitio veritatis ad illuminandum vias noſtras, 8.

Oſeæ 4. Erit ſicut ſacerdos,ſic & populus;moneri hic epiſcopum,vt extra omnem reprehenſionem ſit, vt exemplo vitæ ſuæ omnes ad ſe imitandum prouocet, & inuitet, 9.a.

Oſeas c.4. Quia abieciſti cognitionem,& ego abiiciam te, ne fungaris mihi ſacerdotio; in eos hæreticos, qui non ſecundum ſcientiam,& regulam,quam ab eccleſia didicerunt,baptizant, & ideo baptiſmus eorum nullus eſt, id eſt,non baptizant in nomine Patris, & Filij,& Spiritus ſancti, 89.a.

Ioel c.2. Somnia ſomniabunt,hoc teſtimonio probat Apoſtolica doctrina omnem vim verbi, & operationem, & huiuſmodi viſitationem ablatam eſſe Iudæis,& trãſlatam ad eccleſiam ex gentibus. Viſitat ergo Deus in Eccleſia ſuos aut per viſiones, aut per ſomnia, aut per prædicationem verbi, aut per aliam operationem ſpiritus. nihil autem horum habet iam Iudæorum ſynagoga, 77.b.

Ioël 2. Et erit poſt hæc,dicit Deus, & effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem,& prophetabunt filij veſtri,& filiæ veſtræ viſiones videbunt, & ſeniores veſtri, ibidem.

Zach.9.Frumentum iuuenibus,& vinum virginibus,admonet hic locus de gratiarum actione adhibenda Deo, qui nos paſcit, 55.a.

Zach.12.Tunc videbunt dilectum Dei filium, quem pupugerunt,& agnoſcentes eum plangent vnaquęque tribus per ſe,& mulieres eorum ſeparatim,implendum eſſe hoc in ſecundo aduentu cùm veniet Dominus cum poteſtate & gloria multa ad iudicandum, 72.a.

Zach.8. Vnuſquiſque malum proximi ſui ne reputetis in cordibus veſtris, pertinere ad poteſtatem, quam nobis dedit Dominus remittendi peccata proximorum in nos,& præceptum quod dedit de hoc faciendo, 37.b.

Zachar.14. Non dies,& non nox,& ad veſperam erit lux, impletum eſſe in tenebris à ſexta vſque ad nonam in morte Domini, 69.a.

Malach.c.1. Nunc vos ſacerdotes, qui nomen meum vituperatis,tradam in occiſionem, ex hoc loco intelligitur malos ſacerdotes non deſinere eſſe ſacerdotes propter improbitatem, 120.b.

Mal.2.Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam,& legem requirent ex ore eius,doceri nos hic, quòd vt prius nihil ſacrum in templo fiebat, nec offerebatur ſine ſacerdote, & ſic nunc faciendum eſſe, 26.b.

Mal.2.Dominus teſtatus eſt inter te & vxorem adoleſcentiæ tuæ,& ipſa conſors tua, & non alius fecit,& reliquię ſpiritus tui;pro hoc,quod Mal.dixit cõſors tua, & reliquiæ ſpiritus tui,dixit Apoſtolus,diligite tanquam mẽbra veſtra, & corpora veſtra, ex Apoſtolica doctrina, 93.b.

Malachias 4.Mementote legis Moyſis,qui pręcepit vobis præcepta,& iuſtificationes,de lege decalogi dictum eſſe hoc,cuius erant iam obliti Hebræi, 86.a.

Malach.2.Cuſtodies,ſiue cauebis ſpiritu tuo; & vxorem adoleſcentiæ tuæ ne derelinquas, quoniam ipſa particeps vitæ tuæ, & reliquiæ ſpiritus tui; docet hoc teſtimonio Apoſtolica doctrina,non eſſe fas eiicere vxorem non ream, 83.c.

Mal. 1. In omni loco offertur mihi thymiama, & ſacrificium mundum, de Eccleſia œcumenica per cunctum orbem diffuſa dictum eſſe, in qua fit per ſingulos dies Dominicos conuentus fidelium ad ſacrificium,vt gratię agantur pro liberatione ab ignorantia, errore,& vinculis legis ſeruitutis, 104.b.

Matth.5. Si offers munus tuum ad altare,& ibi recordatus fueris,quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare; & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. huc pertinet quod Apoſtolica doctrina citat ex ſcriptura, ne accedas ad orationem in die malitiæ tuæ; priuſquam amarum animum deponas, 99.a.

Matth.5. Et dixerint omne malum verbum aduerſus vos mentientes propter me,ſic legit Apoſtolica doctrina,ſiuè interpretatur,omne malum verbum, 60.a.


Matth.




Matth.5. Si offers munus tuum ad altare,&c. munus eſſe cuiuſque orationem, & gratiarum actionem, 37.b.

Matth.5. Non veni ſoluere legem, aut prophetas, ſed adimplere,id eſt,cõfirmare, & complere decalogum,quod facit, cum paulò pòſt ait, audiſtis quia dictum eſt antiquis,&c. Ego autem,&c.lib.1.c. 1.a.

Matth.5. Ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte & pallium, eligendum potius eſſe incommodum rerum noſtrarum,& ſtudium pacis non ſolum cum fratribus,ſed cum infidelibus,quã in iudicio contendendum, ne in iis quæ ad pietatẽ pertinent,vllum damnum faciamus,& vt ſecundum mandatum Domini viuamus,quod eſt ingens lucrum, 34 c.

Matth.5. Ego autem dico vobis, qui iraſcitur fratri ſuo, etiam iram temere concitatam interdicit; nõ enim legẽ ſanxit de extirpandis perturbationibus naturalibus, ſed de earum moderatione, 89.c.

Matth.5.Qui autem dixerit fratri ſuo, Raca, & qui dixerit,fatue,&c. dicere raca, aut fatue fratri, eſt eſſe contumelioſum in nomen Chriſti, licet illud minus, hoc magis, 27.a.

Matth.15. Munus, ſi quodcumque ex me tibi proderit, genus iurandi eſſe,id eſt,iuro per munus, ſic eſſe intelligendum non ſolum ex Euangelio Matth.c.23. ſed & ex Apoſtolica doctrina intelligi poteſt, quæ iurare per munus ad corruptam conſuetudinem Iudæorum pertinere ait, 67.a.

Matth.18. Si peccauerit in te frater tuus,&c. ſi te non audierit, dic eccleſiæ,ad epiſcopum etiam pertinere, vt iuſtè accuſatum arguat nemine præſente, vt eum pœniteat; quòd ſi non paruerit, teſtes adhibeat: ſi ne teſtibus quidem adhibitis profecerit, dicat eccleſiæ. iſta fuerit monitio publica quæ ſecundum traditionem Apoſtolicam hodie fit,& quidem ter in Eccleſia,quam cùm contemnit,fit anathema,& habetur tanquam ethnicus, & publicanus,id eſt, non admittitur ad Eccleſiam tanquã Chriſtianus,donec pœnitentiam agat,ſic enim Eccleſia Ethnicum, & publicanum admittit poſt pœnitentiam, 30.c.

Matth.18. Qui ſcandalizauerit vnum ex his puſillis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur de collo eius mola aſinaria,& demergatur in profundum maris, puſillos vocari nouos Chriſtianos catechumenos, adoleſcẽtes tum mares tum feminas, profundum maris;profundum, in quo eſt qui pœnas debet quas ſignificat mola ſuſpenſa, 10.c.

Matth.18.Videte, ne contemnatis vnũ ex his puſillis, &c. omnium habendam eſſe epiſcopo curam, & eorum qui non peccarunt, ne pecent; & eorũ qui in peccatis ſunt, vt pœniteant, 16.a.

Matt.19.Itaque iam non ſunt duo,ſed vna caro,huc pertinet Apoſtolica doctrina, vir & vxor vnum ſunt natura, conſpiratione,vnione,affectione,vita,more,diſtincti verò ſunt figura,& numero, 96.a.

Matth.19. Sinite paruulos venire ad me & nolite prohibere eos, doceri hic, eſſe pueros infantes baptizandos, 84.b.

Matth.21.Homo quidã habebat duos filios,& accedẽs ad primũ, dixit: Fili,vade hodie operare in vinea mea, &c. hunc qui noluit, ſed poſtea pœnitentia ductus obtemperauit, de populo Gentili, qui factus eſt Chriſtianus, interpretatur Apoſtolica doctrina: eum verò qui dixit ſe velle ire,& nõ iuit, & proximam parabolam de vinea locata agricolis, qui vineam incultam reliquerũt,& ſeruos patrisfamilias miſſos ad accipiendos fructus, malè acceperunt,de Iudæis, qui in ſua perfidia remanſerunt, 70.c.

Matth.21. Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum, quia non eiiciebant inde eos qui digni erant vt eiicerentur;qui dum non eiiciuntur,latent,ſicut in ſpelunca latrones, videntur enim boni, 15.c.

Matth.22. Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo,& in tota anima tua,& in tota mente tua,eſſe hanc legem dilectionis Dei natura hominibus inſitam, 87.c.

Matth.22. Et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium, & Luc.14.& impleta eſt domus, Apoſtolica doctrina triclinium vocat,& Eccleſiam Catholicam interpretatur, quam vt Apoſtoli implerent, ex omnibus gentibus & linguis,magnis laboribus,& periculis vocarunt, 39.a.

Matth.24. Surgent enim pſeudochriſti,& pſeudoprophetæ,& decipient multos; in hæreticos, qui pelle ouium lupos tegunt,dum nomine Chriſti Chriſtum, & nomine Moyſis Moyſem oppugnant, 83.a.

Matth.24. Et quoniã abundauit iniquitas,refrigeſcet charitas multorum, ſignificat opera & ſtudio hæreticorum euenturum eſſe hoc, 82.c.

Matth.25. In parabola de 5. virginibus oleum eſſe bona opera,lucernas eſſe cuiuſque fidem,per quam cognoſcimus Deum,& credenda,quæ ſine operibus mortua eſt, 11.a.c.13.

Matth.26. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti,id eſt,myſterij noui teſtamẽti. ſic enim ait Apoſtolica doctrina, hoc eſt myſterium noui teſtamenti, accipite ex eo,& comedite,hoc eſt enim corpus meum,&c. 132.c.

Matth.26.Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma,pertinere hoc quod Dominus dixit,ad cauẽdum, ne in tentationem nos proiiciamus, idcirco declinãdam eſſe perſecutionem, ſi ſine ſcandalo fieri poteſt, etiam cum iactura bonorum noſtrorum, 156.c.

Matth.26.Amen dico vobis, quia vnus veſtrum me traditurus eſt,dixiſſe hoc Dominũ, quòd vellet Iudam corrigere,& de ſua illius præcognitione diſcipulos erudire, 67.c.

Matth.26. Orate, ne intretis in tentationem, ſpiritus quidem promptus eſt,caro autem infirma,iuberi hic,vt non ſimus prompti ad obiiciendum nos periculis, 62.a.

Matth.26. Væ homini illi,per quem,&c. dixiſſe hoc Dominum vt metum illi iniiceret, 68.a.

Matth.27. Deus Deus meus,vt quid dereliquiſti me,dixiſſe hoc prius, quàm illud, Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt, 69.a.

Matth.28.Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſæculi,eſſe Chriſtum nobiſcum per doctrinam Apoſtolorum Eccleſiæ Catholicæ traditam, & in ea ſemper conſeruatam, & vſque ad finem ſæculi conſeruandam,intelligi poteſt ex Apoſt.doctr. 117.a.

Matth.28.Baptizantes eos in nomine patris,& filij,& ſpiritus ſancti,id eſt, baptizantes eos in nomine patris, & baptizantes in nomine filij, & baptizantes in nomine ſpiritus ſancti,vt iam vnus baptiſmus fiat in vna,& eadẽ virtute Dei patris,& eadem Dei filij, & eadem Dei ſpiritus ſancti,hoc eſt baptizari in patrem,baptizari in filiũ, & baptizari in ſpiritum ſanctum, quod Apoſtolica doctrina tradit, 113.c.

Matth.11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos de iugo graui legis,de quo beatus Petrus in Actis Apoſtolorum,quod neque nos, inquit,neque patres noſtri portare potuimus, dictum eſſe à Domino,lib.1.c.6. 6.

Marci 16.Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur;In nomine meo dæmonia eiicient,&c. omnibus hoc dixiſſe tanquã conſummatis iam prius Apoſtolis, 117.c.

Lucæ 3. Venerunt autem & publicani, vt baptizarentur, & dixerunt, &c. interrogabant autem eum & milites dicentes, Quid faciemus & nos? poſt baptiſmum ſcilicet Ioannis ſuſceptum, hæc interrogabant, 31.

Lucæ 4. Nemo propheta acceptus in patria ſua. hinc eſſe, vt hortatio, & monitio hoſpitum,& externorum grata,& valde vtilis eſſe ſoleat, 41.a.

Lucæ 6. Perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius. quamobrem qui optat, inquit Apoſtolica doctrina,eſſe illius diſcipulus,ęmuletur illius certamina, imitetur illius patientiam, &c. 62.c.

Lucæ 6. Omni petenti tribue, ſcilicet omni verè indigenti, ſiue amicus ſit, ſiue inimicus, ſiue cognatus, ſiue alienus, &c. 45.c.

Lucæ 8. Qui habet aures audiendi,audiat. exemplum repetendi eadem aliquãdo neceſſarium, ſæpe enim in Euangelio dixiſſe hoc Dominum, 9.c.

Lucæ 9.Et ecce duo viri loquebantur cùm eo,erant autem Moyſes & Elias viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum


 eius

eius,quem cōpleturus erat in Hieruſalem; fuiſſe Moyſem & Heliam, adhibitos,vt intereſſent transfigurationi teſtes humanitatis Chriſti, & paſſionum eius tanquam amici,& familiares;quia Moyſes erat legiſlator,& Elias Propheta, & prophetarum zelotes, 86.c.

Lucæ 10. Verum tamen in hoc nolite gaudere, quòd ſpiritus vobis ſubiiciūtur;gaudete autem, quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis: Scilicet quia miraculum ſolum poteſtate,& virtute Dei fit,non ad vtilitatem eius qui illud facit,ſed vt qui non credit, ad credendū adducatur; noſtra verò iuſtitia per quam nomina noſtra ſcribuntur in cælis,& efficimur ex primogenitis qui conſcripti ſunt in cælis, ex charitate noſtra, & operatione cum Dei gratia,& auxilio exiſtit, 118.a.

Matth.5. Qui temere fratri ſuo iraſcitur, ſic Apoſtolica doctrina legit interpretans quod eſt in Euangelio, qui fratri ſuo iraſcitur, vt intelligatur temere ſcilicet: non enim ſemper ira iniuſta & temeraria eſt, 37.a.

Matth.5. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum,&c.abundare tunc magis iuſtitiam noſtram, cùm maiorem curam habemus dandi ſacerdotibus, pupillis,viduis,& omnibus egentibus, 29.a.

Matt.5. Nolite putare,quoniam veni ſoluere legē aut prophetas;non veni ſoluere, ſed adimplere; legem decalogi naturalem dicit,quam non quidem ſuſtulit in Euangelio Chriſtus,ſed confirmauit; Audiſtis, inquit, quia dictum eſt antiquis, &c. Ego autem dico, &c. explicat hæc omnia ſigillatim Apoſtolica doct. 89.c.

Matth.5. Beati eſtis cùm exprobrauerint vobis,&c. tentationem eſſe hanc,qua Deus ſuos,quos probat,tentat,& pertinere ad eos,qui quia Chriſtianè viuunt, ab infidelibus perſecutionem patiuntur; nō enim tentatur à Deo, qui reprobus,& malus eſt, 10.b.

Matth.5. Si quis te percuſſerit in dexterā maxillam,præbe illi alteram, pertinere hoc præceptum ad viam vitæ quæ eſt ſecundum naturam, 95.b.& c.

Matth.5. Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos, & iniuſtos,&c. non incurrere periculum iuſtos, quòd cum peccatoribus miſti ſint, debereq́ue cum ipſis communicare ſermones exhortatorios inſtar ſolis, & pluuiæ, c. 14.& 15.

Matth.5. Si offers munus tuū, & recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te,&c.quia reſponderi ſolet,ego habeo aduerſus illum aliquid, veniat ad me,& ego ignoſcam; huic dicit Apoſtolica doctrina, ſi ille non facit, fac tu propter te ipſum, & ſtude propter Deum,vt fratri ignoſcas, 37.c.

Matth.5. Si frater tuus habet aliquid aduerſum te,aut tu, inquit Apoſtolica doctrina tanquam interpres Euangelii,habes aliquid aduerſus fratrem tuum,relinque ibi munus tuum,&c. ſignificat,ſubeunte ira mortali, non exaudiri orationes, 37.b.

Matth.c.6. Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra, vt ſicut Angeli vno conſenſu Deum laudant in cælis,ſic in terra homines: hæc eſt voluntas Dei in Chriſto bona, beneplacens,& perfecta, quæ in cælo fit,ſic vult, vt in terra fiat, 38.c.

Matth.6. Quo enim iudicio iudicaueritis,iudicabimini,& quo condemnatis, condemnabimini, in epiſcopos accipientes perſonam in iudicio, qui in ſeipſos pronunciāt, cùm iniuſtè faciunt iudicium in alterum, 33.a.

Matth.c.7. Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines,& vos facite illis,in hac lege, quæ contra auaritiam,iniuſtitiam,iram, & libidinem inſita eſt, quę vitia maximè in laicis dominantur, continetur ſecundum Apoſtolicam doctrinam illa altera pars, quod ab alio oderis tibi fieri, alteri ne feceris, quæ conſonat illi legi in euangelio,ex lib.1.c.1. 6.

Matth.7. Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non conſideras? peccatum fratris inſtar feſtucæ eſſe comparatum in epiſcopo cum eodem peccato ſcilicet iniuſtitiæ,quod eſt inſtar trabis, 15.b.

Matth.7. Remittite,& remittetur vobis,date, & dabitur vobis,date ſcilicet veniam erratis aliorum, 19.a.

Matth.9. Fides tua te ſaluam fecit,vade in pace,conuenire hoc in peccatorem quem ſacerdos abſoluit,dicíque ei hoc à Domino per ſacerdotem, 18.a.

Matth.5.Diligere inimicos, & orare pro perſequentibus, & benedicere maledicentibus,inſitum eſſe naturæ,& ad illam legem naturalem referri, quod ab alio oderis tibi fieri, alteri ne feceris, pertinereq́ue ad confirmationem decalogi,in quo erat,diliges proximum tuum,lib.1.c.1. & c.2.pag.6.

Matth.6. Cùm facis eleemoſynam,noli tuba canere ante te:non canit tuba ante ſe, qui celat nomen ſuum, qui autem non celat,canit,& ſcit ſiniſtra,quod facit dextra. itaque ſignificat beneficium datum nō eſſe iactandum, nec oſtentandum, 50.b.c.

Matth.6.Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, pertinere hunc locum ad duas vias,alteram vitæ,alteram mortis, quæ inter ſe diſcrepant,illa eſt ſecundum naturam,hæc aduenticia,& accerſita, 95.c.

Vt iam duobus dominis ſeruire non ſit aliud, quàm duas vias ambulare,vitę,& mortis,quas poſuit Deus ante faciem hominis,vt ait Ier.21.quod impoſſibile eſt.huc etiam pertinet illud 3.Reg.18. vſquequò claudicatis in duas partes, &c.

Matth.9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, dici hoc à Domino per ſacerdotem ei qui ex paralyſi peccatorum ægrotat,cùm eum abſoluit ſacerdos, 18.a.

Matth.10. Intrantes domum ſalutate eam dicentes, pax huic domui,&c. ſignificare benedicendum eſſe omnibus,quia ſcriptum eſt,benedicens tibi,benedictus eſt,& maledicens, maledictus, Gen.12. eodem enim ſpectant hæc, 50.c.

Matth.12.Qui non colligit mecum, diſpergit, in eum cōpetere,qui committit, vt anima quæ per pœnitentiam ſtudio & cura eius alioqui ſaluari potuiſſet, interierit tamen, 39.a.

Matth.13.In parabola de grano ſinapis,Eccleſia catholica eſt illa arbor magna,vt ex cap.1.lib.1.de conſtitut. p.a. intelligi poteſt, vbi Eccleſia catholica vocatur plantatio Dei,id eſt,arbor à Deo ſata.

Matth.12. Qui non eſt mecum,contra me eſt,& qui non cōgregat mecum, ſpargit, non ſolum de ſacerdotibus dictū eſſe,ſed de laicis,conueniréque in eos hoc cùm deſinunt frequentare Eccleſiam, 41.b.

Matth.3.Aure audietis,& non intelligetis, videntes videbitis, & non perſpicietis, in Iudæos dictum eſt ab Eſd. c.6.quia,vt ait Apoſtolica doctrina,cùm aſpexiſſent,deſpexerunt,& cùm audiſſent,non obedierunt,idcirco,inquit,cognitione priuati ſunt, & cæcitate affecti, 70.a.

Matth.9. Non opus habent medico qui bene habent, ſed qui malè, valere ad cōmunicandum licitè extra diuina cum excōmunicato propter vtilitatem animę eius,31.b.

Matth.16. Si quis vult venire poſt me,veniat,ſic Apoſtolica doctrina paraphraſticè legit,exprimens ſententiam, vt perinde ſit quaſi diceret,ſi quis vult venire,veniat, & tollat crucem,&c. ſignificat,in nouo teſtamēto non cogi hominem metu ſupplicij præſentis ad ſeruandam legem,vt in vetere;non enim in hoc ſæculo, ſed in altero punitur non obediens, 88.a.

Matth.15. Non quod intrat per os,coinquinat hominem, &c. huc pertinet quod ait Apoſtolica doctrina, nihil ſcilicet natura ſua inquinare poſſe animam hominis præter ſolam impietatem in Deum, aut legis violationem,& iniuſtitiam aduerſus proximū,&c. in eo autem quod Scribæ,& Phariſæi obiiciebant de non lotis manibus,cùm panis manducabatur, non erat legis violatio, 92.a.

Matth.7. Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. De hæreticis admonuiſſe hic Dominum, & de eiſdem dixiſſe, ſurgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & decipient multos. Hos enim tegere pelle ouium lupos,quia nomine Chriſti Chriſtum,& nomine Moyſis Moyſem oppugnant, 82.c. & 83.a.

Matth.19. Propter hoc relinquet homo patrem,& matrē, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam, prohiberi hic eiicere vxorem innocentem, id eſt, non ream,& eodem pertinere illud in Prouerb. 19.à Domino aptatur vxor viro.& Mala.2.cuſtodies ſpiritū tuum,

& vxo-



& vxorem adoleſcentiæ tuæ ne derelinquas, quoniam ipſa particeps vitæ, &c. 83.c.

Matth.15. Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus,eradicabitur,ſynagogam, id eſt, Eccleſiam malignantium Iudæorum vocat plantationem non Dei,ſicut plantationem Dei vocat ipſam Eccleſiam Catholicam Apoſtolica doctrina,lib.1.c.1.a.

Luc.10. Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem,non fuiſſe lapſum corporeum,non enim eſt corporeus diabolus,ſed lapſum ab ſplendore gloriæ in dedecus inſtar fulguris, quod fulgorem, & coruſcationem erūpendo è nube amittit,ex Apoſtolica doctrina,125.c.

Luc.11. Væ vobis legisperitis, qui tuliſtis clauem ſciētiæ, & ipſi non introiſtis,ſcilicet ad denunciandum populis, quibus epiſcopi præſunt, voluntatē Dei, ipſi enim ſunt receptacula verbi Dei, & præcones eius, & voluntatis Dei denunciatores, 33.b.

Luc.15. In ſe autem reuerſus dixit,&c. dixit autem pater ad ſeruos ſuos, Citò proferte, &c. exemplum epiſcopo recipiendi pœnitentem poſt fructus pœnitentiæ oſtenſos in Eccleſiam ad communionem orationis, 31.c.

Luc.15. Proferte ſtolam primam, & induite illum,& date annulum in manu eius, &c. ſignificare non ſolum pœnitentes à Deo recipi, ſed in priorem gradum dignitatis reſtitui teſtimonio Dauid,cùm dixit poſt peccatū, & pœnitentiam eius,Redde mihi lętitiam ſalutaris tui, 32.a.

Luc.18. Verumtamen filius hominis veniens putas inueniet fidem in terra? propter multitudinem, & difficultatem hæreticorum,qui prope extremum ſæculi vēturi erant,dictum eſſe hoc à Domino, ſicut illud etiam, quia multiplicabitur iniquitas, refrigeſcet charitas multorum,& illud ibidem, venient pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ,&c. 85.c.

Lucæ 21. Capillus de capite veſtro non peribit, ſignificat futurum eſſe, vt integri, & incorrupti reſurgamus omnes: ſiquidem Deus potentia excitabit nos, quia vniuerſum manu Dei continetur, 62.c.

Lucæ 21. Duo æra minuta,quadrantem eſſe, 47.c.

Lucæ 22. Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit, diuinationem loco prophetiæ requirebant, 68.b.

Lucæ 22. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua,cùm pro fide Petri orauit,ne deficeret,pro fide Apoſtolorum qui erant Eccleſia, & pro fide Eccleſiæ ſimul orauit,quam Petrus tanquam fundamentum eius firmat.ex Apoſtolica doctrina elicitur hæc ſententia,77.c.

Ioan.5. Scrutamini ſcripturas,quoniam ipſę teſtimonium perhibent de me, monuit interpretandam eſſe veterem ſcripturam vt conſonaret cum doctrina Chriſti, quantum per ſe,tum per Apoſtolos tradidit, 8.a.

Ioan.6. Nunquid & vos vultis abire? docemur hic, vt Apoſtolica doctrina interpretatur, non eſſe nos iam ſub lege ſeruitutis,ſed in lege libertatis, id eſt, non punire Euangelium præſenti morte non obedientem legi, ſed in futurum ſæculum reſeruari ſupplicium, eodémque pertinere illud,ſi quis vult venire poſt me, veniat, ſcilicet,& tollat,&c. 88.a.

Ioan.7. Iuſtum iudicium iudicate, dictū eſſe ſacerdotibus, & non laicis, 29.c.

Ioan.10. Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis,quomodo hoc pro peccato alterius quodammodo facere debeat epiſcopus paſtor ſui populi;& illud, mercenarius autem videt lupum venientem,id eſt, diabolum, 17.c.

Ioan.12. Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum,ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è ſynagoga non eiicerentur,dilexerūt enim gloriam hominis magis quàm gloriam Dei,quia non crediderūt ad ſalutem, ſiquidem corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem; idcirco Apoſtolica doctrina dicit illos non credidiſſe metu principum ſacerdotum,vnde intelligimus, cùm Euangeliſta dicit illos credidiſſe,intelligēdum eſſe credidiſſe inutiliter, & fictè, id eſt, non ſincerè,& perfectè, quod perinde fuit, vt ſi non credidiſſent;qui enim ſic credit,fidem quam habet, non videtur habere, 62.a.

Ioan.15. Cùm accepiſſet linteum,præcinxit ſe,&c.demōſtraſſe hoc exemplo,qua charitate fratres inter ſe alij in alios eſſe debeant, vt non pudeat humiliter ſe abiicere ad ſeruiendum egentibus propter Deum, 53.c.

Ioan.13. Si hæc ſcitis,beati eritis ſi feceritis ea, de iis dicit, quæ ad legem naturalem decalogi pertinent,quò etiam illud ſpectabat quod proximè dixerat,vos debetis lauare alter alterius pedes,& illud,exemplum enim dedi vobis,vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis, 90.b.

Ioan.13. Cùm ergo accepiſſet buccellam, exiuit continuò, buccellam vocat panem illum intinctum, quem dedit Dominus inter cœnandum Iudæ antequam corpus ſuum diſcipulis daret,quo pane intincto accepto,continuò exiuit,vt Ioannes teſtatur; abſente ergo Iuda cōmunicarunt diſcipuli, 68.a.

Ioan.17. Manifeſtaui nomē tuum hominibus,opus quod dediſti mihi,perfeci,hoc dixit,cùm gratias ageret pro ſalute eorum qui crediderant, 117.c.

Ioan.19.Videbunt quem transfixerunt, videbunt ſcilicet, cùm venerit Dominus ad iudicandum, 72.a.

Ioan.19. Non habemus Regem niſi Cæſarem; cùm hæc dixerunt Iudæi,ſeruitutem ſibi attraxiſſe, vt à Romanis conferre tributum cogerentur, & legibus ſuis vti eis non liceret, 90.c.

Ioan. Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus traxerit eum, docente ſcilicet Spiritu ſancto, 25.b.

Ioan. xj. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani,& tollent noſtrum locum, & gentem,propheraſſe hic Iudæos nolentes, ſiquidem gentes in eum crediderunt; & Romani ipſos poteſtate, & cultu legis priuauerunt, 90.c.

Act.8.Date & mihi hanc poteſtatem,Petro,& Ioanni hoc dixit Simon, 56.b.

Act.8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem, in eum cōuenire,qui cùm ſit impius, & nolit recedere à peccato, audet oblationē afferre Eccleſiæ,vt pro eo oretur, 56.c.

Act.15. Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, ſanguine & ſuffocato, & fornicatione,Apoſtolica doctrina interpretatur prohibita fuiſſe hæc tria,idolothytum,ſanguinem,& ſuffocatum, quatenus erant immolaticia,quia non dixit,vt abſtineatis vos à contaminatione idolothyti,ſed à contaminationibus gentium, idolothyto,ſanguine,& ſuffocato,ergo in contaminationibus Gentilium erāt cum idolothyto ſanguis, & ſuffocatum, ſcilicet propter cultum Deorum quibus habebantur ſacra,ſanguis,& ſuffocatum, 82.b.

Act.15. Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit dans illis ſpiritum ſanctum ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum, Cornelium,& domum eius ſignificat, de quibus narraſſe iterum Petrum in illo concilio quæ acciderant,& quę idem Petrus prius Hieroſolymitanis illis qui cum eo diſcrepabant,c.11. Act.narrauerat,Apoſtolica doctrina teſtis eſt, 81.a.b.c.

Act.19. Multi eorum qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros ſuos,&c. huc pertinet Apoſtolica doctrina,quæ vetat,ne quis ſit incantator, nec auguretur, neque diſcat prauas diſciplinas, illas dicit, quæ ad idolorū cultum, & ſuperſtitiones ducunt, quæ Lucas vocauit curioſa.de quibus fuerunt libri illi combuſti, 97.c.

Act.20. Beatius eſt magis dare, quàm accipere; ſumptum eſt ex traditione Apoſtolica de eis qui dant operam vt nulli ex fratribus ſint graues, ſuppeditando ſibi labore, & induſtria ſua, 54.b.

Rom.1. Non erubeſco Euangelium: euangelium erubeſcit,quem pudet crucis,& paſſum, ac mortuū eſſe Chriſtum,inglorium & inhonoratum eſſe putant, 91.a.

Rom.2. Ignoras, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? hoc eſt,quod Apoſtolica doctrina ait, parcis verò peccantibus, eos ad pœnitentiam prouocans. ex tuis enim miſerationibus exiſtit admonitio, 107.c.

Rom.2. Nomen enim Dei propter vos blaſphematur inter gentes,in eos etiam conuenire, qui ſine experientia, & ſcientia,ac peritia verbi Dei,dogmata ſcripturæ S. vt de incarnatione,vel paſſione gentilibus exponunt,46.b.

Rom.8.

Rom.8. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato, vt enim mortui peccatum operari deſierunt, ſic Chriſto commortui non dant operam peccato, 10.a.

Rom.9. Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, perinde eſt, ac ſi diceret; ſi fieri poſſet, pro veſtris peccatis, tanquam ſi propria eſſent, fierem anathema à Chriſto, modò conuerteretis vos ad Deum. elicitur hęc ſententia ex Apoſtolica doctrina, 17.c.

Rom.12. Vt probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, ſcilicet, vt nullus pereat, quin potius omnes ei credant, & eum per fidem, & bona opera laudent, vt hæc facientes in ſempiternum viuant, 38.a.

Rom.12. Non alta ſapientes, humilibus conſentientes, & Gal.5. Nolite effici inanis gloriæ cupidi, & Philip.2. nihil per contentionem, nec inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, ad iſta omnia pertinet Apoſtolica doctrina, quæ præcipit, non eſſe auidum gloriæ, nec elato animo, nec alta ſapere. ex his enim omnibus exiſtere arrogãtias, exemplum verò eſſe Dauid huius virtutis, Pſ.130. cùm ait, Domine non eſt exaltatum cor meum, &c. 97.c.

Rom.12. Qui tribuit in ſimplicitate, huc pertinet quod ait Apoſtolica doctrina, velle patrem cæleſtem, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, vt omnibus tribuamus, 95.c.

Rom.13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; Non enim eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autẽ ſunt à Deo ordinatæ ſunt; in eo quod ait, non eſſe poteſtatẽ niſi à Deo, & quæ ſunt poteſtates, à Deo ordinatas eſſe, ſignificat, quòd prius præcepit ſubditos eſſe omnes poteſtatibus, intelligendum eſſe in iis quæ Deo placent, idcirco etiam addidit, tanquam miniſtris Dei, 58.a.

Rom.14. Omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat; & paulò pòſt, qui autem diſcernit, ſi manducauerit, damnatus eſt; iſta omnia declarat Apoſtolica doctrina, quæ dicit, neque tale quoddam genus cibi animam hominis inquinare ſcilicet natura ſua, præterquam ſolam impietatem in Deum, & legis violationem & iniuſtitiã aduerſus proximum, p.92. Qui autem diſcernit, & manducat, iam legem, quantum in ſe eſt, violat, ſiquidem diſcernit tanquam legẽ vetitum cibum, & iniuſtitia eſt in fratrem; ponere ei offendiculum, & ſcandalizare.

Rom.7. Et inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, de mandato dicit quod erat datum Adæ, vt per obedientiam vitam immortalem obedientiæ præmium reportaret, ex Apoſtolica doctrina, 130.

1.Cor.2. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent, non cognouerunt, quia non crediderunt eſſe eum Chriſtum Dei ex ipſo natum ante omnia ſæcula, propter malum animum, & infidelitatem. ſic enim factum eſt, vt priuarentur cognitione, & cæci fierent, vt nec ex operibus, nec ex prophetiis eum agnoſcerent, 70.a.

1.Cor.2. Si enim cognouiſſent, nunquam crucifixiſſent, priuati ſunt cognitione, quia cùm aſpexiſſent, deſpexerunt, & cùm audiſſent, non obedierunt, 70.a.

1.Cor.6. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt, id eſt, in nullo alio peccato præterquam in fornicatione fit corruptio corporis tota ad voluptatem ſpectans. ſic videtur interpretari Apoſtolica doctrina, 92.b.

1.Cor.12. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra, ex parte, ſcilicet, qui ſpiritu Chriſti ambulat, is eſt corpus Chriſti, qui eſt caput eius: hoc docet Apoſtolica doctrina cùm ait, in fide auctus magis in Chriſto extrueris, cuius corpus, & membrum eſt, 2.

1.Cor.12. Quotidie morior per veſtram gloriam, perinde eſt, ac ſi diceret, ita poſſim gloriari de vobis in Chriſto, vt veſtris peccatis tanquam mea eſſent, quotidie præ dolore morior. ait enim Apoſtolica doctrina, ſic etiam vos Epiſcopi populi peccata vobis attribuere, & veſtra ducere debetis, dictum eſt enim de Saluatore noſtro, hic peccata noſtra portat, & pro nobis dolet, 23.c.

1.Cor.9. Non alligabis os boui triturãti, quomodo, & quatenus liceat operariis Eccleſiaſticis vti bonis Eccleſiæ, & mercede ſua ſcilicet moderatè cùm iuſtitia, ac charitate, 33.a.

1.Cor.3. Ego plantaui, Apollo rigauit, de baptiſmo intelligendum eſſe, quæ eſt myſtica quædam irrigatio, qua fit noua creatura, & de catechizatione, quę antecedit, quę conſtat ex repurgatione vitiorum inſtar extirpationis ſpinarum, & ex ſatione dogmatum, docet Apoſtolica doctrina, 113.a.

1.Cor.10. Nolo autem vos fieri ſocios dęmoniorum, id eſt, nolo vt comedendo idolothytum, quod immolatur ad honorandos dæmones, & ad contumeliam Deo inferendam, vos quoque contumeliam Deo inferatis, ſicut dæmones, quibus ſacrificatur. ex Apoſt. doctr. 100.a.

1.Cor.14. Prophetæ duo, aut tres dicant, & cæteri diiudicent, de presbyteris, qui ſunt doctores verbi Dei, intelligendum eſſe, qui ſingulatim duo, aut tres populum hortari debent, vt poſſint commodius exercere munus hortandi, & docendi in Eccleſia, 40.a.

1.Cor.6. Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, qui iudicia habetis inter vos, quare non magis iniuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini, ἥττημα eſt Græcè, quod delictum vertit interpr. ſignificat vinci tentatione eum qui mauult cũ fratre litigare, quàm damnum pati, declarat hunc locum Apoſtolica doctrina, cũ ait, ſin autem alicuius opera, aut tentatione quapiam factum fuerit, vt lis incidat fratri, det operam vt dirimatur, quamuis opus ſit aliquid damni facere, 34.b.

1.Co.11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, perinde eſſe hoc, ac ſi diceret, Ego enim accepi à Domino myſterium noui teſtamẽti, quod & tradidi vobis, videtur intelligi ex Apoſtolica doctrina, quæ ait ex perſona Chriſti, hoc eſt myſterium noui teſtamenti, accipite ex eo, & comedite; hoc eſt enim corpus meum, &c. 132.c.

1.Cor.10. Vnus panis, vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane participamus, quod ex multis granis diſperſis factus eſt vnus panis, qui poſtea in corpus Chriſti per conſecrationem mutatur, admonet, vt precemur Deum, vt ſic congreget Eccleſiam in vnum corpus ſuum, & regnum, 102.c.

1.Cor.6. Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat; intelligi poteſt hic locus ex eo quod ait Apoſtolica doctrina, ſcortatio corruptio eſt proprij corporis, quæ non adhibetur ad generationem filiorum, ſed tota ſpectat ad voluptatem, quod eſt indicium incontinentiæ, 92.b.

1.Cor.12. Quoſdam quidem Deus poſuit in Eccleſia primum quidem Apoſtolos, ſecundo prophetas, tertio doctores, presbyteros intellexit, qui ſunt doctores cognitionis Dei, 25.b.

1.Cor.11. Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, id eſt, myſterium noui teſtamenti eſt in meo ſanguine, ex Apoſtolica doctrina, 132.c.

1.Cor.12. Æmulamini chariſmata meliora, illa ſcilicet ſunt meliora, quæ non ad vtilitatem aliorum tantum ſola Dei voluntate dantur, vt chariſma miraculorum, & alia eiuſmodi, ſed ad ſalutem propriam non ſolum auxilio, & gratia Dei, ſed noſtra etiam charitate, & ſtudio adhibito, vt chariſma iuſtitiæ, & fidei, ex Apoſtolica doctrina, 118.b. & 119.a.

1.Cor.14. Itaque linguæ in ſignum ſunt, non fidelibus ſed infidelibus, id eſt, miraculum loquendi linguis, ſicut & cætera miracula, nõ fit ad vtilitatem eorum fidelium qui miraculum ipſum faciunt, ſed vt infideles ad fidem adducantur, 118.a.

1.Cor.15. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, ſignificare quod ait Apoſtolica doctrina ſanctos, qui propter Deũ cæſi ſunt, partim tanquam aſtra claros, partim tanquam luminaria ſplendidos futuros, ſicut Gabriel Danieli c.12. aiebat, 65.a.

1.Cor.7. Vnuſquiſque donum habet, alius ſic, alius verò ſic, huc pertinet quod ait Apoſtolica doctrina, diuerſa enim ſunt chariſmata, id eſt, dona; tu quidem accepiſti hoc, ille verò aliud; aut enim chariſma ſapientiæ, aut cognitionis, aut præcognitionis futurorum, aut chariſma docendi, aut tolerantiam malorum, aut continentiam legitimam, 119.a.

1.Cor.15.


INDEX.


1.Cor.15. Quotidie morior per gloriam noſtram quam habeo in Chriſto Ieſu, ſi ſecundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui nõ reſurgunt. Apoſtolica doctrina hæc explanat magis, quia compertum hoc habemus ſcilicet de reſurrectione, idcirco & verbera, & mortes, & perſecutiones ſuſtinemus: hoc erat quotidie mori. & ſubiungit, ſiquidem fruſtra iſta ſufferremus, niſi hæc nobis conſtarent quæ prędicamus, 64.b.

1.Cor.11. Omnis autem viri caput Chriſtus eſt, viri ſcilicet in via iuſtitiæ incedentis, 2.c.

1.Cor.7. Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, quæ ſint iſta in quibus ſollicitum eſſe oportet maritum, vt placeat vxori, quę Paulus non improbat, exponit Apoſtolica doctrina & conſtitutio, lib.1.c.2.p.6.

1.Cor.3. Ego plantaui, Apollo rigauit, Dominus autem incrementum dedit; docere, & baptizare ſunt quoddam ſeminare, & rigare, docendo enim & baptizando Eccleſia Catholica ſata eſt, ſicut Dominus in Euãgelio dixit, euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Hæc eſt arbor illa in parabola de grano ſinapis, quæ tantum incrementum accipit à Domino per fidem verbi Dei quæ ad inſtar grani ſinapis parua, & vilis videtur, ſed ſata in corde, magnam vim habet. confirmat hæc Apoſtolica doctrina, quę Eccleſiam catholicam arborem à Deo ſatam vocat, lib.1.c.1.p.a.

2.Cor.13. An non cognoſcitis voſmetipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt, niſi fortè reprobi eſtis. huc pertinere poteſt quod ait Apoſtolica doctrina, ſpiritum ſanctum ſemper apud eos permanere, qui eum receperũt, quamdiu ſe eo dignos præſtant. & paulò pòſt ibidem, quicũque verè baptizatus eſt, à ſpiritu diaboli ſeparatus eſt, & intra ſanctum ſpiritum conſiſtit. 91.c.

2.Cor.4. Habemus theſaurum iſtũ in vaſis fictilibus, &c. Theſaurum vocat illam, quam dixerat, illuminationem ſcientiæ gloriæ Dei in facie Chriſti, quam Apoſtolica doctrina vocat illuminationem glorię Euangelij, quam accipit martyr, cùm ſic illuminatus à Deo pro gloria Euangelij martyrium forti, & inuicto animo alioqui infirmus & fragilis patitur, 58.c.

Huc pertinet illud ad Heb.c.10. Rememoramini dies priſtinos d.pr. in quibus illuminati, magnum certamẽ ſuſtinuiſtis, &c.

2.Cor.2. Ne fortè abundantiore triſtitia abſorbeatur qui eiuſmodi eſt, incidere præ immoderato dolore εἰς ἀφροσύνην, id eſt, in amentiam, interpretatur Apoſt. doct. 31.c.

Gal.5. Ego autem fratres, ſi circunciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior? Vtinam & abſcindantur qui vos conturbant. de iſtis ait Apoſtolica doctrina, partim aiebant puris ſecundum legem cibis veſcendum, item circumcidendum ex lege, credendúmque in Ieſum tanquam in virum ſanctum, & prophetam. hæc erat cauſa cur circumciſionem illi pſeudoapoſtoli prædicarent, quia non credebant Ieſum, quẽ Apoſtoli prædicabant, eſſe filium Dei, 79.c.

Gal.4. Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Chriſtus in vobis. hæc eadem tribuit Eccleſiæ Apoſtolica doctrina, eccleſiam enim ait parturiſſe nos per verbum gratiæ, & in nobis Chriſtum formaſſe, 43.a. ſcilicet quia Epiſcopus eſt in Eccleſia, & Eccleſia in epiſcopo, vt ait beatus Cypr.

Gal.5. Fructus ſpiritus lõganimitas, &c. hanc longanimitatem habere præcipit Apoſtolica doctrina, & ad eam retulit quod ait Salom. in Prouer.14. Longanimis multa prudentia præditus eſt; rurſus verò, qui paruo & anguſto animo eſt, inſigniter imprudens eſt. & paulo antè dixit, paruo animo eſſe ad blaſphemiam ducere, 97.c.

Gal.6. Pax ſuper eum, & ſuper Iſraël Dei, Apoſtolica doctrina Eccleſiam in terris ex gentibus collectam dicit eſſe Iſraël Dei, 108.a.

Eph.4. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patiẽti, huc pertinere illud, honora Deum ex iuſtis laboribus tuis, Prou.4. 29.c.

Eph.4. Quoniam ſumus inuicem membra, Apoſt. doctrina ſic ait, quòd ſi vos ſorores, ac filiæ, & membra noſtra, 6.a.

Epheſ.4. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis, vt habeat vnde tribuat neceſſitatem patienti. ſimilis admonitio in Apoſtolica doctrina adoleſcentibus, vt laborent operãdo manibus ſuis, 43.c.

Eph.6. Et vos domini eadem facite illis remittentes minas, ſcientes quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cælis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum. ſignificat quòd quamuis dominus præſtet ſeruo dominatu, tamen quatenus homo eſt, & frater in Chriſto, ſi vterque Chriſtianus eſt, æqualitatem eſſe, & Deum non eſſe acceptatorem perſonarum, vbi æqualitas earum eſt, 57.c. 58.a.

Eph.4. Neque nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos, aut turpitudo, aut ſtultiloquiũ, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent. complexus eſt Apoſtolus cùm dixit quæ ad rem non pertinent, alias ſpecies iſtis affines, quas Apoſtolica doctrina notat, cùm ait, monemus, vt fugiatis ſermonum vanitates, turpitudinẽ, ebrietates, laſciuias, fractos motus, intemperatas ſaltationes, & dicta ſcurrilia. 66.a.

Eph.5. Vt exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; Eccleſiæ, quæ nunc eſt in terris, hæc tribuit Apoſtolica doctrina, cùm ait, cuius facti participes ſacra membra eſtis electa, non habentes maculam, aut rugam, 43.a.

Eph.5. Vt exhiberet ſibi glorioſam ſponſam non habentem maculam, neque rugam, &c. hanc dicit Apoſtolica doctrina eſſe corpus ex membris ſanis conſtans, quæ in Deum in metu Domini, & charitate credunt, & inde eiiciendos eſſe eos qui ſunt partes Eccleſiæ Eccleſiam fœdantes, & turbantes inſtar partium corporis, quæ hyperſarcomata dicuntur, & ſunt: has vocauit Apoſt. maculas, & rugas, 33.c.

Eph.6. De ſeruis, ſeruientes tanquam Domino, & non hominibus, id eſt, tãquam repræſentãtibus Dominum, Apoſtolica doctrina, 99.a.

Philip.3. Eadem vobis ſcribere, mihi quidem nõ pigrum, vobis autem neceſſarium, quid vtilitatis afferat eadẽ repetere, & cur neceſſarium, cum exemplis ſcripturæ de repetitione, 9.c.

Coloſſ.c.1. Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, hoc eſt, quod recitando ſymbolum fidei ad baptiſmum, qui lumen dicitur, profitemur credere in regnum cælorum, id eſt, in communionem ſortis ſanctorum, quam habent in regno cæleſti, 114.

Coloſſ.2. Nemo vos iudicet in cibo, & potu, &c. Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & religione angelorum, &c. licet hunc locum intelligere ex eo quod illis hæreticis ait Apoſtolica doctrina, 91. quos enim Paul. Angelos illic vocat, credo quod Apoſt. doctrina interpretatur dæmones incorporeos, qui ſunt angeli mali.

Coloſſ.2. Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut ſabbatorum, quæ ſunt vmbra futurorum; huc pertinet Apoſtolica doctrina, quæ cùm hæreſes Apoſtolici temporis notat, ait, partim eorum aiebant abſtinendum eſſe ſuilla, puris autem ſecundum legem cibis veſcendum, 79.c.

1.Theſſ.5. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus, & anima, & corpus ſine querela in aduentu Domini noſtri ſeruetur. quæ hic dixit ſpiritum, animam, & corpus, dixit Apoſtolica doctrina mẽtem, ſermonem, & actionem, his enim tribus oportet Deo viuere, vt in libro viuentium numeremur, pro quo videtur Paulus dixiſſe, ſeruari integros in aduentu Domini, 112.b.

1.Theſſ.5. Ab omni ſpecie mali abſtinete, hoc eſt quod Apoſtolica doctrina præcipit fugere omne malũ, & quicquid ſimilitudinem mali habet, 97.b.

2.Theſſ.5. Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum. huc pertinet quod ait Apoſtolica doctrina, honorabis eum qui ſermonem Dei loquitur tibi, memor eius eris die ac nocte, honorem autem habebis non

tanquam

tanquam ortus tui auctori, ſed tanquam effectori tui boni ſtatus, idcirco Paul. iubet abundantiùs habere eos in charitate, 98.a.

1.Tim.2. Vt vitam tranquillam, & quietam agant in omni pietate & honeſtate: hoc enim bonũ eſt, & acceptum corã Saluatore noſtro, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hæc ſcilicet eſt voluntas Dei bona, beneplacẽs, & perfecta, quam Paul. Roman.12. dicit, & Apoſtolica doctrina interpretatur, 38.a.

1.Tim.2. Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, &c. Apoſtolum loqui de orationibus quæ ab Eccleſia, & à ſacerdote ad altare adhibentur, intelligi poteſt ex Apoſtolica doctrina, 128.a.b.c.

1.Tim.3. Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus, id eſt, difficile onus deſiderat, ne enim, inquit, facile & leue pondus epiſcopatum eſſe putetis, oportet enim Epiſcopum omnium ſcopum eſſe, ſicut Chriſtus epiſcopi ſcopus eſt, 23.c.

1.Tim.3. Non bilingues, quinam ſint tales, exponit Apoſtolica doctrina, cùm ait, non licere eſſe duplicis linguæ aut duplicis mentis, quia ſcriptum ſit, fortis laqueus viro propria labia, ergo qui inconſtans eſt, is eſt duplicis linguæ, ſiue bilinguis, qui nunc ait, nunc negat, is enim non vnam linguam, & mentem fert, 97.a. Bilinguis quoque eſt, qui reuelat conſilia, Pro. xj. & Prou. 26. Os patens facit inconſtantiam.

1.Tim.4. Spiritus autem manifeſtè dicit, quòd in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorũ in hypocriſi loquentium mendacium, prohibentium nubere, & abſtinere à cibis, &c. huc pertinet Apoſtolica doctrina, cùm ait, partim hæreticorum docere non eſſe nubendũ, eſſéque à carne abſtinendum, & vino, vt tanquam venerandi quidam ſententiam ſuam peruerſam quaſi auctoritate dignam approbari facerent, 79.c.

1.Tim.5. Curioſæ, & verboſę, loquentes quę non oportet, de viduis dicit. quæ illa verò curioſitas ſit, & quomodo loquantur quæ non oportet, licet intelligere ex Apoſtolica doctrina de viduis, quæ ſecundum Dei mandatum viuere cùm nolunt, curam habent ſciſcitandi curioſè, quæ illa quæ dedit, & quæ illæ aliæ quæ acceperunt, & queritur de illa quæ aliis dedit, & loquitur quæ non oportet, 50.c.

1.Tim.4. Omnis creatura Dei bona eſt; & nihil reiiciendũ, quod cum gratiarum actione percipitur. huc pertinet quod ait Apoſtolica doctrina; id omne quod ad ſuſtẽtandum corpus iuſtè ſumitur, optimum eſſe. quod Apoſt. dixit ſumi cum gratiarum actione, dixit hic Apoſt. doctr. ſumi iuſtè, 80.b.

1.Tim.5. Damnationem habentes, quia primam fidem irritam fecerunt, fidem vocaſſe promiſſionem caſtitatis, quam fecerunt, docet Apoſtolica doctrina, 44.b.

1.Tim.5. Teſtor coram Deo, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando, de iudicando accuſatum loquebatur. quod illic vocat πρόκριμα id eſt, præiudiciũ, vocat Apoſtolica doctrina hic πρόληψιν, id eſt, anticipationem iudicij; & quod illic vocat Paulus πρόσκλισιν, id eſt, inclinationem, dicit Apoſtolica doctrina iudicare μονομερῶς, id eſt, iudicare vnius tantum partis ratione habita, 35.b.

1.Tim.5. Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: presbyteris ſi aſſiduè in ſtudio docendi verbum Dei laborauerint, ſeponatur dupla portio ad portionem diaconorũ in honorem Apoſtolorum. 26.b.

1.Tim.5. Viduas honora quæ verè viduæ ſunt, veras viduas eſſe, quæ ſunt temperantes, pudicæ, fideles, religioſæ, &c. 45.b.

1.Tim.5. Si quis fidelis viduas habet, ſubminiſtret illis, vt non grauetur Eccleſia. ſimilis cautio eſt de adoleſcentibus, vt laborent ob eandem rationem; 43.c.

1.Tim.5. Si quis fidelis viduas habet, ſubminiſtret eis, ne grauetur Eccleſia; de viduis Eccleſiæ loquitur, quę cùm aliunde ſubſidium habent, non eſt æquum vt ab Eccleſia alantur. idcirco præcipit Apoſt. conſtit. vt viduæ laborent lanam faciendo, vt ſuppetat eis ad victum, & ad ſuppeditandum aliis, ſi fieri poſſit, 47.c.

1.Tim.5. Adoleſcentiores viduas deuita, id eſt, ne cooptentur in gradum vidualem, quod fit facto voto caſtitatis coram Eccleſia, & deinceps alendæ erant ab Eccleſia, 45.a.

Tit.1. Sunt enim multi inobedientes, &c. quam ob cauſam increpa illos durè, vt ſani ſint in fide. increpare ἀποτόμως, eſt iudicare abſcindendo, id eſt, eiiciendo ex Eccleſia, 33.a.

Heb.5. Non indigetis, vt vos doceamini, quæ ſint elementa ſermonum Dei; hæc vocat Apoſtolica doctrina, initia, & elementa Chriſtianæ religionis, quæ ad catecheſim baptizandorum pertinent, vt noſſe Deum patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, creationem mundi, regenerationem nouæ creaturæ per baptiſmum, prouidẽtiam Dei, iudicium futurum, incarnationem Domini, paſſionem, reſurrectionem, & aſcenſum in cælos, & denique ſymbolum totum, 112.b.

Heb.5. Neque quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. huc pertinet quod ait Apoſtolica doctrina, epiſcopum, aut presbyterum, aut diaconum eſſe, chariſma eſſe, quod non eſt in noſtra poteſtate, ſed penes Deum, qui tribuit chariſmata, 120.a.

Hebr.10. In altero autem ſocij taliter conuerſantium effecti, nam & vinctis compaſſi eſtis, & c. ſocios martyrum eſſe, ac martyrij participes non re, ſed volũtate, qui martyres in carcere incluſos viſitant, & adiuuant, 19.a.

Heb.10. Voluntariè peccantibus iam non relinquitur hoſtia pro peccatis, ex hac doctrina Apoſtolica intelligi voluntariè peccantes vocari hic, qui ſciuntur eſſe in peccato graui, & ab eo nolle deſiſtere, hi enim cum voluntate Dei pugnãt, quos excommunicat eccleſia, pro quibus iam excommunicatis offerre hoſtiam non poteſt, nec accipere ab eis oblationes, vt pro eis eccleſia oret, 55.b.

Hebr.10. Non deſerentes collectionem veſtram, ſicut moris eſt quibuſdam de non relinquenda frequentatione Eccleſiæ ſermonem eſſe facilè intelligi ex Apoſtolica doctrina, 41.b.

Heb.10. Non deſerentes collectionem noſtram ſicut moris eſt quibuſdam; hoc eſt illud in Apoſt. conſtitutione, ab Eccleſia Chriſti ne abſis ſurgens ad eam mane, & c. & rurſus, adi eam veſpere, vt gratias Deo agas, 29.c.

Hebr.12. Habemus gratiam, per quam ſeruiamus placentes Deo cum metu, & reuerentia: eiſdem verbis vſam eſſe Apoſtolicam doctrinam de accedendo ad gratiam ſubſtantialem quæ eſt ſancta Euchariſtia, μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας, id eſt, cũ metu, ſiue pudore, & reuerentia, 40.c.

Hebr.6. Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectionem feramur; ferri ad perfectionem, vocat, ad dogmata iſta, quorum diſciplina ad catecheſim pertinet, adiungere operationem mandatorum Dei ex fide & charitate, in quo cõſiſtit perfectio, quódque eſt ſenſus habentium exercitatos ad diſcretionem boni, & mali. hanc perfectionem qui baptizat, ei qui baptizatur, precatur, vt patefaciat ei iudicia iuſtitiæ, vt omnem viam impietatis odio habeat, ambulet verò viam veritatis; & paulò ſuprà, vt emundet eum ab omni inquinamento carnis; & ſpiritus, & quæ ſequuntur, 112.

Heb.11. Vnde eum & in parabolam accepit, hoc interpretatur Apoſtolica doctrina, quæ ait Chriſtũ fuiſſe oſtenſum Abrahæ, oſtenſum inquam in parabola, & ſimilitudine. Vnde intelligimus quod Paulus ait accepiſſe eum in parabolam, id eſt, in ſimilitudinem, Chriſti ſcilicet in ea oſtenſi, cùm propoſito patris immolatus Iſaac à morte liberatus eſt, typus Chriſti mortui, & ſine corruptione ad vitam reuocati, 131.a.

Iacob.1. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans, & paulò pòſt, vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis: huc pertinet quod ait Apoſtolica doctrina, ne ſis in precatione tua duplici animo ambigenti vtrum ſit futurum, an non; mihi enim Petro dixit Dominus in mari, Modicæ fidei, quare dubitaſti? 98.c.

Iac.1. Deus intentator malorum eſt, & neminem, malum ſcilicet, tentat, 10.b.

Iacob. 2.



Iac.2. Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureum annulum habens in veſte candida, introierit autem & pauper, &c. de ingreſſu in Eccleſiam accipiendũ eſſe, & faciendo ibi loco etiam pauperibus ſine acceptione perſonę à diacono, & feminis à diaconiſſa, 41.a.

Iac.2. Sic loquimini, & ſic facite tanquam per legem libertatis incipientes iudicari, legem libertatis vocat legem naturalem decalogi, quam idẽ Iacobus paulò ſuprà c.1. vocauit inſitũ verbum, ita eſſe intelligi poteſt ex Apoſtolica doctrina, 86.c. & 87.a.b.c.

Iac.2. Qui in vno peccauerit, factus eſt omnium reus, quia ſcilicet is qui in vno peccat, non conſeruat ſibi rectè antè facta, id eſt, qui vnum mandatum transgreditur, & ſi cætera ſeruauerit, non eum liberabunt, hoc eſt reum eſſe omnium, 11.c.13.

Iacob.5. Si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, ſcire debet, qui cõuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animã eius, & operiet multitudinem peccatorũ, hoc eſt eſſe tanquam os Dei, ſicut ait Ieremias, & hæc eſt maxima merces promiſſionis ſaluare animam ſuam, faciendo, vt proximus conuertatur. qui eduxerit ex indigno dignum, & honoratum, erit ſicut os meum, ait Ieremias c.15. 39.a.

1.Pet.2. Gens ſancta, populus acquiſitionis; ſic dicitur populus Chriſtianus, quia Deus pater illũ ſibi per Chriſtum pro nobis paſſum adiunxit, 109.a.

1.Pet.2. Regale ſacerdotium, gens ſancta, de laicis fidelibus Apoſtolica doctrina interpretatur, 24.a.

1.Pet.1. Renati non ex ſemine corruptibili, &c. deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones tanquam modò geniti infantes; Apoſtolica doctrina intuẽs in hunc locum, & eum imitans, baptizati in mortem Domini, inquit, & in reſurrectionem eius, tanquam modò geniti infantes debetis nulli peccato operam dare, 70.b.

2.Pet.2. Qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, & paulò pòſt, in corruptione ſua peribunt percipientes mercedem iniuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes dici delicias. huc pertinet Apoſtolica doctrina, cùm ait, alios docere, ſine vllo pudore ſcortandum, & carne abutendum, & omne flagitium ſuſcipiendũ, quòd hac ſolum ratione anima effugeret principes mundi huius: hi autem ſunt dæmones. ſic fiebat, quod ait Petrus de iſtis, vt dominationem contemnerent: metuebant enim dæmones, quos placare volebant effundentes ſe in omnem libidinem, & Dominum vniuerſæ carnis, & ſpiritus contemnebant, 79.c.

2.Pet.1. In pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem, intelligi hoc poteſt ex eo quod ait Apoſtolica doctrina, defenſores pietatis, ſiue religionis, non debere pudere exemplum Domini imitari, cùm lauit pedes diſcipulorum, vt ſic diligant fratres, vt eis, cùm infirmi ſunt, miniſtrent ac ſeruiant, quæ eſt dilectio fraterna, idque propter Deum, & non propter hominem, quæ eſt charitas in dilectione fraternitatis, 53.c.

2.Pet.2. Aſpectu enim, & auditu iuſtus erat, de Lot dicit, qui non erat iniector oculorum, nec turpes ſermones audiebat, neque loquebatur, vnde ait Apoſtolica doctrina fornicationes & adulteria naſci, 97.c.

2.Pet.2. Lot oppreſſum à nefandorum luxurioſa conuerſatione eripuit, aſpectu enim, & auditu iuſtus erat, &c. huc pertinet Apoſtolica conſtitutio, non oportere curioſum ſpectatorem eſſe eorum qui turpiter viuunt, 3.b.

Iud.1. Angelos verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed reliquerunt ſuum domicilium; huc pertinet quod ait Apoſtolica doctrina, diabolum propter malam mentem ex ingrata memoria profectam amiſiſſe ſuam dignitatem, & maluiſſe ex archangelo fieri diabolum, 91.c.

FINIS.

# FRANCISCI TVRRIANI
## PROOEMIVM IN CANONES
### MAGNÆ SYNODI NICÆNÆ.

FVISSE alios canones in magna Synodo Nicæna editos præter xx. qui adhuc Græcè extant, quia Magdeburgenſes in Centuria 4.c.9. de Synodis negant, cæteris teſtimoniis, quæ ſunt infinita, prætermiſſis, ſatis Africani epiſcopi teſtantur: illi enim niſi hoc certum, & exploratè cognitum habuiſſent, nunquam ſic ad Bonifacium pontificem ſcripſiſſent, quia in nullo codice Græco eos reperire poſſent, deſiderare ſe vehementer, vt ex Eccleſiis Orientis opera & ſtudio ipſius Bonifacij ſibi mitterentur. de reliquis canonibus loquebantur; xx. enim iam habebant à Cyrillo Alexandrino, & Attico Conſt. miſſos, & in conc. Carth. VI. recitatos. cur autem xx. illi vbique ferè & omni tempore ſeruati fuerint, reliqui verò minus, non poteſt alia eſſe cauſa, niſi ſæpiſſimè deſcriptos fuiſſe ob maiorem eorum in Eccleſiis vſum, & neceſſitatem quàm reliquorum: quod facilè intelligi poteſt, ſiquis omnes eos inter ſe cõferat. De numero autem teſtatur Athanaſius in epiſt. ad Marcum pont. fuiſſe lxxx. qui poſtea conſilio patrum conc. Nic. in lxx. ſententias redacti fuerint. quod quidem ita facile fuit, vt lxx. ſententias, quas Zepherinus ſcribit in epiſt. 1. à ſanctis Apoſtolis conſtitutas eſſe, in lxxxv. Canones Apoſtolorum diſtribuere. Fuiſſe verò Nicænos Canones è Græco in Arabicum tranſlatos, quia teſtes habere non poſſumus, tota res ad coniecturas, & ſigna, quibus veritas illuſtrari ſolet, traducenda eſt. Coniecturæ autem capiendæ ſunt à cauſis, à temporibus, à locis, à perſonis, à Canonibus ipſis. Quis enim cum ratione dubitare poſſit, quin Alexander archiepiſcopus Alexandrinus, qui magnæ Synodo interfuit, illos ipſos Nicænæ Synodi Canones ex integro & incorrupto exemplari Græcè deſcriptos ſecum Alexandriam reuerſus attuliſſet, & in eccleſia ſua diligenter ſeruari curaſſet? Sed cùm lingua Græca non eſſet prouinciis Alexandriæ, & Ægypti, & Pentapolis vernacula, ſed Arabica, quis rurſus non iudicet ad prouidum paſtorem pertinuiſſe curare, vt Synodus Nicæna, qua, vt beatus Athanaſius ad Marcum pontif. ſcripſit, populus & clerus imbuebatur; in Arabicum ſermonem conuerteretur? Qui enim loquitur lingua, ſemetipſum, inquit, ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat. Sciebat Alexander, quod Apoſt. ait, nunc autem fratres, ſi venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut in reuelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina. Sic pont. Euariſtus cùm decretum de forma nuptias celebrandi ad Africanas eccleſias miſit, quia vulgus non intelligebat Latinam linguam, curauit, vt litteræ ſuæ Latinæ in linguam Punicam transferrentur, quas litteras prophetarum, id eſt, interpretum vocauit. Sic enim in vetuſtis, & emendatis codicibus legitur prophetarũ, & non præfectorum, vt aliàs à me notatũ eſt. Et beatus Aug. eadem ratione cùm vellet, vt ſua cum Criſpino Latina diſputatio de rebaptizatis ab eo Mappalienſibus, ab illis ipſis Mappalienſibus, qui Latinè neſciebant, intelligeretur, ſic ſcripſit in epiſt. clxxiij. Si voluntate ſua Mappalienſes in tuam communionem tranſierunt, ambos nos audiat, ita vt ſcribantur quæ dicemus; & à nobis ſubſcripta eis Punicè interpretentur. Hactenus Aug. Sed quomodo, dixerit quiſpiam, ſi Canones iſti Nicæni ex eo tẽpore Arabicè ſaltem ſeruati ſunt, non potuit eos beatus Athanaſius Alexandriæ reperire? Immo capitula Synodi Nicænæ cõbuſta fuiſſe querebatur, & dolebat? At quis ignorat in reperiendis libris ſiue ad delendum, ſiue ad ſeruandũ caſum eſſe? Si quia Arriani lxx. capitula ſynodi Nicænæ cõbuſſerunt, vbique Canones Nicæni perierũt, neque xx. quos ſemper Græcè & Latinè habuimus, & qui adhuc in omnibus eccleſiis extãt, habere deberemus. Deinde quid intereſt, vtrum hi Canones Arabici ab illis Græcis ab Alexandro ex ſynodo allatis, an ab illis à Marco pont. ad Athanaſium poſtea miſſis profecti ſint? Immo quid intereſt, curaſſe Arabicam interpretationem è Græco Alexandrum, qui

primus Canones Nicænos Alexandriam ex concilio attulit, an alium ex ſucceſſoribus eius, aut etiam alium quempiam ex epiſcopis prouinciarum Alexandriæ, quibus, vt dixi, lingua Arabica vernacula eſt? vna enim ratio & cauſa erat prophetandi, id eſt, interpretandi Arabicè, vt Eccleſia, quæ alia lingua quàm Arabica loquentem non intelligeret, ædificationem ex canonibus Nicænis acciperet. præterea, quod nos facere ſolemus, vt bonum auctorem ex Græcis vtraque lingua, & Græca, & Latina, pari diligētia cuſtodiamus, vt ſi Græcum caſu aliquo amiſerimus, Latinus ſuperſit qui iacturam compenſet: Si Latinum, Græcus. cùm ergo illis temporibus, & illis potiſſimum locis, quibus Arrius cœpit, omnem memoriā Synodi Nicænæ Arriani omni ſtudio & vigilia delere ſtuderent, quis non facilè credat, dediſſe operam epiſcopos Alexandriæ, vt Canones, & acta concilij Nicæni & Græcè, & Arabicè ſcripta cuſtodirentur? Vnde verò factū ſit, vt diutius Arabici Canones ſeruati ſint, quàm Græci, in promptu eſt ratio, quia quo notior erat tunc, ac magis familiaris Lingua Græca, vt nunc etiam, quàm Arabica, eo facilius ab hoſtibus Eccleſiæ, qui eos quærebant ad delendum, Græci, quàm Arabici agnoſci, & deleri potuerūt. ſed concedamus, rurſus dicet alius, tranſlatos fuiſſe in Arabicum canones Nicænos Græcos, vnde ſcimus, aut probamus, eſſe hos Arabicos, illos Nicænos? hic iam non caremus teſtibus, vt coniecturis tantum agendum ſit. teſtes enim ſunt tum ipſi illi Canones Græci xx. qui extant, qui in hiſipſis Arabicis feruntur; tum alij, quos antiqui patres teſtantur à Synodo Nicæna factos eſſe, quos quidem cùm in his Arabicis reperiamus, quis eos non numerabit Nicænos? Qui verò nec ex illis xx. ſunt, nec ex illis quorum teſtes habeamus Nicænos eſſe, ſi graues ſunt, immo grauiſſimi, & illa magna Synodo digni, & plerique eorum cum aliorum conciliorum Canonibus conſentientes, quis ſuppoſitos eſſe dicat? niſi aliquis faſtidioſè contentioſus, aut contentioſè faſtidioſus. Dicendum eſt iam, quis nobis hos Canones attulit, & de interprete eorum ex Arabico, vt de omnibus ratio conſtet: nam hæc etiam ſcire auebunt, qui ſunt paulo curioſiores. igitur pater Baptiſta Romanus Societatis Ieſu cùm eſſet Roma Alexandriam profectus comes Roderici Hiſpani patris Rdi. eiuſdem Societatis Ieſu à Pio IIII. cum mandatis miſſi, ex libro patriarchæ Alexand. commodato, in quo erant etiam, vt affirmabat, acta concilij hos Canones manu ſua exſcripſit, & Romam attulit: quos cùm Latinè interpretatus eſſet, & cum Domino Georgio archiepiſcopo Damaſceno natione Maronita contuliſſet, ego, qui vehementer deſiderabam, ne quid in interpretatione deſideraretur, dedi operam, vt Ioannes Senanus Alexandrinus mercator, qui eo tempore ex Melite inſula huc aduenerat, & Arabicam linguam probè nouerat, ad recognoſcendam, & emendandam interpretationem adhiberetur: & quia non parum intereſſe putabam percunctari accuratè, & ſubtiliter, quam vim hoc, aut illud verbum haberet, volui ſemper intereſſe, tametſi vt ego Ioannem intelligerem, & ille me, interprete Baptiſta opus erat. Hos Canones, & hanc eorum interpretationem diu apud me retinui, & ſuppreſſi, quòd maiore adhuc ſtudio, & induſtria limari eam cuperē. Sed cū reuerēdus pater Piſanus noſtræ Societatis Ieſu eos flagitaret, multis de cauſis, negare neque potui, neque debui, præſertim cùm in inueſtigandis magna ſollertia, & ſagacitate, & multiplici lectione colligendis actis, & Canonibus Nicænis iam diu illum laborare intelligerem. Vſus eſt ille arbitratu ſuo nō omnibus, ſed quibus pro ratione propoſiti, & inſtituti ſui viſum eſt, & ijs quidem non ſatis emendatis, & integris. Ego interim cùm magno adhuc deſiderio tenerer priorem interpretationem cum alio ſi poſſem aliquando recognoſcere, & conferre, incidi in Paulum Vrſinum neophytum natione Turcam, qui quia erat ſtudiis Arabicæ, & aliarum linguarum imbutus, & Latinè, atque Italicè mediocriter loqui didicerat, effeci quod volebam. recognita, & collata ſunt omnia, & correcta non pauca. acceſſit ad hanc recognitionem aliud exemplar Arabicum vetuſtum ex Bibliotheca pontificis Marcelli 2. quod ita cū Alexandrino conueniebat, vt planè videretur vtrumque ex eodem exemplari deſcriptum; licet in exemplari Marcelli aliquot paginas anteriores vetuſtas conſumpſiſſet. Hos igitur Nicænos Canones eo numero, & ordine, quo reperti ſunt, ex Arabico tranſlatos quia multi deſiderabant, neque laborem meum in eo negotio ſumptum, nec alienā induſtriam





in hoc ſtudio poſitā amicis, & ſtudioſis inuidere volui. erit id etiam reuerēdo patri Piſano mihi in Domino chariſſimo non ingratū modò, ſed iucundum etiam, & probatum. Vterque enim Canones Nicænos celebrare, & ſempiternæ memoriæ mandare volumus, licet partim eoſdem Nicænos numeremus, partim non eoſdem, ſed alios. in quo licuit quidem illi iudicium ſuum ſequi, & quos in epiſtola Iulij 1. & 2. Nicænos Canones legebat, in numero lxx. ſententiarum recenſere. & mihi rurſus licere exiſtimaui confiteri quidem illos Nicænos, ſed extra hanc recenſionem ponere, & dare illis locum in actis ipſis, quæ accuratiſſimè ſcripta fuiſſe teſtatur beatus Athanaſius in epiſt. de Synodis Arimini, & Seleuciæ: & Photius Conſtant. legiſſe affirmat acta Synodi Nicænæ tribus voluminibus à Gelaſio quodam ſcripta. mouit me etiam, quòd legeram Iſidorum ſiue Hiſpalenſem, ſiue alium in prologo Collectionis Canonum audiſſe quoſdam epiſcopos ex Oriente, qui affirmabant vidiſſe ingens volumen actorum Synodi Nicænæ, in quibus aiebāt iudicia querimoniarum, & definitiones, ac conſtitutiones contineri. Vbi autem iudicia & actiones cauſarum tractātur, neceſſe eſt interdum, vt leges Eccleſiaſticæ recitentur, & iudiciales ſententiæ inter actiones ipſas ſanciantur. vt in actis concilij Chalcedonenſis factum eſt; quæ illi epiſcopi ex Oriente ad exemplum actorum Synodi Nicænæ ſcripta eſſe dicebant, vt perſpici poteſt in actione. 12. vbi cauſa Baſſiani, & Stephani epiſcoporum Eccleſiæ Epheſiorum acta, & iudicata eſt, & quia contra leges eccleſiaſticas ibidem recitatas facti fuerant epiſcopi, priuati ſunt. item in actione 7. controuerſia Maximi Antiochiæ epiſcopi, & Ioannis Hieroſolymorum de parœciis dirempta eſt. Ad acta igitur Synodi Nicænæ ſemper arbitratus ſum pertinere quæ Iulius in epiſt. 1. ad Orientales in Synodo Nicæna ſtatuta eſſe teſtatur de prærogatiua Eccleſiæ Romanæ in conciliis generalibus, in prouincialibus, in iudiciis, & cauſis epiſcoporum, de appellationibus in iudiciis Eccleſiaſticis, & illa tam multa capitula, quæ idem Iulius in reſcripto contra Orientales ſumpta item ex Nicæno cōcilio affirmat, & recenſet, quæ ſunt omnia iudicialia. Immo ipſe idem Iulius pertinere quidem iſta ad acta Synodi Nicænæ, & inde ſumpta eſſe non obſcurè ſignificaſſe videtur, cùm recenſioni Capitulorum finem imponens, ſubiungit, plura de his ideo non inſerimus, ne vacuare, vilémue prædictam ſynodum facere videremur; aut faſtidiū legentibus, audientibuſque prolixa faceret epiſtola. Si quis autem de his ampliora, atque abundantiora ſcire voluerit, in ſacro noſtræ ſedis ſcrinio, & ea quæ prædiximus, inuenire poterit, &c. cùm dixit, ne vacuare, vilémue facere prædictam ſynodum videremur, profectò acta Synodi intellexit; non enim ſynodus in Canonibus tantum conſiſtit, alioqui nullæ Synodi eſſent, quæ nullos canones compoſuerunt. neque rurſus ſi totos ſiue 70. ſiue 80. canones Synodi Nicænæ Iulius recitaſſet, continuò totam ſynodum exinaniſſet, vilémue feciſſet; cùm Canones ſeparatim etiam ab actis ſynodi ferri ſoleant. Deinde cùm dicit Iulius, ſi quis his ampliora, & abundantiora ſcire voluerit, in ſacro noſtræ ſedis ſcrinio inuenire poterit, nō poteſt dubitari, quin ad acta hoc retulerit; in canonibus enim non copioſè, ſed breuiter, & ſtrictim agitur. loquitur ergo mea quidem opinione Iulius de legibus, ſiue canonibus eccleſiaſticis, quas deciſiones vocant, quæ erāt per acta, & actiones cauſarum tanquam ſanguis per venas corporis fuſus. nec enim iudiciales deciſiones aptius collocari poterant, quàm inter cauſas ipſas, & cauſarum actiones quæ in actis continebantur. Confirmat hoc quoque illud Nicolai 1. diſ. 19. c. Si Romanorum: præſertim, inquit, cùm ſynodalia geſta, inter quæ ipſi canones ſtatuti ſunt, in codice Canonum non habeantur. Hoc ipſum teſtatur etiam Theodorus Balſamon Canonum Synodorum Græcarum interpres, qui acta Concilij Nicæni legit. Is ergo explanans primum canonem ſynodi Antiochenæ in eos qui Canonem concilij Nicæni de celebratione paſchæ non ſeruant, hoc, inquit, in Canonibus Nicæni concilij non eſt inuentum, ſed in actis primæ ſynodi inuenitur. In illis actis continebatur quoque ille Canon de appellationibus, quem Zoſimus pont. Nicænum eſſe in vi. Synodo Carthag. teſtatur, qui fuerat poſt Nicænum Conc. in Synodo Sard. c. 7. renouatus. ad eadem acta referēdi ſunt Nicæni Canones de generibus nō ordinandorū, de pœnitētibus in epiſt. vi. Inno. ad Agapitū Macedoniū, & de aliis in epiſt. xxiiij. ad Synodū Toletanā, & de bigamis

*in epiſt. Ambroſij lxxxij. et ſi qui alij ſunt, de quibus auctores meminerũt, quos reuerẽdus pater Piſanus in libro ſuo de actis, & Canonibus Synodi Nicænæ diligenter, & eruditè notauit. De primo autẽ Canone ex xx. Græcis, qui in his ex Arabico deſideratur, arbitror dicẽdum eſſe, aut illud de eunuchis non ordinandis in primo ex Arabicis, de inſanis & energumenis item non ordinandis, ab interprete è Græco in Arabicum per negligentiam prætermiſſum eſſe, vt accidere ſolet interpretibus; aut illud de inſanis, & energumenis, eadem negligentia prætermiſſum in Græco ab eo qui deſcripſit. quòd verò factum eſt initium deſcriptionis Canonum à Canone de non ordinandis, valde appoſitè factum mihi videtur, vt in Eccleſiaſticis regulis illæ prius collocentur, quæ ſunt de prohibendis ordine eccleſiaſticorum, ad quos Eccleſiaſticæ regulæ, ſiue canones in primis pertinent. Alter canon eſt in Græcis xx. id eſt, xiiij, de catechumenis lapſis perbreuis, qui in his quoque ex Arabico cum illo de eunuchis deeſt; quod culpa etiam interpretis fieri potuit. reliquos Canones ſynodi Nicænæ Græcos facile eſt in his ex Arabico notare, tametſi aliquos κατ' ἐπιτομὴν Græcè, Arabicè verò eoſdem pleniores. Si quis verò ita delicatus ſit, vt quia ex Barbara lingua interpretatio Latina Canonum Nicænorum facta eſt, paruifaciendos eſſe exiſtimet, aut quia aliæ non paucæ aliorum argumentorũ, & librorũ interpretationes incertæ, ac ſine auctoritate ferri ſoleant, hanc quoque interpretationem Arabicam talem eſſe arbitretur; non puto cum eo contendendũ eſſe. quæ pacis ſunt, ſectemur, inquit Apoſtolus, & quæ ædificationis ſunt, cuſtodiamus. dicamuſque iſtis, quod idem apoſt. Theſſalonicenſibus ſcripſit, prophetias nolite ſpernere; omnia probate; quod bonum eſt, tenete. interpretationes enim in ſcriptura prophetiæ quoque licet homonymè dici conſueuerunt. Ego ita ſentio, cùm omnia, quæ in his Canonibus ſunt, rectè expenſa, & accuratè recognita erunt, nihil fortaſſe reperietur, quin probatum, & magna illa Synodo Nicæna dignum appareat. Sed ſatis hactenus præfati ſumus: reddamus iam Canones Nicænos; quibus, cùm opus eſſe viſum eſt, annotationes quaſdam adhibuimus.*

CANO-



# CANONES CONCILII NICÆNI LXXX. EX ARABICO IN LATINVM CONVERSI, ET RECOGNITI, cum quibuſdam annotationibus.

*De iis qui fuerunt inſani, aut energumeni, non ordinandis.*

IVBEMVS, vt inſanus non fiat clericus, niſi cùm ægrotauit, & opus fuit calidam medicinam facere, vnde in melãcholiam incidit, cuius inſaniæ cũ nõ ſit cauſa in ipſo, neque ſit ex dęmone habitãte in eo, nõ prohibet ingredi in clerum, neque cogit exire. Quare iubemus, vt dæmoniacus non poſſit admitti ad clerum.

CA. I

33. c. Maritum. c. communiter. c. clerici, 15. q. 1. c. fin. can. Apoſt. 78. concil. Aur. c. 16. Quia in eo qui fuit energumenus, ſemper ſuſpecta eſt ἀνανδρία, vt Dionyſ. Areop. vocat, id eſt, mollitia animi, quæ fecit, vt idẽ ait, vt iſtę terroribus dæmonis ſuccumberet, idcirco non poteſt ordinari. Similis ſuſpicio eſt redeundi ad inſaniam, cùm non ex accidenti, vt febri, vel medicina calida extitit cauſa, ſed ex ipſius natura.

*De ſeruis non ordinandis.*

SI quis fideliũ fuit ſeruus alicuius Gentilis, à quo diligebatur, quia fideliter & diligenter res domini ſui cuſtodiebat, poſtea verò, quia dura ſeruitute premebatur, inuito domino receſſit, nõ poteſt iſte admitti ad clerum niſi à domino libertate donetur, & ſit iudicatus dignus.

CA. II.

*diſ. 54. c. nullus. c. nulli. & multa alia cap. ibidem de eadem re.*

*De Neophytis in fide non ordinãdis ordine ſacro antequam ſcientiam ſcripturæ ſacræ habeant: & de conuictis poſt ordinationem de peccato graui, cum ordinatore deponendis.*

QVI recenter baptizatus eſt, & veritatem ſuæ fidei neſcit, non erit epiſcopus, neque presbyter, neque diaconus, donec poſſit ſcire, & intelligere libros ſacros, & perfectum habitum, ac fructum ſpiritualem in corde ſuo producat; qui ſi ad maturam ætatem nõ peruenit, non poteſt ad gradus iam dictos admitti. Quòd ſi epiſcopus aliquem citò * ordinauerit, in quo aliquod peccatum grauius poſtea reperiatur, & duo, aut tres teſtimonium dicant, vterque deponendus eſt, & ordinator, & ordinatus; quamuis ordinatus ſit presbyter, aut epiſcopus; qui etiam à Synodo excommunicatur, vt meritus eſt.

CA. III. CANON NICÆ. GRÆC. 2. Leo epiſt. 85. Quid eſt citò manus imponere? niſi ante ætatem maturitatis, ante tẽpus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, ſacerdotalem honorem tribuere non probatis.

*De cohabitatione mulierum prohibita epiſcopis, presbyteris, & diaconis propter cœlibatum.*

DECERNIMVS, vt epiſcopi non habitent cum mulieribus; neque presbyter, qui * viduus eſt; nec illas comitentur; neque familiarem conſuetudinem cum eis habeat; nec in eas ſtudioſè aſpiciant. idem decernitur de omni ſacerdote cęlibe, idemque de diaconis, qui ſine vxore ſunt. Hoc autem intelligendum eſt; ſiue mulier pulchra ſit; ſiue deformis, ſiue puella virgo, ſiue ancilla adoleſcens, aut natu grandis, ſiue puella orphana prætextu educandi eam propter charitatem. Siquidem diabo-

CA. IIII. CAN. NICÆN. GRÆC. 3. *epitome huius ex Arabico.*

*Carth. 1. c. 4. Græc. Carth. 2. c. 2. Lat. Apoſt. c. 26. Chalc. c. 14. Clem. epiſ. 2. conc. Elib. c. 33. Agath. 9. Tolet. 3. c. 1. Hilar. in Syn. c. 2. Syric. epiſ. 1. c. 6. Innoc. epiſt. 3. c. 1. Aurel. 4. c. 17. Aurel. 5. c. 4. Tur. 2. c. 20. Antiſio. c. 20. Leo epiſt. 70. & epiſt. 90. c. 3. Zach. epiſt. 6.*

* Non permittit hic Canon, ne quis erret, ſic iſtos habitare cum vxoribus, cùm ait, neque presbyter viduus, vt vxoribus vti liceat, immo concedit vt cum eis habitent, quia non licet eas prætextu religionis excludere, iuxta canonem Apoſt. 5. ſic tamen

diabolus huiuſmodi armis religioſos, epiſcopos, presbyteros, & diaconos occidit; & immittit eis ardorem libidinis. Sin autem fuerit anus, & prouectæ ætatis, aut mater, aut ſoror, aut amita, aut auia, licebit cum eis habitare, quia tales perſonæ alienæ ſunt ab ſcandalo ſuſpicionis.

habitare concedit tanquam cũ ſororibus, vt, ſicut Apoſt. ait, qui habent vxores, ſint tanquam nõ habentes, etenim ſi præter anus non ſuſpectas propter ætatem prouectam, & præter matrem, ſororem, amitam, & auiam non ſuſpectas propter magnam cognationis propinquitatem, reliquas mulieres tanquam ſuſpectas canon excludit à contubernio clericorum ſacri ordinis: ergo quas in contubernio relinquit canon, liberas eſſe vult à ſuſpicione; propter hanc enim cauſam, vt dixi, relinquit matrem, ſororem, amitam, & auiam: igitur propter eandem cauſam, ſublatæ ſcilicet ſuſpicionis, relinquit presbyteris & diaconis vxores. vt enim æquum eſt non ſuſpicari propter vinculum propinquitatis naturalis, & propter mulieris ſenectutem, ita quoque æquum eſt non ſuſpicari propter religionem, ac reuerentiam ipſius ordinis ſacri; niſi cùm aut vita ipſa non eſt grauis, & ſancta, aut ætas vxoris periculoſa. Denique comprehenſum eſſe in his gradibus ſacri ordinis cælibatum, teſtis eſt epiſtola beati Baſilij Canonica ad Gregorium presbyterum de excludenda muliercula propter ſuſpicionem, & includenda in monaſterium. in qua epiſt. hunc canonem Nicęnum citat, fuiſſe autem vxorem, cum quá habitare prohibet, argumento eſt & quidem certiſſimo, quòd eam iubet includere in monaſterium, ſicuti canon 48. ſynodi ſextæ iubet, vt poſt ordinationem epiſcopi vxor eius in monaſterio collocetur. Denique contineri in hoc Canone Nicæno legem cõtinentiæ ſacri ordinis à propriis vxoribus, antiquiſſimum & grauiſſimum teſtimonium eſt Synodi 2. Arelat. c. 2. hæc enim ſynodus illis temporibus ſynodi Nicænæ habita hunc Canonem renouãs, ac magis explicans, ſi quis, inquit, de clericis à gradu diaconatus in ſolatio ſuo mulierem præter auiam, matrem, ſororem, filiam, neptem, vel conuerſam ſuam vxorem habere præſumpſerit, à communione alienus habeatur. conuerſam vocat, quia ex quo ſacræ ordinationi mariti conſenſit, carni renunciauit, & ex vxore facta eſt ſoror, vt ipſe ex marito frater, iuxta canon. conc. Tur. 2. Quiſquis eſt presbyter, aut diaconus diuino munere benedictione percepta, vxoris ſuæ pius frater illico efficiatur. itaque vterque iam pertinet ad titul. de conuer. coniug. iis verò qui exiſtimant permiſiſſe vnquam Eccleſiam Romanam Græcis eam conſuetudinem quam hodie habent, contradicit Nicolaus primus, qui in reſponſis ad conſulta Bulgarorum, c. 70. diſ. 28. c. conſulendum; conſulẽdum, inquit, decernitis, vtrum presbyterum vxorem habentem debeatis ſuſtentare, & honorare, an à vobis proiicere: in quo reſpondemus, quoniam licet ipſi valde reprehenſibiles ſint, vos tamen Dominum imitari cõuenit, qui ſolem ſuum, (vt euangelium teſtatur) oriri facit ſuper bonos, & malos, &c. nemo cũ ratione dubitare poteſt, quin illos presbyteros Græcos ſcilicet ob eam cauſam põtifex Nicolaus reprehenſibiles dixerit, quòd vxores haberent non quaſi non habentes, id eſt, haberent tanquam ſorores, & conuerſas, ſed quòd haberent eas tanquam vxores. habere enim presbyterum vxorem, id eſt, non eiicere eam prætextu religionis, Apoſtolorum canon iubet. Si ergo presbyteros illos Græcos habere vxores, vt hodie habent, reprehenſibile pont. Romanus & quidẽ eruditiſſimus, ac ſanctiſſ. eſſe iudicauit, quomodo quod reprehenſibile eſt, ab Eccleſia Romana concedi, dicendum eſt? reſtat ergo, vt quod hodie Græci faciunt, repugnante, & reprehendente Eccleſia Romana faciant, quod nunquam ſcilicet approbauit, nec vllo tempore approbatura eſt.

*De electione epiſcopi, & de approbatione electionis.*

CA. V.
*Syricius epiſt. 4. ad epiſc. Africanos, c. 2. Innoc. in epiſ. ad Victricium c. 1. conc. Ant. c. 19.*
CANON. NICÆN. GRÆ. 4.

DECERNIMVS, vt nullius epiſcopi electio approbetur, nec vllus epiſcopus conſtituatur in ciuitate magna, niſi voluntate epiſcoporum prouinciæ, & niſi de fide eius, & timore Dei inquirant. ad approbandum verò conuenire debent coram archiepiſcopo, aut patriarcha; aut ſi fuerit hoc difficile, quia nõ eſt archiepiſcopus, aut patriarcha; vel quia metuunt, ne lupi ſubditos rapiant, vel propter vrgentem neceſſitatem, vel propter longitudinem itineris, quamuis nõ ſit præſens archiepiſcopus, vel patriarcha, ſufficiat tunc, vt ſint tres epiſcopi, ad conſtituendũ eum, qui cognoſcant ex abſentibus per ſcripturam propriæ manus, eſſe in eo virtutem, doctrinam, & ſanctitatem; fiátque cum conſenſu populi.

*De excommunicatis ab vno epiſcopo, non recipiendis ab alio; & de abſoluendis illis ab arch. vel patriarcha, cùm conſtiterit de iniqua excommunicatione.*

CA. VI.
*Apoſt. 36. Ant. c. 6.*

NVLLVS epiſcopus recipiat ab alio quocumque epiſcopo excommunicatum, ſiue presbyterum, ſiue alium è numero clericorum, ſiue laicum, nec eum ab excommunicatione liberet; ne excommunicatio illius epiſcopi contemnatur. Quòd ſi epiſcopus, qui illum excommunicauit, eſt iniquus, & tyrannus, poteſt abſolui ab archiepiſcopo, vel patriarcha, poſtquam per litteras cognouerit, & admonitus fuerit de illius epiſcopi iniquitate; & debet patriarcha, vel archiepiſcopus ſcribere ad epiſcopum, quid actum ſit; admonereque eum de iniuſtitia, & iniquitate eius.

*De con-*



*De conciliis prouincialibus bis quoque anno habendis, ad conſideranda omnia quæ ad Eccleſias prouincialium epiſcoporum pertineant.*

CA. VII.
*Apoſ. c. 38. con. Ant. 19. Chalc. c. 19. Leo epiſ. 4. c. 7.*

STATVIMVS, vt omnes epiſcopi prouinciæ bis ſingulis annis concilium habeant, archiepiſcopo, aut patriarcha præſente, ſemel ante quadrageſimam ſecunda hebdomada poſt feſtum Epiphaniæ, & iterum menſe Septembri, vt in eo concilio omnia quæ ad eorum epiſcopatus pertinent, conſiderentur. & ſi inuentus fuerit aliquis propter blaſphemiam contra fidem excommunicatus, denuo ab omnibus excommunicetur, donec epiſcopi defenſionem eius recipiant facta inquiſitione veritatis Dei.

Vt illis temporibus & diu deinceps viſus eſt hic canon vtilis, & neceſſarius Eccleſiis, ita poſt ea neceſſarium viſum eſt contrahere bina concilia ſingulorũ annorum in ſingula, ne bis vno anno futurus eſſet abſens ab eccleſia ſua epiſcopus, & oues propter crebram abſentiam paſtorum facilè à lupis vorari poſſent. hanc enim cauſam fuiſſe mutandi canonem hunc de conciliis bis habendis quoquè anno ſcripſit Athanaſius patriarcha Conſtant. in epiſt. ad epiſcopum Sardenſium. de conciliis verò ſemel habendis ſingulis annis, eſt canon Synodi 6. c. 9. Syn. Nic. 2. c. 6. Later. conc. c. 6. Hac noſtra ætate cognita, & exploratè percepta maiore adhuc neceſſitate præſentiæ epiſcopi in Eccleſia ſua, & maiore periculo abſentiæ, ſingula concilia ſingulorum annorum in tertios quoſque annos prorogata ſunt. Si igitur frequens abſentia epiſcopi ab Eccleſia ſua tam periculoſa & peſtifera iudicata eſt, vt (ne tempus & occaſio frequens ei daretur) Synodus prouincialis alioqui tam neceſſaria, & ſalutaris, non niſi vt tertio quoque anno habeatur, Synodus Tridentina prudentiſſimè & ſaluberrimè ſanxerit; quid excuſaturi ſunt, qui tanto animarum periculo, & eccleſiæ Dei incommodo, & detrimento electiones, aut nominationes differunt; & tam diuturnas vacationes muneris paſtoralis inuehunt? quid excuſabunt, qui interim ſilent, & diſſimulant? quos Deus poſuit in Eccleſia tanquam tubas, & buccinas ad canendum, cùm, vt ait propheta Ezech. viderint gladium venientem, quorum eſt clamare, & exaltare vocem ſuam; & quæ ſequuntur in propheta Eſaia.

*De Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno, & eorum iuriſdictione.*

CA. VIII.
CAN. NICÆN. GRÆC. 6.
*Epitome vtriuſque horum octaui, & noni.*

CONSTITVTVM eſt, vt epiſcopus Ægypti, id eſt, Patriarcha Alexandrinus, præſideat, & habeat poteſtatem totius Ægypti, & omnium locorum, ciuitatum, & opidorum, quæ ſunt circum eam, quia ſic conuenit; & quia ſimiliter epiſcopus Romę, id eſt, ſucceſſor Petri Apoſtoli, poteſtatem habet omnium ciuitatum, ac locorum quæ ſunt circum eam, ac ſimiliter epiſcopus Antiochiæ, id eſt, patriarcha, poteſtatẽ habeat prouinciæ illius totius, & in aliis item locis ſeruari debet, quod in præterito conſtitutum eſt.

*De ambiente epiſcopatum, nolente eum epiſcopum populo, vel volente quidem, ſed ſine voluntate archiepiſcopi.*

CA. IX.
NICÆN. GRÆC. 6.

SI quis populo nolente & ſine voluntate archiepiſcopi, atque iniuſſu eius ambierit epiſcopatum, repellendus eſt. Quòd ſi populus diœceſis voluerit eum ſine archiepiſcopi voluntate, non eſt admittendus; quia ſolius archiepiſcopi eſt hæc poteſtas, & qui contradixerit, eſt excommunicatus. & iſte epiſcopus priuandus eſt. Sin autem electioni communi omnium epiſcoporum cum archiepiſcopo, aut patriarcha recta ratione, & ſecũdum canonem eccleſiaſticum factæ, duo, aut tres ex populo precibus, vel ſtudio contendendi contradixerint, maiorem partem populi, ſi voluerint, ſequentur.

*De epiſcopo Hieroſolymitano honorando, ſaluo honore metropolitani Cæſarienſis, cui eſt ſubiectus.*

CA. X.
NIC. GRÆC. 7.
*Hier. tom. 2. epiſt. ad Pammachium contra errores Ioannis Hieroſ. & Nic. in reſp. ad conſ. Bulg. c. 92. meminerunt de Hieroſolymitano ſubiecto Cæſarienſi.*

QVIA eſt conſuetudo honorandi epiſcopum Heliæ nomine patriarchæ, cùm eſt dignus honore, propter ſanctitatem loci, & propter probitatem eius; præſit illi prouinciæ, & locis ei vicinis, reddatque archiepiſcopo eius loci debitum honorem; & vocetur ille exarchus, id eſt, maior, quàm Archiepiſcopus.

 *De iis*

*De iis qui irrepſerunt in ordinem presbyterorum ſine electione, & examinatione.*

CA. XI. CAN. NIC. GRÆC. 10. *epitome huius ca.* III.

SI fuerint aliqui presbyteri ſine probatione, & electione, & ſine examine vitæ, & morum; & examinati confitentur ſe peccaſſe id genus peccatorum de quibus ſuprà ſcriptum eſt, eiiciantur ex ſacerdotio, & non reputabitur eis in peccatum, quòd illis, cùm non eſſent probati, & electi, manus impoſuerunt; nec erunt in culpa hoc faciendo, ſiquidem faciunt in eis quod à Chriſto Domino noſtro ordinatum eſt.

*De epiſcopo ordinante quem intellexit fidem negaſſe; & de ordinato, qui poſtquam negauit, irrepſit in ordinem.*

CA. XII.

SI quis prælatus receperit aliquem in eccleſiam ſanctam, qui fidem negarit, quem prælatus ex aliquo cognouerit fidem negaſſe, & ordinauerit eum ſacerdotem, aut in alio gradu, deponendus eſt ipſe, & ordinator ab omni ordine; aut ſi iſte irrepſerit in ordinem, nec examinatus, nec interrogatus, & poſtea ab iis qui cognouerunt falſitatem, ſciatur hoc, deponendus eſt iſte.

*De tranſeunte ad aliam Eccleſiam ſponte ſua, & electo ab illa, cui poſtea diſplicet manere in ea.*

CA. XIII. CA. NICÆN. GRÆC. 15. *epitome huius xiij. ex Arabico.*

SI quis epiſcopus aut presbyter, aut diaconus ab Eccleſia ſua ad aliam electione illius Eccleſiæ, & voluntate ſua ſe transferat, & poſtea non placet ei eſſe ibi, volueritque eò, vnde prius ſe tranſtulit, redire, nō eſt poſtea recipiendus, ſed potius ab hac, & illa Eccleſia ſit excluſus, quia ipſe ſe ſponte ſua elegit.

*De dante operam, vt transferatur à ſua eccleſia ad aliam.*

SI quis Epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut aliquis ex clero dederit operam, vt ex ſua eccleſia transferatur, non eſt in alia recipiendus, ſed potius cogere eum debent, vt ad locum ſuum redeat; quòd ſi noluerit, eiiciendus eſt in totum ex Eccleſia, deponendúſque ex ordine, & communione fidelium illorum qui ad illam Eccleſiam pertinent, priuandus.

*Ne quis fiat monachus ſine licentia epiſcopi; & quare requiratur licentia.*

CA. XIIII.

SI quis laicus voluerit monachus fieri ſine licentia Epiſcopi ſub cuius poteſtate eſt, mouendus eſt gradu in quo eſt, & non eſt recipiendus in religionem. Hoc autem idcircò ſtatuimus, ne iſte vxorem, aut filios, aut alios ſimiles, quibus auxilium debet, deſerat.

*De clericis aut religioſis fœnerantibus deiiciendis de gradu.*

CA. XV. *Can. Apoſt. 44. Lao. 4. Arel. 2. c. 14. Cart. Græc. c. 5. Synod. 6. c.* 10. NIC. GRÆ. 17.

SI quis eorum qui ſunt in clero, aut ſubiectus regulæ, auaritiæ & turpi lucro ſtudeat, aut data pecunia fœnori, centeſimas exigat, aut ſeſcuplas, deiiciatur ex gradu, & ſit alienus à regula.

*De honore epiſcopo, & presbyteris à diaconis tribuendo.*

CA. XVI. CA. NIÇÆN. GRÆ. 18.

DIACONVS non debet communicare priuſquam epiſcopus, neque priuſquam presbyter, quia gradus diaconi infra gradum presbyteri eſt; ſcireque debet officij ſui eſſe miniſtrare epiſcopo, & presbyteris. Sciatque diaconus facultatem ſuam, cui neque licet communicare niſi poſtquam epiſcopo & presbyteris miniſtrauerit, neque rurſus ei licet miniſtrare ſacramentum communionis ſacerdoti, ſiquidem miniſtrare hoc ſacramentum, proprium eſt presbyteri, & non diaconi; presbyteris enim data eſt hæc gloria, neque decet, vt diaconi ſedeant inter presbyteros, aut ſint ad latus eorum, nec intus in ſacrario, vbi eſt altare; neque foris, niſi de ſententia eorum; quandoquidem gradus diaconi inferior eſt gradu illorum. Diaconi, qui huic decreto contradixerint, eiiciantur ex gradu ſuo, & à Synodo excommunicentur.



*Hier. in epiſt. ad Euagriū 85. Romæ presbyteri ſedent, & ſtant diaconi.*

*De ratione & modo recipiendi conuerſos ex hæreſi Pauli Samoſatenſis.*

CA. XVII. CA. NI. GR. 19. *epitome huius. Innoc. 1. epiſt. 22. ad Rufum Euſebium explanat hūc Canon.*

SI quis ex hæreſi Pauli Samoſatenſis conuertatur ad fidem Eccleſiæ, debet iterum baptizari; & in quocunque gradu eccleſiaſtico antea fuerit, ſi conuertatur dignè, & cum humilitate, eiuſque vita anteacta reprehendi non poſſit, ſed laudari potius, reſtituendus eſt in gradum ſuum, & imponendæ ei manus, vt imponi ſolent ei cui nunquam antea impoſitæ fuerunt, cum benedictione diaconali, id eſt, quæ fit ſuper miniſtros Eccleſiæ. Sed ſi aliquis cum accuſauerit, & non fuerit dignus gradu propter malam fidem, & praua opera, nō eſt ordinandus. Quod ſi aliqua diaconiſſa ex iſta hæreſi ad fidem conuertatur, oportet iterum eam baptizare, & cum ea benedictione recipere quæ ſuper ſæcularem fieri ſolet, examinandumque, vt ſuprà diximus, vtrū verè conuertatur.

*De ratione, & modo recipiendi conuerſos ex hæreſi Nouatianorum.*

CA. XVIII. CAN. NIC 8. *Innoc. in eadem epiſt. explanat hunc Can.*

SI qui ex iis qui ſe catharos vocant, ſe humiliauerint, & ad eccleſiam accedere voluerint, oportet, vt qui ex illis erant ordinati, remaneāt in clero. oportet præterea ante omnia profiteri per ſcripturam, quòd aſſentientur, & ſequentur dogmata catholica, id eſt, quod communicabunt cum pœnitentibus, & cum digamis, & cum iis qui in perſecutione lapſi ſunt à fide, in quibus eſt conſtitutum tempus, vt ſequantur omnia Eccleſiæ catholicę dogmata. itaque vbi omnes reperientur ſiue in ciuitatibus, ſiue in villis ipſi ſoli ordinati, reperti in clero, erunt in eodem gradu. Sed ſi fuerit in ciuitate, aut villa epiſcopus, aut presbyter Eccleſiæ Catholicæ, & ibi aliqui ex catharis accedant ad eccleſiam, debet epiſcopus catholicus habere dignitatem epiſcopi; & ille qui vocabatur epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ, voluerit honorare eum nomine epiſcopi. quod ſi hoc ei non placeat, excogitabit ei locum chorepiſcopi, aut presbyteri, vt omnino videatur eſſe in clero, ne ſint in ciuitate duo epiſcopi.

*De ratione, & modo recipiendi redeuntes poſt lapſum à fide; & recipiendi relapſos, & de adductis in periculum mortis ex infirmitate ante completam pœnitentiam, & de conualeſcentibus.*

CA. XIX. NIC. 12. & 13. *Hic canon multo explicatior eſt quā Græc. in Lat. ex Arab. Hinc Arel. 2. c. 10. Valent. Galliæ c. 3. Innoc. 1. epiſt. 24. c. 3.*

SI qui ex iis qui ſine violentia, & periculo negauerunt, & ſine illis tribulationibus quas paſſi ſunt fideles Chriſti à Regibus, & principibus, & Gentilibus, perfectè, & recto corde voluerint ad fidem redire, recipiendi ſunt. ſed oportet, vt cum fidelibus communionem non habeant, donec pœniteat eos, & tribus annis pœnitentiam inter audientes agant, & inter pœnitentes annis vij. poſtea poterunt intrare in Eccleſiam ad orandum cum populo tempore ſacrificij duobus annis, ſed debent abſtinere à communione corporis Domini. Quòd ſi hoc tempore pœnitentiæ ad vomitum redeant, & rurſus agnoſcant peccatum ſuum, debent agere pœnitentiam annis x. poſt tres annos peractos inter audientes. Poſt hæc autem omnia oportet examinare propoſitum eorum, & modum pœnitentiæ. Qui enim cū timore Dei, & lacrymis, ac pa-

ac patientia,& bonis operibus conuerſionem opere,& non ſimulatione oſtendunt,poſt impletum tempus conſtitutum manendi inter audientes, meritò communicabunt cum aliis fidelibus in oratione, licebitque epiſcopo aliquid benignius de eis decernere. Qui autem negligenter ſe geſſerunt,&ſimulationem ingrediendi in Eccleſiam ſufficere ſibi ad conuerſionem putauerunt; omnino iſti tempus pœnitentiæ à nobis conſtitutum impleant. Sed ſi quis iſtorum ad mortem, dum in pœnitentia eſt,peruenerit,non eſt priuandus ſacra communione, quæ eſt viaticum vitę,ſi eã petierit. Quòd ſi poſt orationem,& cõmunionẽ ex infirmitate,in qua erat,cõualuerit, cõmunicabit poſtea in oratione tantũ cũ fidelibus, & nõ accipiet communionẽ ſacram;adhibeaturque diligentia,vt cuicumque proximo morti ſacramenta, ſi petierit, miniſtrentur;idque cùm epiſcopus diligenter inquiſierit,an dignus ſit; quia non licet,vt priuemus eos ſacramento communionis.

*De vitanda conuerſatione cum maleficis, & diuinis; & de eorum qui non vitauerunt, pœnitentia.*

CA. XX. *Faciunt cum hoc Canone mult a cap. 26. q. 5.*

NEMO fidelium conuerſetur cum maleficis, & diuinis, & qui hoc fecerit,& eos interrogauerit,eorúmue dicta approbauerit, in domumque eorum intrauerit,aut in ſuam eos receperit, & eorum cibis, & potionibus vſus fuerit,ſi ſacerdos eſt,mouendus eſt ſuo gradu, ac fideliũ communione,& ingreſſu Eccleſiæ; communioneque ſacra prohibendus. Si verò fuerit laicus,prohibendus eſt Eccleſia. Quòd ſi ad agendã pœnitentiam venerint,agenda eſt eis pœnitentia annis xx. quo tempore pane tantum,& ſale veſci debent, & à vino abſtinere aqua contenti, vt ſic caſtigati non redeant.

*De inceſtis nuptiis contra legem ſpiritualis cognationis, & de pœnitentia eorum qui ſunt in eiuſmodi nuptiis.*

CA. XXI. *Hinc extitit Can. 53. ſextæ Syn. in Trul. & Magunt. c. 55. & cap. peruenit, 30. q. 1.*

NEMO fidelium cum patre,aut matre ſpirituali matrimonium contrahat,id eſt,nõ cum patrinis,aut matrinis,& qui hoc commiſerit, habeatur tanquam ethnicus,quouſque ſeparetur, & ſpatio xx. annorum pœnitentiam agat,x. annis non intrabit in Eccleſiam, & abſtinebit à communione fidelium,alteris x. licebit intrare in Eccleſiam ad audiẽdum tantum ſcripturas. Quando autem impletum fuerit hoc tempus pœnitẽtiæ xx. annorum,licebit intrare in Eccleſiam, & ſumere ſacram communionem.

*De ſuſceptoribus in baptiſmo.*

CA. XXII.

VIRI non teneant in baptiſmo feminas, neque mulieres teneant mares, ſed potius mulieres teneant feminas,& viri teneant mares.

*De nuptiis prohibitis fratrum, & ſororum ſpiritualium ex ſuſceptione in baptiſmo.*

CA. XXIII.

NEQVE vir det filio ſuo in matrimonium eam quam vxor ſua tenuit in baptiſmo; neque mulier det filiam ſuam in matrimonium ei quam maritus tenuit in baptiſmo; quia iſti habentur vti fratres, & ſorores ſpirituales,& eorum pater, & mater, ſimiliter vt pater, & mater ſpirituales.

De eo



*De eo qui duas vxores ſimul duxit, aut per libidinem alteram mulierem vxori ſuperinduxit, & de pœna eius.*

CA. XXIIII. * Non concedit hic Canon, vt ſacerdos ſecunda eiecta, retineat primã ad vtendũ, ſed iubet vt retineat, ne prætextu religionis eiiciat; iã enim antegreſſus eſt Canon de cęlibatu ſacri ordinis, c. 4.

NEMO debet duas vxores ſimul ducere,nec vxori ſuæ alteram mulierem propter voluptatẽ, & deſiderium carnis ſubintroducere proiiciendo ſe in periculum peccandi verſando cum pluribus ad concupiſcentiam,nec ad ſemen ſuſcipiendum, ſicut Deus ordinauit & qui hoc fecerit,ſi fuerit ſacerdos,prohibeatur miniſterio ſacrificandi, & communione fidelium,quouſque eiiciat domo ſecundam,& debet retinere * primam. idem iudicium eſt de laicis.

*De nemine arcendo à ſacra communione, niſi ratione pœnitentiæ.*

CA. XXV. Pertinet hic Canon ad Canonẽ Apoſt. 52. de repellente pœnitẽtem.

NVLLVS ſacerdos vllum fidelem à communione ſacra arceat,neque propter odium,neque propter aliam cauſam quamcumque mundanam;& qui hoc commiſerit, deponatur, & excommunicetur, quia vſurpauit hanc poteſtatem tanquam dominans.

*De ſponſione, & teſtimonio in cauſa criminis dicendo clerico prohibitis.*

CA. XXVI. *11. q. 1. c. teſtimoniũ. & c. ſi quiſquam.*

NVLLVS clericus pro aliquo ſpondeat, neque teſtimonium contra vllum in cauſa criminali dicat; nec eam ad Regem deferat, nec ad ea ſe ingerat,quæ ad alios pertinent; neque ſeminet diſſidia inter fideles: & qui hoc commiſerit, eiiciatur ex gradu,& prohibeatur communione fidelium.

*De vitandis excommunicatis, & de non accipienda oblatione ab eis: & de excommunicatione non vitantis excommunicatum.*

CA. XXVII. *de excommunicatione communicantis cum excom. Tur. 2. c. 8. de non accipienda oblatione ab excomm. eſt Apoſtolica conſtitut. libri 3. Clem. c. 8. Qui excõmunicationem paruifacit, fidem contemnit.*

QVICVNQVE fuerit à ſacerdote ligatus, quamuis calumniam paſſus ſit,non eſt ab eo accipienda oblatio, nec vlla alia res, quam ad Eccleſiam afferat;nec vllus fidelium debet cum eo prandere, nec in domum eius ingredi,nec eum in domum ſuam recipere,priuſquam ſit ab excõmunicatione abſolutus. & qui hoc nõ ſeruauerit,paruiſaciens excommunicationem, & fidem contemnens, oportet eum quoque excommunicare, quia fuit particeps, & conſentiens.

*De ira, indignatione, odio fugiendis ſacerdoti, & ei potiſſimum, qui poteſtatem habet excommunicandi.*

CA. XXVIII. * Hoc dicit, quia ſcriptum eſt in Leu. c. 21. vt qui eligendus eſt ad ſacerdotium, careat omni macula. quod quidem in ſpiritu ſignificabat, vt careret omni vitio, & peccato graui. vñ de Apoſtolica cõſtit. lib. 2. c. 3. exploretur, inquit,

NON erit presbyter vllo modo maleuolus,aut velox ad iram aut ad offenſionem,pręſertim Epiſcopus,aut alius,qui poteſtatem habeat excommunicandi, vt non omni tempore excommunicet, & liget. Et ſi quis talis extiterit,debet hæc auferre; neceſſeque eſt, vt ſit moderatus, & deponat odium,& non exerceat ſemper excõmunicationem. Quòd ſi non paruerit, deponatur; ſiquidem ira, maleuolentia, indignatio, & clamor opera dæmonis ſunt; neque conuenit,vt ſit in ſacerdote aliquid ex vitiis diabolicis;ſed potius,vt ſit mundus ab omnibus vitiis & maculis, ſicut * ſcriptum eſt.

qui eligendus eſt epiſcopus,an careat omni macula in iis quæ pertinent ad vſus vitæ: Scriptum eſt enim, inquit, inſpicite maculas eius qui eligendus eſt ad ſacerdotium. Hinc beatus Greg. ſcribens de eligendo epiſc. Eccleſiæ Ariminenſis 7. q. 1. c. qualiter, iubet eligere diligenti examinatione adhibita, ſi in eo, inquit, quæ in textu heptateuchi continentur, non fuerint reperta, id eſt, ſi caruerit mortalibus peccatis, quæ per maculas in Leu. notatas ſignificantur. Hæc idem Greg. clarius expreſſit in epiſt. ad Paſinum epiſcopum de alio quodam ordinando loquens, ſi nulla, inquit, ei crimina, quæ per legis ſacræ regulam morte mulctanda ſunt, obuient. peccata mortalia, quæ à regno Dei excludunt, dicit morte mulctanda ſecundum regulam legis ſacræ; qualis eſt illa, neque fornicarii, nec idolis ſeruientes, nec adulteri, neque molles, & c. regnum Dei poſſidebunt.

De non

*De non flectendo genua in oratione.*

CA. XXIX.
CA. NIC. 20.

IN oratione Dominici diei, & in diebus Pentecoſtes, & in magnis feſtis Domini oportet non flectere genua, ſed ſtantes orare, & inclinari.

*De imponẽdis nominibus Chriſtianorum in baptiſmo, & de hæreticis fidem trinitatis, & formam baptiſmi integram retinentibus, & de aliis non retinentibus dignis peiore nomine, & de modo eos recipiendi, cùm veniunt ad fidem.*

CA. XXX.

FIDELES nomina Gentilium filiis ſuis ne imponant; ſed potius omnis natio Chriſtianorũ ſuis nominibus vtatur, vt Gentiles ſuis vtuntur; imponanturque nomina Chriſtianorum ſecundum * ſcripturam in baptiſmo, & baptizentur in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis ſemper colendæ, & adorandæ anima, mente, & corde; & ſanctificet dies feſtos omnes. Sed ſi fuerint alij Chriſtiani contrarij in aliquibus, vocabuntur hęretici, & hoc nomine appellabuntur, Ioanium, & Memarium, & Surianium; quæ nomina * Arabicè ſignificant homines ſecundum carnẽ, & non ſecundum Deum agentes; quamuis nõ corruperint ſcripturas, neque combuſſerint. Qui enim corruperunt, & dies feſtos mutauerũt, & fidem conturbarunt, ac confuderunt, reliqueruntque genuflexionẽ, ſpreuerunt ordinem eccleſiæ, & alium ſibi modum inſtituerunt, non debent appellari Memarium, ſed potius homines perditi, & errantes, & numerantur inter cultores idolorum, & veræ fidei negatores. Si verò aliquis ex iſtis conuerſus fuerit, recipiat epiſcopus petitionem eius, & doceat eum, ſicut recipiuntur, & docentur Iudæi, & Gentiles, & baptizabuntur iterum, poſtquam ſectam ſuam malam abnegauerint, & fidem Eccleſię Dei confeſſi fuerint. [a] Similiter intelligendum eſt de Secũdiis, Marcuniis, Simonianis, Menandrianis, Sethianis.

* Secũdum ſcripturam imponũtur nomina in baptiſmo, quia ſcriptum eſt in Euangelio impoſitum eſſe nomen Ioanni, & Ieſu in circumciſione, cui ſucceſſit baptiſmus. & Dionyſ. Areop. in baptiſmo ſcribit dari nomẽ, quod ex ſanctis apoſtolis didicit. Illud etiã aduertendum eſt, non imponi à fidelibus nomina Gẽtilium, ſiquando in baptiſmo imponitur nomen Põpeij aut Octauij, & ſimilium; non enim vt nomen Gentilis, ſed vt noſtrũ imponitur. ſic enim Gentilium nominibus tanquã noſtris vti poſſumus, vt Gentiles noſtris tanquam ſuis vtebantur, cùm Antonios, Marcos, & Marcellos, & Iulianos vocabant.

* Quia interpres è Græco, vt verbum verbo redderet, verbis aliquanto obſcurioribus vſus erat, interpretatur verba Arabica obſcuriora Arabicis clarioribus.

[a] *Syn. Conſt. c. 7.*

*De ratione & modo recipiendi conuerſos ad fidem orthodoxam ex hæreſi Arrij, & aliorum talium.*

CA. XXXI.

SI quis ad fidem orthodoxam conuertatur, recipiendus eſt in Eccleſiam per manus Epiſcopi, vel presbyteri, qui præcipere ei debet, vt anathematizet cunctos qui contra fidem orthodoxam faciunt, & qui Apoſtolicæ Eccleſiæ cõtradicunt. Debetque anathematizare Arrium, & hæreſim eius, & apertè fidem profiteri, quam in hac perfecta confeſſione definiuimus, ac ſincerè fidelis eſſe. [b] Oportet etiam anathematizare eos qui huic fidei non credunt, & eam non recipiunt. Et poſtquam hæc fecerit, accipiat eum epiſcopus, vel ſacerdos, ad cuius poteſtatem pertinet, & vngat eum vnctione chriſmatis, & ſignet ter vngendo; & orando ſuper eum [c] * orationem Dionyſij Areopagitæ; & fiat oratio ad Deum pro eo deuotè, vt recipiat eum. Et poſtea erit particeps diuinorum ſacramentorum, & communionis, per quam fit remiſſio peccatorum. Si autem is in quo hæc facta ſunt, fuerit epiſcopus, manebit poſt conuerſionem ſuam in gradu presbyteri; ſi presbyter, in gradu diaconi;



ſi diaconus, in gradu hypodiaconi; & ſimiliter in reliquis deinceps, vt ad gradum inferiorem deſcendat.

Huic Canoni teſtimoniũ tribuit S. Athanaſ. qui in epiſt. de Synodis Arimini & Seleuciæ, & in epiſt. ad epiſcopos Africæ ſcribit patres Nicænos edidiſſe in concilio perfectã fidei confeſſionẽ, & anathematizaſſe omnes hæreſes, & inter eas Arrianam. vtrũq; eſt in hoc Canone. eſt autẽ renouatus, & denuo ſancitus hic Can. in ſyn. Conſt. c. 7.

[b] *Syn. Conſt. c. vij.*

[c] *Dionyſius Areopag. citatus in Synod. Nic.*

* Orario, quam dicit Dionyſij Areop. eſt in Canone Græco 7. Syn. conſt. σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου, id eſt, obſignatio, ſiue ſigillum doni Spiritus ſancti. Quod verò eſt hic de vngendo iſtos chriſmate, non eſt neceſſe accipere de ſacramento confirmationis, vt accepit Beſſarion in libello de euchariſtia; ſiquidẽ ad multa alia vtitur eccleſia ſecundum apoſtolicam traditionem vnctione chriſmatis, vt in benedictione, ſiue ſanctificatione aquę baptiſmi, & altaris, & in ordinatione, & in aliis.

*De ratione recipiendi eos qui ſaluis dogmatibus fidei, & eccleſiæ legibus, à nobis receſſerunt, & poſtea redeunt.*

CA. XXXII.

SED qui fuerunt ex ſecta Caguadanorum, aut Cabariorum, aut Taimainorum, non neceſſe eſt eos vngi, nec iterum baptizari, neque gradu ſuo moueri; ſed potius redire oportet ad eoſdem gradus, & recipi cum orationibus, quas ſuprà diximus; orandumque pro eis, ac præcipiendum eiſdem vt abhorreant ab iis in quibus antea fuerunt.

Sic agendum eſt cum quocunque qui à vera fide non vacauit, & qui baptiſmũ, & leges eccleſiæ retinuit, ſicut alij Chriſtiani, & qui ex iſtis clericus fuerit, ſi non mutauerit ſcripturam, neque deſierit feſtos dies celebrare; qui eiuſmodi fuerint, non ſunt annumerandi infidelibus, & Iudæis, quia non negauerunt nos, ſed nobis propter iram & indignationem aduerſati ſunt. & quicunque contradixerit, excommunicetur.

Huiuſmodi fuerunt Audiani, ſic dicti ab Audio quodam tẽporibus Arrij, de quo S. Epiphanius libro 3. hær. 70. qui cum ſodalibus ſuis nihil, inquit, habebat in fide diuerſum, ſed rectiſſimè credebat. Audiani nõ deſierunt feſtum paſcha celebrare, licet per errorem cum Iudæis azymorum dies agerent. Iſtos credo corruptè vocari in hoc canone Cauguadanos. tales etiam fuerunt Meletiani, Meletij Ægyptij ſectatores, de quo idem Epiph. lib. 2. hær. 68. non eſt, inquit, immutata fides ipſius aliquo tempore à ſancta eccleſia catholica. Fortaſſe etiam corruptè legitur in hoc Can. Taimanorum; pro Meletianorum.

*De loco patriarchæ ad reſidendum, & de honore epiſcopo Hieroſolymitano, & Seleuciæ, habendo.*

CA. XXXIII.

Patriarcha ſit in ciuitate Regia, vt ſit honori ipſi & Regi, & aliis ſimul presbyteris. Honoretur etiam epiſcopus Heliæ pluſquam alij epiſcopi, quia ipſe reſidet in ſancta ciuitate, vnde crux Dei Domini noſtri cœpit, & vbi eſt locus * iudicij. Honoretur quoque qui tenet ſedem Seleuciæ, quę eſt ex ciuitatibus Orientalibus, qui debeat etiam appellari nomine catholici; & poſſit is ordinare archiepiſcopos, ſicut faciunt patriarchæ, vt Orientales non patiantur damnum expectando patriarchã Antiochiæ, aut eundo ad eum, & Gentiles reperiant viam ad neceſſitates ſuas: Quia in hoc non fit iniuria patriarchæ Antiocheno. Siquidem ipſe conſenſit, poſtquam hoc ab eo ſynodus petiuit, ne de ſublata poteſtate iſta quereretur; quæ nihil aliud deſiderabat, vt illius prouinciæ fideles pace, & quiete fruerentur; ſimul etiam, vt is qui tenet ſedem Seleuciæ, nomine catholici honoraretur.

* De iudicio accipiendũ eſt, quo victa eſt mors morte Domini, & eò reſurgente reddita mortuis vita.

*De honore habendo archiepiſcopo Seleuciæ in Synodo Græciæ.*

CA. XXXIIII.

SI acciderit, vt neceſſe ſit conuenire Epiſcopos Græciæ, & fuerit præſens prælatus Seleuciæ, quem diximus, quæ Seleucia eſt in prouincia Babyloniæ in Regno Zabur, & hodie eſt Ciuitatulæ, oportet honorare eum multum, & magnificere, atque extollere ſupra omnes epiſcopos Græciæ. Siquidem ipſe tenet locum patriarchæ in Oriente; & ſedes eius in concilio debet eſſe ſexta poſt epiſcopum Hieroſolymitanum. & quicunque hanc conſtitutionem violauerit, ſynodus eum excommunicat.

*De non habenda ſynodo prouinciali in prouincia Perſidis ſine auctoritate patriarchæ Antiocheni, & vt epiſcopi Perſidis ſubiecti ſint Metropolitanis Antiochiæ.*

CA. XXXV. NON permittit magna ſynodus, vt congregentur in Prouincia Perſidis ad diſponendum aliquid ad ordinem eccleſiæ pertinens ſine cõſenſu, & auctoritate patriarchæ Antiocheni: quia quamuis prælatus Perſidis ſit loco Patriarchæ, & non quærat aliud prꝺterquam quietem; & tranquillitatem ipſorum Perſarum, tamen non licet immittere ſe ad conſtituendum ordinem eccleſiæ, ſed potius in omnibus ſint Metropolitanis Patriarchæ obedientes, & qui contradixerit, ſynodus eum excommunicat.

*De creatione patriarchæ Æthiopiæ, & de poteſtate eius, ac de honore ei habendo in Synodo Græciæ.*

CA. XXXVI. VT non poſſint Æthiopes creare, nec eligere Patriarcham; quin potius eorum prælatus ſub poteſtate eius ſit, qui tenet ſedem Alexandriæ. Sit tamen apud eos loco patriarchæ, & appelletur catholicus; non tamen ius habeat cõſtituendi archiepiſcopos, vt habet Patriarcha, ſiquidem non habet patriarchæ honorem, & poteſtatem. Quòd ſi acciderit, vt concilium in Græcia habeatur, fueritque præſens hic prælatus Æthiopum, habeat ſeptimum locum poſt prælatum Seleuciæ; & quando facta fuerit ei poteſtas conſtituendi Archiepiſcopos in prouincia ſua, non licebit illi conſtituere aliquem ex illis. & quicunque non paruerit, ſynodus eum excommunicat.

*De electione Archiepiſcopi Cypri ſubiecti patriarchæ Antiochiæ.*

CA. XXXVII. SI epiſcopus Cypri diem ſuum in hieme obierit, & non potuerint populi propter tempeſtatem maris mittere Antiochiam, vt Patriarcha Antiochenus conſtituat ipſis Archiepiſcopum loco mortui, debent ſcribere ad patriarcham, & petere ab eo, vt permittat eis conſtituere quem voluerint; neque prohibebit hoc patriarcha, poſtquam ad eum ſcriptum fuerit, ſed potius concedat tredecim epiſcopis, vt congregentur, & conſtituant archiepiſcopum loco mortui; ne defuncto Archiepiſcopo principio hiemis ſine capite propter tempeſtatem remaneant, & ne aliquis fortaſſis ex tredecim epiſcopis à vita recedat, & non ſit Archiepiſcopus qui conſtituat epiſcopum loco mortui, atque ita fiat, vt toto eo anno archiepiſcopo careant. ob hanc cauſam conſtitutũ eſt hoc, & qui contradixerit, ſynodus eum excommunicat.

Atteſtatur huic Canoni canõ ſynodi Epheſinę 7. Græcè. ait enim antiquum morẽ eſſe, vt patriarcha Antiochiæ ordinationes in Cypro faciat, ordinat enim archiepiſcopum Cypri, ſine cuius auctoritate nõ poſſunt epiſcopi Cypri cõſtitui, quiſque ab eccleſia ſua electus, & non ab eccleſia alterius ſecundum veteres canones.

Quid hic rurſus excuſabunt qui electiones, aut nominationes epiſcoporum diutius protrahunt, cùm Synodus Nicæna, ne euenire poſſet, vt anno vno Cyprus ſine archiepiſcopo eſſet; ſi ad electionem eius auctoritas patriarchæ Antiochiæ expectanda eſſet, cenſuerit, concedendum eſſe epiſcopis Cypri, vt ipſi quem vellent eligerent, ac conſtituerent archiepiſcopum, ſi per tempeſtatem hiemis non liceret de electione ad patriarcham referre.

*De ordinatione miniſtrorum eccleſiæ epiſcopis prohibita in aliena diœceſi.*

CA. XXXVIII. CA. NIC. 16. Can. Apoſt. 35. VT nullus epiſcoporum in parœcia alterius ordinationes presbyterorum, aut diaconorum faciat, exceptis patriarcha, & archiepiſcopo in locis quæ ſub poteſtate eorum ſunt, neque quicquam diſponat in aliena parœcia ſine licentia proprij epiſcopi.

*De cura*



*De cura & poteſtate patriarchæ in epiſcopos, & archiepiſcopos ſui patriarchatus; & de primatu epiſcopi Romani in omnes.*

CA. XXXIX. Conſideret patriarcha ea quæ archiepiſcopi, & epiſcopi in Prouinciis ſuis faciunt; & ſi quid reperiat ſecus quàm oporteat factum, mutet, & diſponat, prout ſibi videatur; ſiquidem ipſe eſt pater omnium, & illi filii eius. Et quamuis ſit Archiepiſcopus inter epiſcopos tanquã frater maior, qui curam habet fratrum ſuorum, & ei debent obedientiam, quia præeſt; eſt tamen patriarcha iis omnibus qui ſub poteſtate eius ſunt, ſicut * ille qui tenet ſedem Romæ, caput eſt, & princeps omniũ patriarcharum; quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, vt qui ſit vicarius Chriſti Domini noſtri ſuper cũctos populos, & vniuerſam eccleſiam Chriſtianam. & quicunque contradixerit, à Synodo excommunicatur.

* Similis eſt hic Canõ ſexto eiuſdem ſynodi Nic. & eandem auctoritatem, hoc eſt ſummam eſſe in epiſcopo Ro. principe omniũ patriarcharum, & ob eandẽ cauſam ſcilicet propter formam, quã habet epiſcopus Romanus relictam à ſanctis Apoſt. vt S. Anacletus in epiſt. 3. diuinè explicat. formã enim quã ſancti Apoſtoli inter ſe habebant, vt ait idẽ Anacletus, ſuis ſucceſſoribus ſcilicet patriarchis, & metropolitanis, & reliquis epiſcopis reliquerũt. vt ſicut beatus Petrus reliquis apoſtolis præfuit, ſic iidẽ ſancti Apoſtoli ſtatuerunt, vt omnes epiſcopi ſingularum nationum ſuum primum haberent iuxta canonem apoſtolorum 34. quare cõſequẽs neceſſariò eſt, vt ſicut apoſtoli beatum Petrum caput habuerunt, ſic ſucceſſores apoſtolorum, qui ſunt patriarchæ, & infra patriarchas metropolitani, & infra metropolitanos reliqui epiſcopi, ſucceſſorem beati Petri, id eſt, epiſcopum Rom. principem, & caput agnoſcant, & habeant, vt hic Canon profitetur, cùm eũ principẽ omnium patriarcharum vocat, & primum eſſe dicit, ſicut fuit beatus Petrus, cui in omnes Chriſtianos data eſt poteſtas. quo teſtimonio nullum luculentius, neque grauius à ſynodo Nicæna dari potuit.

*De ſynodo prouinciali bis ſingulis annis habenda, & de vſu eius, cum excommunicatione contradicentium.*

CA. XL. VT omnes epiſcopi bis * ſingulis annis apud archiepiſcopum ſuum conueniant: Vbi omnia, quæ in locis ſuis acciderint, conſiderent; item conſiderent, quæ opus ſunt, cognoſcantque omnia, & conſentiant inter ſe ad expellendum procul malum, & operandum iuſtitiam, vt ſint excuſati in die illo tremendo, ſitque hæc eorum excuſatio manifeſta, ne excidant à vita in ęternum permanente, ac dedecus & ignominiam propter caduca & pereuntia ferant; & quicunque contradixerit, ſynodus eum excommunicat.

* Non eſt hic canon temerè, aut fruſtra repetitus: quin potius, vt ſolet ſæpe in ſcriptura idem vtiliter & neceſſariò repeti, ſic hoc de ſynodis prouinc. bis quotãnis habendis vt ſaluberrimè cõſtitutum. ſic enim ait Leo epiſ. 4. c. 7. iterato canone repetitum eſt, in quo decreta eſt pœna excommunic. contradicentibus, & comprehenſum totum negotium huiuſmodi conciliorum, quod poſitum eſt in ſtudio expellendi malum, & operandi iuſtitiam. Similis comprehenſio facta eſt in ſexto Canone ſynodi Nic. 2. ſtudium, inquit, & cura erit congregatis, vt diuina, & viuifica mandata Dei ſeruentur.

*De ſynodo archiepiſcoporum apud patriarcham ſemel quotannis, & de vſu eius; item de collecta per prouincias, & loca patriarchæ ſubiecta facienda ad victum patriarchæ.*

CA. XLI. SIMILITER ſtatuimus, vt omnes archiepiſcopi ſemel per annum apud patriarcham ſuum conueniant, & in eo concilio faciant ad eundem modum in omnibus rebus, & in peccatis, quę in locis eorum cõtingunt; faciantque hoc, ne in iudicio eorum ſit fraus, ſed potius tale ſit, quale erat iudicium lxx. ſeniorum cum filiis Iſraël, qui cauſas ſuas Moyſi proponebant: ſic etiam & epiſcopi apud Patriarcham facere debent, & diſpertiatur benedictio Patriarchæ ſecundum vires omni prouinciæ, & omni loco magno vel paruo, quæ ſub poteſtate eius ſunt, mittaturque ei ſingulis annis vt inde viuat, & alatur. caretque excommunicatione hic canon.



*De cle-*

*De clerico, vel monacho lapſo in peccatum, & vocato ſemel, & iterum, & tertiò, & non ſiſtente ſe in iudicio.*

CA. XLII. SI quis ex clero, aut ex monachis lapſus fuerit in aliquod peccatũ, & vocatus à congregatione, vt videatur cauſa eius, & purget peccatum ſuum, dato primum tempore ad veniendum, non venerit, vocatuſque iterum, & tertiò, obſtinatè non ſe ſiſtat, eiiciatur de medio eorum, vt meritus eſt; & inſuper deponatur. & qui contradixerit, ſynodus eum excommunicat.

*De reo manifeſto dimiſſo impunito ab epiſcopo, vel presbytero, vel etiam diacono iudice, quid facere debeat patriarcha.*

CA. XLIII. SI ad epiſcopum, aut ſacerdotem, aut diaconũ allatũ fuerit aliquod crimen manifeſtum, non opus eſt teſtimoniis ad iudicandum. Quòd ſi propter affectionem eum qui delictum commiſit, non iudicauerint ſecundum meritam pœnam, dimiſerintque eũ in peccato, & hoc poſtea patriarchæ patefactũ fuerit, oportet vt ipſe patriarcha iudicet eum qui crimẽ cõmiſit, vt meritus eſt; illũq; deponat qui habebat exploratũ de crimine, & dimiſit eum qui cõmiſit, & illũ itẽ deponat qui fuit illius criminis ſocius. & quicũq; cõtradixerit, â Synodo excõmunicatur.

*Quomodo archiepiſcopus epiſcopum ſibi ſubiectum iudicare debeat.*

CA. XLIIII. VT archiepiſcopus nullum epiſcopum ex iis qui ſub poteſtate eius ſunt, cuius peccatũ ſciat, iudicet, nec imponat ei pœnitentiam pro peccato, niſi interueniente patriarcha, qui rem exploratè cognitã habeat, & qui non paruerit, à Synodo excommunicatur.

*De ratione admittendi querelas, & iudicia archiepiſcopi contra patriarcham ſuum.*

CA. XLV. VT non admittatur querela archiepiſcopi contra ſuũ patriarcham de vllo peccato, neque reprehenſio, neque iudicium, niſi adhibito altero patriarcha vno ex fratribus eius, qui eius cauſam excutient. Et nullus in hac re archiepiſcopo accuſatori faueat, neque cum eo conſentiat, niſi auctoritate alterius patriarchæ. & qui contradixerit, ſynodus eum excommunicat.

*Quomodo patriarcha querelam, aut iudicium archiepiſcopi contra archiepiſcopum admittere debeat.*

CA. XLVI. NEQVE patriarcha querelam vnius archiepiſcopi de alio archiepiſcopo, qui ſub poteſtate eius ſit, accipiat, neque reprehẽſionem, neq; iudiciũ ſuper peccato eius, niſi altero archiepiſcopo ex fratribus interueniente; vt conſiderent hoc, ſicut ſuprà dictum eſt in canone; & non oportet vt is interueniat qui querelam habuit in hoc iudicio. & qui contradixerit, habebitur excommunicatus.

*De excommunicatis ab vno aliquo, quando ab alio abſolui, vel non abſolui poſſint.*

CA. XLVII. CA. NIC. 5. NVLLVS epiſcopus ſoluat quem alius epiſcopus ligauit, quãdiu ille qui ligauit, vixerit. Quòd ſi epiſcopus qui ligauit, obierit, & ſucceſſori viſum fuerit ſoluere ligatum, licebit facere, poſtquã cauſam, propter quã fuit excõmunicatus, cognouerit; modò excõmunicatus non fuerit propter blaſphemiã, aut propter aliquod peccatum publicũ, aut aliud ſimile. Eadem lex erit de ſacerdote, id eſt, vt nullus ſacerdos ſoluat, aut liget,



ligét, quẽ alius ſacerdos ſoluerit, aut ligauerit, quamdiu ille qui ſoluit, aut ligauit, vixerit. Poſt mortem verò ſucceſſor eius ſoluet quem mortuus ligauit; ſed debet epiſcopus præeſſe huic negotio. neque conuenit, vt archiepiſcopus, aut epiſcopus ſoluat aut liget eum qui dignè à ſacerdote ſolutus, aut ligatus eſt, quamdiu is qui ſoluit, aut ligauit, vixerit. Patriarcha tamen re cognita habet auctoritatem ſoluendi omnes iſtos; ſi ei viſum fuerit, ſiquidem eſt loco patris familias, qui in eos, & in omnes alios poteſtatem habet. & hic canon non habet excommunicationem.

*De non eligendo ſibi ſucceſſore in epiſcopatu.*

VT nullus epiſcopus dum viuit, alterum eligat qui poſt mortem loco ſuo ſuccedat, nec ex multum *1 propinquis, nec ex primariis ciuitatis; ſed cùm epiſcopus erit mortuus, tunc eligendus eſt aliquis ex ſacerdotibus, aut religioſis qui habitant in monaſteriis per deſertum, aut aliquis de doctrina, & ſtudio ſcripturæ notus, & cuius præſtantia, & probitas ſit cunctis manifeſta. quamuis ſit externus, ordinetur epiſcopus, ſi his condicionibus præditus reperiatur, & diues *2 ſi fuerit, nihil impediet quominus ſit epiſcopus. & hic canon caret excommunicatione. CA. XLVIII.

*Huic Canoni atteſtatur Conc. Antioch. ca. 23. epiſt. Innocentii 1. ad Clerum Conſtant. quæ eſt in lib. 13. Nicephori, c. 32. epiſt. Aug. 110.*

Non facit contra hunc canonem, qui aſſentiente clero, & populo aliquem, qui dignus ſit, deſignat futurum ſucceſſorem, vt Aug. in Eradio fecit. is enim non ab epiſcopo, ſed potius à clero, & populo eligi dicendus eſt. Auguſt. verò à Valerio electus fuit, & ordinatus, vt poſt mortem ſuccederet, quod idem Aug. contra Canonem Nicæ. factum fuiſſe per ignorantiam dicit. ſic igitur intelligendus eſt hic Canon. nullus epiſc. dum viuit, alterum eligat ſine clero, & populo, nec ita cum clero, & populo eligat, vt ordinetur epiſcopus, dum viuit cui ſucceſſurus eſt.

*1 Dixit, nec ex multum propinquis, quia eſſe multum propinquum, vt fratrem, aut filium, aut fratris vel ſororis filium, multum valde poſſet, vt electio huius multum propinqui, quàm facit epiſcopus viuens, à clero, & populo approbaretur; ſimiliter, ſi ex primariis.

*2 Quia ait beatus Iacobus, nònne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad iudicia, & Paul. qui cupiunt, inquit, diuites fieri, incidunt in deſideria multa, inutilia, & nociua, idcirco vt diues ordinatione epiſcopi dignus ſit, explorare oportet, an ſit etiam, ſicut Apoſt. diues in bonis operibus, & an facilè tribuat, & cõmunicet. hinc ſynodus Sardic. c. 10. ſiquis, inquit, diues, aut ſcholaſticus à foro, velit epiſcopus fieri, ne prius fiat quàm in omnibus gradibus miniſterium impleat, vt ſi in ſingulis dignus cenſeatur, poſſit ad verticem dignitatis epiſcopi aſcendere. Cum curialibus coniunxit ſynodus diuites.

*De non ordinando ſimoniacè.*

VT nullus audeat ordinare epiſcopum, aut ſacerdotem, aut diaconum pro quauis re data, ſiue ante ordinationem, ſiue poſt; & qui ſecus fecerit, deponatur. & quicunque contradixerit, ſynodus eum excommunicat. CA. XLIX.

*Teſtatur decretum fuiſſe hoc in concilio Niceno beatus Greg. 16. q. 7. c. peruenit.*

*De epiſcopo vno tantum vnius ciuitatis, & vno tantum parocho vnius villæ; & de non mouendo primo ſiue epiſcopo, ſiue parocho, propter alium ſecundum ab aliqua parte populi petitum, ſi primus vacat à manifeſto crimine.*

VT non ſit niſi vnus epiſcopus vnius ciuitatis, nec in vna Eccleſia villæ ſint duo ſacerdotes; & ſi fuerit magna, poterit ſacerdos habere ſecum diaconos, & ſolus ſacerdos in iis quæ ad altare pertinent, præſit; ſicut ſolus Epiſcopus eſt in Eccleſia ſua ſuperior. & ſi in ciuitate, aut villa, fuerit aliqua diſcordia, ita vt alij hunc ſacerdotem, aut epiſcopum, alij alium velint, debet tunc populus conſiderare hoc iuſtè: & ſi nõ auditur de eo aliquod delictũ manifeſtum, oportet relinquere eum in loco ſuo: ſin verò infamia alicuius peccati in eo reperta fuerit, eiiciendus eſt, & in locum eius alter ſubſtituendus, qui ſit ſine crimine. CA. L. CAN. NIC. 7.

Denique ſecundus epiſcopus, aut ſacerdos non intret in locum primi, ſi primus fuerit manifeſtè probus, ſiquidem copulatus eſt cū eccleſia, ſicut conſtitutum eſt. quæ eſt etiam lex ſæcularibus, vt nemo eorum accipiat in matrimonium per vim vxorem alterius, donec vir eius mortuus ſit, dimittatque eam liberam, vt abeat quò velit. Qui huic Canoni contradixerit, Synodus eum excommunicat.

Iſta ipſa ratione cōparationis, ac ſimilitudinis matrimonij carnalis cum ſpirituali vſus eſt Euariſtus in epiſt.2. & ſicut vir, inquit, nō debet adulterare vxorem ſuam, ita nec epiſcopus eccleſiam ſuam, vt dimittat illam abſque ineuitabili neceſſitate, aut apoſtolica, vel regulari mutatione.

*De non permittenda ab epiſcopo ſeparatione vxoris à viro propter diſcordiam.*

CA. LI.

Tolet.12.c.8.

SI quis vxorem ducat, & poſtea inter eos propter aliquam cauſam non conueniat, & vxor ſit in culpa, quæ cauſam dedit diſcordiæ, debet vir patienter eam tolerare, & cum ea ſocietatem habere, quouſque res adducatur ad concordiam. Quòd ſi non tolerauerit, debet interuenire epiſcopus; & ſi epiſcopo parere illa noluerit, nec audire eum, & à viro diſceſſerit, debet epiſcopus hortari illam ad redeundum; & ſi noluerit redire, debet cogere, vt redeat. Sed ſi vir quæſiuit occaſionem vt ab ea ſepararetur, non eſt ei credendum, quin potius, velit, nolit, cogēdus eſt vt cum ea habitet. Quòd ſi hoc facere noluerit; oportet vt ſeparetur à communione, & ingreſſu Eccleſiæ.

*De fœneratione, & turpi quæſtu clericis interdicto, & de non conuerſando, neque comprandendo cum Iudæis.*

CA. LII. CAN. NIC.17. Ca. Apoſt.44. Carth. 5. Syn. Nic.2.c.17. Syn.6.c.10.

NVLLVS ſacerdos det fœnori, neque quæſtum iniquum faciat, neque ſocietatem cum Iudæis habeat, neque fraternitatem; neque cum eis cibum, aut potum ſumat: ſiquidem ſancti Apoſtoli hoc ſtatuerunt, & hoc fideles facere oportet. & quicunque non paruerit, ſynodus eum excommunicat.

*De coniugio diſparis cultus vitando.*

CA. LIII. Conc. Tolet.3.c.14. Agath.67. Elib.15. & 16. Aurel.2.c.18. Aurel.4.c.13. Amb. epiſt.70. idem lib. de Abr.c.9.

VT Chriſtiani vxores ducant ex quacunque natione, modò ad fidem veniant, ſed non debent Chriſtiani dare filias ſuas nuptum infidelibus, ne ad errorem maritorum peruertantur, & fiant vel Iudęę, vel Gentiles propter infirmitatem ſuam, & procliuitatem ad malum. & qui non paruerit, à ſynodo excommunicatur.

*De electione chorepiſcopi, & de officio eius in caſtellis, & pagis ac monaſteriis.*

CA. LIIII.

ELIGAT epiſcopus ex bonis religioſis qui habitant in deſerto, aliquem qui ſit doctus, & optimis moribus, & maximè omnium qui in vniuerſa illa congregatione ſunt; intelligens, qui nihil de electione ſua cognouerit; & qui ſunt illius congregationis; debent adducere eum, & vnus ex diaconis cōgregationis dicat alta voce, Nos eligimus talem in chorepiſcopum, qui habeat totam poteſtatem in nos, vt ſciant omnes electum eſſe eum in eo gradu. & debet epiſcopus recitare ſuper electū orationem conſuetam; & benedicere illi; dareque ei nomina omnium eccleſiarum, & monaſteriorum quæ ſub poteſtate eius ſunt, vt eligat ipſe, prout melius ei viſum fuerit, eos qui ſint idonei, & in ſermone ſuo cōſtantes, quos eccleſiis, & monaſteriis præficiat; & eis qui curam habent eccleſiarum, ne imponat curam monaſteriorum; & eis qui præfecti ſunt monaſteriis, ne mandet curam eccleſiarum; obligetque eos ad ea loca quæ eis data ſunt; & eat poſtea ad viſitandas Eccleſias, & monaſteria. Qui ſi in aliqua eccleſia, aut monaſterio aliquid deeſſe, aut ſupra quàm opus ſit, abundare repererit, oportet quod vno in loco ſuperfluit, apponere vbi deeſt; id quod cum timore Dei, & ædificatione illorum locorum fieri debet. & ſi fuerint pauci ſacerdotes, debet augere numerum ex illis qui ſunt illius loci; & ſi inter eos non fuerit aliquis illius caſtelli idoneus, vt ordinetur, debet ſumere aliquem ex monaſteriis, vel eccleſiis, & curet vt fiat ſacerdos, vt oratio ſit aſſidua, & non ceſſet miniſterium altaris, deſtituanturque templa oratione, & miſſa, & Chriſtiani non habētes paſtorem nomine & opere ſint ſicut Gentiles. item curet, vt in omni caſtello, & parua villa ſit aliquis qui colligat prouentus epiſcopi ſecundum vires cuiuſque loci; & afferatur ad eum; ſiquidem ad eum pertinet, vt faciat eleemoſynas pauperibus, & peregrinis, & ſacerdotes egentes recreet, vt maneat inter eos charitas. & hic canon caret excommunicatione.

Quod in extrema parte huius Canonis cōtinetur de cura chorepiſcopo habēda, vt ex omnibus caſtellis, & pagis ſuppeditetur epiſcopo ad victū, & eleemoſynas pauperibus & peregrinis & clericis egentibus faciendas, ſatis conuenit cum eo quod ait Damaſus epiſt.4. non fuiſſe iam ſuo tempore neceſſarios, ſicut, inquit, in primitiua eccleſia, vel propter ſtudium, quod erga pauperes exigebant. hos etiam Syn. Neocæſ. c.14. dicit honorari propter ſtudium in pauperes. Deinde quod præcipit Canon, vt epiſcopus recitet ſuper chorepiſcopum orationem, & benedicat ei, declarat quod ait Damaſus fuiſſe olim chorepiſcopos ad formam 70. diſcipulorum, id eſt, non fuiſſe ordinem eorum



niſi presbyterorū tantum, idcirco chorepiſcopus nō. ordinabatur, ſed per orationē benedicebatur. Ad vicem chorepiſcoporum quibus iam nō opus eſt, accedunt nūc viſitatores, quos vocāt. in Mediolanenſi eccleſia vocāt vicarios foraneos. hi ſunt ſacerdotes probati, quos epiſcopus deligit, & certas regiones diœceſis ſuę attribuit inſpiciendas, & luſtrandas, vt in ciuitate ſua gregem qui extra ciuitatem eſt, quaſi præſens intueri, & curare poſſit. quibus qui primi nomen hoc impoſuerūt, videntur mihi nomen chorepiſcopi ab inſpiciendis regionibus interpretati. de horum nomine & officio eſt cap. in ſecunda parte conſt. ſynodi prouincialis Mediolanenſis anni LXVI. R^mo. D. Carolo Borromæo Archiepiſcopo.

*De ratione viſitandi eccleſias, & monaſteria quæ in poteſtate ſua habet chorepiſcopus.*

CA. LV.

Chorepiſcopus cùm viſitat Eccleſias, & monaſteria quæ ſub poteſtate ſua habet, videat an pauci ſint, vel deſint fratres, & ſorores; congreget ſeniores caſtelli, & prædicet, atque exponat eis ſcripturas ſacras; eóſq; de omnibus ſanctis pręceptis admoneat. itē interroget, an habeāt filios, aut filias, & faciat vt ad ſe adducantur, vt ſignet eos; & oret ſuper eos, imponatq; manus, ac benedicat; & inſtituat miniſtros, ſicut prius eos admonuerat; debetque diſtribuere eos per eccleſias, & monaſteria, & prouidere vt [a] diſcant; vt reddantur apti, & idonei ad ædificationem monaſteriorum, & eccleſiarum, & aliorum locorum quæ horū opera indigebunt. & hic canon caret excommunicatione.

Cernitur in hoc Canone ratio quædam ſeminarij miniſtrorum eccleſię ceu veſtigium quoddam Seminariorum quę nuper ſecundum decretum ſynodi Tridentinę inſtituta ſunt. Miniſtri, quos iuxta hunc canonē chorepiſcopi inſtituebant, non erant diaconi neque presbyteri, quos Ancyr. Syn. c.12. prohibet ordinare, ſed iuxta Canonem Antioch. Syn. c.10. lectores, exorciſtæ, & hypodiaconi, qui iuxta Carth. 4. c.5. manus impoſitionem non habent. Quare cùm hic Canon ait, imponatque manus, intelligenda eſt manus impoſitio, non vt imponitur in ordinibus ſacris.

a *De pueris clericis inſtituendis Tolet.4.c.23. Vaſen.2.c.1.*

*De profectione presbyterorum ex caſtellis, & pagis cum chorepiſcopo ad ſalutandum epiſcopum bis quotannis, & religioſorum ex monaſteriis ſemel; & noui abbatis monaſterij ter.*

CA. LVI. Vt ſemel in anno in loco quē epiſcopus elegerit, accepta vocatione abbates cōueniant, Aurel. 15. & 21. Tarrac.2.

VT chorepiſcopus bis per annum congreget presbyteros ad ſalutandum epiſcopum, & tradendum ſe ei, & ad communionem cum eo habendā; & prandeāt cum eo, fiatque hoc in principio anni, & in feſto reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Religioſi tamen ſemel per annum cum eo congregabuntur, quando ei videbitur. Sed qui fuerit tunc primo factus caput in aliquo monaſterio, debet proficiſci ter per annum ad ſalutandum epiſcopum, & tradendum ſe ei: ſemel, & iterum

proficiſcetur ſolus, vt ab epiſcopo adiuuetur in officio ſuo; tertiò cum omnibus ſuis fratribus.

*De loco epiſcopi, archidiaconi, & chorepiſcopi ad ſedendum in eccleſia cùm celebratur officium; & de officio archidiaconi, & de honore archipresbyteri.*

CA. LVII.

LOCVS epiſcopi in oratione ſit in ſummo ſacelli, ſiue capellæ intra locum altaris, vt qui ſit paſtor, & gubernator; poſt eum ſit archidiaconus ad latus dextrum, vt qui ſit loco eius, & præſit omnibus quæ ad orationem, & eccleſiã pertinent; Chorepiſcopus autem ſit poſt archidiaconum ad alterum latus, quia ipſe etiam eſt loco epiſcopi ſuper villas, & monaſteria, & ſacerdotes villarũ, quæ ſub poteſtate eius ſunt. Protopapa verò, id eſt, archipresbyter, quoque honoretur in abſentia epiſcopi tanquam epiſcopus, quia eſt loco eius, & caput ſacerdotum, qui ſub poteſtate eius ſunt in Eccleſia. in omnibus verò quæ ad diaconos ſpectant, quibus præeſt archidiaconus, ſiue quid inimicitiæ, aut peccati, aut litis inter eos ortum fuerit, aut aliud quid quod ad iudiciũ eius neceſſariò pertineat, nihil referat archidiaconus ad epiſcopum, ſed ipſe potius eorum controuerſias dirimat, ſiquidem ſub poteſtate eius ſunt diaconi, & debet leuare epiſcopũ hoc onere. archidiaconus enim præeſt vniuerſo officio orationis, & per eum gubernari, & diſponi debent quæcunque ad eccleſiam pertinent; ne, ſi huic officio deſit, transferatur hoc iudicium, & gubernatio ad ſæculares. quæ quidem poſſit eſſe cauſa, vt meritò clerici minus Epiſcopum timeant, & poteſtas epiſcopi, & ſacerdotum debilitetur, quia non poſſint tueri veritatem; ex quo fiat, vt populus multa peccata incurrat, nec acquieſcat iudicio in quo oporteat acquieſcere; & in vniuerſo populo alij aliis placeant, & non Deo; & hoc etiam populum ab oratione auertat. canon ſine excommunicatione.

Satis cùm his cõgruunt quæ de officio archidiaconi ſcripta ſunt c. adhæc ab Innoc. & diſ. 25. Archidiaconi eſt præeſſe ordinationi eccleſiæ; cõ. Agath. c. 23. Archidiaconi officium ſuggerere epiſcopo conſtitutiones; Tolet. 1. c. 20. Tolet. 4. c. 3.

*De honore habendo archidiacono, & chorepiſcopo, cùm ſedent in eccleſia abſente epiſcopo; & cùm deambulant cum epiſcopo.*

CA. LVIII. Hęc eò ſpectant, vt omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in eccleſia, ſicut Apoſt. præcipit.

QVANDO chorepiſcopus, & archidiaconus ſedent in eccleſia, nullus ſacerdos, neque diaconus Eccleſiæ, neque cuiuſuis alterius gradus clericorum audeat ſedere ſupra illos, præterquàm epiſcopus; quia hi ſunt tanquam duæ manus, & duæ alæ, quibus epiſcopus volat. Sed quando epiſcopus ambulat ſiue in eccleſia, ſiue foris, oportet vt archidiaconus ſit ad dextram, & chorepiſcopus ad ſiniſtram, & epiſcopus ſit inter eos tanquam pater in medio filiorum, & qui non paruerit, ſynodus eum excommunicat.

*De omnibus gradibus clericorum, & miniſteriis eorum publicè deſcribendis, & proponendis.*

CA. LIX. *Ne cum clericis laici miſceantur, Turon. 2. c. 4.*

Deſcribantur, & exponantur omnes gradus clericorum, & miniſteria eorum, ne vlla ſit inter eos diſſenſio; & ne catholici miſceantur, quando venerint clerici aliarum Eccleſiarum, & aliorum monaſteriorum, ſiquidem omnia miniſteria ſunt vniuſmodi in cuncta parœcia, ſiue diœceſi, quæ ſub poteſtate eius eſt.

Fortaſſe non eſt alienum ab hoc canone quod ſcripſit beatus Baſilius in epiſt. ad chorepiſc. vt mitterent deſcriptos in tabella eos qui in ſingulis pagis eſſent hypodiaconi, à quo quiſque lectus eſſet, & vt ſeruarent ſibi chorepiſcopi exemplũ, vt cùm miſſũ ad epiſcopũ recognoſceretur.

*De ra-*



*De ratione eligendi ex diœceſi ad ſacros ordines, & de ratione examinandi eos.*

CA. LX. Huic Canoni atteſtatur epiſ. beati Baſilij ad chorepiſcopos, ex ea enim cõſtat chorepiſcopos nõ diaconos, qui ſunt ordinis ſacri, & ſacrificio miniſtrant, ſed hypodiaconos, & alios miniſtros ordinare potuiſſe, vt ex Canone ſuperiore lvj. liquet, modò eſſent examinati, & probati à presbyteris, & diaconis.

SI qui ſunt ex diœceſi ad ſacerdotium, id eſt ad ſacros ordines eligẽdi, primum quidem adducendi ſunt ad epiſcopum, poſtea examinent eos archidiaconus, & chorepiſcopus, & videant an idoneè, & intelligenter legãt ſcripturas, & an ſciant leges ſacerdotales, & ſtatuta Eccleſiæ. Qui ſi fuerint verè approbati quòd ipſi ſciunt iſta, ſintque verè digni ſacerdotio, & à Deo, qui nouit ſecreta, electi, orabunt pro eis orationem ſolitam, vt fiant digni remiſſione, & accipiant indulgentiam. Poſtea adducendi ſunt ad epiſcopum, vt imponat eis manus, & benedicat, eoſque ordinet: qui cùm erunt ordinati, debet archidiaconus adducere eos ad chorepiſcopũ, vt moneat eos, ne miniſtrent in miniſterio * ſacerdotali, id eſt, ſacrificij, ſed tantum orationis; donec didicerint omnes leges ſacerdotij, & poſtea veniant ad chorepiſcopum, vt videat an in hoc profecerint, & iterum eos de hoc admoneat. non enim licet, vt vllus ex ſacerdotio miniſtret in ſacello, ſiue capella diœceſis ſine licentia chorepiſcopi, quandoquidem ipſe eſt caput illorum. Et ſi archidiaconus nõ fuerit propè, qui fuerint ordinati accipiant litteras à chorepiſcopo ad archidiaconum, qui debet tunc ſuſcipere curam eorũ in iis quæ ad ſtatuta eccleſiæ pertinent, & dare illis curam ſecundum ordinem eccleſiæ. Nec epiſcopus, neque chorepiſcopus debẽt eos à clero remouere ſine archidiacono, ſiquidem ipſe eſt, vt antè diximus, nutritus in ciuitate, & habet totius populi notitiam, pręeſtque officio orationis, & omnibus diaconis. Et quando epiſcopus proficiſcitur ad villam, aut caſtellum diœceſis, nulli debet chorepiſcopus permittere, vt ſine licentia Archidiaconi ordinetur; nec epiſcopus, nec vllus alius ſacerdotem ordinare debet, neque religioſum facere niſi præſente chorepiſcopo, ſiquidem ipſe quoque præeſt officio orationis, & cæteris omnibus quæ in villis ſuis fiunt; & quicumque non paruerit, ſynodus eum excommunicat.

* Miniſtrare in miniſterio ſacerdotali eſt miniſtrare altari, quod presbytero & diacono miniſtro presbyteri conuenit.

*De honore diaconis habendo, ne ſe clerici in eos efferant.*

CA. LXI. Eò ſpectat hic canon, vt omnia in eccleſia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant, ne clerici in diaconos ſe efferant; ſicut in ſuperiore Canone xvij. ne in presbyteros diaconi.

VT diaconi non ſint præcincti cingulis ſuis tempore orationis, quia ſunt liberi, & non dominatur eis niſi Dominus Chriſtus rex vniuerſi mundi, & eorum Deus; hæc eſt enim eorum, qui liberi ſunt, conſuetudo. Serui verò hanc conſuetudinem non habent, quamuis diuites, & potentes ſint; atque hoc honore honorãdi ſunt diaconi, & non alij clerici. Sacerdotes enim ſunt ſerui Chriſti, qui conſtituti ſunt vt præſint eccleſiæ, & orationi, quæ nõ poſſunt ab eis derelinqui. At diaconi oratione, & laudibus finitis, eunt diſcincti quò eis libet ſiue per vias, ſiue per plateas. Hæc de omnibus diaconis, & ſacerdotibus dicta ſunt. & hic canon ſine excommunicatione poſitus eſt.

*De numero presbyterorum, & diaconorum ad miniſterium eccleſiæ, & ad facultatem eius accommodato.*

CA. LXII. Hic Canon canonem Synodi Neocæſ. teſtimonio ſynodi Florentinæ actione 7. corrigit; illa enim iubet vt in

VT non ſint pauci presbyteri in eccleſia, ne deficiat oratio, & miniſterium Eccleſiæ; & ne ſit magnus ſacerdotum numerus, ne ſumptus eccleſiæ augeatur. Quamobrem qui Eccleſiis præſunt, ij quidem quid in hac parte opus ſit, videbunt. atque ita oportet, vt tot in Eccleſia diaconi ſint, quot eccleſia ferre poſſit; & vt illis archidiaconus pręſit, ſicut

ſancti

ſancti Apoſtoli canonibus ſuis conſtituerunt, & ſancti patres,qui ante nos fuerunt; & vt ſint vij.diaconi, qui eccleſiæ ſumptu viuant, ac reliqui gratis miniſtrent.& hic canon non habet excommunicationem.

ciuitate quamuis magna ſint 7.diaconi;hęc verò, vt tot ſint in eccleſia, quot eccleſia ferre poſſit, vt ſi plures ſcilicet nõ poſſit, ſint ſaltem 7.reliqui gratis miniſtrẽt. totidẽ debere eſſe ſcripſit quoq; Euariſtus ante ſynodũ Nic. ad cuſtodiam epiſcopi prædicantis,vt duo eſſent,ſicut ego interpretor,ad dextram,duo ad ſiniſtram,duo retro,& vnus à fronte. poſtquam nõ opus fuit cuſtodire prædicantem,ſucceſſit,vt puto, hic numerus curæ ſeptipartitæ rerũ eccleſiæ:vt in eccleſia Gręca ex diaconis eligitur vnus magnus oeconomus,alius magnus σκευοφύλαξ,hic curam habet ſacrorũ vaſorũ, & veſtimentorum. Alius curam habet ſacrarum domorum,ſiue monaſteriorum; hic eſt magnus ſacellarius. alius ſeruat ſcripta & tabulas de iudiciis,& cauſis;& hic vocatur magnus chartophylax. Alius habet curam ſacrarum domorum quę ſunt in ciuitate,qui curat etiam ornatum altaris;hic vocatur ſacellarius, nos vocamus ſacriſtam. alius curam habet de iis qui ad fidem redeunt, qui præeſt cuſtodiæ legum ſacrarum, & inquirit de homicidiis,& aliis criminibus; hic dicitur πρωτέκδικος. Septimus eſt,qui iſtis omnibus præeſt,archidiaconus. Fortaſſis hæc fuit cauſa,cur ſynodus Nic. ſtatueret, vt ſeptem diaconi eſſent in eccleſia,quæ tot alere poſſet,quòd eſſent hæc omnia ab illis curanda. conſtitutio apoſt. lib. 3. Clem.c.19.iubet,vt numerus diaconorum ſit pro portione multitudinis populi. hic habetur ratio miniſterij obeundi; maior enim multitudo populi plures presbyteros requirit; & plures presbyteri plures diaconos, quia diaconi ſunt miniſtri presbyterorum.

*De œconomo eccleſiæ, & de aliis cum eo, qui curent res eccleſiæ.*

CA. LXIII. VT ſit in vna quaque eccleſia œconomus,& cum eo alij;qui habeāt curam prouentuum,& agrorum;& alij villarum, & ſumptuum quotidianorum;alij frumenti,& leguminum;alij vaſorum auri,& argenti, & veſtimentorum,ac ornamentorum eccleſiæ;alij habeāt curam loci, in quo ſancta Euchariſtia ſeruatur; & quiſque habeat curam eorum quæ ſibi commiſſa ſunt,idque cum timore Dei,& ne inter eos ſit, qui illum ſeruum nequam imitetur,qui talentum Domini ſui abſcondit, & non eſt in eo negotiatus,quem iratus Dominus in tenebras exteriores mitti iuſſit. & hic canon caret excommunicatione.

*De officio in eccleſia horarum diurnarum, & nocturnarum & de oratione pro omnibus qui eam eccleſiam gubernant.*

CA. LXIIII. VT in omnibus horis diurnis,& nocturnis in principio,& in fine orationis fiat cũ deuotione memoria epiſcopi,& oretur pro ſalute eius, & vt oratione eius populus adiuuetur. Sabbato autem,& diebus feſtis, quando ſunt ſancta ſuper altare poſita, diaconus memoriam faciat, nominatim primum Patriarchæ,deinde Archiepiſcopi, epiſcopi, chorepiſcopi,archipresbyteri,archidiaconi,quia iſti ſunt gubernatores eccleſiæ;idcirco nominandi ſunt ad altare in eccleſia,quandoquidem per eos omnia eccleſiaſtica adminiſtrantur,& ipſi ſunt in Eccleſia ſuperiores.& qui contradixerit, ſit excommunicatus.

*De ordine ducendi funus epiſcopi,chorepiſcopi, & archidiaconi, & de officio exequiarum.*

CA. LXV. Quando moritur epiſcopus,debent chorepiſcopus,& archidiaconus præire funeri,vt ſi filij præeant funeri patris; quando verò aliquis horum moritur,debet præire epiſcopus, vt ſi pater præeat filiis mortuis. & legantur in funere ea quæ doctores,& ſancti patres ſpirituales de oratione conſtituerunt.interſintque funeri omnes ſubiecti eis,ſiquidem vocabantur eorum omnium patres,& nũcietur de morte eorum omnibus eccleſiis,& monaſteriis illius parœciæ, vt fiat oratio pro eis. & hic canon caret excommunicatione.

*De ducente alteram vxorem dimiſſa quacunque de cauſa priore,vel etiam non dimiſſa; & de falsò accuſante vxorem de adulterio.*

CA. LXVI. Quicunque ſacerdos, aut diaconus vxorem ſuam propter fornicationem



tionem dimiſerit,aut ob aliam cauſam, vt ſuprà dictum eſt, aut domo eiecerit propter bona externa,vel vt illam altera pulchriore, aut meliore,aut ditiore mutet,vel propter concupiſcentiam ſuam,quod Deo diſplicet,& illa ob has cauſas dimiſſa,ipſe cum altera matrimonium contraxerit;aut non dimiſſa, alteram duxerit,ſiue liberam, ſiue ſeruam,& ambas pariter habeat licet ſeparatim habitantes, & ſingulis noctibus cum altera earum cubet, vel eas in eadẽ domo, vel in eodem lecto habeat,deponatur. Si verò fuerit laicus, prohibeatur communione fidelium. Sin autem falſo aliquis vxorem ſuam de adulterio infamauerit, vt eam dimittat,inquirendum diligenter de hac re eſt; & ſi hoc falſum fuerit,deponatur, ſi ex clero eſt: Sin autem laicus,prohibeatur ingreſſu eccleſiæ,& communione fidelium, & cogatur habitare cum ea quam infamauit,quamuis deformis & pauper,& inſana ſit.& qui non obedierit, à ſynodo excommunicatur.

*De ducente ſimul duas vxores; & de muliere fideli nubente viro infideli, & de forma recipiendi eam ad pœnitentiam.*

Quicunque duas mulieres in matrimonium ſimul acceperit, ipſe cum ſecunda excommunicetur;& quæcunque mulier fidelis viro infideli nupſerit,ipſa quoque à communione fidelium ſeparetur; quæ ſi pœnitentiam maleficij egerit,& eum virum quem habere non poterat,id eſt,infidelem,dimiſerit,non eſt recipienda niſi eo modo quo recipitur is qui poſtquam fidem negauit, ad fidem reuertitur; debetque ipſa infidelem relinquere. erit autem pœnitentia eius qui ad fidem reuertitur, & eius quæ virum infidelem reliquit, ferre cilicium, dormire ſuper cinerem,conſtituendumque eſt eis de ieiunio,& bonis operibus, prout conueniat,& poſtea licebit cum fidelibus conuerſari, & cõmunionem ſacram accipere.& qui cõtradixerit,à ſynodo excõmunicatur. CA. LXVII.

*De dante filiam, aut ſororem neque ſcientem, neque volentem, viro infideli in matrimonium.*

SI quis fidelis filiam, aut ſororem non conſciam, neque volentem, neque cogitantem,neque præſentem dederit nuptum infideli, ſeparabitur,& prohibebitur communione fidelium. ipſa verò quæ data eſt in matrimonium,non eſt prohibenda. Si autem qui hoc fecit,pœnitentia ductus illam ab infideli ſeparauerit, conſtituenda eſt ei pœnitentia ſecundum peccatum eius,quanta ſacerdoti videbitur conuenire illi, & ab eo ſuſtineri poſſe. quòd ſi pœnitentiam patienter ſuſtineat, debet humanius cum eo agere ſacerdos. & qui non paruerit, ſynodus eum excommunicat. CA. LXVIII.

*De fideli diſcedente à fide propter libidinem, & amorem infidelis; & de forma recipiendi eum,aut eam ad pœnitentiam.*

SI quis fidelium mulieri infideli morem gerat propter fornicationem;aut mulier fidelis viro infideli,& ob hanc cauſam à fide recedant, pœnitentia horum ſit,vt ſpatio trium annorum ſtent ad ianuam templi in cilicio,& cinere;& peracto hoc tempore intrent in eccleſiam ad orationem;ſed ita,vt ſpatio vnius anni ſtent in angulo eccleſiæ ab aliis ſeparati;neque liceat eos ſalutare, neque cum eis communionem participare.tranſacto autem anno, debet ſacerdos benedicere aquam, & oleum, CA. LXIX.

oleum, non ſicut benedicitur in baptiſmo, nec vt benedicitur chriſma, ſed vt oleum infirmorum, & vt benedicitur aqua ad emundationem immunditiæ eorum qui comederunt morticinum; & ſic debet eis benedicere ſacerdos, & aſpergere eos aqua iſta, & ipſi etiam debent compungi, & mundabuntur, remitteturque eis peccatum orando pro ipſis. faciendaque eſt diligens de eis inquiſitio, & ſic dabitur communio. & qui non paruerit, ſynodus eum excommunicat.

*De hoſpitali faciendo in omni ciuitate, & de electione præfecti & de officio eius.*

CA. LXX.

VT ſit in omnibus ciuitatibus locus ſeparatus peregrinis, infirmis, & pauperibus, qui vocetur xenodochium, id eſt, hoſpitium peregrinorum. Et eligat epiſcopus aliquem ex fratribus qui habitant in deſerto, qui ſit peregrinus, & procul diſtet à patria, & à familia domus ſuæ, qui ſit etiam vir probus, & hunc præficiat xenodochio, qui in eo faciat lectos, & quæcunq; infirmis, & pauperibus opus ſunt. Quòd ſi bona xenodochij non ſufficiant, debet colligere omni tempore, & ex omnibus Chriſtianis prouiſionẽ ſecundũ vniuſcuiuſque vires. atque his facultatibus ſuſtẽtet fratres peregrinos, & pauperes, & infirmos, vt cuiq; opus erit, ſiquidẽ ipſe eſt protector eorũ ad adiuuandum eos, & eis diligenter prouidẽdũ; quia in hoc opere eſt remiſſio peccatorũ, ſolutio iniquitatis, & appropinquatio ad Deum. & hic canon eſt ſine excõmunicatione.

*De collocando epiſcopo aut archiepiſcopo in ſua ſede poſt ordinationem, quæ dicitur inthronizatio.*

CA. LXXI.

CVM archiepiſcopus epiſcopum ordinauerit, oportet vt mittat epiſcopum cum eo, qui illum introducat in ciuitatem, & in eccleſiam, & faciat ſedere primo die in throno; & poſtquam tribus menſibus in ciuitate ſua reſederit, debet archiepiſcopus cùm viſitat, ſalutare eum, & committere archipapæ, id eſt, archipresbytero, & archidiacono, vt eũ in ſtatutis epiſcopatus examinent, & ſi repererint didiciſſe eum omnia perfectè, confirmabitur in epiſcopatu, & in ſtatutis eius. Sic etiam facere debent patriarchæ ſuis archiepiſcopis. & qui contradixerit, Synodus eum excommunicat.

*Vt nulli liceat de eccleſia in qua ordinatus eſt, ad aliam ſe transferre. & de tranſlatione eius qui per vim eiectus eſt ſine culpa.*

CA. LXXII.
NICÆN. 15.
*Apoſt. c. 14. Ant. c. 21. Chalc. 5. 12. 2c. Sard. 15.*
Differt hic Canõ à ſuperiore 13. quòd ille prohibet, ne quis patiatur eligi ſe ab alia eccleſia acquieſcens electioni, vt eccleſia ſua relicta, in qua ordinatus eſt, ad illã à qua electus eſt, tranſeat; & ne det operam, vt ab eo in cuius poteſtate eſt, trãsferatur.

NVLLVS epiſcopus ab epiſcopatu minore ciuitatis & territorij, vbi ordinatus eſt, ad alterum propter caritatem annonæ, aut propter paruitatem ciuitatis, aut paucitatem populi, & paucitatem monaſteriorum tranſeat; idem requiritur in maiore, quia non conuenit hoc, ſiquidem vnuſquiſq; ſortem habet à Deo; nam & hoc ſtatutum eſt maritis. quicunque enim laicus vxorem ſuam repudiat, excepta cauſa fornicationis, mœchatur, quia hoc facit, vt eam altera meliore mutet. Sic ſunt epiſcopi, & ſacerdotes, ſi ciuitates ſuas, & altaria pro aliis maioribus relinquant. idcirco hanc prauam conſuetudinem prohibuimus, & reſecauimus. Quòd ſi epiſcopus propter cauſam aliquam è ciuitate ſua expulſus fuerit, non debet quęrere alium locum, vt ad eum tranſeat, quia per vim eiectus eſt; & tunc oportet conſtituere eum in alia ciuitate, ſi tamen perſpectum fuerit eſſe eum mũdum, & ſine crimine, iuſtum, ac fidelem,



fidelem, & aliqua culpa eius non extiterit cauſa expulſionis. Quòd ſi primus locus erat paruus, & cognitum fuerit eſſe eum dignum archiepiſcopatu, creandus eſt archiepiſcopus in ea ciuitate quæ archiepiſcopo indigeat. Quòd ſi mutatur iſte ad maiorem epiſcopatum, nihil obſtat, quia non propter deſiderium ſuum, ſed propter neceſſitatem tranſlatus eſt. Similiter presbyteros, & diaconos per caſtella, & vicos non oportet relinquere altaria ſua, & transferre ſe ad alia, ſed manere vbi ſunt ordinati, niſi de licentia chorepiſcopi ex cauſa iuſta, & ad profectum vitæ, & fidei: quòd ſi ſponte ſua hoc fecerint ob aliquam cauſam ex ſupradictis, non licebit hoc illis, quin potius mouẽdi ſunt gradu ſuo qui hoc commiſerint, & non eſt admittenda eorum excuſatio. Et hic canon caret excommunicatione.

hic verò prohibet ſimpliciter, ne quis ſua volũtate à ſua eccleſia ad aliam, quæ ei magis placet, trãſeat.

*De non eligendo ſacerdote à laicis per caſtella, & pagos ſine auctoritate chorepiſcopi, nec abbate per monaſteria; & de non præcipiendo, vt aliquis eligatur poſt mortem ſuam; & quando hoc liceat ſuperiori.*

CA. LXXIII.
Differt hic Canon à ſuperiore 49. quòd ille prohibet ne epiſcopus dum viuit eligat ſucceſſorẽ; hic prohibet, ne deſignet qui eligatur poſt mortem, ſi cõſanguineus, aut nationis ſuæ ſit, ne ſuſpicio eſſe poſſit, quòd affectioni hoc tribuat, & non meritis.

VT non audeant laici qui ſunt in pagis, eligere ſibi ſacerdotem, neque monachi ſuperiorem ſine auctoritate chorepiſcopi. quòd ſi aliquis ſuperior dùm viuit, præcipiat, vt aliquis poſt mortem ſuam loco ſuo ſuccedat, non ſuccedet iſte, ſi ſit nationis ſuæ, aut conſanguineus: ſuccedet tamen ſi ſit quiſpiam ex filiis prædeceſſoris propter vtilitatem, probitatem, ſanctitatem, continentiam, & timorem Dei, vt omnes ſint mundi à vitiis. Et hic canon caret excommunicatione.

*De habitatione ſororum, viduarum, & diaconiſſarum in monaſterio retinenda, & de ratione docendi eas, & de electione diaconiſſarum, & officio atque vſu earum.*

CA. LXXIIII.

VT monaſteria non relinquantur ſine ſororibus, inter quas erunt mulieres viduæ; & conſtituatur illis probus magiſter, qui doceat eas legere libros, & pſalmos, donec bene didicerint, præſertim diaconiſſæ. Hæ autem ex iis eligantur quæ non malè audiant ex eo vſque tempore quo fuerunt adoleſcentulæ; ſintque annos natæ lx. ſicut beatus Paulus ordinauit; & huiuſmodi diaconiſſæ ad hoc ſolum paratæ ſint, vt feminas in baptiſmo ſuſcipiant. & hic canon caret excommunicatione.

*De non eligendo ambiente electionem, quamuis virtute præſtante, & de non prohibenda electione laici ad dictos gradus, & de non priuandis electis ante mortem niſi propter crimen.*

CA. LXXV.

SI congregatio fidelium alicuius parœciæ elegerit aliquem præſtantiorem aliis doctrina, prudentia, & fide ex iis qui miniſtrant altari, aut ex monachis, id eſt, ex ſacerdotibus monaſteriorum, vt ſit epiſcopus, aut archidiaconus, aut chorepiſcopus, aut præfectus xenodochij, id eſt, hoſpitalis, non debet ambire ille qui eligitur, alioqui eiiciatur ex congregatione. Quòd ſi laicus fuerit, non eſt prohibẽdus quin eligatur, & electus non eſt priuandus ante mortem, niſi propter crimẽ maritus ſit. alios verò gradus clericorum ij qui præſunt, priuare poſſunt, quando eis viſum fuerit. Et qui non paruerit, ſynodus eum excommunicat.

*De alio habitu, & aliis moribus, ac conuerſatione monachorum, & monialium.*

CA. LXXVI.
Meminit huius Canonis Nicæni Gratianus 16. q. 1. c. placuit.

VT religioſi tum monachi, tum moniales, habeāt alia indumenta & alios mores, quàm habēt laici, ac tondeant caput in modum coronæ, & cingant ſe honeſtè, neque ſigillis aureis, aut argenteis obſignent, neque ferant crumenam ad latus, neque cultellos, ſicut ſolent milites, & homicidæ, quando eunt ad bellum, & homicidium, & ſicut ſolent alii ex mercatoribus, & peregrinis ferre crumenam ad voluntatem ſuam ſicut omnes ex populo: Quin potius ſint probi, & inter ſe, & alios patientes, & neant per plateas niſi cum modeſtia, nec inter ſe iocularitet, & ridiculè loquantur, nec alius alium irrideat, aut ludat, ſed potius ſilentium teneant, & grauitatem, pręſertim apud aduerſarios fidei, ſintque in omnibus quę ad honorem eorum pertinēt, patientes, & in omnibus moribus perfecti. & hic canon caret excommunicatione.

*De epiſcopo deprehenſo in adulterio, aut alio ſimili crimine, deponendo tantùm ſine ſpe reſtitutionis in eundem gradum, & non excommunicando.*

CA. LXXVII.
*Can. Apoſt. 25. Leo epiſ. 92. c. 2. Baſil. c. 3. ſyn. Carth. 27.*

SI quis epiſcopus deprehenſus fuerit in adulterio, aut in alio ſimili crimine, deponendus eſt, neceſt amplius in eundem gradum reſtituendus. Quòd ſi pœnitentiam egerit, non eſt ſocietate fidelium, neque ſacra communione prohibendus, quia non eſt eadem ratio peccati eius, & peccati laici. & qui contradixerit, ſynodus eum excommunicat.

Quod hic dicit Canon, non eſſe eandem ratione peccati laici, & epiſcopi, ſic intellexit Leo, quia ſcriptū, inquit, eſt, ſacerdos ſi peccauerit, quis orabit pro eo? idcirco alienum eſt, inquit, ab eccleſiaſtica cōſuetudine, vt qui in presbyterali honore, aut gradu diaconi fuerint conſecrati, pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitentiæ. Et ſubiungit, vnde huiuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam expetenda eſt priuata ſeceſſio, vbi illis ſatisfactio ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa. beatus Baſil. aliam cauſam eſſe iudicauit, cur iſti deponantur tantùm, & non excommunicentur; quia ſcilicet ſatis videatur crimen vindicatum depoſitione, ex qua nunquam reſtituendus ſit, vt reſtitui ſolet laicus in eundem gradum, poſtquam fuerit ei interdicta eccleſia, ſcriptum eſt enim, non vindicabis bis in idipſum, quod eſt etiam in Canone Apoſt. citatum.

*De lapſis ſemel tantùm in adulterium presbyteris, et diaconis, ſi nunquā duxerant vxores, & de eiſdem lapſis viduis, & lapſis habentibus vxorem ſuperſtitē; item de reuerſis ad idem peccatū tum viduis tum habentibus adhuc viuas vxores. & qui ex his nō recipiendi ad pœnitentiam, & qui ſemel tantùm, & qui bis.*

CA. LXXVIII.

SI quis ſacerdos lapſus fuerit in adulterium, & hoc peccatum nunquam antea commiſerit, quin potius ſemper bene audierit, & non duxerat vxorē, ſed erat virgo; pœnitentia eius erit in ieiunio, & oratione, & de eleemoſynis ſecundū vires vno anno; quo exacto debet redire ad cōmunionem fideliū, & cōmunionē ſacram, & ad miniſterium, & ſacrificiū vt prius, & deinceps attendere diligenter, & cauere ſibi per vniuerſum vitæ tēpus. Si verò ad idem peccatū reuerſus fuerit, deponendus eſt omnino, & non eſt prohibendus communione fidelium, & ſacra communione. Quòd ſi vxorem duxit; imponenda eſt ei duplex pœnitentia. idem ſeruandum eſt in diacono; qui ſi ad idem ſcandalum redierit, omnino deponendus eſt; quod quidem intelligendum eſt, ſi fuerit viduus: nam ſi vxorem duxit, & adhuc viuit, & cum eo habitat, debet remanere in pœnitentia, & tribus annis excommunicatus. denique in his omnibus epiſcopus cùm primum in hoc peccatum lapſus fuerit, debet ex gradu ſuo cadere, cui nō eſt pœnitentia imponēda, neq; cōmunione fideliū, neq; cōmunione ſacra prohibēdus: Sacerdos ἄγαμος, id eſt, qui nunquā vxorē habuit, vel viduus, recipiēdus eſt ad pœnitentiā; qui vxorē habet, nō eſt recipiendus: Diaconus ἄγαμος, id eſt; qui nunquā habuit vxorē, vel viduus, bis eſt



bis eſt ad pœnitentiam recipiendus; diaconus coniugatus ſemel: & non erunt prohibiti communione fidelium, & communione ſacra, ſed miniſterio altaris. Alij verò ex clero, & monachi, & laici, ſi huiuſmodi peccatum commiſerint, fiet iudicium de eis, vt eorum iudici, & ei qui eis præeſt, prout pœnitentiæ conuenit, viſum fuerit: & non debet qui eis præeſt, & iudex imponere grauem pœnitentiam quæ noceat, neque leuem, ne currant ad peccatum, & eorum damnatio creſcat; & qui nō paruerit, ſynodus eum excommunicat.

*De remedio cuicunque fidelium, dum adhuc peccatum eius non eſt manifeſtum; per priuatam exhortationem, & admonitionem adhibendo, & de excommunicando, ſi non profecerit.*

CA. LXXIX.
Interpres eſt hic Canon quando quis frater in me peccare dicendus eſt, ſcilicet, quādo peccatum commiſit, cuius contagio in reliquū corpus peruadere poteſt, niſi pœnitētia corrigatur: aut ſi nolit corrigi, ex eccleſia eiiciendus ſit.

ET quicunque ex eccleſia aliquid indignum faciat, adhibebitur ei remedium per exhortationem, & diligentem admonitionem, dum nō eſt manifeſtum quod facit, vt non perſeueret in eo, & diſcedat à via ſanctorum Dei, eorumque conuerſatione; imponeturque ei pœnitentia prout conueniet. Quòd ſi pœnitentia, & exhortatione non emendetur, ſeparetur à communione fidelium, & abſcondatur tanquam membrum putre, ne contagio eius in reliquum corpus peruadat. & qui non paruerit, ſynodus eum excommunicat.

*De electione procuratoris pauperum, & de officio eius.*

CA. LXXX.
Sic hodie vocatur Romæ procurator pauperū, qui eos qui ſunt in carcere, iis modis adiuuat quibus hic Canon adiuuare præcipit; quem diſertū eſſe vult, vt cauſas eorum bonas poſſit defendere. eſt autem rationi conſentaneū, ex eo tempore, cùm habita eſt hęc ſynodus Nic. & epiſcopi in ſuis ciuitatibus præſidio, & ſtudio magni Conſtantini florere cœperūt, veniſſe in vſum hunc Canonem pietatis pleniſſimum, qui vtinā in omni ciuitate Chriſtiani nominis ſiaciatur, ſi fortè nō eſt ſacitus.

ELIGATVR in omni ciuitate aliquis ſæcularis, vel religioſus, qui ſit diſertus, & patiens, & quem manifeſtum ſit via recta, & orthodoxa incedere, habitetque prope Eccleſiam, aut in hoſpitali, & habeat apud ſe bona hoſpitalis, & prouideat hoſpitali, & ęgrotis; prouideat etiam iis qui in carcere ſunt. Quòd ſi inter eos qui ſunt in carcere, aliquem Chriſtianum reperiat qui ſit dignus vt liberetur, debet adiuuare eum vt à carcere liberetur. Et ſi quid ei opus fuerit, aut victu indigeat, & non poteſt habere ab iis qui ſunt in cuſtodia, liberare. & ſi cui opus fuerit aliquo ſponſore, debet quærere qui pro illo ſpōdeat, vt liberetur. Et ſi quis fuerit alicuius criminis grauis reus, & non ſit dignus liberatione, debet ſaltem adiuuare eum, ne ei victus, & veſtitus deſint; neque debet differre ſubſidium, neque negligens eſſe in omni eo quod ad cauſam eius expediendā pertineat; quouſque iuſtè, & vt meritus eſt, iudicetur; quia ignorant homines quæ ſibi, aut filiis euenire poſſunt. mundus* enim & caſus eius ſunt in tribulationibus, & moleſtiis poſiti. Et ſi quis ex fidelibus bona ſua epulando, potando, & ſcortando conſumpſerit, & ob hanc cauſam in hanc neceſſitatem inconſideratè incidit, non eſt deſerendus, ſed debet vnuſquiſque fidelium tum virorum, tum feminarum, dare ſecundum vires ſuas, & bonam voluntatem, & colligatur hoc, vt ille à creditoribus, & afflictione liberetur. Et hic canon caret excōmunicatione.

*Interpretatus eſt Canon illud in epiſt. Ioan. c. 5. mundus totus in maligno poſitus eſt; malignum enim vocat tribulationes, & moleſtias, quibus mundus refertus eſt.

LAVS DEO.

*Canones ſanctorum cccxviij. patrum, qui congregati fuerunt Nicææ. eorum orationes ſint cum eo qui eos conſiderat, & legit, & deſcribit. Amen.*

# NICOLAI PRIMI RESPONSA AD CONSVLTA BVLGARORVM.

AD conſulta veſtra non multa reſpondenda ſunt; nec duximus per ſingula diutius immorari, qui Deo auctore non ſolũ libris diuinæ legis, verùm etiam & miſſos noſtros idoneos, qui vos prout tẽpus & ratio dictauerit, de ſingulis inſtruant, ad patriam veſtram, & ad glorioſum Regem veſtrum dilectum filium noſtrum deſtinauimus, quibus & libros quos præuidimus neceſſarios illis nunc eſſe, commiſimus.

Cap. I.

IGITVR optimè ac laudabiliter in prima quæſtionum veſtrarum fronte Regem veſtrum legem Chriſtianam petere prohibetis; quæ ſi latiùs explicari tentatur, innumeri ſcribendi ſunt libri: ſed vt cõpendio, in quibus præcipuè conſtet, oſtẽdatur, ſciendũ eſt, quia in fide, & bonis operibus lex Chriſtianorũ ſubſiſtit. Nam fides prima eſt omnium virtutum in conuerſatione credentiũ. Vnde & prima die lux eſſe dicitur, cùm à Deo fiat lux dictũ fuiſſe deſcribitur, id eſt, illuminatio credulitatis appareat. Siquidem & propter hanc Chriſtus in terram deſcendit, opus autem bonum nihilominus à Chriſtiano exigitur, quẽadmodum in lege noſtra ſcriptum eſt, corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt. hæc eſt lex Chriſtiana, hæc eſt, quam quiſque legitimè cuſtodiens omnino ſaluabitur.

*In quibus cõſiſtat lex.*

Cap. II.

ITA diligere debet homo eum qui ſe ſuſcipit ex ſacro fonte, ſicut patrem; quinimmo quanto pręſtantior eſt ſpiritus carne, quòd illud ſpiritale eſt patrocinium, & ſecundum Deum adoptio, tanto magis ſpiritalis pater in omnibus eſt à ſpiritali filio diligendus. Marcus enim euangeliſta Petri diſcipulus, & ex ſacro fuit eius baptiſmate filius, quem niſi dilexiſſet vt patrem, ei non in omnibus obediſſet vt filius. nulla verò inter eos & filios eorum conſanguinitas eſt, quoniam ſpiritus ea quę ſanguinis ſunt, neſcit, caro enim, ſecundũ Apoſtolum, concupiſcit aduerſus ſpiritum: hæc enim inuicem aduerſantur. Eſt tamen alia inter eos gratuita, & ſancta communio, quæ non eſt dicenda conſanguinitas, ſed potius habenda ſpiritualis proximitas. Vnde inter eos non arbitramur eſſe quodlibet poſſe cõiugale connubiũ, quandoquidẽ nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filij ſunt, venerandæ Romanæ leges matrimonium contrahi permittunt. Siquidem primus inſtitutionum liber cùm de nuptiis loqueretur, inter cætera, inter eas, inquit, perſonas, quæ parentium liberorúmue locum inter ſe obtinent, nuptiæ contrahi non poſſunt, veluti inter patrem & filiam, vel auum & nepotem, vel matrem & filium, vel auiam & nepotem, & vſque ad infinitum, & ſi tales perſonæ inter ſe coierint, nefarias atque inceſtas nuptias contraxiſſe dicantur. & hæc adeò ſunt, vt quamuis per adoptionem parentium, liberorúmue loco ſibi eſſe cœperint, non poſſint inter ſe matrimonio iungi. Itaque eam quæ mihi per adoptionem filia, aut neptis eſſe cœperit, non potero vxorem ducere; & infrà, ſi quis per adoptionem ſoror eſſe cœperit, quãdiu quidẽ conſtat adoptio, ſanè inter me & eã nuptiæ cõſiſtere nõ poſſunt. Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium quos adoptio iungit, quanto potius à carnali oportet inter ſe contubernio ceſſare, quos per cæleſte ſacramentum regeneratio ſancti ſpiritus vincit? Longè igitur congruentius filius patris mei, vel frater meus appellatur is quem gratia diuina, quàm quem humana voluntas, vt filius eius, vel frater meus eſſet, elegit; prudentiuſque ab alterna corporis commixtione ſecernimus, quoniam ſpiritus ſanctus ſua nos charitate

*De compatribus.*



charitate coadunauit, quàm ſi vel carnalis neceſſitudo, vel inuicem nos mutabile cuiuſdam corruptibilis hominis arbitrium copulaſſet.

CONSVETVDINEM quam Græcos in nuptialibus contuberniis habere dicitis, commemorare, prolixitatem ſtyli vitantes, carptim morem quem ſancta Romana ſuſcepit antiquitùs, & hactenus in huiuſmodi coniũctionibus tenet eccleſia, vobis monſtrare ſtudebimus. Noſtrates ſiquidem tam mares, quàm feminæ, non ligaturam auream, vel argenteam, aut ex quolibet metallo cõpoſitam quando nuptialia fœdera contrahũt, in capitibus deferunt, ſed poſt ſpõſalia, quæ futurarum ſunt nuptiarum promiſſa fœdera, quæque conſenſu eorum qui hæc contrahunt, & eorum in quorum poteſtate ſunt, celebrãtur, & poſtquã arrhis ſponſam ſibi ſponſus per digitũ fidei à ſe annulo inſignitũ deſponderit, dotemque vtrique placitam ſponſus ei cum ſcripto pactum hoc continente coram inuitatis ab vtraque parte tradiderit, aut mox aut apto tẽpore, ne videlicet ante tempus lege definitũ tale quid fieri præſumatur, ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primum quidem in eccleſia Domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per ſacerdotis manũ ſtatuuntur, ſicque demum benedictionem, & velamen cæleſte ſuſcipiunt, ad exemplum videlicet quos Dominus primos homines in paradiſo collocans benedixit eis dicens, Creſcite, & multiplicamini, &c. Siquidem & Tobias antequam coniugem conueniſſet, oratione cum ea Dominum oraſſe deſcribitur. Verũtamen velamen illud non ſuſcipit, qui ad ſecundas nuptias migrat. Poſt hæc autem de eccleſia egreſſi coronas in capitibus geſtant, quæ ſemper in eccleſia ipſa ſunt ſolitæ reſeruari. Et ita feſtis nuptialibus celebratis, ad ducendam indiuiduam vitam Domino diſponente de cætero diriguntur. Hæc ſunt iura nuptiarum; hæc ſunt præter alia quæ nunc ad memoriã non occurrunt pacta coniugiorum ſollemnia; peccatum autem eſſe, ſi hęc cũcta in nuptiali fœdere non interueniant, non dicimus, quemadmodum Græcos vos aſtruere dicitis, præſertim cùm tanta ſoleat arctare quoſdam rerum inopia, vt ad hæc præparanda nullum his ſuffragetur auxilium, ac per hoc ſufficiat ſecũdum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum coniunctionibus agitur. Qui conſenſus ſi ſolus in nuptiis fortè defuerit, cetera omnia etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur, Ioanne Chryſoſtomo magno doctore teſtãte, qui ait, matrimonium non facit coitus, ſed voluntas. Iam verò quod ſciſcitamini ſi muliere propria defuncta poſſit vir alterã ducere, ſcitote per omnia poſſe, Paulo egregio pręd icatore conſilium dante, qui dicit, Dico autem nõ nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic maneant, ſicut & ego; quòd ſi ſe nõ continent, nubant. & iterum, mulier, inquit, alligata eſt, quanto tempore vir eius viuit; quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt; cui vult, nubat tantùm in Domino. Quod enim de muliere ſanxit, & de viro intelligẽdum eſt; quia è contra ſępe ſancta ſcriptura de viro loquitur, ſed & de muliere nihilominus dicere ſubintelligitur. Ecce enim dicimus, Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, &c. & iterũ, Beatus vir qui timet Dñm; vbi non ſolũ virũ, ſed & feminã, quæ nõ abiit in cõſilio impiorũ, & quę timet Dñm, beatã eſſe nõ immeritò credimus.

Capvt III.

*c. noſtrates. 30. q. 5.*

*Sufficiat. 27. q. 2.*

*2. c. Matrimonium. 27. qu. 2.*

QVOT tẽporibus, vel diebus in circuitu ſit anni à carnibus abſtinendũ, nũc vobis qui rudes eſtis, & in fide quodãmodo paruuli, ſuperfluè ducimus exponendũ. verũ interim in diebus ieiuniorũ, in quibus per abſtinentiã, & lamẽtũ pœnitẽtiæ pręcipuè Domino ſupplicandũ eſt, modis omnibus eſt à carnibus abſtinendũ. Quoniam licet omnibus orare & abſtinere conueniat, ieiuniorum tamen temporibus amplius abſtinentiæ inſeruire oportet, videlicet, vt

Capvt IIII.

qui ſe ſciuerit illicita perpetraſſe ſecundũ ſacra decretalia in his etiam à licitis ſe quibuſdã abſtineat, quadrageſimali videlicet tẽpore, quod eſt ante paſcha, ieiunio poſt Pentecoſten, ieiunio ante ſollemnitatem Aſſumptionis ſanctæ Dei genitricis, & ſemper virginis Dominæ noſtræ Mariæ, nec non ieiunio ante natalis Domini noſtri Ieſu Chriſti feſtiuitatem, quæ ieiunia ſancta Romana ſuſcepit antiquitùs, & tenet Eccleſia. In ſexta verò feria omni hebdomadę, & in cũctis vigiliis inſignium feſtiuitatum à carnium eſu ceſſandum, & ieiuniis incumbendum, vt veraciter cum pſalmo dici valeat, Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinũ lætitia. Si quis verò veſtrum aliis voluerit fortè diebus à carnibus abſtinere, non ſunt prohibendi: quoniam quanto quis hic in lacrymis magis ſeminauerit, tanto amplius in gaudio meſſurus eſt in vita ęterna. Nos tamen vobis, qui, vt prętulimus, adhuc rudes eſtis, & lacte tanquam paruuli nutriendi, non graue potuimus iugum, donec ad ſolidum cibum veniatis, imponere. Verùm ſicut hoc interim cauemus ita, vt prohibita non contingatis, modis omnibus admonemus; protoplaſti quippe ſolum pomum guſtando vetitum de paradiſi amœnitate propulſi ſunt.

Cap. v. QVARTA feria quamuis è ceteris diebus præter ſextam feriam ſit amplius mæroribus operandum pro eò quod Dominus ipſo iam die in corde terræ, id eſt Iudæ traditoris, quodammodo ſepultus erat, dum hunc ipſe morti tradere meditabatur, tamen ſi veſtrum quis eodem die vult, poteſt omnino carnes comedere, niſi fortè ſibi aut à ſacerdote eſſet interdictum, quoniam ſcriptum eſt, Melius obedientia, quàm ſacrificium; aut ipſam feriam inter dies ieiuniorum euenire contigerit, quoniam Ionathas indictum à patre ieiuniũ modicum mellis guſtando violans, ad occidẽdum ab ipſo patre quæſitus eſt. aut certè ipſe ſe voto ipſo die carnes non comeſſurum cõſtrinxerit, quoniam ſcriptum eſt, Vouete, & reddite Domino Deo veſtro. Sexta verò feria paſſionem Dominicam, & Apoſtolorum mæſtitiam recolẽtes, ab omnium carniũ epulis, & pinguedine guſtus noſter arcendus eſt, præter ſi natiuitas Domini, & Epiphaniorum eius, aut feſtiuitas beatæ matris Domini, & intemeratæ virginis Mariæ; ſeu Apoſtolorum principum Petri, & Pauli, atque ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſeu beati Ioannis Euangeliſtæ, nec nõ & clauigeri cæli germani Andreæ ſcilicet Apoſtoli, quin etiam & beati Stephani protomartyris ipſo die fortaſſis euenire contigerit. Nam quòd ſancta eccleſia, vt fidelis anima, in feſtiuitate eorum ieiunia, vel abſtinentias quæ nõ ſunt perpetuo voto propoſitæ, ſoluere debeat, Dominus teſtatur in Euangelio dicens, Mulier cũ parit, triſtitiam habet; cùm autem peperit puerum, iam non meminit preſſurę propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum: mulierem dicit ſanctam Eccleſiam. Sicut enim mulier nato in hunc mundum homine lætatur, ita Eccleſia in vitam futurã fidelium populo migrante digna exultatione repletur; pro qua eius natiuitate multũ laborans, & gemens in præſenti quaſi parturiẽs dolet. nec nouum debet cuiquam videri, ſi natus dicitur qui ex hac vita migrauerit. quomodo enim vſitato more dicitur naſci, quando quis ex vtero materno procedens in hanc lucem exit; ſic quoque iure natus appellari poteſt quilibet ab huius ſæculi tenebris ad lumen pertingẽs viuentium. pro qua ergo re aptè cõſuetudine tenetur eccleſiaſtica, vt ſollemnes beatorum martyrum, vel confeſſorum Chriſti dies, quibus de hoc mũdo ad regionem migrauere viuorum, nuncupentur natales; ſed & corũ ſollemnia non funebria tanquam morientium, ſed vtpote in vera vita naſcentium natalitia vocitentur. Ergo ſi tunc natis vtique Deo, cui omnia viuunt, in cuius manu iuſtorum animæ



animæ poſitæ ſunt, quando viſi ſunt oculis inſipientium mori, mulier ſancta iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundũ, id eſt, in lucem æternã. quòd ſi de eius natiuitate lętatur, non ieiuniis, non abſtinentiis, non denique vllis debet ipſo vacare die mæroribus.

PORRO dicitis, quòd affirment Græci dicentes, quòd nullo modo in quar- Cap. vi.
ta, & ſexta balneari debeatis, de quo id nos è cõtra vobis conſulentibus reſpondemus, quod beatus Papa Gregorius, & Anglorum gentis Apoſtolus Roma- c. peruenit.
nis de Dominico die ſermone quodam habito prædicaſſe legitur: Etenim ad de conſ. diſ. 3.
me perlatum eſt, vobis à peruerſis hominibus eſſe prædicatũ, vt Dominico die nullus debeat lauari: & quidem ſi pro luxu animi, atque voluptate quis lauari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus: ſi autem pro neceſſitate corporis, hoc nec Dominico die prohibemus; ſcriptum quippe eſt, Nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam; & rurſum ſcriptum, Carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis. Qui igitur carnis curam in concupiſcentiis fieri prohibet, profectò in neceſſitatibus concedit. Nam ſi Dominico die corpus lauare peccatum eſt, lauari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc exigente neceſſitate toto corpori negetur? itaque quod hic pręſul eximius, & ſuauiſſimus doctor in Dominico die, qui cæteris diebus venerabilior eſt, conceſſit, nos quoque in quarta & ſexta feria non negamus, hanc videlicet diſcretionem ſeruantes, vt ſiquidem pro luxu animi, atque voluptate quis lauari appetat, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedamus. Si autem pro neceſſitate corporis, hoc nec quarta, nec ſexta feria prohibeamus.

SCISCITAMINI præterea, ſi liceat crucẽ Domini cum reliquiis mundo ſiue Ca. vii.
immundo hanc habenti oſculari, vel portare; quod ei qui mundus eſt, omnino licet; nam in oſculo quid niſi amor, quo quiſque circa ea flagrat, innuitur? & in deportatione verò eius quid niſi mortificatio carnis, vel compaſſio proximorũ exprimitur? ſiquidem hanc & Dominus baiulare pręcipit, ſed in mente; verùm & cùm corpore geſtatur, vt & mente geſtari debeat, facilius admonetur; crux quippe à cruciatu dicitur, &, vt præfatus exponit antiſtes, duobus modis crucẽ Domini baiulamus, cùm aut per abſtinentiam carnem afficimus, aut per compaſſionem proximi, neceſſitatem illius noſtram putamus. Igitur crucem Domini, paſſionem eius venerãtes, oſculamini; & pro eius amore, ſi neceſſitas exigit, eadem cogitatione armamini; portate eam, ſed cum ſumma reuerentia, & corpore, & corde mundiſſimo, ita vt à mente veſtra nunquam decidat, id eſt, vt & per abſtinentiam carnem ſemper afficiatis, & per compaſſionem neceſſitatem proximorum veſtram putetis. Qui enim dolorem exhibet in aliena neceſſitate, crucem portat in mente. Immundum autem hanc portare nullo pacto permittimus; ſcriptum quippe eſt, Mundamini qui fertis vaſa Domini; nullũ verò Domini vas ſacratius eſt cruce Dominica, quę ipſum portare Dominum meruit. Oſculari autem eam immundo non licet, quoniam eo ipſo quòd immundus eſt, ipſe ſibi teſtis eſt, quam mortificationem carnis non diligat; ergo quam non amat, nec oſculetur, ne fortè de eo dicatur quod de reprobis à Domino per prophetam increpatoriè dicitur, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum lõgè eſt à me. Et pſalmiſta, Dilexere, inquit, eum in ore ſuo, & in lingua ſua mentiti ſunt. De reliquiis verò ſanctorum eadem dicimus, quorum corpora templa & vaſa fuere ſuntque Dei, quibuſque ad omnia bona opera tanquam organis ſanctus vſus eſt, quando voluit, ſpiritus.

ERGO præmiſſa digna reuerentia, ſi munditia mẽtis, & corporis comitatur, Cap. viii.

etiam quadrageſimali tempore, de quo ſpeciali conſultatione percunctati eſtis, crucem Domini & portare, & ſuperiori regula cuſtodita, licet cùm libuerit, oſculari, ſed & tunc maximè, atq; ibi, quando, & vbi antiqui hoſtis vel pugnæ, vel inſidiæ præcipuè formidantur.

CAP. IX. CORPORI, & ſanguini Dominico quotidie in quadrageſima maiori ſi deberetis communicare conſulitis: quod vt fiat, Dominum omnipotentem ſuppliciter exoramus, & vos omnes vehementiſſimè exhortamur; ſi tamen mens in affectu peccandi non ſit, vel ſi hanc non de criminalibus peccatis conſcientia impœnitens, vel non reconciliata fortaſſis accuſet; vel ſi fratri diſcordanti quis veſtrum ſuo vitio reconciliatus minus exiſtat. Nam quem de horum aliquo conſcientia mordet, grauari tanto munere potius, quàm remedium conſequi quodlibet arbitramur: Iudicium enim ſibi, ſecundum Apoſtolum, mãducat, & bibit. Verùm de hoc, & de his qui eccleſiam quidem intrant, nec tamen facta oblatione communicant, ſacri Canones fortè ſufficienter enũciant, qui antiſtiti veſtro ſunt, qui Deo vobis auctore per mediocritatẽ noſtrã ordinandus eſt, tribuendi, & ab eo ſacerdotibus, qui claues tenent ſcientiæ, dumtaxat aperiendi, & vobis nihilominus, in quibus opus eſt & minimè prohibetur, inſinuandi. Interim tantum quadrageſima, quam mos eccleſiæ maiorẽ appellat, omni eſt die ſeruato ſuperiori tenore communicandum: Quoniam ſemper eſt orationi vacandum; & ſacrificiis fidelium concurrendum, & illud propheticũ, quo dicitur, In die ieiunii veſtri inuenitur voluptas veſtra, iugiter ad memoriã reuocandum. Si enim ex conſenſu coniugatorum etiam alio fortè mũdo corpore tempore vacatur orationi, quanto potius iſto, quo Deo etiã carnis noſtræ decimas damus, quo ipſum in abſtinentia Dominum imitamur, quo non ſolũ illicita, verum etiam multa à nobis quoque licita meritò reſecamus, omni eſt voluptati renunciandũ? & vt licenter orationi vacetur, caſtitati mentis, & corporis incumbendum?

*Conſuetudo Eccleſiæ Romanæ quotidie cõmunicandi in quadrageſ.*

CAP. X. NOSSE cupitis, ſi liceat alicui ſabbato, vel Dominico laborationẽ aliquam exercere: de hoc ſæpe memoratus ſanctus Papa Gregorius Romanus alloquẽs ait: Peruenit ad me quoſdam peruerſi ſpiritus homines praua inter vos aliqua, & ſanctæ fidei aduerſa ſeminaſſe, ita vt die Sabbato aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud niſi Antichriſti prædicatores dixerim, qui veniens diem ſabbatum, atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri: quia enim mori ſe, & reſurgere ſimulat, haberi in veneratione vult Dominicum diem; & quia iudaizare populum compellit, vt exteriorem ritum legis reuocet, & ſibi Iudæorum perfidiam ſubdat, coli vult ſabbatum. Hoc enim quod per prophetam dicitur, Ne inferatis onera per portas veſtras die ſabbati, tãdiu teneri potuit, quamdiu legem licuit iuxta litteram cuſtodiri. At poſtquam gratia omnipotẽtis Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti apparuit, præcepta legis, quæ per figurã dicta ſunt, iuxta litteram ſeruari non poſſunt. Nam ſi quis dicit hoc de ſabbato eſſe ſeruandum, dicat neceſſe eſt etiam carnalia ſacrificia perſoluenda; dicat præceptum quoque de circumciſione corporis adhuc vſque retinendum. Sed contra ſe Paulum Apoſtolum audiat dicentem, Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil prodeſt. Nos itaque quod de ſabbato dictum eſt, ſpiritualiter accepimus, ſpiritualiter tenemus. Sabbatum enim requies dicitur. Verum autem ſabbatum ipſum redemptorem noſtrum Ieſum Chriſtum Dominum habemus; & qui lucem fidei eius cognoſcit, ſi peccatum concupiſcentiæ ad mentem per oculos trahit, in die ſabbati onera per portas introducit. Non ergo in die ſabbati onera per portas introducimus, ſi in redẽptoris noſtri gratia

*c. peruenit de conſ. diſ. 3.*



gratia conſtituti pondera peccati ad animam per ſenſus corporeos non trahamus. Nam idem Dominus, ac redemptor noſter multa in die ſabbati legitur operaſſe, ita vt Iudęos reprehenderet dicens: Quis veſtrum bouem, aut aſinum ſuum non ſoluit in die ſabbati, & ducit adaquare? Si ergo ipſa per ſe veritas nõ cuſtodiri iuxta litteram ſabbatum præcepit, quiſquis otium ſabbati ſecundũ legis litteram cuſtodit, cui alteri niſi ipſi veritati contradicit? Dominico verò die à labore terreno ceſſandum eſt, atque omnimodo orationibus inſiſtendum, vt, quod negligenter per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis Dominicæ precibus expietur.

IN quorum Apoſtolorum vel martyrum ſeu confeſſorum, atque virginum diebus feſtis à labore terreno recedere debeatis, inquiritis. In ſollemnitatibus vtique beatæ Mariæ virginis, & ſanctorum duodecim Apoſtolorum, ac Euangeliſtarum, atque præcurſoris Domini Ioannis, & ſancti Stephani primi martyris, necnon & in eorum ſanctorum natalitiis quorum apud vos Deo fauente memoria celebris, & dies feſtiuus habebitur. Sanè ſciendum eſt, quoniam idcirco in diebus feſtis ab opere mũdano ceſſandum eſt, vt liberius ad eccleſiam ire, pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis ſanctorum communicare, ad imitationem eorum aſſurgere, eloquiis diuinis intendere, eleemoſynas indigentibus miniſtrare valeat Chriſtianus. quæ omnia ſi quis negligens, orationi tantùm vacare voluerit, & ad cæteras mundi vanitates licitos labores cõuerterit, melius illi fuerat ipſo die beati Apoſtoli Pauli præceptis obaudiens laborare manibus ſuis, vt haberet vnde tribueret neceſſitatem patientibus, quemadmodum ipſe, qui licet Dominum ordinaſſe dicat, vt qui Euangelium annunciaret, de Euangelio viueret, non tamen vſus eſt hac poteſtate, ſed manibus ſuis laborabat, ne quem eorum quibus Euangelium prædicabat, grauaret.

CAP. XI. *De feſtis diebus.*

QVOD interrogatis vtrum liceat in feſtiuitatibus ſanctorum iudicium peragi, & vtrum eadem die debeat homo ſi dignus fuerit, ad mortẽ iudicari? ſciendum quoniam in his feſtiuitatibus, in quibus ſuperius ab omni opere mundano ceſſandum eſſe monſtrauimus, multo magis à ſæcularibus negotiis, & adhuc à mortibus abſtinendum fore decernimus. quoniam quamuis vtrumque fortaſſe ſine culpa valeat exerceri, quando tamen his quæ Dei ſunt, arctiùs homo debet hærere, quæ mundi ſunt ſe conuenit penitus reſecare, præcipuè cùm eo die ad militiam diuinam accedens homo, implicari non debeat negotiis ſęcularibus, & ob reuerentiam tantæ ſollemnitatis non oporteat in medium deferri, niſi vnde omnibus gaudium, pax, & ſpiritalis lætitia generetur. verùm his prælibatis, quibus diebus præter hos nulla ſint iudicia ſæcularia exercenda, lex vos affatim edocebit.

CAP. XII.

INTER quæſtiones verò, & conſulta leges vos mundanas poſtulare perhibetis, de qua re nos codices quos neceſſarios vobis ad præſens eſſe conſiderare potuiſſemus, libẽti mitteremus animo, ſi quem penes vos eſſe comperiſſemus, qui hos vobis interpretari potuiſſet: ſi quos autẽ de mundana lege libros miſſis noſtris dedimus, cùm reuerſi fuerint, nolumus ibi relinqui, ne fortè quiſlibet eos vobis peruersè interpretetur, aut falſitate qualibet violet.

CAP. XIII. *De libris legum ſecularium poſtulatis.*

PRAETEREA indicatis, quòd quidam Græcus mentiens fateretur ſe preſbyterum eſſe, cùm non eſſet, ac per hoc plurimos in veſtra patria baptizaſſet. cùm ergo vos inſpiratione Dei cognouiſſetis, quòd non eſſet presbyter, iudicaueritis, vt amitteret aures, & nares, & acerrimis verberibus cæderetur, & ex veſtra patria pelleretur. Ecce impletum eſt in vobis, ignoſcite nobis, quod de quibuſdam

CAPVT XIIII. *De eo qui finxit ſe eſſe presbyterũ.*

quibuſdam Apoſtolus clamat, quòd haberent zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam. nam licet ille malè fecerit, ſi mentitus eſt, vos tamen in hoc zelum quidem pium, ſed minus cautum habuiſtis: quoniam quamuis ipſe ſe ſacerdotem eſſe ſimulauerit, ſimulatio tamen eius ſalutem plurimis contulit. Siquidē diuerſi fuere qui diuerſo modo Chriſtum annunciabant, ſed ſiue occaſione, ſiue quomodocunque hunc annunciarent, hos tantùm non prohibebat Apoſtolus, qui ſolùm vt Chriſtus annunciaretur, plurimum ſatagebat. quia enim Chriſtus ordinauerat, vt qui Euangelium annunciaret, de Euangelio viueret; ſi multi idcirco Chriſtum prædicabant vt commoda terrena acquirerent, ergo non erat Chriſtus in cauſa, ſed auaritia. rurſus quia multi euangelij prædicatores à fidelibus magnis honoribus efferebantur, nonnulli ideo Chriſtum prędicabant, vt ſimilia & ipſi perciperent: ergo non erat Chriſtus in voto, ſed inuidia. ſed nemo iſtorum prohibitus eſt, quominus per hos Chriſtus annunciaretur, nimirum cùm Iudas inter cæteros Apoſtolos à Domino miſſus, & miracula fecerit, & Chriſtum annūciauerit, & in nomine eius multos baptizauerit. Itaque, vt ſedis Apoſtolicæ præſul ſcribit Anaſtaſius, non quæritur quis, vel qualis prædicet, ſed quem prædicet.

*CAPVT XV.*

*De baptiſmo non iterādo.*

PORRO interrogatis, vtrum homines illi qui hoc ab illo baptiſma receperunt, Chriſtiani ſint, an iterum baptizari debeant. Sed ſi in nomine ſummæ ac indiuiduæ trinitatis baptizati fuere, Chriſtiani profectò ſunt, & eos à quocunque Chriſtiano baptizati ſunt, iteratò baptizare non conuenit; quoniā, vt iam nominatus Anaſtaſius Apoſtolus Pontifex ad coæquiuocum ſuum ſcribit Auguſtum, & baptiſmum, quod procul ſit ab eccleſia, ſiue ab adultero, vel à fure fuerit datum, ad percipientem munus peruenit illibatum; quia vox illa quæ ſonuit per columbam, omnem maculam humanæ pollutionis excludit, quā declaratur, ac dicitur, Hic eſt qui baptizat. Si igitur quamuis baptiſmum ab adultero, vel fure datum fuerit, ad percipientem tamen munus peruenit illibatum, quamobrem non illibatum, & ſine vlla iteratione ſubſiſtat, quod quilibet mundanus homo tribuit, & neſcimus qua intentione ſe presbyterum fingens? & certè Acatius Conſtantinopolitanus quondam epiſcopus, ſe ſacerdotem fingebat, cùm fuerit à Felice Papa Romano damnatus. ſed quid iā dictus de eo præſul Anaſtaſius dicat, audiamus. ait enim inter alia: Cùm ſibi ſacerdotis nomen Acatius videlicet vindicauerit condemnatus, in ipſius vertice ſuperbiæ tumor inflictus eſt, quia non populus, qui miniſteriis donum ipſius ſitiebat, excluſus eſt, ſed anima ſola quæ peccauerat; iuſto iudicio propriè erat obnoxia. quod itaque numeroſa ſcripturarū teſtatur inſtructio, & reuera quia

*Neque qui plantat, neque qui rigat, eſt aliquid.*

ſecundum famoſiſſimum Apoſtolum neque qui plātat, id eſt, catechizat, neque qui irrigat, id eſt, baptizat, eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Et ideo malus bona miniſtrando non aliis, ſed ſibi detrimenti cumulum ingerit. ac per hoc certum eſt, quia quos ille Græcus baptizauit, nulla portio læſionis

*Hic eſt qui baptizat.*

attingit, propter illud, Hic eſt qui baptizat, id eſt, Chriſtus, & iterum, Deus incrementum dat, ſubauditur, & non homo.

*CAPVT XVI.*

VOS qui ſic perſonam illam iudicaſtis, inueſtigatis, ſi debeatis hinc pœnitentiam agere. vtique denique omne peccatum pœnitentia, quæ non niſi Dei gratia comitante proficit, omnino diluitur. Nam Dominus primum Petrum reſpexit, & tunc Petrus ad lacrimas ſeſe conuertit. Peccatum autem vos in illum hominem perpetraſſe manifeſtum eſt; primò quidem quoniam quantum nos comprehendere poſſumus, nondum clarè patuit eundem hominem non eſſe presbyterum, & ſcriptū eſt, Nolite iudicare ante tempus: Secūdò, quoniam etſi



etſi ſe finxit eſſe quod non erat, non tamen fecit quod factum Deo vel fidelibus eius non placeat, præcipuè cùm in eâ gente, in qua vſque ad illud tempus nulla recta fides, nulla vera religio colebatur, ſibimet oſtium multos lucrandi diuinitùs videret apertum, & ille forſitan anhelaret plurimos ad tantum donū perducere, in quo ſe Deum ſenſerat miſericorditer adiuuare. Denique ſi Dauid eſſe ſe furioſum finxit, vt ſuam tantùm ſalutem operari potuiſſet, quam noxam contraxit, qui tot hominum multitudinem quoquo modo de poteſtate diaboli, & æternæ perditionis abſtraxit? maximè cùm ſe ſacerdotem ſimulauerit, nō tamen in baptizando egit, quod præter ſacerdotem in tam euidenti neceſſitate agere nullum oportet. presbyterum verò, vt opinamur, idcirco ſe finxit eſſe, quoniam iam ſenſerat vobis fuiſſe ſuaſum, quòd baptizandi miniſterium non niſi presbyteris tantùm eſſet indultum. Tertiò, quoniam etſi in iſta ſimulatione valde fuit culpabilis, in tot hominibus conuerſis ſatis exiſtit laudabilis. Quartò, quia etſi pœna dignus erat, non tamen debuiſſet modum vltionis excedere, nec in vnum hominem tot, & tam crudelia detrimenta congerere: cum dimiſſis ei naribus, & auribus propriis, ſufficeret ad pœnā illi repulſio à patria veſtra, quam cum detruncatione membrorū iudicantibus vobis expertus eſt.

*CAPVT XVII.*

IGITVR referentes, qualiter diuina clementia Chriſtianam religionem perceperitis, qualiterque populum veſtrum baptizari omnem feceritis, qualiter autē illi poſtquā baptizati fuere, inſurrexerint, vnanimiter cū magna ferocitate contra vos, dicentes, non bonam vos eis legem tradidiſſe, volētes etiam vos occidere, & Regem alium conſtituere, & qualiter vos diuina cooperante potentia aduerſus eos præparati, à maximo vſque ad modicum ſuperaueritis, & manibus veſtris detentos habueritis, qualiterque omnes primates eorum, atque maiores cum omni prole ſua gladio fuerint interempti, mediocres verò, ſeu minores nihil mali pertulerint, de his noſſe deſideratis qui vita priuati ſunt, vtrum ex illis peccatum habeatis, quod vtique ſine peccato euaſum non eſt; nec ſine culpa veſtra fieri potuit, vt proles, quæ in conſilio parentum non fuit, nec aduerſus vos arma ſuſtuliſſe probatur, innocens cum nocentibus trucidaretur. Nam hinc pſalmiſta, poſtquam dixerat, non ſedi in conſilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo, odiui congregationes malignorum, & cum impiis non ſedebo, paulò pòſt deprecans Dominum ait, Ne perdas cū impiis animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam: hinc Dominus per Ezechielem prophetam perhibet dicens: Vt anima patris, ita & anima filij mea eſt: Anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Et poſt pauca de patre dicit: Quòd ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata patris ſui quæ fecit, timuerit, & non fecerit ſimile eis, ſuper montem non comederit, & oculos ſuos non leuauerit ad idola domus Iſrael, & vxorem proximi ſui nō violauerit, & virum non contriſtauerit, pignus non retinuerit, & rapinam non rapuerit, panem ſuū eſurienti dederit, & nudū operuerit veſtimēto, à pauperis iniuria auerterit manum ſuam, vſuram & ſuperabundantiam non acceperit, iudicia mea fecerit, in præceptis meis ambulauerit, hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita viuet. pater eius quia calumniatus eſt, & vim fecit fratri, & malum operatus eſt in medio populi ſui, ecce mortuus eſt in iniquitate ſua. & dicitis, quare non portauit filius iniquitatem patris, videlicet quia filius & iudicium, & iuſtitiam operatus eſt, omnia præcepta mea cuſtodiuit, & fecit illa, vita viuet; anima quę peccauerit, ipſa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. quamuis & de parentibus qui comprehenſi ſunt, mitius agere debueritis, ſcilicet, vt pro Dei amore, qui eos in manus veſtras tradi-

tradiderat, vitam illis reſeruaretis, quatenus in oratione Dominica Deo proptè dicere valeretis, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. ſed & ſi illos reſeruare potuiſtis, qui bellando interiere, & minimè viuere permiſiſtis, nec ſaluare voluiſtis, non conſultè prorſus egiſtis; ſcriptum quippe eſt, Iudicium erit ſine miſericordia illi qui non fecerit miſericordiam. Et per ſuprà nominatum prophetam Dominus, Nunquid, ait, voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis ſuis, & viuat? Verùm quia zelo Chriſtianæ religionis, & ignorantia potius quàm alio vitio deliquiſtis, pœnitentia ſubſequente per Chriſti gratiam indulgentiam de his & miſericordiam conſequimini.

CAPVT XVIII.

SCIRE vos velle ſignificatis, quid de his qui legem Chriſtianam reſpuũt, agere debeatis: in quo notandum eſt, quoniam omnis homo ſicut per alterius culpam, id eſt, Adæ contraxit, vnde purgatione per aquam baptiſmatis egeat; ita cùm ad fidem promittendam ad regenerationis occurrit vndam, alium eligit, quodammodo patrem ſpiritualem, videlicet à quo ſuſceptus inſtruatur, & omni cuſtodia muniatur, & tãquam depoſitum quoddam rectori Eccleſiæ repræſentetur. Preterea qui fidem reſpuit quam promiſit, ab illo à quo ſuſceptus eſt, & qui fidei eius interuentor extitit, debet per omnia reuocari. Iam verò ſi non audierit eum quem ipſe pro ſe dederat vadem, dicendũ eſt eccleſiæ, à qua maiori ſtudio ad ouile proprium ouem reduci conuenit quæ errauit; & vt ad viam veritatis, quæ Chriſtus eſt, redeat, modis omnibus reuocari; ſiquidem ab ea tanquam à matre, tanquam à magiſtra ſuadendum eſt illi, quatenus videat, quoniam apoſtatam ſpiritum imitatus eſt, de quo ſcriptum eſt, quòd in veritate non ſteterit. Conſideret etiam quod Petrus princeps Apoſtolorum clamat, ſi enim refugientes, inquiens, coinquinationes mundi in cognitionem Domini noſtri, & ſaluatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. melius enim erat illis, non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt cognitionem retrorſum conuerti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato; contigit enim eis illud prouerbij, canis reuerſus ad vomitum ſuum, & ſus lota in volutabro luti. porrò ſi nec eccleſiam audierit, ſit omnibus reuera ſicut Ethnicus, id eſt, gentilis, ac per hoc iam meritò per poteſtates exteras tãquam extraneus opprimatur. denique certum eſt, quoniam ſæpe Deus concitat poteſtates aduerſus abnegatores Chriſti, aduerſus deſertores baptiſmi, & idcircò nemo miretur; quia Deus concitat, vt ponant ceruices, & humiliati redeant ad Eccleſiam: quia & Agar cùm diſceſſiſſet à domina ſua, occurrit ei angelus & dixit ei, Quid eſt Agar ancilla Saræ? reuertere ad dominã tuam. ad hoc ergo qui huiuſmodi eſt, affligitur, vt reuertatur; atque vtinam reuertatur, quia cum fratribus hæreditatem promiſſam recipiet; nam niſi mouerentur poteſtates Chriſtianæ aduerſus huiuſmodi, quomodo rationem redderet de imperio ſuo Deo? quippe cùm pertineat hoc ad Reges ſæculi Chriſtianos, vt temporibus ſuis pacatam & ſine diminutione velint ſeruari matrem ſuam eccleſiam, vnde ſpiritaliter nati ſunt. Siquidem Nabuchodonoſor Rex qui ſtatuam ſuam erexerat, & ad eam adorandam omnes coëgerat, laudibus trium puerorum de igne liberatorum commotus dixiſſe legitur, Et ego ponam decretum omnibus tribubus, & linguis in omni terra; & quicunque dixerint blaſphemiam in Deum Sidrac, Miſac, & Abdenago, in interitum erunt, & domus eorum in perditionem. Si ergo ſic ſæuit Rex barbarus, ne blaſphemetur Deus Iſrael, quia potuit tres pueros de igne temporali liberare, quanto potius ſæuire debẽt Reges Chriſtiani, quia Chriſtus abnegatur & irridetur, à quo non tres

*De ſtudio ſuſceptoris ex baptiſmo.*

*In deſertores fidei.*

*De officio Regis Chriſtiani.*



tres pueri tãtum, ſed & orbis terrarum cum ipſis Regibus à perpetuis ignibus liberatur? Nam qui illis mentiri, vel eſſe infideles conuincuntur, aut vix aut nunquam ab eis viuere profectò ſinuntur, & quomodo non indignẽtur, & ſæuiant, quando vident Chriſtum, qui eſt Rex Regum, & Dominus dominantium, ab hominibus abnegari, illudi, & ei fidem promiſſam non cuſtodiri? Zelentur itaque zelo Dei, quia ſe ipſos per Chriſtum recolũt liberatos à gehenna magis quàm ille qui attendit tres pueros ereptos à flamma.

CAPVT XIX.

QVID iure de his faciendum ſit, qui ad occidendum Regem inſurrexerint, venerandæ leges, quas ſcripto mittemus, vos affatim edocebũt. Veruntamẽ hoc in arbitrio Regis manet, qui nõ ſemel tantũ, ſed & ſeptuagies ſepties debet peccatũ dimittere, iuxta quod Dominus in Euangelio ſancto Petro mãdauit: Nam cui plus dimittitur, plus diligit; & quemadmodũ Euangelium docet, Rex decẽ millia talenta, id eſt, multa, & immania peccata ſeruo non dimitteret, ſi ipſe conſeruo ſuo centum denarios, id eſt minora dimittere noluiſſet.

CAPVT XX.

QVID de homine libero iudicandum ſit, qui de patria ſua fuga lapſus fuerit, ſi comprehendatur? nihil vtique, niſi quod leges decernunt. Veruntamen multos ſanctorum de patria ſua exiſſe, & in alia celebrius veneratos fuiſſe sacræ produnt hiſtoriæ; ſed aliis non exiſtentibus cauſis ob ſolum exitũ nunquam culpabiles iudicatos extitiſſe, ni fallor, inueni; præſertim cùm Abrahæ patri noſtro diuina voce dicatur, egredere de terra, & de cognatione tua: & nonnulli patrum noſtrorum exules per plurimos annos in terra non ſua habitauerint, alioquin liber non eſt, ſi de patria ſua quis non audet egredi. porro ſi liber eſt, & iure nullius condicionis nexibus tenetur obſtrictus, non fugit, ſed exit de patria ſua, quemadmodum & Abrahæ, non fuge, ſed exi de terra tua dicitur; quod quia fecit obediens nemine iudicante pœnam quamlibet protulit.

CAPVT XXI.

*De ſeruis fugitiuis.*

SI ſeruus à domino fugiens receſſerit, ſi comprehenſus fuerit, ignoſcendum eſt ei, aliàs autem legum ſcita non tranſcendantur in eo. Veruntamen ſemper illud Apoſtoli Pauli præ oculis habeatur ſalubris admonitionis dicentis, Domini quod iuſtum eſt & æquum ſeruis præſtate, ſcientes quoniam & vos Dominum habetis in cælo; & alibi, cùm ſeruis vt obedirent dominis carnalibus præcepiſſet, adiunxit, ſcientes, inquiens, quòd vnuſquiſque veſtrum quodcunque fecerit bonum hoc cõſequetur à Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber; & vos domini eadem facite ad illos remittentes minas, ſcientes quia & veſter, & eorum Dominus in cælis eſt, & perſonarum acceptio non eſt apud Dominum.

CAPVT XXII.

CIRCA hos qui quando ad pugnam contra hoſtes proceditis, fugam arripiunt, ſi non miſericorditer præueniat compaſſio, ſaltem legum temperetur ſeueritas.

CAPVT XXIII.

DE his quibus iuſſum eſt contra hoſtes progredi, & iuſſioni parere contemnunt, eadem ſuademus.

CAPVT XXIIII.

QVID parricida, id eſt, qui patrem vel matrem occidit, vel etiam qui fratrem, aut ſororem interficit, pati debeat, leges indicant; porrò ſi ad eccleſiam confugerit, id quod Epiſcopus loci, vel ſacerdos, qui ab illo conſtitutus eſt, prouiderit, agendum decernimus.

CAPVT XXV.

CONSVETVDINIS eſſe patriæ veſtræ perhibetis ſemper cuſtodes inter patriã veſtram, & aliorũ iuxta terminos inuigilare, & ſi ſeruus, aut liber per eandem cuſtodiã quocunq; modo fugerit, ſine omni intermiſſione cuſtodes pro ea interimuntur, deinde percõtamini, quid nos inde iudicemus; & de hoc in legibus eſt requirendũ. Veruntamẽ abſit à mentibus veſtris, vt tam impiè iã iudicetis,

qui tam pium Deum,& Dominum agnouiſtis,pręſertim cùm magis oporteat, vt ſicut hactenus ad mortem facilè quoſque perr:axiſtis, ita deinceps non ad mortem,ſed ad vitam quos poteſtis,nihilominus perducatis. Ita vt quemadmodum beatus Apoſtolus Paulus prius perſecutor, & contumelioſus, & ſpirans minarum,& cædis in diſcipulos Domini,poſteaquam miſericordiam cõſecutus eſt,diuina reuelatione cõuerſus nõ ſolũ minimè cuilibet mortis pœnã intulit,verum etiam anathema eſſe optabat pro fratribus, & libentiſſimè impendere, & ſuperimpendi paratus erat pro animabus fidelium: ita & vos poſtquam electione Dei vocati, & lumine ipſius illuminati eſtis,non iam ſicut prius mortibus inhiare; ſed omnes ad vitam tam corporis,quàm animæ debetis omni occaſione inuenta proculdubio reuocare:& ſicut vos Chriſtus de morte perenni qua detinebamini, ad vitam æternam reduxit,ita ipſi non ſolũ innoxios quoſque,verum etiã & noxios à mortis exitio ſatagite cũctos eruere, ſecundum illud ſapientiſſimi Salomonis, erue eos qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum,liberare ne ceſſes.

CAPVT XXVI. DE his qui proximum,id eſt conſanguineum ſuum,vt eſt frater,conſobrinus,aut nepos, trucidauerint,venerandę leges proprium robur obtineant. Sed ſi ad eccleſiam cõuolauerint,mortis quidem legibus eruantur, pœnitentiæ verò,quam antiſtes loci,vel presbyter conſiderauerit, abſque dubio ſummittantur. Nolo, inquit Dominus,mortem peccatoris,ſed vt conuertatur, & viuat.

CAPVT XXVII. DE his qui ſocium ſuũ morti tradiderint,id ipſum quod ſuprà decernimus.

CAPVT XXVIII. DE his qui ad vxorem alterius comprehenſus fuerit, quid iudicandum ſit, lectis legibus reperietis. Iam verò ſi ad Eccleſiam adulter confugerit, iudicandum ab epiſcopo fore decernimus quod ſacros conſtat definiſſe canones, vel ſanctos Apoſtolicæ ſedis præſules clarum eſt ſtatuiſſe.

CAPVT XXIX. SIMILITER & de eo cenſemus, qui ad proximam ſanguinis ſui ingreditur: verùm huius tanti piaculi lepram melius ad ſacerdotis conſiderationem, & iudicium profectò dirigimus.

CAPVT XXX. *Oportere epiſcopum habere ſemper in manibus canones.* DE eo qui nolens hominem interfecerit, id ſtatuimus quod ſacræ regulæ ſtatuunt, quas Epiſcopum veſtrum apud ſe penes vos poſitum præ manibus oportet ſemper habere.

CAPVT XXXI. CIRCA fures animalium ſi non miſericordia, ſaltem legum edicta ſeruentur.

CAPVT XXXII. SIMILITER de his qui virum aut feminam rapuerint, permittimus.

CAPVT XXXIII. QVANDO prœlium inire ſoliti eratis, indicatis vos hactenus in ſigno militari caudam equi portaſſe,& ſciſcitamini,quid nũc vice illius portare debeatis;quid aliud vtique,niſi ſignum ſanctæ crucis? Ipſum eſt enim quo Moyſes mare diuiſit, & Amalech interfecit; quo Gedeõ Madianitas ſuperauit;& Chriſtus Dominus noſter diabolũ,qui habebat mortis imperium,non ſolũ ſuperauit,ſed & proſtrauit;ipſum eſt ſignũ quod portamus in frontibus noſtris, ipſo à cunctis defendimur hoſtibus,& ab omnibus munimur incurſionibus. Hoc eſt ſignum fidei,& ingens horror diaboli,quo Chriſtiani Principes in neceſſitatibus ſuis ſemper vtuntur,& Reges veram religionem ſectãtes ſæpe celebres Chriſto propitio triũphos de hoſtibus operãtur. Sed vt manifeſtiùs ſciatis,quid pro illa equina cauda in ſignum debeatis militare conuenientius cùm in apparatũ belli proceditis,portare,pauca de Conſtãtini actibus memorãda ducimus, qui piiſſimus Romanorum extitit Imperator, & Chriſtianitatis famoſiſſimus omniũ propagator. Ille quippe cũ aduerſus Maxentiũ vrbis Romæ tyrannum exercitũ duceret,erat quidẽ iã tunc Chriſtianę religionis fautor,nondũ tamẽ,vt eſt ſollemne noſtris initiari,ſignum Dominicæ paſſionis acceperat. cùm igitur

multa



multa ſecum de inſtantis prœlij neceſſitate peruoluens iter ageret, vtique ad cælum ſæpius eleuaret,& inde ſibi diuinum precaretur auxilium,vidit per ſoporem ad orientis partem in cælo ſignum crucis igneo fulgore rutilare, cúmque tanto viſu fuiſſet exterritus,ac nouo perturbaretur aſpectu, aſtare ſibi vidit Angelos dicentes, Conſtantine in hoc vince. tum verò lætus redditus; & de victoria iam ſecurus ſignum crucis; quod in cælo viderat, in ſua fronte deſignat;& hoc in militaria vexilla transformat, ac labarum, quem dicunt, in ſpeciem Dominicę crucis exaptat;& ita armis,& vexillis religionis inſtructus aduerſus impiorum arma proficiſcitur, & ſine cruore Romani populi, vt ipſe Deum precabatur,Maxentio in flumen demerſo de tyranno triumphauit. *De ſigno crucis, quid vidit Cõſtant. per ſoporem.*

PRAETEREA conſulitis, ſi debeatis, quando nuncius venerit vt ad prœliandũ pergatur,mox proficiſci? an ſit aliqua dies,in qua non oporteat ad prœliandum exire? in quo reſpondemus,non eſt vlla dies in quibuſcunq; negotiis incipiendis,vel exercẽdis penitus obſeruãda, præter(ſi nimia nõ vrgeat neceſſitas)ſuprà memoratos dies celeberrimos,& omnibus venerabiles Chriſtianis; non quo,vel in his tale quid fieri prohibeatur,cùm nõ ſit in diebus ſpes noſtra ponenda,nec à diebus, ſed à Deo ſolo viuo,& vero ſalus omnis penitus expectanda,ſed quo,ſi ineuitabilis neceſſitas nõ eſt,vacandũ eſt in his ſolito ſtudioſius orationi,& tantæ feſtiuitatis myſteria frequentãda. nam cũ Hebræi quodã ſabbatum obſeruantes noluiſſent cõtra hoſtes ſuos die ſabbatorũ arma ſuſtollere,& Deus omnipotens quod in ſe tantùm,& non in obſeruantia dierũ ſpes eſſet & fortitudo locanda,voluiſſet oſtendere, occiſi ſunt ex eis mille viri, ita vt ſuperſtites pœnitentia ducti inuicẽ dicerẽt; Si omnes fecerimus ſicut fratres noſtri fecere, & non pugnauerimus aduerſus gentes pro animabus noſtris, & iuſtificationibus noſtris,citiùs diſperdent nos à terra. CAPVT XXXIIII. *De dierum obſeruatione.*

REFERTIS quòd ſoliti fueritis,quando in prœlium progrediebamini,dies & horas obſeruare,& incantationes,& ioca,& carmina, & nonnulla auguria exercere;& inſtrui deſideratis,quid nunc vobis agendũ ſit: de quo nos neceſſariò vos inſtrueremus;niſi ſuper hoc vos diuinitùs inſtructos contueremur; ſuper diuinum enim fundamentum nos ædificare quicquam non poſſumus. Igitur cùm in prœliũ proficiſci diſponitis;quod ipſi commemoraſtis, agere in Dei nomine nõ omittite;id eſt,ad Eccleſias ire;orationes peragere,peccantibus indulgere,miſſarum ſollemniis intereſſe,oblationes offerre,confeſſionem delictorum ſacerdotibus facere, reconciliationem, & communionem percipere, carceres aperire, vincla diſſoluere, & ſeruos & præcipuè confractos, & debiles,atque captiuos libertati donare,ac indigentibus eleemoſynas erogare. quatenus impleatur quod Apoſtolus admonet dicens; Omne quodcunque facitis Deo in verbo,aut in opere,omnia in nomine Domini Ieſu. Nam illa, quæ cõmemoraſtis,id eſt,diei,& horę obſeruationes,incãtationes,ioca,& iniqua carmina,atque auguria,pompæ,ac operationes diaboli ſunt,quibus,Deo gratias, iam in baptiſmate abrenunciaſtis,& hæc cum vetere homine & actibus eius quando nouum induiſtis,omnino depoſuiſtis. CAPVT XXXV. *De vera præparatione ad bellum.*

SI die Dominico vel cæteris feſtis diebus quando neceſſitas vrget,liceat ambulare,vel ad bellandum procedere? ex trigeſimo quarto capitulo harum reſponſionum noſtrarum poteſtis aduertere. CAPVT. XXXVI.

LIBROS quos vobis ad præſens neceſſarios eſſe conſideramus, ſicut poſcitis, animo gratanti concedimus, & plures Deo largiente præſtare deſideramus. CAPVT. XXXVII.

DICITIS quòd quando in caſtris eſtis, orationem perfectam, & congruam CAPVT. XXXVIII.

 facere

facere nequeatis,ac per hoc exponi cupitis quid agere debeatis.vnde nos econtra ſuademus, vt quanto plus hoſtes ſæuiunt, & neceſſitas vel tribulatio incũbit, tanto inſtantius orationi operam detis. Nam patres noſtri plus orando, quàm pugnando victores fuere,& voti compotes plus precibus, quàm prœliis extiterunt:Denique Moyſes orabat, & Ioſue pugnabat, ſed plus ille vincebat orando, quàm iſte pugnando. aptius ergo ab armis, quàm ab oratione vacandum eſt.

CAPVT XXXIX.

*De coniugiis conſanguineorum prohibitis.*

De conſanguinitate generationũ exquiritis,vt quibus vtique feminis iungi debeatis,liquidè cognoſcatis.verum quòd leges hanc ſanciunt, iam meminimùs,& denuo memorare ſummatim operæ pretium ducimus. aiunt enim, ergo non omnes nobis vxores ducere licet. Nam quarundam nuptiis abſtinere debemus,inter eius enim perſonas quæ parentum, liberorúmue locum inter ſe obtinent, nuptiæ contrahi non poſſunt, veluti inter patrem & filiam, vel auum & neptem, matrem & filium,auiam & nepotem,& vſque ad infinitum. inter eas quoque perſonas quæ ex tranſuerſo gradu cognationis iunguntur, eſt quædam ſimilis obſeruatio,ſed non tanta. Sacri verò canones, & præcipuè Zachariæ ſummi Præſulis decreta quid hinc promulgent, epiſcopo veſtro vobis explanandum relinquimus.

CAPVT XL.

CONSVETVDINEM patriæ veſtræ perhibetis ineſſe,vt priuſquam ad pugnam progrediamini,mittatur à dominatione veſtra fideliſſimus, & prudentiſſimus vir,qui cuncta arma & cauallos,& quæ neceſſaria pugnæ exiſtunt, conſideret, & apud quem inutiliter præparata inuenta fuerint,capite punitur. nunc autem noſſe cupitis,quid nos hinc fieri decernamus.Sed hæc nos cuncta vobis ad ſpiritalis apparatus armaturam conuertere ſuademus, & tantæ ſeueritatis rigorem ad pietatis exercitiũ inclinare monemus, ita, vt ſicut hactenus illa præparatio armorum,& equorum diligenter inquirebatur, vtrum bene apta eſſet contra viſibiles hoſtes, ita nunc ſtudioſè inueſtigetur, vt arma ſpiritualia, id eſt, bona opera ſinguli præparata poſſideant aduerſus Principes, & poteſtates,aduerſus mundi rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. porro equus animus intelligitur,quia nimirum ſicut homo portatur equo,ſic & regitur animo. optimè ergo,qui arma contra hoſtes præparata non habet, perit,quia, vt ſcriptum eſt, Maledictus vir qui facit opus Dei negligenter. De equo verò,qui imparatus eſt animo, bene per pſalmiſtam dicitur,falſus equus ad ſalutem, in abundantia autem virtutis eius non erit ſaluus. Niſi enim falſus eſſet, imparatus non eſſet. quo contra de præparato dicitur,equus paratus ad diem belli,Dominus autem ſalutem tribuit. Sic itaque quod hactenus carnaliter obſeruaſtis, & arma quæ forſitan ab inopibus hæc præparare non valentibus crudeliter exegiſtis, iam nunc ſpiritualiter veneramini, & hæc magnos & paruos præparare piè, & indeſinenter hortamini.

CAPVT XLI.

De iis autem qui Chriſtianitatis bonum ſuſcipere renuunt, & idolis immolant,vel genua curuant,nihil aliud ſcribere poſſumus vobis, niſi vt eos ad fidẽ rectam monitis,exhortationibus,& ratione illos potius quã vi,quòd vanè ſapiant,conuincatis. opera manuum ſuarũ,& inſenſibilia elementa, cùm ſint homines intellectu habiles,adorantes, immo dæmoniis ſuam ceruicẽ flectentes & immolantes. Nam, vt Apoſtolus docet, ſcimus quoniam nihil eſt idolũ, ſed quæ immolant gentes,dęmoniis immolant.Iam verò ſi vos non audierint, cum eis nec cibũ ſumere,nec vllã penitus cõmunionẽ habere, ſed eos tanquã alienos,atque pollutos à veſtris obſequiis, & familiaritate remouere debetis, vt tali fortè confuſione compuncti conuertantur inſpirante Deo ad ipſum qui



qui eſt verus & non falſus Deus, creator,& non creatus, non factus, ſed factor omnium: nam vt Dominus præcipit, de domo illius qui non credit, non ſolũ cibum,verum etiam nec puluerem in pedibus debet educere Chriſtianus:in tantum,vt diſcipuli neſcientes quod acciderat, moleſtè tulerint, quòd Petrus princeps eorum ad Cornelium ingreſſus fuerat, quem ipſe Deo præcipiente primum ex gentibus fecerat Chriſtianum.nulla igitur cũ his qui non credunt, idolaque adorant,miſcenda communio eſt. Porrò illis violentia, vt credant, nullatenus inferenda eſt. Nam omne quod ex voto non eſt, bonum eſſe non poteſt, ſcriptum eſt enim,Voluntariè ſacrificabo tibi, & rurſus,Voluntaria,inquit,oris mei beneplàcita fac Domine, & iterum,Et ex voluntate mea confitebor illi. vltronea quippe Deus obſequia, & exhiberi tantũ ab vltroneis præcipit,nam ſi vim inferre voluiſſet,nullus omnipotentiæ illius reſiſtere potuiſſet. Iam verò ſi quæritis, quid de huiuſmodi perfidis iudicandum ſit, Apoſtolum Paulum audite, qui cùm Corinthiis ſcriberet, ait: Quid enim mihi de his qui foris ſunt, iudicare? nónne de his qui intus ſunt, vos iudicatis? Nam eos qui foris ſunt, Deus iudicabit, auferte malum ex vobis ipſis, ac ſi diceret,de his qui extra religionem noſtrã ſunt, nihil ego iudico, ſed eos Dei iudicio reſeruo,qui iudicaturus eſt omnem carnem. Veruntamen auferte malum ex vobiſipſis, ne videlicet vobiſcum morans vt cancer ſerpat, aut certè dum à fidelibus ſibi communicari conſpicit, ſuæ quoque vanitati communicari putet, ac per hoc veraciorem,& ſanctiorem ſuam ſectam, quàm noſtram exiſtimet religionem. propter conſcientiam ergo magnopere idola colentium cauenda eſt omnino communio, nam qui idololatris communicat, ipſis idolis immo dæmoniis communicare videtur: Omnes enim dij gentium dæmonia, & Apoſtolus dicens, quę immolant gentes, dæmoniis immolant,& non Deo, adiecit, nolo, inquit, vos ſocios fieri dæmoniorum.

*De communione infidelium vitanda.*

*Quid excutere puluerem ex pedibus.*

CAPVT XLII.

ASSERITIS, quòd Rex veſter cùm ad manducandum in ſedili, ſicut mos eſt, ad menſam ſederit, nemo ad conueſcendum etiam, neque vxoreius cum eo diſcumbat vobis procul in ſellis reſidentibus, & in terra manducantibus, & idcirco quid vobis hinc præcipiamus, noſſe deſideretis. vnde nos quia non contra fidem quod agitur, eſt, licet bonos mores ſatis impugnet, non tam pręcipientes, quàm ſuadentes hortamur, vt ad Chriſtianæ religionis cultores Principes attendatis, & humilitatis eorum conſiderantes faſtigium, deponatis ex vobis omne ad nihil vtile ſupercilium: legerunt enim illi in euangelio dicente Domino, diſcite à me, quia mitis ſum,& humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Nam antiqui Reges, quorum multi ſanctorum conſortium meruere, ac ideo veraciter Reges dicti ſunt, quoniam ſancti reperti ſunt, cum amicis, quinimmo cum ſeruis ſuis conuiuati fuiſſe memorantur, quin potius ipſe Rex Regum, & Dominus dominantium redemptor noſter, non ſolùm cum ſeruis, & amicis ſuis Apoſtolis ſcilicet recubuiſſe, verum etiam cum publicanis, & peccatoribus, & recubuiſſe, & manducaſſe deſcribitur.

CAPVT XLIII.

QVAE animalia ſeu volatilia liceat manducare, quantũ exiſtimo Dominus euidenter oſtendit, cùm poſt diluuiũ animalia cuncta Noë tribuit & filiis eius edenda, dicens, Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt, & omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum quaſi olera virentia. & demonſtratis cælitus beato Petro in illo diſco, quamuis hoc altius intelligendum ſit, cunctis animantibus, dicitur, Macta, & manduca. Itaque omne animal, cuius cibus minimè corpori nociuus eſſe probatur, & ſoci-

ſocietas hoc in cibum admittet humana, comedi non prohibetur, nam ideo, vt ſanctus, & facundiſſimus doctor ſcribit Auguſtinus, morticinum ad eſcam vſus hominum non admiſit, eo quòd non occiſorum ſed mortuorũ animalium morbida caro eſt, nec apta ad ſalutem corporis, cuius cauſa ſumimus alimentum. Porro eorum opinionem qui quippiam in cibis immundum eſſe perhibent, per ſe Dominus deſtruit dicens, Non quod intrat in os, coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, coinquinat hominem. & Apoſtolo Petro diuinitùs dicitur, Quod Deus ſanctificauit, tu commune, vel immundum ne dixeris. & coapoſtolus eius Paulus ſcribens, omnia, inquit, munda mundis, coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum. Veruntamen ne fortè quilibet ex veteri vobis teſtamento quædam prohibita velint animalia demõſtrare, atque ab eorum vos edulio coërcere, notandum eſt, inter illa quæ prohibita ſunt, etiam porcum connumerari; ſed qua re præfatus ſanctus Auguſtinus de ceteris interim tacens, ſcribens etiam huius animalis meminit dicens, Teſtamẽto veteri, vbi quidam cibi carnium prohibentur, cur non ſit contraria iſta ſententia qua dicit Apoſtolus, Omnia munda mundis, & omnis creatura Dei bona eſt, ſi poſſunt, intelligant hoc Apoſtolum de ipſis dixiſſe naturis; illis autem litteras propter quaſdam præfigurationes tempori congruentes animalia quædam non natura, ſed ſignificatione immunda dixiſſe. Itaque verbi gratia, ſi de porco, & agno requiratur, vtrumque natura mundum eſt; quia omnis creatura Dei bona eſt: quadam verò ſignificatione agnus mundus, porcus immundus eſt; tanquam ſi ſtultum, & ſapientem diceres: vtrumque hoc verbum natura vocis, & litterarum, & ſyllabarum quibus cõſtat, vtique mundum eſt; ſignificatione autem vnum horum verbum, quod dicitur ſtultum, immundum dici poteſt non natura ſui, ſed quoniam quiddam immundũ ſignificat, & fortaſſe quod eſt in rerum figuris porcus, hoc eſt in rerum genere ſtultus, & tam illud animal, quàm iſtæ duæ ſyllabæ, quòd dicitur ſtultum, quiddam vnum, idemque ſignificat, immũdum quippe illud animal in lege poſitum eſt, eo quòd non ruminet; nõ autem hoc eius vitium, ſed natura eſt. ſunt autem homines, qui per hoc animal ſignificantur, immũdi proprio vitio, non natura; qui cùm libenter audiant verba ſapientiæ, poſtea de his omnino non cogitant: quod enim vtile audieris, velut inteſtino memoriæ tanquam ad os cogitationis, recordandi dulcedine voluere, quid eſt aliud, quàm ſpiritualiter quodammodo ruminare, quod qui non faciunt, illorum animalium genere figurantur. Vnde & ipſa à talibus carnibus abſtinentia, tale vitiũ nos cauere præmonuit. Cùm enim de hac munditia ruminãdi alio loco ita ſcriptum eſt, theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis, vir autem ſtultus glutit illum. Has autem ſimilitudines rerum in locutionibus, & obſeruationibus figuratis propter quærendi, & comparandi exercitationem rationales mentes vtiliter & ſuauiter nouerint, ſed priori populo multa talia non tantùm audienda, verum etiam obſeruanda præcepta ſunt. tempus enim erat, quo non tantùm dictis, ſed etiam factis prophetari oporteret, & ea quæ poſteriori tempore fuerant reuelanda, quibus per Chriſtum, atque in Chriſto reuelatis, fidei gẽtium onera obſeruationum non ſunt impoſita, prophetiæ tamen auctoritas commendata.

*Quid ſit ſpiritualiter ruminare.*

CAPVT XLIIII. *De non venando in Quadrageſima.*

NVLLA ratio ſit in quadrageſimali tempore venationibus vti: venantes enim nihil præter carnes captant. vt ergo nihil carnale ſectari videamini, decenter à carnibus captandis in quadrageſimali pręcipuè tempore vobis eſt abſtinendum. quanto enim ieiunij tempore arctius eſt diuinis cultibus inſiſtendum,



dum, tanto eſt in cunctis mundi nociuis oblectamentis longiùs recedendum, præſertim cùm neminem niſi reproborum venationes exercuiſſe ſacra deſignet hiſtoria.

CAPVT XLV.

A NOBIS ſcire cupitis ſi in quadrageſimali tempore iudicia ſint exercenda, & ad mortem aliquis addicendus. in quo nos noueritis eadem de quadrageſimali tempore ſuper hac reſpondere conſultatione, quæ diebus feſtis nos duodecimo harum reſponſionũ noſtrarum capitulo iam reſpõdiſſe dignoſcimur.

CAPVT XLVI.

IAM verò ſi quadrageſimali tempore liceat, ſi neceſſitas exigit, vel ſi non exigit vlla neceſſitas, ad bella procedere, non vobis eſt neceſſarium exponendum, cùm ex priorum propoſitionũ ſolutionibus quid vos cõueniat agere, etiam nobis tacentibus, iam ipſi colligitis. bellorum quippe ac prœliorum certamina, nec non omnium iurgiorum initia diabolicæ fraude ſunt artis profectò reperta, & dilatandi regni cupidus, vel irę, vel inuidiæ, vel alius cuiuſpiam vitij dilector tantum his intendere, ſeu delectari conuincitur. Et ideo, ſi nulla vrgeat neceſſitas, non ſolùm quadrageſimali tempore, ſed omni eſt prœliis abſtinendum. Si autem ineuitabilis vrget opportunitas, nec quadrageſimali eſt tẽpore pro defenſione tam ſua, quàm patriæ, ſeu legum paternarum, bellorum proculdubio præparationi parcendum, ne videlicet Deum videatur homo tẽtare, ſi habet quod faciat, & ſuæ ac aliorum ſaluti conſulere non procurat, & ſanctæ religionis detrimenta non pręcauet. porro muri Iericho filiis Iſraël, qui ſabbatum iam obſeruandum ſuſceperant, etiam ſabbato vrbem circumeuntibus, & tubis clangentibus ad terram protracti ſunt.

CAPVT XLVII.

CONSVLITIS ſi liceat in quadrageſimali tempore iocis vacare, quod non ſolum in quadrageſimali, verùm etiam in nullo tempore licitum eſt Chriſtianis; ſed quia vobis, qui in montem nondũ aſcendere tanquam infirmi poteſtis, vt inde ſublimia mandata Dei percipiatis, ſed in campeſtribus, quemadmodũ filij quõdam Iſraël poſiti eſtis, vt ſaltem ibi plana, & minora quæque præcepta ſumatis; necdum poſſimus ſuadere, vt omni tempore iocis abſtineatis, & quadrageſimæ, ac ieiunij tempore quando per amplius, & inſtantius orationi & abſtinentiæ, & omnimodæ pœnitentiæ, ſicut longè ſuperius expoſuimus, vacare debetis, nõ ſolùm iocis, verum etiam ab omni vaniloquio, & ſcurrilitate, quæ ad rem non pertinent, atque ab ipſo otioſo verbo, vt in Euãgelio Dominus dicit, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem; ſi de otioſo, quanto magis de noxio, & crimino ſo? nulla ergo vos voluptatum, & iocorum, & maximè in tempore ieiuniorum vanitas ſeducere valeat; non enim lamẽta cũ iocis conueniunt, & fallax, ac deceptrix lætitia, veraces lacrimas producere neſcit in proximo. præterea eſt iudex, qui dixit, Væ vobis qui ridetis nũc, quia lugebitis, & flebitis. hinc Salomõ ait: Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat. hinc iterum dicit: Riſum deputaui errorem, & gaudio dixi, Quid fruſtra deciperis? Hinc rurſus ait: Cor ſapientium, vbi triſtitia eſt; & cor ſtultorum, vbi lætitia: gratum namque Deo ſacrificium eſt afflictio contra peccatum, pſalmiſta teſtante, qui ait, ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus.

CAPVT XLVIII.

VNDE nec vxorem ducere, nec conuiuia facere in quadrageſimali tempore conuenire poſſe nullatenus arbitramur. Iterum quid hinc ſacri canones dicant, epiſcopo veſtro docente ſcietis.

CAPVT XLIX.

PRAETEREA ſciſcitamini, ſi licet exhibere vobis quemadmodum prius in dotem coniugibus veſtris, aurum, argentum, boues, equos, &c. quod quia nullum peccatum eſt, & leges hoc conniuent, & nos vt fiat minimè prohibemus; & non ſolum hoc, verum etiam quicquid ante baptiſmum egiſtis, &

dd 4 nunc

nunc quoque vobis agere profectò conceditur. Nam piſcatorem Petrum, Matthæum verò telonarium ſcimus, & poſt conuerſionem ſuam Petrus rediit, Matthæus verò ad telonij negotium non reſedit; quia & aliud eſt victũ per piſcationem quærere, aliud telonij lucris pecunias augere. Sunt enim pleraque negotia, quæ ſine peccato exhiberi aut vix, aut nullatenus poſſunt. ad illa ergo tantum, quæ ad peccatum implicant, neceſſe eſt vt poſt cõuerſionem animus non recurrat: quod verò quiſque ante cõuerſionem ſine peccato exercuit, hoc enim poſt conuerſionem repetere non eſt.

Capvt L.

Qvid de eo qui de quadrageſimali tempore cum vxore ſua coierit, ſit iudicandum, epiſcopi veſtri, & ſacerdotis qui ab eo conſtituetur, arbitrio conſiderandum, ac definiendum committimus, qui ſingulorum mores agnoſcere poterunt, & vniuſcuiuſque veſtrum cauſas libratis perſonis, ac temporibus diſcernere, ſeu moderari debebunt. porro cum ea eodem tempore ſine aliqua cõtaminatione dormire omnino liceret, ſi ignis, & palea ſine læſione communionem aliquam habuiſſent, vel ſi diabolicæ fraudis aſtutiæ neſcirentur: nam vbi maſculus cum femina pariter conuerſantur, difficile eſt inſidias hoſtis antiqui deeſſe, quę nimirum non defuere, vbi ſolitaria fratris, & ſororis, Ammonis ſcilicet, & Thamar extitit paruiſſimo ſpatio commoratio.

Capvt LI.

Si liceat vno tempore habere duas vxores exquiritis, quòd ſi non licet, ſcire cupitis, apud quem inuentum fuerit, quid exinde facere debeatis. duas tempore vno habere vxores, nec ipſa origo humanę cõditionis admittit, nec lex Chriſtianorum illa permittit. Nam Deus, qui fecit hominem ab initio, maſculum vnum fecit & vnam feminam tantum, cui potuit vtique ſi vellet duas vxores tribuere, ſed noluit, ſcriptum quippe eſt, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, non dixit vxoribus. & iterum, Erunt duo in carne vna, maſculus ſcilicet, & femina in carne vna; & non tres aut plures. Itaque apud quem vno tempore duę vxores inueniuntur, interim priori retenta poſteriorem cogatur amittere, inſuper & pœnitentiam quam loci ſacerdos præuiderit, compellatur ſuſcipere. Denique hoc tam immane ſcelus eſt, vt homicidij quidem peccatũ, quod Cain in Abel fratrem ſuum commiſit, ſeptima generatione cataclyſmo vindicatum fuerit, adulterij autem flagitium, quod Lamech omniũ primũ in duabus vxoribus perpetrauit, nõ niſi ſanguine Chriſti abolitum extiterit, qui ſeptima & ſeptuageſima generatione ſecundũ euangelium luxerit in mundum.

Capvt LII.

Si noſſe deſideratis quid de his qui quemlibet eunuchizant iudicandum ſit, paginas legum reuoluite.

Capvt LIII.

Consvlitis ſcilicet ſuper menſam in qua ſacerdos, aut diaconus deeſt, vexillũ ſanctæ crucis imprimere, & comedere; quod proculdubio licet, nã omnibus datum eſt, vt & omnia noſtra hoc ſigno debeamus ab inſidiis munire diaboli, & ab eius omnibus impugnationibus in Chriſti nomine triũphare. ſupereſt tantũ, vt cũ potior adeſt, inferior hoc ſibi niſi iuſſus nõ audeat arrogare, quoniam non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. & iterum præcipit Apoſtolus dicens, Honore inuicem præuenientes.

Capvt LIIII.

Dicitis quòd Græci fateantur, quòd in Eccleſia qui non conſtrictis ad pectus manibus ſteterit, maximum habeat peccatum: hoc vt fieret, pręceptum fuiſſe nuſquam, ni fallimur, inuenitur, ac per hoc, niſi fiat, peccatum non eſt, nam quidam faciunt hoc, quidam illud; nunc iſti hoc genus humilitatis, nunc illud oſtentant: niſi fortè qui pertinaciter recuſet facere, quod omnes viderit facientes. Verũ & hoc, & multa in diuerſis locis alia humilitatis indicio fiunt,



fiunt, & hoc cùm fit, non niſi humilitatis gratia fit, & reuera ſcriptũ eſt, oratio humiliantiũ ſe nubes penetrabit. proinde ſiue hoc, ſiue aliud quid humilitatis excogitare poteſt homo, non eſt reprehendẽdus, quia ſecundum Euangelium, qui ſe humiliat, exaltabitur. Si enim quis ante principem mortalem iuuenis cum omni reuerentia & timore ſtat, loquitur, & incedit, quanto potius eum qui ante Deum, qui eſt æternus, terribilis, & excelſus, acceſſerit cum omni pauore ac tremore non ſolum ſtare conuenit, ſed & quaſi ſeruum ſemetipſum in conſpectu eius humiliter præſentare. & quia quorundam in euangelio reproborum ligari manus, & pedes præcipiuntur, quid aliud iſti agunt qui manus ſuas coram Domino ligãt, niſi Deo quodammodo dicunt, Domine ne manus meas ligari præcipias, vt mittar in tenebras exteriores, quoniam iam ego eas ligaui, & ecce ad flagella paratus ſum. Hinc etiam pectus percutimus ſignantes videlicet, quod nequiter egimus, diſplicere nobis, ac ideo antequã Deus feriat, id nos in nobis ipſis ferire, & antequam vltio extrema veniat, commiſſum pœnitentia digna punire.

*Quid in eccleſia Græcorum, manus ad pectus cõſtringere, ſignificet.*

*Quid in noſtra, pectus percutere.*

Capvt LV.

Iam verò quod aſſeritis, Græcos vos prohibere communionem ſuſcipere ſine cingulis, quibus ſacræ ſcripturæ teſtimoniis hoc prohibere iure probetur, nos penitus ignoramus, niſi fortè illo quo Dominus præcipit dicens, ſint lumbi veſtri præcincti. Verùm hoc ſancti euangelij teſtimonium non per litteram, ſed per ſpiritum oportet impleri. Nam ſi ad hoc iſtud præceptum eſt vt taliter ſeruaretur, cur non fiunt pariter quæ ſequuntur, vt lucernæ ardentes? & ſicut agnum comedentibus iubetur, vt baculum in manibus teneant? habent ſuũ iſta myſterium, & intelligentibus ita clara ſunt, vt ea magis, qua decet, ſignificatione ſeruentur. Nam in lumborum præcinctione caſtitas, in baculo regimen paſtorale, in lucernis ardentibus bonorum ſplendor operum, de quibus dicitur, ſic opera veſtra luceant, indicatur. rudes ergo fideliũ mentes, vt ſanctus, & egregius propugnator Eccleſiæ Papa Cæleſtinus ſcribit, cuius hæc ſummatim verba mutuati ſumus, ad talia non debemus inducere.

Capvt LVI.

Nosse vos velle aſſeueratis, ſi liceat omnibus veſtris pręcipere tempore ſiccitatis ad pluuiam poſtulandam ieiunium & orationem facere. vobis quidem hoc agere licet, quoniam ieiunium, & oratio magnæ virtutes ſunt, & ad has iugiter faciendas veſtra multum valet hortatio; ſed congruentius eſt, ſi hæc per epiſcoporũ diſpoſitionem fiant: ipſi namque ſunt qui ligandi, ſoluendiq́; poteſtatem accipiunt, ad horum vocem populi Dei caſtra mouentur, & requieſcunt; ſine his tanquam ſine capite fore videmini, & quaſi oues errãtes, & non habẽtes paſtorem inceditis. Siquidem in talibus priſco tempore, quod nunc quoque ſancta tenet eccleſia, ſacerdotum præcedebat inſtitutio; & omnis penitus ordinatio, & tunc reliquæ plebis ſubſequebatur aſſenſus, ac per hoc ordine debito cuſtodito, & vnanimitate ſeruata, Deo largiente voti præſtabatur effectus.

Capvt LVII.

Graecos vetare perhibetis eunuchos animalia veſtra mactare, ita vt eũ qui ex animalibus ab illis occiſis comederit, graue commiſiſſe peccatum affirment. Sed nobis valde abſonum eſt, & adhuc friuolum ſonat quod dicitur. porro quia ratiocinationem iſta dicentium non audimus, nihil interim de aſſertione ipſorum nondum plenè cognita decernere definitiuè valemus. Vnum tamen ſcimus, quoniam ſi eunuchi præcepta Dei cuſtodierint, ad regnum cæleſte percipiendum nihil eis obeſſe membrorum poterit detruncatio, cùm ſecundum Apoſtolum in reſurrectione omnes occurramus in virum perfectum, & per prophetam Dominus, ſi eius mandata obſeruauerint, eunuchis non nulla læta promittat. Siquidem & ille Eunuchus Æthiops à ſancto Luca Euange-

Euangeliſta pro virtute, & integritate vir appellatur dum dicit, Et ecce vir Æthiops eunuchus potens Candacis Reginæ.

CAPVT LVIII.

VTRVM velato, an nudato capite mulier in eccleſia ſtare debeat, Apoſtolus docet. Mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum; vnum eſt enim ac ſi decaluetur: nam ſi non velatur mulier, & tondeatur; ſi verò turpe eſt mulieri tonderi aut decaluari, velet caput ſuum. Et iterum, Ideo, inquit, debet mulier velamen habere ſuper caput propter angelos; id eſt, ſacerdotes. & rurſus ait: Vos ipſi iudicate, decet mulierem nō velatam orare Dominum? nec ipſa natura docet vos, quòd vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi, mulier verò ſi comam, gloria eſt illi? quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt.

CAPVT LIX.

QVOD de femoralibus ſciſcitamini ſuperuacuum eſſe putamus; nos enim non exteriorem cultum veſtium veſtrarū, ſed interioris hominis mores in vobis mutari deſideramus, nec quid induatis præter Chriſtum, quotquot enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, ſed quomodo in fide, ac bonis operibus proficiatis, inquirimus. Verùm quia ſimpliciter de his interrogatis verentes videlicet, ne vobis in peccatum imputetur, ſi præter aliorum conſuetudinem quid ſaltem in minimis agitis Chriſtianorū, ne quid deſiderio veſtro ſubtrahere videamur, dicimus; quoniam in libris noſtris iuſſa ſunt femoralia fieri, non vt his mulieres vterentur, ſed viri: nunc autem, vt quemadmodum à veteri ad nouum trāſiſtis hominem, ita de priori conſuetudine ad morem noſtrum per omnia tranſeatis, facite; ſin autem, quod placet, agite. Nam ſiue vos, ſiue feminæ veſtræ, ſiue deponatis, ſiue induatis femoralia, nec ſaluti officit, nec ad virtutum veſtrarum proficit incrementum. Sanè quoniam diximus iuſſa fuiſſe femoralia fieri, notandum eſt, quia nos ſpiritualiter induimur femoralibus, cùm carnis libidinem per abſtinentiam coartamus, nam illa loca femoralibus conſtringuntur, in quibus luxuriæ ſedes eſſe noſcūtur; quamobrem fortaſſe primi homines poſt peccatum in membris ſuis illicitos ſentientes motus ad arboris ficulneæ folia concurrentes ſibi perizomata texuerunt; ſed hæc ſpiritualia ſunt, quæ hactenus portare non poteratis, ſed nec dum, vt cum Apoſtolo dicam, poteſtis; adhuc enim eſtis carnales; & ideo hinc per pauca diximus, cùm plura Deo donante dicere valeremus.

CAPVT LX.

CONSVLENTIBVS vobis ſi liceat abſque ieiuniorum tempore quantumcunque valde mane comedere, reſpondemus; quoniam neminem patrum noſtrorū ante horam diei tertiam manducaſſe, nec ſancta Eccleſia ante horam hanc traditionem ſumendi cibum accepiſſe recolimus vel monumentis quibuſcunque reperimus, contrario verò quoſdam eorum vſque ad veſperum, alios autem vſque ad nonam horam diei, porro alios vſque ad ſextam inuenimus ieiunaſſe, nullum autem mane cibi quantulumcunque ſumpſiſſe comperimus, cùm potius væ dictū iis qui mane comedunt, fuiſſe legerimus; quamobrem ab iſto maledicto vos alienos eſſe deſiderantes hortamur, vt ante horam diei tertiam nullum omnino corporalem cibum etiam in ipſis inſignibus ſollemnitatibus omninò ſumatis; namque ſollemnitas poteſt eſſe Pentecoſte ſublimior, in qua ſpiritus ſanctus ſuper Apoſtolos deſcendit, ac per hoc homines meruerunt in ſe ſuſcipere Dominum. In iſta nempe feſtiuitate ſancti Apoſtoli cum aliis nonnullis hora diei tertia reperiuntur fuiſſe ieiuni; cùm repletos ſpiritu ſancto, & loquentes omnium gentium linguis quibuſdam incredulis audientibus, & obſtupeſcentibus, & quòd muſto eſſent repleti ij qui ſimul aderant falsò dicentibus, Petrus Apoſtolorum Princeps reſponderit dicens, Non

enim



enim, ſicut vos ęſtimatis, ebrij ſunt iſti, cùm ſit hora diei tertia. vbi notandum, quòd non ſolum Apoſtoli, ſed & omnes qui cum ipſis erant, id eſt, centum viginti viri, ſuper quos ſpiritus ſanctus cecidit, hora diei tertia ieiuni reperiantur. ſimul etiam notandum, quòd non dixerit beatus Petrus ſimpliciter, non, ſicut vos æſtimatis, hi ebrij ſunt, ſed addiderit, cùm ſit hora diei tertia; ac ſi patenter diceret, ipſi liquidò noſtis, quòd nō ſit iſtis conſuetudinis ante horam diei tertiam ieiuniū ſoluere, quamobrē fruſtra illos ebrios eſſe putatis. imitamini itaque hos, vt ſpiritus ſanctus, & ſi non tardius, ſaltem hora tertia diei vos ieiunos inueniens, ſicut iſtos, vos quoque inſpiratione ſuæ gratiæ repleat.

CAPVT LXI.

DE cætero ſcire vos velle ſignificatis, quot vicibus laicalis perſona per vnumquemque diem orationem facere debeat: in quo ſcire vos conuenit, neminem exceptum eſſe ab eo quod Dominus in Euangelio dicit, Oportet ſemper orare, & non deficere; & Apoſtolus, ſine intermiſſione orate; quod ſaniſſimè prefato ſancto Auguſtino docente, ſic accipitur; vt nullo die intermittantur certa tempora orandi: quæ autem ſint hæc certa tempora orandi, quæ nullo die prætermitti debeant, quærite, & inuenietis.

CAPVT LXII.

REFERTIS, quòd lapis inuentus ſit apud vos, antequam Chriſtianitatem ſuſcepiſſetis, de quo ſi quiſquam ob aliquam infirmitatem quid accipit, ſoleat aliquoties remedium corpori ſuo præbere, aliquoties verò ſine profectu remanere; quod vtique etiam de illo lapide quid nunquam ſumentibus quotidie certum eſt euenire, videlicet, vt alij quidem ab ægritudine ſua remedium ſanitatis recipiant, alij verò infirmitate tabeſcant. quamobrem nos tanquam erroris vobis conſulentibus vtrum de cetero ſit agendum, an reſpuendum, reſpōdemus, & decernimus, quatenus omnis eiuſdem lapidis ſumptus penitus prohibeatur, & omnimodis refutetur; & in ſolo illo lapide Domino noſtro Ieſu Chriſto quem reprobauere ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, ſpes totius ſalutis humanæ ponatur, & tanquam à fortiſſimo recuperandæ fortitudinis noſtræ remedium expectetur, ad quem vos accedere, & in eo fiduciam omnem locare beatiſſimus primus Apoſtolorum Petrus per epiſtolam ſuam hortatur dicens, Ad quem accedentes lapidem viuum ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini in domum ſpiritalem.

CAPVT LXIII. *De abſtinētia coniugali in Dominico die.*

CONSVLITIS præterea, ſi liceat viro, Dominico nocturno, vel diurno tempore cum vxore ſua coniūgi, aut dormire. quibus reſpondemus: quoniam ſi Dominico die ab opere mūdano ceſſandum eſt, ſicut ſuprà docuimus, quāto potius à voluptate carnali, & omnimoda corporis pollutione cauendū; præſertim cùm Dominici diei nomen, quòd nihil eodem die præter quæ Domini ſunt, Chriſtianus agere debeat, liquidò manifeſtet. Porro idipſum eſt de nocturno ipſius diei, quod de diurno tempore ſentiendum. Vnus eſt enim dies qui tam diurno quàm nocturno ſpatio conſtat viginti quatuor horas habens. Nam niſi tam abſentia, quàm præſentia ſolis, vnus exiſteret dies, nequaquam ſcriptura diceret, Factum eſt veſpere, & mane dies vnus; iam verò ſi dormiendum ſimpliciter eodem ſit tempore cum vxore propria, quinquageſimo harum reſponſionum noſtrarum capitulo quod ſenſimus, curſim iam intimauimus. Porro, vt verbis vtar Apoſtoli, hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatē præbeat, ſine impedimento Dominum obſecrandi.

CAPVT LXIIII.

QVOT diebus viro, poſtquam mulier filium generauerit, ab ea ſit abſtinendum, non adinuentionibus noſtris, ſed verbis beatæ memoriæ Gregorij

Romani

Romani Pontificis,& Anglorum gentis Apoſtoli declaratur. Qui Auguſtino Epiſcopo,quem in Saxoniam ipſe direxerat,ſcribens,inter cętera dixit,Ad eius verò, id eſt, mulieris concubitum vir ſuus accedere non debet, quoadusque proles quæ gignitur,ablactetur. Praua autem in coniugatorum moribus conſuetudo ſurrexit,vt mulieres filios quos gignunt, nutrire contemnant, eoſque aliis mulieribus nutriendos tradant; quod videlicet ſola cauſa incontinentiæ videtur inuentum, qui dum ſe continere nolunt, deſpiciunt lactare quos gignunt.

CAPVT LXV.

TVNC rectè non licet cuilibet communionem Chriſti percipere, quando gulæ deditus non inuenitur ieiunus, adeò vt myſticam menſam paruipendens prius cibi laici ſumptu ieiunium ſoluiſſe videatur, Chriſtique venerandum corpus,ac pretioſum ſanguinem à ceteris non diſcernens alimentis, non præpoſuiſſe omni humanæ refectioni, ſed poſtpoſuiſſe noſcatur. Remedium quippe ſalutiferum eſt corpus Chriſti contra peccatum, & qui hoc ante omnem eſcam veneranter non ſumit; & certè quotidie medicos vacuis viſceribus ſua cernimus pocula propinare,& ſi hoc pro ſanitate corporis agitur, quanto potius eſt pro animæ ſalute patrandum. Ceterum quamobrem non debeat is cui ſanguis ex ore vel naribus profluxerit, corpus ac ſanguinem Chriſti percipere,regula nulla docet. Nam quod inuitus quis patitur,in culpam ei non debet imputari,ac per hoc nec à participatione tanti remedij coërceri: nouimus namque,quia mulier quæ fluxum patiebatur ſanguinis, poſt tergum Domini humiliter veniens veſtimenti eius fimbriam tetigit,atque ab ea ſtatim infirmitas receſſit. Si itaque mulier hæc in fluxu ſanguinis poſita veſtimenti Dominici tactu non iudicatur indigna,immo ipſius Domini,nam ipſe dixit, tetigit me aliquis,cur ei qui ſanguinis ex ore vel naribus fluorem ſuſtinet, non liceat ſalutifera Chriſti ſacramenta percipere?

CAPVT LXVI.

GRAECOS prohibere vos aſſeritis cum ligatura lintei, quam in capite geſtatis, Eccleſiam intrare; quos nos quoque ſimiliter non ab re forſitan inhibemus, nam ſæpe memoratus,ac ſemper memorandus Apoſtolus Paulus ait, omnis vir orans aut prophetans velato capite,deturpat caput ſuum. Et iterum, Vir quidem non debet velare caput, quoniam imago, & gloria eſt Dei; quod enim de velamine dicitur, etiam de ligaturæ volumine debet, credimus,obſeruari.

CAPVT LXVII.

PERHIBETIS vos conſuetudinem habuiſſe quotieſcunque aliquem iure iurando pro qualibet re diſponebatis obligare,ſpatham in medium afferre, & per eam iuramentum agebatur. Nunc autem per quos iurare debeatis,à nobis iuberi depoſcitis,ſed nos ante omnia non ſolum per ſpatham, verum etiam per aliam omnino conditam ſpeciem iurari iudicamus indignum; per quem enim quis iurat,profectò & diligit,& veneratur; ſed & fiduciam ſuam ei firma ſtabilitate commendat:quamobrem per Deum iurandum eſt,qui ab hominibus diligendus & venerandus,& in quo omnis ſpes,& fiducia eſt locanda,& à quo præ cunctis creaturis eſt ſemper auxilium expectandum. nam cùm à Domino per cælum,terram,caput,& Hieruſalem non iurare iubetur, nil niſi vt per creaturam iuretur proculdubio inhibetur. Quod autem per Dei nomen iurare præcipiamur,ipſo iubente didicimus. Sanè poſſumus per eas dumtaxat creaturas iurare quæ diuinis ſunt cultibus deputatæ,vt eſt templum,& altare, in quibus qui iurat,iurat in ipſis,& qui habitat in ipſis, & ſi quæ ſunt talia. Quapropter iure per euangelium iurandum eſt, in quo quicquid continetur, nihil niſi Dei,qui in eo ſcribitur,& legitur,eſſe profectò dignoſcitur; ipſum eſt enim lex noſtra,ipſum teſtamentum noſtrum quod legifer,& teſtator,Dominus,& redemptor noſter electis ſuis diſpoſuit. & ſi hoc amamus,per ipſum etiam iuramus, etenim omnis vera qui dicit,per eum iurat quem amat; nos ergo ſi per Euangelium iuramus,& teſtatorem,& ipſum teſtamentum diligere comprobamur, & ab eius mandatis nos nolle recedere proculdubio ſignificamus.



CAPVT LXVIII.

REQVISISTIS poſt quot dies mulier poſſit Eccleſiam intrare poſtquam genuerit:in quo nos prædeceſſoris noſtri beati Gregorij Papæ veſtigia ſequentes,eadem quæ ipſe decernimus,qui pro noua gente ſicut nos modò inſtruēda ſcribens,inter alia dixit;ſi mulier hora eadē qua genuerit, actura gratias intret eccleſiam, nullo peccati pondere grauatur,voluptas enim carnis,non dolor in culpa eſt,in carnis autem commixtione voluptas eſt; nam in prolis prolatione gemitus,vnde & ipſi pro matrimonio dicitur,in doloribus paries: ſi ergo enixam mulierem intrare Eccleſiam prohibemus, ipſam ei pœnam in culpam deputamus.

CAPVT LXIX.

QVOT vicibus per totum annū baptiſmata celebrari debeāt, vel ſi eodem die licitum ſit carnes comedi,vel quot in cōſequentibus ab his ſit abſtinendū, requiritis. inſignia igitur anni ſiue ſollemnia tempora quibus baptiſmata celebrantur ſecundum canones duo ſunt, Paſchæ ſcilicet & Pentecoſtes. Verùm circa vos nulla ſunt in baptizando tempora penitus obſeruanda; quemadmodum nec erga eos qui mortis vicinæ periculum metuentes tanto lauacro purgari deſiderant: à carnibus autem ipſo die iis qui ſabbato ſancto, vel ſabbato Pentecoſtes baptizati fuerint,abſtinere proculdubio conuenit,conſequētibus verò ſeptem diebus, qui à veteribus dies Azymorum dicebantur,& diei Reſurrectionis Dominicæ conuincti ritè celebrantur, ſi quiſquam quandocūque carnibus veſci affectat,multo magis edere carnes oportet.

CAPVT LXX. 28. diſ. c. conſulēdum.

CONSVLENDVM decernitis vtrū presbyterū vxorem habentem debeatis ſuſtentare & honorare, an à vobis proiicere: in quo reſpōdemus, quoniā licet ipſi valde reprehenſibiles ſint, vos tamen Dominū imitari conuenit,qui ſolē ſuum, vt Euangelium teſtatur,oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos,& iniuſtos. Deiicere verò eum à vobis ideo non debetis, quoniam nec Iudam Dominus cùm eſſet mendax diſcipulus,de numero Apoſtolorū deiecit. Verùm de presbyteris qualeſcunque ſint,vobis,qui laici eſtis,nec iudicandum eſt,nec de vita ipſorum quippiam inueſtigandum, ſed epiſcoporum iudicio quicquid eſt,per omnia reſeruandum.

CAPVT LXXI.

SCISCITANTIBVS vobis,ſi à ſacerdote, qui ſiue comprehenſus eſt in adulterio, ſiue de hoc fama ſola reſperſus eſt,debeatis communionem ſuſcipere,necne; reſpondemus,non poteſt aliquis quantumcunque pollutus ſit, ſacramenta diuina polluere,quæ purgatoria cunctarum remedia contagionum exiſtunt. nec poteſt ſolis radius per cloacas & latrinas tranſiens aliquid exinde contaminationis attrahere. proinde qualiſcunque ſacerdos ſit,quæ ſancta ſunt coinquinare non poteſt,idcirco ab eo vſque quo epiſcoporum iudicio reprobetur, communio percipienda eſt;quoniam mali bona miniſtrando ſe tantummodo lędunt,& certa fax accenſa ſibi quidem detrimentū præſtat,aliis verò lumen in tenebris adminiſtrat,& vnde aliis cōmodū exhibet,inde ſibi diſpendiū prębet. Sumite igitur intrepidè ab omni ſacerdote Chriſti myſteria,quoniam omnia in fide purgantur:Fides eſt enim quæ vincit hunc mundū.& quia non dantis,ſed accipientis ſit,docente ſancto Hieronymo,ad credendū in omni anima baptiſmum eſſe perfectum, & in omni ſacerdote corpus Chriſti eſſe perfectum. qui

 rurſus

rurſus ſacræ ſcripturæ concordás ait, priuſquã audias, ne iudicaueris quenquã, atque ante probationẽ accuſationis illatæ, neminẽ à tua cõmunione ſuſpẽdas; quia non ſtatim qui accuſatur, reus eſt, ſed qui conuincitur, crimenoſus.

CAPVT LXXII. REQVIRITIS ſi liceat in vobis Patriarcham ordinari: ſed de hoc nil definitiuè reſpondere poſſumus, priuſquam legati noſtri quos vobiſcum mittimus, reuerſi fuerint, & nobis, quæ inter vos multitudo ſit & vnanimitas Chriſtianorum, renuncient. Nam interim epiſcopum habetote, & cùm incremento diuinæ gratiæ Chriſtianitas ibi fuerit dilatata, & epiſcopi per ſingulas eccleſias ordinati, tunc eligendus eſt inter eos vnus, qui ſi nõ Patriarcha, certè Archiepiſcopus appellandus ſit, ad quẽ omnes concurrant, & cuius conſilium in cauſis maioribus præſtolentur; id ipſum etiam Apoſtolicis regulis præcipientibus, ac dicentibus: Epiſcopos gentium ſingularum ſcire conuenit, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput exiſtiment, & nihil amplius præter eius conſcientiam gerant, & cetera.

*Can. Apoſt. 34.*

CAPVT LXXIII. A QVO autem ſit Patriarcha ordinandus interrogatis; & idcirco ſcitote quia in loco vbi nunquam patriarcha, vel archiepiſcopus conſtitutus eſt, à maiori eſt primitùs inſtituendus; quoniam ſecundum Apoſtolum minus à maiori benedicitur. deinde verò accepta licentia, & pallij vſu ordinat ipſe ſibi deinceps Epiſcopos, qui ſucceſſorem ſuum valeant ordinare. Vos tamen ſiue patriarcham, ſiue archiepiſcopum, ſiue epiſcopum vobis ordinari poſtuletis, à nemine nunc velle congruentius, quàm à Pontifice ſedis beati Petri, à quo & epiſcopatus, & Apoſtolatus ſumpſit initium, hunc ordinari valetis, in quo hic eſt ordo ſeruandus, vt videlicet à ſedis Apoſtolicæ præſule ſit nunc vobis epiſcopus conſecrandus; qui, ſi Chriſti plebs, ipſo præſtante, creſcit, archiepiſcopatus priuilegia per nos accipiat; & ita demum epiſcopos ſibi conſtituat, qui ei decedenti ſucceſſorem eligant; & propter longitudinem itineris nõ iam huc conſecrandus qui electus eſt, veniat; ſed hunc epiſcopi, qui ab obeunte Archiepiſcopo conſecrati ſunt, ſimul congregati conſtituant; ſanè interim in throno non ſedentem, & præter corpus Chriſti non cõſecrantem, priuſquam pallium à ſede Romana percipiat, ſicuti Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliarum regionum archiepiſcopi agere comprobantur.

CAPVT LXXIIII. SCISCITAMINI ſi cœpta oratione nuncius venerit de hoſtibus, ac ideo ipſam orationem conſummare nequiueritis, quid vobis agendũ ſit; quid aliud vtique, niſi vt bonum, quod cœpiſtis, quocũque vos perrexiſſe contigerit, perficiatis; nam non eſt Chriſtianis vnus locus orationis, ſicut Iudæis erat Hieroſolymis, & veluti Samaritanis in monte Garizin, ſed in omnibus locis, quemadmodum & Apoſtolus ait, Volo ergo viros orare in omni loco leuantes puras manus; præterea qui in bono opere perſeuerauerint in finem, hic ſaluus erit, præcipuè eo tempore quando contra inimicorum itur incurſus; & oratione, ſicut iam ſuprà diximus, magis quàm armis expectari debet ab hoſte triumphus.

CAPVT LXXV. IVDICIVM pœnitentiæ, quod poſtulatis, epiſcopi noſtri, quos in patriam veſtram miſimus, in ſcriptis ſecum vtique deferent, aut certè epiſcopus, qui in vobis ordinabitur, hoc, cùm oportuerit, exhibebit, nam ſęculares tale quid habere non conuenit, nimirum quibus per id quemquam iudicandi miniſterium nullum tribuitur.

CAPVT LXXVI. SIMILITER & de codice ad faciendas miſſas aſſerimus.

CAPVT LXXVII. REFERTIS quòd Græcorum quibuſdã codicem accipiẽtibus in manibus clauſum vnus ex eis accipiens paruiſſimam particulam ligni hanc intra ipſum codicem condat, & ſi vndecunque aliqua vertitur ambiguitas, per hoc affirmẽt ſcire ſe poſſe quod cupiunt. Vos verò conſulitis ſi ſit hoc tenendum, an reſpuẽdum. vtique reſpuendum; ſcriptum eſt enim, Beatus vir cuius ſpes in Domino, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.



ENARRATIS quòd populus ille qui propter Chriſtianam religionem ad occidendum vos inſurrexere, pœnitentiam agere voluerit, & ſacerdotes illi qui inter vos aduenæ ſunt, hanc recipere recuſarint. nunc autem requiritis quid de eis agendum ſit, ſi quemadmodum aſſeritis, ſponte pœnitentiam agere volũt, non ſunt prohibendi, ſed per omnia pœnitentiæ ſummittendi, quã Epiſcopus, vel presbyter ordinatus ab illo conſiderauerit: Nam non ſuſcipere pœnitentes, non eſt catholicorum, ſed Nouatianorum. CAPVT LXXVIII.

PERHIBENTES quòd moris ſit apud vos infirmis ligaturam quandam ob ſanitatem recipiendam ferre pendentẽ ſub gutture, requiritis ſi hoc agi nos de cætero iubeamus; quod non ſolum agi non iubemus, verum etiam ne fiat, modis omnibus inhibemus: huiuſmodi quippe ligaturæ, phylacteria dæmonicis ſunt inuẽta verſutiis, & animarũ hominũ eſſe vincula cõprobantur; ac ideo his vtẽtes anathemate Apoſtolica decreta perculſos ab eccleſia pelli præcipiũt. CAPVT LXXIX.

CVM generatione, quæ pacem vobiſcum habere quęrit, quomodo ad alterutrũ pacem firmare, & cuſtodire debeatis, inquiritis; quęcunq; gens vobis pacẽ offerre voluerit, vos nolite renuere, ſcriptum quippe eſt, Pacem ſequimini cum omnibus. & rurſus, Cũ omnibus hominibus pacẽ habẽtes, vbi omnibus ſonat, nemo à mutua pace prorſus excipitur. quo modo verò ipſa ſit pax cum huiuſmodi firmanda, vel cuſtodienda, niſi gentis, cum qua pax ineunda eſt, mores & verba pręnoſcantur, facilè definire non poſſumus. Veruntamen quia eſt laudabilis pax, eſt & perniciosa, prouidendum eſt, vt in omni pacto Chriſtus pręponatur, ita vt lege ipſius, & pręcipuè fide illęſa perſiſtente, fœdus, quod inuicem pangitur, permaneat incorruptũ; quã autem pacem ſectari debeatis, Dominus manifeſtat, cùm dicit, Pacem meam do vobis. cum eo igitur qui pacem Chriſti non habet, nec nos communionis habere pacẽ debemus, ſed nec cum illo qui pacem idcirco poſtulat, vt liberius nociua committat. CAPVT LXXX.

PERCONTATI eſtis, ſi cum generatione quæ Chriſtiana eſt, fœdus interpoſito ex vtraque parte iureiurando feceritis, & poſt hęc illi pactũ dirumpere, & ſuper vos inſurgere voluerint, vtrũ & vos adire cõtra eos audeatis; an aliud quid agere debeatis. Verũ omnis eſt neceſſitas toleranda, magis quàm à nobis quælibet iniquitas perpetranda. proinde fœdus quod pangitis, nulla eſt occaſione violandũ; niſi fortè in cõfirmandi fœderis ipſius articulo interpoſitũ eſt, quatenus ſic vna pars id foret obſeruatura, ſi pars hoc altera nulla tergiuerſatione violaſſet; ſiquidem à Chriſtiano genus omne mẽdacij ſummopere declinandum eſt propter illud quod à Deo dicitur, Perdes omnes qui loquuntur mendacium. & iterum, os quod mentitur, occidit animam. & Apoſtolus, Nolite, ait, mẽtiri inuicẽ. iam verò ſi illi poſtpoſito iuramẽto, diruptoq; fœdere cõtra vos inſurrexerint, quid vos oporteat agere, epiſcopus veſter à vobis inquiſitus reſpõdeat. qui iuxtà poſitus & circunſtantiã rerũ, & temporũ qualitatẽ, & mores perſonarum, & iuſtitiam partiũ clarè cognoſcens, quod congruentius, & ſalubrius eſſe perſpexerit, tunc facilius poterit indicare, & quid agi cõueniat, cuncta pręnoſcens vobis pleniter intimare. Verùm nos interim rebus incognitis ſatius admonemus, vt ſemper rogetis ea quæ pacis ſunt. CAPVT LXXXI.

CVM Paganis autem quod ſit Chriſtiano pactum faciendum, Apoſtolus CAPVT LXXXII.

indicat,qui nullam communionẽ luci ad tenebras, Chriſto ad Belial, fideli cũ infideli dat intelligi debere prorſus exiſtere. Verùm ſi eo fidelis animo pactum cum infideli conſtituit,vt eum ad cultum veri Dei poſſit attrahere,nõ eſt prohibendum,quandoquidem Apoſtolus etiam matrimonium quod ex fideli cõſtat,& infideli,non inhibet permanendum; & Moyſes cognatum ſuum ad Dei veri notitiam trahere volens, eius ſocietatem non aſpernatur, ſed comitatui ſuo ducem fore ſummopere deprecatur. inueniuntur autem nonnulli ſanctorum,& fidelium cum alienigenis,& infidelibus pacta,& amicitiæ fœdera cõtraxiſſe diuerſa,ſed eos non tanquam infidelitatem eorum, & ſuperſtitionem approbantes coluiſſe,ſed tanquã in angarias diuerſis vſibus implicaſſe, & præcipuè in terrenis eos quæſtibus, & ſeruilibus occupaſſe.

Capvt LXXXIII. SI liceat vobis de criminalibus peccatis aliquem iudicare conſulitis, ſed ſi nemo voluiſſet peccare,nemo debuiſſet aliquem iudicare; at poſtquam peccatur,profectò & iudicatur. Scimus enim, vt ſecundum Apoſtolum dicamus, quia iuſtò lex non eſt poſita,ſed iniuſtis,& non ſubditis,& impiis, & peccatoribus, ſceleratis,patricidis,& matricidis, homicidis,fornicariis, maſculorum concubitoribus,plagiariis,mendacibus,periuris,& ſi quid aliud ſanę doctrinæ aduerſatur,quæ eſt ſecundum euangelium gloriæ beati Dei: non autem vobis licet clericos iudicare,cùm vos magis ab ipſis conueniat iudicari.

Capvt LXXXIIII REQVIRENDVM à nobis ducitis,quid de eo iudicandum ſit, qui quemlibet falsò criminatus fuerit,& poſtmodũ accuſator fallax apparuerit. De hoc quamuis venerandæ leges abunde quod iuſtum eſt,innuant; nos tamẽ potius cum Apoſtolo vos ad miſericordiæ viſcera, quam ſe Deus ſuper ſacrificium velle teſtatur,ſemper conuenit exhortari;ſiquidem ipſe cùm gentes, quarum magiſter erat,doceret,non ad auſteritatẽ legis,ſed potius eas ad miſericordiæ viſcera prouocabat dicẽs; Induite vos ergo ſicut electi Dei ſancti,& dilecti viſcera miſericordiæ,benignitatem,humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes inuicem,& donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis,ita & vos.

Capvt LXXXV. ERGO ſimiliter & circa eum de quo ſciſcitamini;qui mortiferum quid homini dederit ad bibendum,vos ad miſericordiam exhortamur, ſicut & Dominus iubet dicens, Dimittite, & dimittetur vobis.

Capvt LXXXVI. SI fur vel latro deprehenſus fuerit,& negauerit quod impingitur; aſſeritis apud vos quòd iudex caput eius verberibus tundat,& aliis ſtimulis ferreis,donec veritatem depromat,ipſius latera pungat;quã rẽ nec diuina lex, nec humana prorſus admittit,cùm non inuita,ſed ſpontanea debeat eſſe confeſſio,nec ſit violenter elicienda,ſed voluntariè proferenda. denique,ſi contigerit vos etiam illis pœnis illatis,nihil de his quæ paſſo crimen obiiciuntur, penitus inuenire; nónne ſaltem tunc erubeſcitis,& quàm impiè iudicetis agnoſcitis? Similiter autem ſi homo criminatus talia paſſus ſuſtinere non valens dixerit ſe perpetraſſe quod non perpetrauit,ad quem,rogo,tantæ impietatis magnitudo reuoluitur, niſi ad eum qui hunc talia cogit mendaciter confiteri? quamuis non cõfiteri noſcatur,ſed loqui,qui hoc ore profert quod corde non tenet. Relinquite itaque talia, & quæ hactenus inſipientes exercuiſtis, medullitùs execramini: quem enim fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? porro cùm liber homo crimine fuerit appetitus, niſi iam pridem repertus eſt alicuius ſceleris reus, aut tribus teſtibus conuictus pœnæ ſuccumbit, aut ſi conuinci non potuerit, ad Euangelium ſacrum,quod ſibi obiicitur,minimè commi-





commiſiſſe iurãs abſoluitur, & deinceps huic negotio finis imponitur, quemadmodum crebrò dictus Apoſtolus doctor gẽtium atteſtatur,omnis, inquiẽs, controuerſiæ eorum finis ad confirmationem eſt iuramentum.

VTRVM ſi mulierem viduam nolentem vitam monaſticam ſuſcipere quis monacham fecerit,peccatum committat, inquiritis: ſed in hoc ſciendum eſt, Capvt LXXXVII. quoniam aliæ ſunt virtutes ſine quibus ad vitam ingredi non poſſumus; aliæ verò ſunt,quæ non niſi ab ſponſore requiruntur,ſine humilitate quippe, caſtitate,& eleemoſynis, & orationibus nullus ad vitam ingredi valet, & iſta ſunt cum his ſimilibus,quę requiruntur ab homine. Monachicum autem habitum induere,ac vitam remotam ducere,non niſi à ſpondente diuinitùs exiguntur. Vnde quiſquis vim intulerit alicui,vt monaſticum habitũ, & vitam remotiorem,quam non optauit,nec elegit, aſſumat; hic tanquam violentus peccatum euadere non valet,& quoniam quod agitur,ex accipientis voto non venit, nec accipiens religioſum habitum,inde mercedem habet;nec inferens crudelitatis ſuæ iudicio carebit.

PRÒ parentibus veſtris, de quibus conſulitis, qui infideles mortui ſunt, propter peccatum incredulitatis orare non licet; ſecundum illud Ioannis Apo- Capvt LXXXVIII ſtoli dicentis; Eſt peccatum ad mortem,non dico,vt oretur pro eo, peccatum quippe ad mortem eſt in eodem peccato morientibus.

FRVGES nouas, & rerum offerre primitias etiam veteribus moris erat, quod penè in ipſo initio mundi Abel, & Cain egiſſe legimus. Capvt LXXXIX.

ANIMALIA ſiue volatilia ſi ſine ferro mactentur, & ſolo ictu hominis percuſſa moriantur,ſi liceat comedi ſciſcitamini. de hoc ſanctus Auguſtinus Capvt XC. contra Fauſtum Manichęum pleniter ſcripſit,de cuius verbis nos modicũ quid nunc propter prolixitatem tangimus; vbi,inquit,Eccleſia gentium talis effecta eſt,vt in ea nullus Iſraëlita carnalis appareat, quis iam hoc Chriſtianus obſeruat,vt turdos,vel minutiores auiculas non attingat,niſi quarum ſanguis effuſus eſt; aut leporẽ non edat, ſi manu à ceruice percuſſus nullo cruento vulnere occiſus eſt. & qui fortè pauci adhuc tangere iſta formidant,à ceteris irridentur, ita omnium animos in hac retinuit illa ſententia veritatis, non quod intrat in os veſtrum,vos coinquinat, ſed quod exit.

NEQVE quod Chriſtianus perſequitur,& à pagano percutitur, & occiditur animal; neque quod paganus perſequitur, Chriſtianus occidit, à Chriſtia- Capvt XCI. no comedendum eſt; ne videlicet fidelis cum infideli ſaltem in modico communicaſſe videatur. quæ enim pars fideli cũ infideli? & rurſus propter conſciẽtiam non fidelis vtique,ſed infidelis gloriantis ſcilicet ſe quod ſibi à Chriſtiano fuerit communicatum,ac per hoc autumantis eo quòd non fuerit à fideli ſpretus,quòd vanitas erroris ſui à Chriſtiano extiterit approbata.

DESIDERATIS noſſe quot ſint veraciter patriarchæ: veraciter illi habendi ſunt patriarchæ, qui ſedes Apoſtolicas per ſucceſſiones Pontificum obtinent, Capvt XCII. id eſt,qui illis præſunt eccleſiis quas Apoſtoli inſtituiſſe probatur,Romanam videlicet,& Alexandrinam,& Antiochenam; Romanam quam ſanctorũ Prin- *De Patriarchis.* cipes Apoſtolorum Petrus ac Paulus & prædicatione ſua inſtituerunt, & pro Chriſti amore fuſo proprio ſanguine ſacrauerunt. Alexandrinam quam Euangeliſta Marcus diſcipulus & de baptiſmate Petri filius à Petro miſſus inſtituit, & Domino Chriſto cruore dicauit. Antiochenã,in qua conuentu magno ſanctorũ facto primũ fideles dicti ſunt Chriſtiani,& quã beatus Petrus priuſquã Romam veniret,per annos aliquot gubernauit. Conſtantinopolitanus autẽ,&

Hieroſolymitanus antiſtites licet dicantur patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis, quantę ſuperiores exiſtunt. Nam Conſtantinopolitanam eccleſiam nec Apoſtolorum quiſquam inſtituit, nec Nicæna ſynodus, quæ cunctis ſynodis celebrior & venerabilior eſt, eius mentionem aliquam fecit, ſed ſolum quia Conſtantinopolis noua Roma dicta eſt, fauore Principum potius, quàm ratione patriarcha eius Pontifex appellatus eſt. Hieroſolymitanus autem præſul licet & ipſe patriarcha dicatur, & ſecundum antiquam conſuetudinem, ac Nicænam ſynodũ honorandus ſit, ſalua tamen metropoli propria dignitate; ſed & in eadem ſancta, & magna ſynodo nequaquàm Hieroſolymitanus, ſed Heliæ epiſcopus dicitur. Nam vera Hieruſalem tantùm in cælis eſt, quæ eſt mater noſtra; illa verò Hieruſalem terreſtris, ſecundum quod Dominus prædixit, adeò funditus ab Helio Adriano Imperatore Romano deſtructa eſt, vt in ea nec lapis ſuper lapidem ſit derelictus, & ab eodem Helio Adriano in alio eſt loco conſtructa; ita vt locus Dominicæ crucis extra portam, nunc intra cernatur, & à prædicto Helio Adriano vrbs illa Helia vocetur.

CAPVT XCIII. PORRO quis patriarcharum ſecundus ſit à Romano conſulitis, ſed iuxtà quod ſancta Romana tenet eccleſia, & Nicæni canones innuunt, & ſancti præſules Romanorum defendunt, & ipſa ratio docet, Alexandrinus Patriarcharum à Romano Papa ſecundus.

CAPVT XCIIII. GRAECOS dicere perhibetis, quòd in illorum patria chriſma oriatur, & ab illis per totum mundum tribuatur, & ideo noſſe deſideratis, ſi verum ſit. Sed iam credimus, quòd veſtra ſollertia quàm verum non ſit animaduertit.

CAPVT XCV. QVID de his agendum decernimus, qui pro quibuſcumque culpis ad Eccleſiam fugiunt, requiritis: ſed quamuis ea ſacri canones, quæ leges mundanæ ſanciunt, cuſtodienda flagitent, & leges circa quoſdam immiſericordes appareant, nos tamen qui non ſpiritum huius mundi ſuſcepimus, ſi quiſpiam ad Eccleſiam fugerit, non illum niſi ſua voluerit ſponte, ab ea dicimus educendum. Denique ſi quondam latrones, & diuerſorum criminum rei ad aſylum templum Romuli fugientes indemnitatem conſequebantur, quanto potius hi qui ad templum Chriſti confugium faciunt, delictorum remiſſionem ſuorum adipiſci debent; & iam ſibi à ſuſpecto iuramento præſtito, omni priſtinæ ſecuritati reſtitui.

CAPVT XCVI. QVICQVID mulier tua contra te cogitauerit, aut fecerit, vel ſi te accuſauerit, non eſt excepta cauſa fornicationis reiicienda, vel odio prorſus habenda, quæ eſt, Apoſtolo præcipiente, ſicut à Chriſto eccleſia, diligenda; quantum autem hæreticorum ore Chriſtus & accuſatur, & in gentibus blaſphematur, ſed hos interim peruerſa prædicantes tolerat, & reſipiſcentes à miſericordiæ gremio non repellit.

CAPVT XCVII. SIMILITER & de ſeruo, qui dominum ſuum apud principes accuſat, cuſtodiendum eſt, cui ſecundum Apoſtolum à domino ſuo etiam minæ ſunt remittendæ. Sed quid de ſeruo dicimus, quando Dominus generaliter omnibus, & de omnibus præcipit, dimittite, inquiẽs, & dimittetur vobis; & Apoſtolus, videte ne quis malum pro malo alicui reddat. vbi enim alicui interpoſuit, etiam ſeruum comprehendit. Iam ſi non omnes comprehendiſſe dicis, audi quod ſequitur, ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini inuicem in omnes.

CAPVT XCVIII. SI ſit ſepeliendus qui ſe ipſum occidit, vel ſi ſit pro eo ſacrificium offerendum, requiritis: ſepeliendus eſt quidem, ne viuentium odoratui moleſtiam ingerat, non tamen eſt, vt aliis pauor incutiatur, ſolito cum obſequiis more ad ſepulchra ferendus. ſed & ſi qui ſunt qui eius ſepulturæ ſtudio humanitatis obſequuntur, ſibi, non illi qui ſui extitit homicida, præſtare videntur. Sacrificium verò pro eo non eſt offerendum qui non ſolum ad mortem vſque peccauit, ſed & mortis ſibimet interitum propinauit. quis enim magis peccatum ad mortem facit, pro quo Ioannes Apoſtolus dicit non orandum, quàm is qui Iudam imitatus ſui ipſius homicida fuiſſe magiſtro diabolo comprobatur?



CAPVT XCIX. SI eſt Chriſtianus intra eccleſiam ſepeliendus, inquiritis, hanc ſanctus Papa Gregorius quæſtionem abſoluit dicens: Cùm grauia peccata non deprimunt, hoc prodeſt mortuis, ſi in eccleſiis ſepeliantur, quòd eorum proximi quoties ad eadem ſacra loca conueniunt, ſuorum, quorum ſepulchra aſpiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt. Nam quos peccata grauia deprimunt, non abſolutionem potius, quàm ad maiorem damnationis cumulum eorum corpora in eccleſiis ponentur.

CAPVT C. QVI in prœlio defunctus fuerit, vtrum reportandus ad propria ſit, ſi parentes eius, aut ſocij eius voluerint, ex præcedente capitulo poteſtis colligere. Siquidem idcirco, ſi voluerint propinqui, ad propria reportandus eſt mortuus, vt eius tumulum intuẽtes proximi recordentur ipſius, & pro eo Domino preces fundant. Nam & ſanctum Ioſeph tale quid de oſſibus ſuis obiturum mandaſſe ſacra prodit hiſtoria.

CAPVT CI. QVIBVS eleemoſyna eroganda, inueſtigatis, quod Dominus in euangelio manifeſtè demonſtrat dicens, omni petenti te da, & iterum patrem memorans ait, Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos; & Apoſtolus, dum, inquit, tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei, id eſt, Chriſtianos. Verum tamen eſt in eleemoſyna facienda quidam ordo diſcretionis obſeruandus, quem nos pleniter exponere ſtudio nunc breuitatis omittimus. Sed quid nam hoc nomẽ ſignet primitus indicemus. eleemoſyna quippe Græcè, Latinè miſericordia dicitur, & certè ſcriptum eſt, Miſerere animæ ſuæ placens Deo. ergo primum ſibi debet homo præ cæteris eleemoſynam facere: Siquidem omnem regulam bene agendi à ſe debet homo incipere placens ſcilicet Deo per munditiam mentis, & corporis, ac per hoc ſibi tribuens illum panem viuum qui de cælo deſcendit. deinde verò eleemoſyna exhibẽda eſt propinquis egeſtatem patientibus, ſicut ſcriptum eſt, carnem tuam non deſpexeris: nam & ipſa natura docet nos de hoc. & quod ipſe propinquo meo non exhibuero, quando extraneus exhibebit? deinde autem his maximè miſericordia præſtanda eſt, qui petere confunduntur. Sanè notandum eſt, quia ſunt nonnulli, quibus nil conferri debet, ſicut ſcriptum eſt, da bono, & ne receperis peccatorem; & rurſum, ne dederis impio; & iterum; panem tuum, & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus. Panem enim, & vinum ſuum peccatoribus prębet, qui iniquis ſubſidia, pro eo quòd iniqui ſunt, impendit; qui verò indigenti etiam peccatori panem ſuum, non quia peccator, ſed quia homo eſt, tribuit, nimirum non peccatorem, ſed iuſtum nutrit, qui in illo non culpam, ſed naturam diligit. vnde & nonnulli huius mundi diuites, cùm fame crucientur Chriſti pauperes, effuſis largitatibus nutriunt hiſtriones.

CAPVT CII. NON eſſe inferendam Pagano violentiam vt Chriſtianus fiat, ſuprà docuimus.

Caput CIII.

De libris profanis quos à Saracenis vos abſtuliſſe, ac apud vos habere perhibetis, quid faciendum ſit, inquiritis: qui nimirum non ſunt reſeruandi, corrumpunt enim, ſicut ſcriptum eſt, mores bonos colloquia mala; ſed vtpote noxij & blaſphemi igni tradendi.

Caput CIIII.

*De conſ. diſ. 4. c. à quodã.*

A QVODAM Iudæo neſcitis vtrum Chriſtiano, an pagano multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de his ſit agendum conſulitis. hi profectò ſi in nomine ſanctæ trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt, vnum quippe idemque eſt, vt ſanctus exponit Ambroſius, conſtat eos non eſſe denuo baptizandos; ſed primum vtrum Chriſtianus, an paganus ipſe Iudæus extiterit, vel ſi poſtmodum factus fuerit Chriſtianus, inueſtigandum eſt, quamuis non prætereundum eſſe credamus, quid beatus de baptiſmo dicat Auguſtinus: Iam ſatis, inquit, oſtendimus ad baptiſmum, qui verbis euangelicis conſecratur, non pertinere cuiuſquam vel dantis, vel accipientis errorem, ſiue de patre, ſiue de filio, ſiue de ſpiritu ſancto aliter ſentiat quàm doctrina cæleſtis inſinuat. Et iterum, Sunt etiam quidam ex eo numero, qui adhuc nequiter viuunt, aut etiam in hæreſibus, vel in gentilium ſuperſtitionibus iaceant; & tamen etiam illic nouit Dominus qui ſunt eius. Nam quæ in illa ineffabili præſcientia multi qui foris videntur, intus ſunt. & alio loco, etiam corde tardiores quantum exiſtimo, intelligunt baptiſmum Chriſti nulla peruerſitate hominis ſiue dantis, ſiue accipientis poſſe violari. & rurſus, poteſt tamen, ait, tradere ſeparatus, ſicut poteſt habere ſeparatus, ſed quam pernicioſe tradere; ille autem cui tradit, poteſt ſalubriter accipere, ſi ipſe non ſeparatus accipiat.

Caput CV.

CONSVLENTIBVS, & inſtrui poſcentibus vobis quid de eo faciendum ſit qui ſuper præcepta Apoſtolica ſe efferens prædicare tentauerit, vnus ex eis, id eſt, Paulus reſpondet, & inſtruit dicens; Sed licet nos, aut angelus de cęlo euangelizet vobis præter quod euangelizamus vobis, anathema ſit. Veruntamen cùm hoc fit, non eſt paſſim nec à vobis, qui laici eſtis, temere iudicandum; in multis enim offendimus omnes.

Caput CVI.

*Beatus Petrus, qui in ſede ſua viuit, & præſidet.*

POSTREMO deprecamini nos ſuppliciter, vt vobis quemadmodum ceteris gentibus veram & perfectam Chriſtianitatem non habentem maculam aut rugam largiamur; aſſerentes quòd in patriam veſtram multi ex diuerſis locis Chriſtiani aduenerint, qui prout voluntas eorum exiſtit, multa & varia loquũtur, id eſt, Græci, Armeni, & ex ceteris locis; quapropter iuberi poſcitis vtrum omnibus his ſecundum varios ſenſus eorum obedire, an quid facere debeatis. Verùm nos in his non ſumus ſufficientes, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. & beatus Petrus, qui in ſede ſua viuit, & præſidet, dat quærentibus fidei veritatem: Nam & ſancta Romana eccleſia ſemper ſine macula fuit, & ſine ruga, nimirum quia ille hanc inſtituit, cuius fidei confeſſio diuinitùs extitit approbata, ad quam videlicet Chriſtianitatis fidẽ, licet eius myſteria conſummatè nullus intelligere valeat, vobis inſinuandam inſpirante Deo, ecce ſcripta noſtra, & miſſos, ac diuerſos codices in patriam veſtram deſtinauimus; & quouſque radices roboris conſequamini, vos rigare nullo modo deſiſtemus, & quouſque ad ſolidum perfectionis cibum perueniatis, vos ſaltem lacte potare nunquam penitus omittemus, nam gaudium meum, & corona mea vos eſtis in Domino. De his autem quos in patriam veſtram de diuerſis locis aduenisse perhibetis, varia, & diuerſa docentes multa vobis iã ſcripſimus, & nunc ſcribere aliqua doctoris gẽtium ſuffragantibus ſanctis eloquiis procuramus, qui inter Corinthios





thios tales eſſe formidans aiebat, Timeo enim ne forte cùm venero, non quales volo inueniam vos, & ego inueniar à vobis quales non vultis, ne fortè cõtentiones, ac æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones in vobis ſint. Veruntamen quantum ad fidẽ rectam pertinet, non curamus qui prædicent, ſed quem prædicent, ipſe quippe ſcripſit, quidam inquiens quidem & propter inuidiam, & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant, quidam ex caritate, ſcientes, quoniam in defenſionem Euangelij poſitus ſum. Quidam autem ex contentione Chriſtum annunciant non ſincerè exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis; quid enim mihi eſt, dum omni modo ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur, & in hoc gaudeo, & gaudebo. ſed & qui hæc dixit, audite quid alibi dicat: profana autem, & inaniloquia deuita, multum enim proficient ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit. Verumtamen in his omnibus aderit miſericordia Dei miſſis noſtris, & futuro epiſcopo veſtro, qui vos inſtruant, & quid agere debeatis, abũdanter erudiant: ſed & illi ſiue nunc, ſiue poſt hæc ſemper in rebus dubiis, & negotiis maioribus ſedem totius eccleſiæ more conſulent Apoſtolicam ab illa inſtructi in quibus oportet, inſtituent, & quæ Dei ſunt, ſedula prædicatione docebunt.

HAEC quidem ſuggeſtionibus ſiue quæſtionibus veſtris, prout Dominus dedit reſpondimus non quantum potuimus, ſed quantum ſufficere poſſe præuidimus. Cùm autem epiſcopum Deo concedente per præſulatus noſtri miniſterium habueritis, ille vos docebit omnia quæ ad officium ſuum pertinent: & ſi quæ ſunt quæ non capiet, ab Apoſtolicæ ſedis auctoritate ſuſcipiet. Deus autem qui in vobis ſalutem maximam operatus eſt, hanc perficiat, conſolidet, & vſque in finem ſtabiliat; & corroboret; AMEN.

FINIS.

# ERRATA
## ſic corrige.

PAg.4,verſ.5.lege à Deo. pag.5,verſ.31.deſperanter. pag.7,verſ.21.monogamon. pa.7,c.4.ver.1.ſi qua. p.11,obſeruatione 1.v.10.dolor. p.12,ob.3.v.13.σιβοῦν. p.14,v.6.noſtras. p.16,c.18.v.7.noſce. p.19,obſ.1.v.43.à Deo. p.32,v.15.linamentum.ibid.obſ.2.in fine, pœnitentiæ fide, & con. p.36.v.5.Nabuchæ. p.37,v.9.iudicio. p.44,v.vltimo debet. ibidem v.5.pauperem. p.47,v.27.naturæ.ibidem v.29,ſit.pag.55,obſ.1.v.vlt.adhibebant. p.56,v.1.obſer.potius illum. ibid.cap.6.v.5.Azaele. p.57,obſ.1.v.vlt.erunt. p.61,v.11.in obſ.δοξοσόφος. p.63,v.26.abiectam. p.74,v.20.in obſ.Scapulam. ibidem,v.40.dare peritos. ibid.obſ.3.v.9.à Deo. p.76,cap.4.v.2.impiarum. p.80,obſ.1.v.42.dixerunt. p.82,obſ.3.v.penultimo,ſi obſeruandi. p.84,c.17.v.4.non alias. ibid.obſ.1.v.12.qui non. p.89,v.22.ſacrificia eorum. p.92.obſ.2.v.10.ſacrilegum non ſoluere. p.95,v.15.ὅις lege οὖς. p.97,c.8.v.3.paruo animo. p.104,c.32.obſ.1,v.11.κατασήσατε. ibidem v.17.χειροτονίας. p.105,c.34.v.18.capeſſeritem. p.106.in obſ.v.1.à iuſtitia. p.109.obſ.4.v.penult.vocat diuinitatem. p.112.obſ.3.v.16.ex operibus fides. ibid.c.42.obſ.verſiculo 20.in defenſione. p.115.v.12.vt qui. ibidem c.45.v.14.cum cymbalis. p.121.obſ.1.v.23.in ipſo erant. p.123,v.10.ſanctis apoſtolis.ibid.in obſ.v.42.adeo. p.125.v.10.deterſo. p.129,v.penult.qui ſixiſti. p.133,in obſ.v.40.εὐχαριστῶν. p.135,v.42.διακονηθῆναι. p.142,v.20.obſ.1.v.20.ordinatione presbyteri. p.143,c.20.v.7.perficiat. p.146,c.29.obſ.2.hac enim. p.147,c.31.in obſ.v.6.inſtitutam. p.151.obſ.1.v.18.ante fine obſer.horam veſpere. ibidem poſt duos verſ.continuatæ pſalmodiæ. p.153,c.40.v.7.balantibus. p.154,v.2.es immortalis. ibid.in obſ.v.32.προϋπάρξιν. p.155,v.30.nobiſcum concilians.

## Errata interpunctione aut prætermiſſa, aut praue facta.

Pag.14.obſeruatione 2.v.33.ſic interpunge,ecce homo,& opus eius ante faciẽ eius,per ſynecdochen illud acc. p.24.obſ.4.v.4.in eccleſia tertio, dele comma,quia deprauat lectionem & ſentẽtiam. p.35.c.48.v.3.poſt facto adde comma,poſt propoſito adde comma. p.80,c.11.v.25.& hominem comma. p.84,c.17.v.4.aliàs dele virgulam ſupra poſitam. p.106,c.35.v.vlt.poſt ſingula pone comma:poſt perfecta dele comma. p.108.v.8.cælitum dele comma:certans appone comma. p.125 v.16.vitæ veſtræ, appone punctum.

## Correctiones auctoris.

Pag.3,c.6.v.11.ad deuteroſim, apponatur ſuper deuteroſim ſignum † p.8.v.5.contentus commodo. p.8,c.6.v.3.ne defraudator,ne diuitum ſtudioſus,ne oderit pauperes,ne ſit maledicus. p.10,c.9.v.6.ſuper anima. p.15.v.3.deleatur ſtella cum numero de verbo admittatur,& ponatur ſuper caſtiga * 2. p.16,v.24.& in ieiunio premens. p.18,v.9.cum bona ſpe,cum ſtudio,& labore bonorum operum. ibidem,c.21.v.1.lenis,ſine dolo, ibidem,v.9.perforata lege triplici. p.19.c.22.v.11.Paralipomenon,id eſt,prætermiſſorum in libro dierum ſic. ibidem,v.12.& ſucceſſit in regno filius eius. p.27.c.31.poſt ſummarium in margine Eſ.22.pſ.81.dele vtrumque. p.36,v.1.vel trium teſtium. p.37.v.31.cum tamen † Zachariam.interpone hoc ſignum. p.39,c.57.v.9.ſunt enim ſimiles nautis, & illis qui lateribus nauis præſunt.ſit autem. p.47,v.4.ante finem colloquens canticis. p.49,c.12.v.8.ſi quæpiam. p.50,v.7.Benedictus Deus.dele. p.57,c.10.v.13.ab infantia litteras. p.60.v.1.cum eis iunctus. ibid.c.5.v.10.requiem,& omnia. p.62.v.14.morbum acutiſſimum. ibid.v.15.vel in aliquem morbum inſanabilem. ibid.v.16.vel inteſtini tenuioris. ibid.vel coli, lege vel colicum. p.68,v.10.in paſcha,dele in. p.69,c.14.v.24.à dextris tuis,adde & rurſus,currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantiũ:Iſraeli vero. p.72,v.13.quem transfixerunt, ibid.v.14.ſuper ſeipſos per ſingulas tribus,& mulieres. p.75,c.1.v.5.ambitionis cauſa,lege cupiditate principatus. p.77,v.1.contraria ſententiæ Dei. p.79,c.9.v.17.& anteriores partes in plantis pedum. p.82,c.13.v.penultimo,vinearum humilium non remotis à terra vitibus, deuaſtatores. p.83,c.14.v.18.ſpiritu tuo. p.84,c.17.ver.vlt.obſeruationis,ex annotatione, lege explanatione. p.88.v.11.populi reſpuebat,quòd ſæpe. p.92,v.12.creſcite, & multiplicamini. ibidem c.27.v.4.quidem impia res eſt. ibidem v.6.impunitum, vt propriè affecti ſunt,primi enim. p.94,v.3.ſanctorum eius,adde & rurſus, reuertere anima mea in requiem tuam,quoniam Dominus bene fecit tibi. p.97,c.7.ſummarium in margine,De diſciplina augurali, de incantatione, diuinatione, de concupiſcentia mala, & de aliis prohibitis. p.100.c.22.v.2.ſcilicet vni deo. p.101,v.1.b* 3. a * 2. p.107,v.22.quinque ad quincuplex certamen continentiæ dediſti, & mentem animæ aurigam. p.108.v.2.† phelmoni. ibidem v.5.etiam multi alii. ibidem v.7.Hieruſalem,lege Iſraël. P.110.v.3.in Bethel. ibidem v.12,murorum inſtauranda. p.112,v.12.dele ſtellam quæ eſt ſupra mortificetur, & appone verſ.ſequenti ſupra mente. p.115.v.9.dele ſtellã quæ eſt ſupra miſit,& appone in eod.verſ.ſuper humanas. p.117.c.48.v.1.in hominibus. ibid.v.6.Dominus Deus & pater Ieſu Chriſti. p.126,c.8.v.5.ante finem cap.fluctuent fiantque ſanctorum ſacrorum eius,diuinorumque. p.128,in margine verſiculo 8.inter viuos. ibid.v.11.pro Iacobo.ibid.v.12.non eſſet. ibid.v.16.apoſtolorum,dele reliqua. p.129,c.12.v.21.ante omne tempus,lege,ſine principio;aſpectus æternus. p.140,in fine obſeruationis,hactenus obſeruatio. p.141,in obſer.v.5.ante finem, reuocetur obſeruatio. p.144,c.25.v.5.tempore diiudicetur. p.152,c.37.v.9.vacet,& à ſomniorum viſis. p.153,c.39.v.1.& decies millia. ibid.c.40.dele ſummarium,& pone, oratio actionis gratiarum pro primitiis oblatis.